




THESAVRVS
POLITICORVM APHORISMORVM
repetitæ lectionis,
in quo
PRINCIPUM, CONSILIARIORUM,
AULICORUM LEGATORUM,
institutio.
in Onosandri Strategicum Notæ Auctore
R^mo Nob. IOANNE à CHOKIER
DE SURLET,
Canonico Cated. ac Vicario Leodiensi, Abbati
Eccl: Vis et: Ser^mi Elec: Colon: Consil:
Cum INDICE geminio, capitum, et rerum.
Editio Vlti ma Auctior
Coloniæ Apud IOAN ANTON. KINCHIVM Cum Priuil. S.C.M. Generali.

# PRIVILEGIVM CÆSAREVM.



ERDINANDVS III. Diuinâ fauente clementiâ electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod cùm demiſsè nobis exponi curauit noſter & Sacri Imperij fidelis dilectus IOANNES KINCHIVS Senator & Bibliopola Colonienſis, diuerſos ſeſe libros tum nouos, tum antiquos, ſeu manuſcriptos, in quibus indagandis nulli operæ & impendio hactenus pepercerit, communi rei litterariæ bono, prælo ſubijcere decreuiſſe: Vereri autem, ne quòd malo ſuo ſæpiùs ſit expertus, aliorū fraude ac dolo, qui primas iſtiuſmodi editiones temerè & dolosè nonnunquam imitari conſueuerint, ipſe ſperato laboris & impendij ſui fructu, ad alios inique translato, fraudetur, & ob id demiſsè à nobis petierit, vt Priuilegio noſtro Cæſareo ſibi clementer conſulere dignaremur: Nos huiuſmodi precibus, vt quæ æquitate nitantur, & ſtudiorum vtilitatem concernant, clementer annuendum duxerimus, ideòque omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & alijs librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, & vetamus, ne quis libros illos, cuiuſcunque profeſſionis, per memoratum IOANNEM KINCHIVM, & eius proximum hæredem imprimendos, intra proximum decennium à primâ cuiuſque editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines, ſimili aut alio quouis typo vel formâ, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, aut aliò recudendos dare, vel alios etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere clam vel palàm, citra voluntatem & conſenſum dicti KINCHII, eiusque hæredis proximi præſumat. Si quis verò ſecus faciendo PRIVILEGIVM hoc noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, aut tranſgredi auſus fuerit, eum non ſolùm huiuſmodi libris, perperam quippè recuſis & adductis (quos quidem ante dictus IOANNES KINCHIVS, eiuſvè proximus hæres, vbicunque deprehenſos, ſiue propriâ voluntate, vel authoritate Magiſtratus loci iſtius auxilio ſibi vindicare poterunt) priuandum, ſed & pœna inſuper viginti marcharum auri puri Fiſco noſtro Cæſareo fraudis vindici, ſed & ſæpedicti IOANNIS KINCHII, eiuſvè hæredis vſibus ex æquo pendenda decernimus, omni ſpe veniæ ſublatâ plectendum. Dummodo tamen iſtiuſmodi libri nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij conſtitutionibus aduerſum, vel bonis moribus contrarium, ſiue in præfatione, ſiue in textu, ſeu aliàs quocunque modo contineant, & ab inquiſitione de Cenſore, qui iſtic Coloniæ ordinarius eſt luſtrati accuratiſſimè & approbati fuerint, nec alius ſuper ijſdem libris anterius Priuilegium impreſſorium à Nobis impetrauerit, & dictus Typographus quaterna vt minùs cuiuslibet Operis exemplaria proprijs ſuis ſumptibus quàm primum ad Cancellariam noſtram Imperialem tranſmittere teneatur, quatenus Priuilegio hoc noſtro vti voluerit. Mandamus ergo vniuerſis noſtris ac Sacri Romani Imperij Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, ac præeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus, præſertim verò ijs qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine, & loco, Iuris & Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè vel impunè tranſgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcripta pœna plecti aliiſque idoneis modis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam euitare maluerint: Harum teſtimonio litterarum manu noſtrâ ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Ciuitate noſtra Imperiali Ratiſbonæ, Die Decimâ Menſis Septembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo, Regnorum noſtrorum Romani quinto, Hungarici Decimo ſexto, Boemici verò decimo-quartos.

*FERDINANDVS*

*Locus Sigilli.*

*Vt.*

Ferdinandus Comes Curtius.

*Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium*

Ioan: Walderode.

# THESAVRVS

## POLITICORVM APHORISMORVM

*Repetitæ Lectionis,*

DIVISVS IN TRES PARTES:

Quarum Prima,

PRINCIPVM, CONSILIARIORVM, AVLICORVM, LEGATORVM
institutio propriè continetur.

Secunda Pars

NOTAS COMPLECTITVR IN ONOSANDRI STRATEGICVM
SIVE DE IMPERATORIS INSTITVTIONE, AD
disciplinam Militarem spectantes.

Tertia

Vtrique conueniens de LEGATIONIBVS separatim.

AVCTORE

R.mo NOB. D. IOANNE A CHOKIER DE SVRLET, ECCLESIÆ
CATHEDRALIS LEODIENSIS CANONICO, AC SERENISSIMI
FERDINANDI Episcopi Principis Leodiensis vtriusque Bauariæ Ducis
Vicario Generali &c. eiusdemque à consilijs arcanis, Abbateque
Secularis Ecclesiæ Oppidi Visetens.

CVM INDICE *gemino: vno* CAPITVM, *altero* RERVM *locupletissimo.*





*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*

Apud IOANNEM ANTONIVM KINCHIVM sub Monocerote.

Anno M. DC. XLIX.

*Cum Gratia & Priuileg. Cæs. Maiest. Generali.*



EMINENTISSIMO
REVERENDISSIMO, AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

# D. IOANNI PHILIPPO

## S. MOGVNTINÆ SEDIS

Archiepiſcopo,

SACRI ROMANI IMPERII PER
Germaniam Archi-Cancellario ac Principi Electori,
Herbipolenſi Epiſcopo, Franciæ Orientalis
DVCI &c.

*Domino meo Clementiſsimo.*

Eminentiſſime Princeps Clementiſſime Dñe.

*QVi in tua Metropoli Moguntiâ ante quadraginta tres annos, & alijs locis etiam Romæ dignus viſus eſt typis repetitis* Theſaurus Politicorum Aphoriſmorum, Ioannis à Chokier Leodienſis Patritij, *is nunc typis meis rurſus in lucem venit ab Authoris manu, eo conſilio ne prius aliud adeat palatium, quam* Tuæ Emin.^mæ Celſitudinis *venerit in conſpectum. Cauſam dicam planè candidéque quouis Iudice, etiam* Tuæ Eminentiæ Celſitudine ſedente pro tribunali. *Nimirum eorum, quæ in his Aphoriſmis Autor literis, ego typis depinximus, prototypon & exemplar vivum in tuo eſt legere palatio. Vide enim,* Clementiſs. Princeps, Principem *Te agnoſcit Europa à Deo datum Imperio Romano nō ſucceſsionis hæreditario iure, ſed quod inter tot millia Glorioſiſsimum eſt Electione, quâ id effectum eſt, vt quæ in Te priuato virtutis, imprimis Religionis, præſtantia*

*

ſemper

*ſera per fuit agnita, eadem felici Reipublicæ, quâ Sacræ quâ Ciuilis optimè procuratæ, gratulatione, in omnibus conſpicuâ Dignitate collocata, populos circa poſitos & vrbes ita illuſtrat & afficit vt quod corporeis oculis ſol ille iucundiſsimus præſtat, id oculis mentium tua virtute efficere videaris.*

*Habet itaque Moganus, habet Manus, habet Naua & Rhenus, habent Montes Obrincani, & Abnobij & ipſa Harcinia, quos deuotæ tibi animæ accolunt, vnde ſe tantis in Germaniæ cladibus ac ruinis aliquo tenus conſolentur, & verè reſpirent; dum luce meridiana clarius agnoſcunt in ſuo Principe intus regnantem Conſcientiam ſanctam, exterius Famam Auguſtam, & populi exemplo tanto inducti, bibunt eduntque aſsidue Iuſtitiam & Pietatem : Quarum quidem copia illis tanta tuâ prouidentiâ miniſtratur, vt nullius mercis maior abundantia, te auctore, quam huius, cui D. O. M. ipſe regna terrarum poſtponi oportere monſtrauit, reperiatur. Efficis has diuitias Doctoribus, Paſtoribus ac profeſſoribus Optimis, & integerrimis, quorum è numero quos præſtare intelligis, tua beneuoleontiâ allicis, & quos humanitate cepiſti, clementia gratioſe fouere non ceſſas, itaq; facis, vt qui ſingulis adeſſe nequis, in ſingulis tamen abſens audiaris & honoreris.*

*Idem efficis in ciuili adminiſtratione, ad quam eos potiſsimum deligis, quos hic theſaurus deligendos & alijs præficiendos ratione demonſtrat; vt iam merito dubitare liceat ſubdito, ſuusne Princeps ex præſcripto Theſauri huius regnet an potius ille ſit breuis vitæ à ſuo principe actæ epitome & ſynopſis. Quid enim? Reginam Virtutum Politicarum Iuſtitiam Cle-*

*mentiæ*

*mentia & seueritate comitatam commendent Tui in Te? Est ea tibi communis cum alijs, qui secundum Leges viuunt & ab æqualitate nō discedunt. Quid? Maiestatem? amplum Principis decus & ornamentum, Modestia & Potentia temperatam recenseant? ea melius à te exprimitur rebus præclare gestis, quam ipsis Oratorum floridissimis verbis? Ad aulam tuam, ad Comitatum tuum si veniunt, (neque tamen interim à Tuæ Clementiæ persona deflecto) Istic Ingenia reperiunt, quæ rectam iudicij formam teneant, & indefessa, occupationibus non deterantur, sed splendescant; ætate & corporum vigore sustentante. Hic Philosophiæ, Legalisq; Scientiæ non ignaros agnoscunt; Linguarum peritia Eloquentiaq; florentes aspiciunt; Alienorum tam peritos, quam propria exercitos & tentatos, fortuna, experimentis doctos. Denique omnia illa decora & ornamenta inueniunt, quæ meus, imo tuus iste dictat liber, vel Thesaurus recondit.*

*Neque sanè mirari quisquam potest, hæc adeo cumulate in te tuisque reperiri, quum ante oculos habeamus, quo sis loco à Deo hominibusq; collocatus. Sedes in eo solio & throno quem & Tuæ Eminentissimæ Celsitudini mecum omnes boni gratulantur; & Beatus ille Beatissimi Pauli Apostoli discipulus Clemens in Primæ Germaniæ prima Vrbe erexit, & Octodecim omnino Sanctissimis ex ordine viris sibi continuo successuris vacantem reliquit, vsq; ad Maximum qui Constantij & Constantis temporibus, cum Arianis decertans, Agrippinensem nostram Coloniam infami apostata Eufrata, Episcopo defectore, fortis athleta associatis Galliarum Episcopis glo-*

riosus

*riosius liberauit. Quod beneficium si vel solum in* Tuæ Eminentiss. Celsitudinis *throno agnoscerem, satis posset idoneum videri, vt Coloniæ respiciamus ad hanc sedem à qua salutem maiores nostri receperunt, sed sunt his multo augustiora, sedes enim in eo quoque solio, in quo S. Bonifacius ille magnus Germanorum Apostolus ante octingentos annos sedens, Germaniam vniuersam, virtute, Orbem laude impleuit, sedes in eo solio, in quo quot antecesserũt, totidem pene paucissimis demptis illustria lumina & soles se mundo conspicuos præbuerunt. In quorum vestigia, etiam antequam hoc solium summa omnium voluntate ascenderes, iam omnibus incessisse videbaris.* Dixi, Eminentiss. Princeps *causam breuissime apud intentum maximus, eo animo quo me decet in* Tuæ Eminentissimæ Celsitudinis *conspectu videri & viuere semper, neque dubito quin si, vti fateor, animi mei exilitas maiestatis tuæ æstimationem non assequitur, præ magnitudine Clementiæ celebratissima sit gratiosissime subleuatura, cũ maxima pars laudis ista censeri debeat, excessisse laudes. In hoc excessu Clementissimas manus* Eminentiss. Celsitudinis Tuæ *venerabundus osculor, & Deum diuosq; sospitatores perpetuos in hoc gloriæ ac virtutis splendore precor. Coloniæ* 1649.

Eminentiss. Celsit. Tuæ

Humillimus Cliens. & seruus

*Io. Ant. Kinchius.*

# AVCTORIS PRÆSCRIPTIO,

## Continens eius inſtitutum, operis methodum & dictorum quorundam rationem.

NEMO eſt omnium, beneuole Lector, quem non aliquando ſatietas capiat grauiorum non tantùm negotiorum, ſed & ſtudiorum, quorum nimiâ intentione plerumque animus langueſcit, hebeſcitque, indeq; fit vt neceſſariò ad otium, non quidem illud ignauum, quo diffluunt marcida quædã deſidiæ mancipia, ſed honeſtũ & liberale ſit ablegandus, quò hoc veluti temperamento ſolitas ad curas paratior vegetiorque reddatur. Ita M. Catonem, exactæ virum ſapientiæ, vino quandoque indulſiſſe prodiderunt; Pollionem verò eximium Oratorem vnam alteramque horam quotquot diebus remiſſioni animi dediſſe, neque per id tempus vlli rei vacâſſe, ne qua noui laboris acceſſio quidquam de remiſſione delibaret; Eodemque mentis propoſito Scæuolam, præclarum iuris ciuilis Auctorem, pilæ ludo à rerum ciuilium curis oblectaſſe ſe, atque nonnunquam vagas littoribus conchu las, & vmbilicos legere conſueuiſſe, Cicero, Valerius, alijque teſtantur. Qui ig tur magnorum virorum exemplo ſentirem ſubindè animum interſtitione aliq negotiorum relaxandum, non vt ille conchulas & vmbilicos, ſed exim ciuilium dictorum flores ex amœnis hiſtoriarum viretis conquirere lectitare iam diu cœpi, Quo quidem in ſtudio adhùc procliuior fui, quòd C lis iſta & politica doctrina, Iuriſprudentiæ ſit admodum affinis & cognata quidem vt neutra ſine altera haud fermè vſui eſſe poſſit Rempub. adminiſ ti. Et tamen pauci, nec ſine damno publico, hodie reperiuntur, qui vtriq ciplinæ incumbunt; certè permulti, qui litium commodo & fœturâ incita mum modò legibus intendunt, quorum opera vt laudabilis, ita nec illorum contemnenda, immò laudabilior, qui quod tempus ab illo grauiori ſtudio adeoque negotiorum mole ſuppetit liberum, ad hiſtoriæ cognitionem non indiligenter traducunt. Vide Lector, & attende omnium Imperiorum clades calamitateſque; earum ſi fontem, & fomitem æquâ iudicij trutinâ expenderis, mox ab ignorantiâ hiſtoriarum, diſciplinæque ciuilis imperitiâ ortas eſſe iuxtà mecum iudicabis. Etenim, quando è multiplicibus rerum humanarum caſibus hactenùs exactis, nullus hodie eueniat, qui tantùm non diſſimilis ſit ſuperioribus, quis non videat inſcitiæ hiſtoriarum adſcribenda eſſe, quæ ſe toties rebus humanis ingerunt damna? Atque hinc eſt, quòd hac noſtrâ tempeſtate, aue adeò ſiniſtrâ, vt ſic dicam, pleræque Reſpub. à Magiſtratibus Principibuſque agitentur; ſiue quia illi aut flocci faciunt hiſtoriæ ſtudium; aut ſi in magno habent, oblectamenti modò gratiâ aſſumunt, & neglectis circumſtantijs propoſitoque rerum



geſtarum,

geſtarum,in intimum hiſtoriæ corticem ſe non penetrant,& animum nequaquã conſtituunt ad cogitandum indagandumq́ue moralem ſenſum, politicumq́ue. Quo quidem inſtituto qui hiſtorijs intendunt,non tàm tempus, quàm ſeipſos fallunt:cùm ex eiuſmodi lectione,nihil præter delectationem,& inanes narrationum paleas reportent. Vt igitur cum fructu tempus in otio meo (etſi quomodo in otio quod mihi maximè negotioſum fuit?) vtiliter expromerem,cœpi pertinaciter,ante plures annos ſpretis alijs voluptatibus & laxamentis,quibus nimiopere nonnulli indulgent,animum occupare legendis hiſtorijs, & priſcis nouitijſq́,,& vndique,attentiori ſtudio & curâ,politica quædam dogmata ceù flores quoſdam excerpere,ex quorũ ſucco *ſalutares admonitiones* (vt cum Seneca loquar) *velut medicamentorum vtilium compoſitiones litteris* aliquando *mandarem*. Ita non tàm mihi,quàm poſteritati mellificare volui,non neſcius magnum demùm fructum ingenij virtutiſq́ue percipi,ſi quidquid variâ lectione collectum eſſet,id in publicum,hoc eſt,Principes,eorumq́; Adminiſtros transfunderem. Nam, qui vnum aliquem è multis inſtruit,huic ille ſoli prodeſt;contra atque ſi eos qui multitudini præſunt:vtpotè qui vtriſque commodo ſint,& his qui imperitant, & his qui imperio parent. Atque hac quidem contemplatione Octauianus Cæſar, magnus ille Princeps & Monarcha,non parum ſtudij operæq́; ponebat,*in euoluendis vtriuſque linguæ auctoribus*,inquit Sueto. *& nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta & exempla publicè vel priuatim ſalubria,eaq; ad verbũ excerpta,vel ad domeſticos,vel ad Prouinciarum exercituumq; Rectores,vel ad Vrbis Magiſtratus plerumque mittebat,prout quiſque* [illegible]*onitione indigeret*. Cõſimilem in modum Plutarchus,Stobæus, & alij fecere: è [illegible]ſtris verò Guicciardinus,Præſul Iacobus Simanca,Gothofredus,itemq́; Iu[illegible] Lipſius quondam præceptor meus: cuius quidem opera tantò cæteris com[illegible]datior eſſe debet,quantò ille huiuſmodi politicas viſiones ex vtriuſque lin[illegible] Scriptoribus collectas,primus in formam ciuilem aptiùs redegit:at,quo labo[illegible] animique contentione,haud puto quemquam meliùs me ſcire,qui iamdin hoc idem ſaxum voluo. Neque vero quis mihi vitio vertat,quòd in eandem cum eruditiſſimo viro exercitij ſegetem ſtylum meum exeruerim; ſiquidem non eſt inſolens,plurium animos committi,&,vt,ſic dicam,arietari ad vnum idemque ſcribendi genus,& argumentum. Sic nec Ariſtotelem,ſi Ciceroni credimus,deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis;nec itẽ alios Oratores clariſſimi ſcripta Demoſthenis:cum honeſtum laudabileque ſit,ſi non in primis,at in ſecundis, tertijſque conſiſtere. Itaque *nulli nato*,quod Seneca ſcribit,*poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adijciendi. Sed et iamſi omnia à veteribus inuenta ſint, hoc ſemper nouum erit vſus & inuentorum ab alijs ſcientia & diſpoſitio. Multũ egerunt,qui ante nos fuerunt,ſed non peregerũt*. Ita ille *Epiſt*.64. Verùm,quid multis opus eſt? tantum abeſt,vt doctiſſimus ille Iuſtus Lipſius præripuerit,quin præbuerit mihi hanc ſcribendi facultatem:cùm incœperit ille tantùm,& primas lineas duxerit, quemadmodum litteris ad me datis rotundè teſtatus eſt,adeòque benignus Lector ex facili videbit,ſi hanc qualemcunque induſtriam maturâ & æquâ iudicij lance

ſecum

ſecum ponderârit,& cum viri magni contulerit ſcripto. Etenim, præter infinitas propè ciuiles, & morales gnomas quibus Commentarij noſtri exſuperant, ſubiecimus etiam exempla hiſdem exquiſitiſſima, & quidem artificio hoc, vt ſingula ſingulis ſententijs propemodum reſpondeant: quam certè partem haud attigit, aut pertendere potuit idem ille clariſſimus vir, morte, proh dolor, immaturâ præuentus. Alij autem plurimi qui in colligendis eiuſdem ſententijs operã nauârunt, nullatenus exemplis illas illuſtrârunt: & tamen quoto cuique dubiũ eſſe poteſt, quin in arte ciuili atque politicâ familiam ducat vis, & copia exemplorum? *Longum eſt iter per præcepta,* (ait magnus Seneca) *breue & efficax per exempla.* Quis enim mortalium tàm plumbeus ſtolidusque, qui ſi Manlij pietatem, Reguli integritatem, Catonis conſtantiam, Zenonis patientiam, Scipionis aut Spurinæ continentiam, Cæſaris fortitudinem atque magnanimitatem, Auguſti denique & Antonini clementiam penitâ mente conſiderârit, non ſtatim ad virtutum ſtudium accendatur, & genere quodam abripiatur? Ita non tantùm Principibus, Aulicisque, ſed Ciuibus etiam, quatenus moralia ſpectãt, aliqua ex parte hæc ſcripta vides: vtpotè quibus cõmunia eſſe debent cum illis non ſolùm virtutũ præcepta, ſed etiam plurima ciuilis vitæ arcana. Cæterùm, priuſquam te accingas lectioni huius operis, ob oculos tibi pone ſequentes animaduerſiones, ſiue

## NOTATIONES.

I. COmpoſitus Liber, vt vides, ſententijs alienis, veterum ferè & claſſicorũ Auctorum, niſi quod has ipſas vinximus, & ornauimus noſtrorum verborum dote: quam tamen nouâ hac editione uberiorem reddidimus varijs ab experientiâ deſumptis argumentis, & exemplis: vt mirum haud vlli videri debeat, ſi paſſim opus retractando, non pauca addiderim, alibi induxerim, vti res ipſa poſtulare videbatur.

II. Methodus conſideranda. Hîc primùm attende, vt capita præcedentibus conferas: ita facilior tibi ſequentium intelligentia patebit.

III. Diſparauimus exempla à Gnomis, ſiue Contextu: ne Liber fortaſſis vbertate dictionis, faſtidijs quorundam adhæreſceret, quibus ſcilicet non eſt tantum à negotijs ciuilibus otij, vt hæc noſtra ab ouo (quod dicitur) ad mala legãt. Itaque, quò ſine moleſtia, vel nauſea, nunc vnum Aphoriſmum, nunc Exemplũ in vſum ſuum transferant, Exempla à dictis Aphoriſmis ſibi ordine reſpondentibus, ſeiunximus, nec ſine, vt reor, venuſtate, qui ſciremus cum Xenophonte; nihil omnium in rebus humanis Ordine vel vtiliùs vel pulchriùs haberi. Quæ quidem Exempla etiam ab ipſis Ethnicis petuntur: quidni? cùm, vt teſtatur D. Auguſtinus, ab Ethnicorum benefactis acriores adduntur ſtimuli ad virtutem, quàm noſtratium, cùm ſubit animum cogitatio, quàm turpe ſit non perſpicere pectus Euangelicâ luce illuſtratum, quod perſpectum eſt ijs, quibus ſola naturæ ſcintilla prælucebat. Cæterùm, ijſdem ferè verbis ea protulimus, quibus ipſi vſi ſunt auctores; quò maior ſcilicet ijs fides adhiberetur.

IV. No-

IV. Notas item,& monita eodem fine, ſed & lucis causâ exemplis inſperſimus,ſiue etiam ne Aphoriſmorum contextum longiuſculo verborum noſtrorum ſubtegmine vitiaremus.

V. Sacris etiam quandoque vſi ſumus.cur non? cùm ea magis adſideant vero,imò verò indubitatam contineant veritatem : & proindè maiorem ad ſuadendum vim,diſſuadendumque,quàm profana habeant. Quamquam non ita frequenter:cùm haud libuerit diuinas litteras ſpectare,niſi,quod dicitur, ab alno.Igitur è profanis opus pœnè ipſum conflatum.nam & video viros magnos, Baſilium,Origenem,Cyprianum,Auguſtinum,Tertullianum, aliosque ſedulâ manu Gentilium libros euoluiſſe,ex ijsque optima quæque ſelegiſſe, quæ vel ad mores formandos,vel officia ciuilis vitæ apta videbantur. Ideò benè Origenes: *Si fortè nos aliquando inuenimus aliquid ſapienter à Gentilibus dictum, non continuò cum auctoris nomine ſpernere debemus & dicta;nec pro eo quòd legem à Deo datam tenemus, conuenit nos tumere ſuperbiâ, & ſpernere verba prudentium;ſed,ſicut Apoſtolus dicit, omnia probantes,quod bonum eſt tenentes.*

VI. Militaria in hac priori parte non tetigimus, ſed eam operam contuli in Onoſandrum,qui Imperatoris Duciſque ſupremi inſtitutionem,ad vſum militarem,dexterrimè compoſuit.Eum Notis meis & exemplis illuſtratum, quibus iſta curæ erunt,in ſecundâ huius Operis parte animaduertent.

VII. Si nec ſinguli ſingulorum capitum Aphoriſmi exemplis firmati , ſciat Lector,conſultò omiſiſſe nos:ſiue quia Politicam minùs illi ſpectabant ; aut ſi aliter,quia aliùbi ſuper eadem re exempla adhuc dederimus:id quod non difficulter videbit ſi ad Indicem recurrat materiarum.

VIII. Sicubi porrò videar in nonnullos Principes vel Aulicos acriter dixiſſe, conſideret velim me hiſtorias,vnde deprompta ſunt bonâ fide teſtatum eſſe, quarum etiam auctoribus nominatim accepta refero. Veritas, cui litant hiſtoriæ,inſtar Solis eſt,in obſcuro iacere non poteſt quicquid næui,quicquid honeſti Magnatibus ineſt. Vt deformitas iuxta pulchritudinem poſita,tetrior redditur:ita virtus bonorum Principum , illuſtrior redditur ſceleribus admota malorum.

IX. Dicet inſuper vnus aliquis,gnomas,ſeu Aphoriſmos hîc à me alioſum poſitos,inque Caſu,aut Tempore diuerſo,atque à Scriptoribus dictitati. Huic reſpondeo , miſcellam hanc multique formem ſcriptionem aliter conferti & conſtare non potuiſſe:abundè eſſe , ſi ſua cuique ſententiæ mens relinquatur. quòd ſi & hîc quandoque peccatum,noxa erit tàm rara, quàm leuidenſis, & quam innoxiam in hoc ſcripti genere,præter me iudicârunt viri in noſtrâ ætate præter cæteros docti. Expendat iſte ſine vano obtrectatu , quàm difficile ſit & operoſum,ex quam plurimorum auctorum voluminibus attento ſtudio ſententias non tantùm legere , ſed etiam ex ijs quoque ſanguinem ipſum & medullam ciuilis doctrinæ expromere,& exinde illas in certam,aptamque methodum diſponere , idque ſubiectis pro earum ordine & ſtructurâ exemplorum imagi-

imaginibus. Tentet quispiam, & suprà quàm credi potest, spissum negotium experietur.

X. Si quos porrò insectatus sim hæreticos, sciat Lector, me priùs ab illis lacessitum: & primò à quodam Heidelmanno, qui in suâ versione istorum Aphorismorum in suam linguam Germanicam, non solùm suis illos aspersit hæresibus, sed mendacijs etiam farciuit. Deindè, à quodam Maresio Traiecti in Cathedra pestilentiæ tunc sedente, quem pro re natâ libro meo Apologetico aduersus illum ante septem circiter annos edito, ægrè perstrinxissem, si meâ solius causâ in arenam vocata esset, nisi auctoritatem & Iurisdictionem Serenissimi Episcopi nostri FERDINANDI A BAVARIA Principis Electoris multimodis per opus suum seditiosum & pestiferum, cui titulum fecit, *Candela sub medio posita per Clerum Romanum*, maximis cum calumnijs eleuasset.

Atque hæc quidem ferè in genere dicta sint: nunc quarundam rerum, quas in decursu operis sinistrè fortè aliqui interpretari possent, defensio explicatiovè nobis est suscipienda.

I. Imprimis quod *Fati* voce Libri I. & VI. Capite I. alibique vsus sim, Ethnicè eam accipi nolim, sed Christianè: Prouidentiam nimirum diuinam omnia iuxtà cuiusque caussæ modum suauiter & sapienter ordinantem, cum antiquis, & primæuis Latinitatis Auctoribus, *Fatum* immò *Necessitatem* in præsenti opere appellari, non quasi *Necessitatem* accipiam provt excludit omnem etiam facultatem, siue potentiam ad oppositum, vt Theologi loquuntur, humanæque libertati per diametrum contradicit; sed quatenus inscrutabilis illa increatæ Sapientiæ Prouidentia, totam liberi arbitrij vim penetrans, eius actus bonos tam clarè pertingit, & comprehendit, vt illos certò & determinatè efficiat, prospiciatque infallibiter euenire.

II. Deinde, *Fortunæ* itidem vocem Libro V. cap. V. & si fortè alibi, haud aliâ intentione retinui, quàm vt veterum verbis, non sententiâ, loquerer. Neque enim *Fortunam* admitto, quasi per eam citra supremæ caussæ prouidentiam aliquid in rebus humanis eueniat; cùm nos Christiani Deum omnia regere confiteamur; sed quòd nos inopinatis nostris successibus à Deo præueniri in confesso sit.

III. Similiter, si quibus vocibus, quæ Ethnicitatem, vt sic loquar, sapiunt, vel redolent, vsi sumus; eas pio, & sano Catholicorum sensu accipi, non secundùm Gentilium superstitionem intelligi volo, vnde alioqui pleræque tales voces natæ sunt, quas sic retinemus, ne vsquam doctrinæ, quam tradit Sancta Romana Ecclesia Catholica, repugnemus.

IV. Quæ verò dicta sunt Cap. I. & II. Libri I. de Potestate Regiâ & Seculari, quam à Deo esse non quidem immediatè, sed mediante hominum electione tributam diximus, & cùm profanis, tùm sacris exemplis ostendimus; hactenus intelligenda sunt, vt etiamsi nonnunquam Principibus quibusdam, siue Regibus datam esse immediatè à Deo diceremus, videlicet Dauidi, Salomoni & alijs,



id tan-

id tantum factum fuerit per accidens, siue extraordinario modo, non per se: cùm alioqui talis potestas & ciuilis ab hominibus tribui consueuerit. Aliud tamen est in Pontificis Auctoritate & Electione, quæ licèt penes Cardinales S. E. R. consistat; Summi tamen Pontificis auctoritas, seu potestas non ab illis, sed à Christo immediatè ipsi defertur: talis enim est, vt ab hominibus conferri nequeat, quemadmodum communis docet Theologorum schola.

V. Amplius quæ initio Cap. V. Libri I. allata sunt ex Damasceno verbis illis: *non quidem à se inuicem separatarum*, ea ad essentiam diuinam referri debent: cùm vna sit diuina essentia, in qua tres diuinæ personæ ita conueniunt, vt trium personarum vna & eadem sit essentia. Porrò, quæ ibidem subijciuntur, *mens enim & sermo*, &c. piè & congruè intelligenda sunt, vt à Patre Filius, à Patre & Filio Spiritus Sanctus procedant, & tres ipsæ diuinæ personæ vnus Deus sint.

VI. Adhæc Lib. II. Cap. XXI. sententiam Plutarchi citauimus laudauimusque, quam sic probari cupio, dum Princeps honesti, licitique limen non transcendat, & Religionem Romanam Catholicam, eaque quæ ad eam pertinent, sarcta & tecta semper tueatur, & cum hac ipsâ cautione intellecta volo, quæ cùm pluscùlis in locis, tùm proprio Capite XIX. Libri III. de Simulatione scripsi.

Macchiauellus, & similes damnatæ memoriæ auctores sicubi à me citati, hoc consilio factum, non vt pestiferam illorum doctrinam quoquo modo ab Ecclesiâ Catholicâ reprobatam renouarem; sed vt eam multorum, proh dolor! mentibus insitam euellerem, contrarioque dogmate penitùs eradicarem.

VII. Insuper Lib. VI. Cap. XII. Iob appellamus inculpatum Ethnicum, vel potiùs gentilem, non quasi superstitionibus gentilium is adhæserit, sed quòd inter Gentiles & Idololatras vixerit iustè, in lege naturæ vnum Deum & verum sanctè colens. Itidem Salomonem Vatem Regium nuncupamus; etsi sint qui Dauidem tantùm hoc titulo insigniri velint.

VIII. Præterea, quæ de Pensionarijs sparsim in opere: cape de occultis, & vafris quibusdam; qui duabus sellis, vt Ciceroni Laberius obijcit, sedent, non de honorarijs, quos Principes ob honesta merita tueri solent.

IX. Denique, Lib. II. Cap. IX. in exemplis diximus, à Deo electum esse Dauidem, qui rufus erat & pulcher aspectu; non quòd eiusmodi dotes externæ caussam dederint electioni, nisi eius animi ornamenta, quibus abundè erat instructus.

Hæc igitur sunt, in quibus cùm aliorum, tùm meam mentem explicare volui, ne fortè minùs candidæ æmulorum perspicaciæ vel acrimoniæ occasionem porrò darem sequiùs de me, meisque scriptis suspicandi; qui si cautionibus his molliti minùs fuerint, bono tamen animo in re malâ vtar, securus etiam siue conscientiæ meæ, seu humanitatis recordatione, cui error, & caligo innata, si quâ in re fortè lapsus inueniar. Scio enim verum esse illud Principis Poëtarum:

A 3 Ac-

Ἀνθρώπων δ᾽ ἄψεκτος ἐπὶ χρονὶ γίνεται οὐδείς.

*Nemo hominum in terris vitio sine nascitur vsquam.*

Vnde rectè Socrates Xenoph. dicebat: Οὐ πάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον, ἐφ᾽ ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. Χαλεπὸν γὰρ οὐ τάνι ποιεῖται, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν. Καλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν: *nullum est opus, in quo non accusentur homines. Difficile namque est, ita quidquam peragere, vt nihil erres: quòd si etiam sine errore quisquam aliquid peragat, difficile est non iniquum iudicem reperire.* In quo finē facio, & te eum mihi iudicem præbere opto, quem se boni homines solent, id est, æquum, facilem, beneuolentem. Vale bone Lector.

# LIBRORVM, ET CAPITVM INDEX

## Thesauri Politicorum Aphorismorum.

### Liber Primus.



*Liber Secundus.*

 ipsis

ipsis ex eadem litterariâ penu promamus, vt quî se habeant in Consilio, imprimis legendo cognoscant. RERVM ENIM HVMANARVM, ait Philosophus, AVGVSTISSIMVM EST CONSVLTATIONE VTI. Quare, pro virili elaborandum, vt ipsam consultandi artem teneant: quam certis vt lineis modo includam, seriò suadet series operis nostri.



*Liber Quintus.*

Satis de Consilijs atque Consultationibus dictum. Consequens nunc est, vt de Administris Principum, deque interiore istorum vita quædam subnectamus. Ad ornatum siquidem Palatij credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere: quia de claritate seruientium, crescit fama Dominorum.

CAPITVM LIBRI SEX APHORISMORVM FINIS.

---

*Prouerb. XXI.* Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.

*Sapient. Cap. VI.* Si delectamini sedibus, & sceptris ô Reges populi, diligite Sapientiam, vt in perpetuum regnetis.

*Seneca epist. XXXVII.* Vis tibi omnia subijcere? te subijce Rationi. Multos reges, si Ratio te rexerit. ab illâ disces, quid & quemadmodum aggredi debeas.

# IOANNIS à CHOKIER DE SVRLET,

## CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEOdiensis Canonici, & Vicarij generalis, Abbatis secularis Ecclesiæ Visetensis.

# THESAVRI POLITICORVM APHORISMORVM

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT PRIMVM.

Principem dat Deus, qui erga humanum genus vice sua fungitur: *cui proinde parere nos par est, velut Deo ipsi, vnde ei potestas data.* Pli. Paneg.

PRÆCLARE, ac verè testatur ingenij ac eloquentiæ Princeps M.T. Cicero, ijs libris, quos de Legibus scripsit, *Nihil tam aptum esse ad ius conditionemq; naturæ, quam Imperium: sine quo nec domus vlla, nec* Lib. 3. *Ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Vt enim in vniuerso mundo, summus ille conditor Deus vniuersa procurat, regitque, in partibus animi mens, in membris autem cor: ita quoque consequens est, vnum esse à Deo secundum virtutẽ præstantem virum, qui vniuersæ multitudini præsit, eamque ex æquo gubernet. Quid quæris? *Pacis interest omnem potestatem ad vnum conferri.* Cæteroquin, omnia sint confusa necesse est, omnia dissidijs ac querelis Tacit. 1. Hist. plena; nulla denique erit vsquam iuris & æqui ratio, nullus virtutis ac meritorum gradus: quâ ex re, quis non videat facillimè consequi rerum ac hominum confusionem? Vidit hoc quondam Cæsar ille Iulius, qui apertè nec hic ambitiosè scripsit:

*Apud Dion. lib. 41.* *Naturam duas necessarias res, easdemq; salutares humano generi comparasse, vt alij cum imperio essent, alij ei subijcerentur: nihilq; esse, quod citra hæc, ne minimo quidem queat spatio perdurare.* Enimuerò, *Pulchrum est, in terris exstare vnum summum regimen rerum, quod mortalibus iura reddat, ad quod omnia referant quod sanctum sit, vnde cuncta petantur.* *P. Æmil. lib. 3. in Carolo magno.*

Prouidè igitur Imperium communi omnium hominum bono, à Naturâ, siue eius auctore Deo Opt. Max. datum esse credimus, quod meritò ille dixerit: *Callimachus.*

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες.

*Ex Ioue sunt Reges.*

Nam & veteres Poëtæ non frustra contendunt Rectores generis humani, hoc est, Reges, Deo vicissim curæ esse, ab eoque singulariter iuuari, protegique, atque ideò passim Homero, alijsque Διογενεῖς, *Ioue editi*, & Διοτρεφεῖς quasi *Iouis alumni* nuncupantur.

*Iustinian. Nouel. 73. in pr.* At verò nobis Christianis, longè certius est, *Deum Imperium de cœlo constituisse.* Quod ipsum etiam palam nobis indicauit magnus Tertullianus: *Inde est Imperator,* inquit, *vnde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, vnde & spiritus.* Itaque, *Principes Imperium à Deo habent, eosq; instar Dei esse,* non ambigimus: &, *quicquid dominatur vim habere Dei* *In Apolog. Tacit. 3. Annal.*

*Artemid. 2. c. 37.* Sed verius quis dixerit, *Principes ministros esse Dei ad curam ac salutem hominum, vt bona, quæ Deus illis largitur, partim distribuant, partim seruent.* *Plutar. de Doct. Principum.*

Rectè Diuus Augustinus, *Nihil est fœlicius in rebus humanis, quàm si Deo miserante habeant Potestatem.——Vt Iupiter solus* (inquiebant Ethnici) *Deorum imperium habet; ita illud dat vni mortalium.* *Lib. 5. de Ciuit. c. 19*

*Herodianus.* Vnde consequens est, rationique consentaneum, subditos Principibus debere cultum, & obsequium: id quod non nesciuit fama inclytus Historicus: *Principibus,* inquit, *summum rerum iudicium Dij dederunt: subditis, obsequij gloria relicta est.* Præclarè. *Nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt, sequitur vt is quoque carior sit, in quem se Respublica conuertit.* Mirificè Sallustius, *Pessimus quisque asperrimè Rectorem patitur.* *Tacit. 4. Annal. Senec. 1. de Clem. c. 4. Cæs.*

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

*Pomp. Lætus de Magistra. Rō.* I. QVorum initium sumatur à primo illo Vrbis Romæ & Imperij conditore ROMVLO. Is postquam, Deo sic prouidente, imperio potitus esset, legem inter alias tulit hanc: *Vt nemo Regnum Magistratúmue iniret, nisi auctor fieret Deus ipse:* ipseque per auspicia confirmari voluit.

*Sueto. c. 9.* II. TITVS autem VESPASIANVS, qui, ob eximias animi vt censebant dotes, dictus est *Amor & deliciæ generis humani*, verè quidem ratus est quin & facto insigni confirmauit, Principatus & Regna nequaquam adiri aut dari, nisi Prouidentiâ. Nam cùm duos Patritij generis conuictos in affectatione Imperij comprehendisset, nihil amplius quàm vt desisterent, monuit, *Principatum fato* (id est, Prouidentia diuina) *dari, frustraq; tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu.*

III. De-

III. Desierat quondam apud PERSAS progenies regia *Mergydis* vltimi Cyri Regis filij interitu, magnaque inter Principes disceptatio erat de regni successione. Inter se enim complures virtute ac nobilitate adeò pares esse videbantur, vt difficilis ex eis esset apud populum electio. quocirca in hanc sententiam itum est, vt res religioni committeretur: pactique simul sunt, vt ad diem dictam omnes ante regiam primo manè equis veherentur, & cuius equus primus contra Solis ortum hinnitum dedisset, is Rex esset. (Persæ enim Solem præcipuum Deorum omnium esse opinabantur, & eidem Deo albos equos sacrificabant.) Cùm ergò ad statutum tempus conuenissent, *Darij* equus statim hinnitum edidit, & segnibus tacitisque alijs fœlix auspicium, omenque domino primus emisit. Tanta autem moderatione reliqui vsi sunt, vt religioni confestim cederent, equisque desilientes *Darium* Regem salutarent. Populus itaque omnis Principum iudicium secutus, quasi Deo beneuolente eundem Regem constituit. Verum id commentum fortasse nonnullis videatur. Illud certum: Ex Herod. lib. 3.

IV. Eosdem PERSAS adeò augustè & religiosè Reges suos coluisse, vt ceu diuinitus dati essent, coram tussire, spuere, oscitare, nares emungere, & alia generis eiusdem nefas & impium omninò iudicarent. Post verò obitum eos in Numina referebant, & aris, templis, statuisque eorum hostias cedebant & thura, aliosque diuinos odores illis adolebant: quod & Romanos suis etiam Principibus fecisse non vno in loco liquet. Xenoph. 1. Cyropæd. Herod. 3.

V. NERO de seipse: *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum qui Deorum vice fungerer in terris.* Sed vtinam meliori Reipublicæ bono! Apud Senecam de clem.

VI. Cuius memoria subijt animum recordatio CLAVDII Cæsaris, qui sublato è medio C. Caligula, *rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum: interq; prætenta foribus vela se abdidit. Ibi latentem discurrens fortè gregarius miles, animaduersis pedibus è studio sciscitandi quisnam esset, agnouit: extractumq; & præ metu ad genua sibi accidentem, Imperatorem consalutauit.* Quid inde? *perduxit ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quàm frementes.* Qui, vt diuinitus datum, arripuerunt, *& lecticæ impositum in vicißim succollantes in castra* (tametsi reclamante Senatu & conclamantibus cohortibus vrbanis antiquam libertatem) *detulerunt, tristem ac trepidum, miserante turba obuia, quasi ad pœnam, & supplicium raperetur insons.* Quis igitur hîc non agnoscat Numinis prouidentiam, vel in istis Ethnicorum tenebris? Sueton. c. 10.

VII. ARTABANVS ad Persarum Regem accedenti, inquit Themistocli: *Leges ô hospes, aliæ sunt apud alios, Vos Græci, præ omnibus libertatem amatis: apud nos autem ea lex præstantißima est, quæ venerari Regem tanquam Dei effigiem iubet.* Plutar.

VIII. Quæ etiam prouidentia ac veneratio maximè in BERTARDO Longobardorum Regis filio apparuit: qui cùm profugus & extorris nouem ipsos annos apud Francos egisset, atque in Britanniam ad Saxonum Regem pergeret, tandem cœlesti nuncio monetur patriam repetat, exoptantibus etiam ipsis incolis, fore enim, vt regni habenas adipisceretur. ita euenit: nam non prius pedem in patria Baron. To 8. Annal an. Christ 673.

BERTARIDVS, quàm regnicolæ ſceptrum ei deferunt; eiecto *Garibaldo*, qui iniuriâ & impreſſione regnum detinebat.

IX. Quid in PRIBISLAO Bohemiæ Rege? Planè memoratu dignum eſt, quomodo ignobili & obſcuro homini Principatum detulerit Deus. Krantzium audiamus ſcriptorem fide dignisſimum ſuper eo ſcribentem: Bohemis imperabat *Libuſſa* vnica Regis filia, quæ moriente patre, virgo cœpit adminiſtrare paternam ditionem tam prudenter, vt Rex diu nullus deſideraretur in ea gente. Ita circumſpexit omnia, ita Iuſtitia inſignis erat, vt nemo ſub illa quereretur ſe ſuo deſtitutum: adeò ſcelerum vltrix, vt impunè nemo peccaret. Manſiſſent proceres ſub fœmina longius: ſed mortalem proſpicientes, ſemen Regium ex illa deſiderare videbantur. Dum tamen nemo audet interpellare ſuper ea re fœminam, ſumpſere audaciam nonnulli ex maioribus, vt voluntatem procerum, & totius populi cōſenſum atq; deſiderium explicarent. Illa, toruo primùm vultu intuita referentes: *Quid eſt*, inquit, *quod vobis deſit in hoc rerum ſtatu, vt Regem deſideretis?* At illi, *Nihil, ſi te immortalem haberemus, nunc, quoniam communi omnes ſorte ſumus defecturi, cùm te carere iam debeamus, ſemen ex te regium mitigaret populi deſiderium & ingentem nominis tui affectum.* Diſſimulabat aliquandiu caſta mulier populi de ſe deſiderium: tam illam delectabat thorus ſine ſocio, tam cœlibatus illi inhærebat. Sed cùm illi finem non facerent, illa Oraculo commonita, iuſſit ornari candidum gradarium equum, cui proficiſcens inſidere ſolebat. Illum ſequi præeuntem proceres iubet: & apud quē is conſiſteret quieſcens, qui de ferrea menſa cibum caperet, Regem mox conſalutarent: nam illum dignaretur thoro maritum, quem fata (quæ nos Prouidentiam appellamus) iumento imperantia monſtrarent. Sedulò implent, quod iuſſerat Regina, ſternunt iumentum, & permiſſo illi fræno liberum ſinunt præire. Illi porrò ſequuntur, obſeruantes quò vadat. Abibat in agros, viam non paruam, nec per ſolita gradiebatur itinera; ſed compendia quærere viſum; ibat in directum per nemora, per dumeta, per agros, donec ipſo iam meridie deprehenderet hominem labore feſſum ſe ad refectionem in agro quem arauerat, reponentem. Verterat aratrum & ferrum ex ſulco attrito ſplendeſcens in planitiem poſitum, pro menſa habebat. Cùm hominem cerneret iumentum, ecce ſtetit immobile nuſquam diuertens, aut circumſpiciens. Aderant dicti primores, qui id obſeruabant. Vbi vident hominem aratri ferro vti pro diſco, recolunt quid de ferrea menſa illis Regina mandaſſet obſeruandum. Voto ſe potitos interpretantur, & gaudent, mox ſciſcitantur de nomine: PRIBISLAO, inquit *mihi nomen eſt*. Illi verò: *Surge protinus, & conſcende ſtratum tibi iumentum:* pertrahuntque ad Reginam, inſinuantes quid repererint. Illa fato monſtratum virum complectitur, & pro regia dignitate, ſuis nudatum veſtibus, ornat, & thoro dignatur. Nec mobile fuit diſpar hoc coniugium: vt nec Principatus: nam quietam & ſine vlla contentione vitam cum vxore traduxit, & inſuper Remp. retinuit & fœliciter adminiſtrauit. Leges enim non paucas, (ſi nobilisſimo Fulgoſio fides) tulit, quibus

*VVandal. 1 c. 17.*

*Lib. 3. c. 4.*

bus Bohemi in alta pace viuerent, quibus quidem meritis adeò affecti fuêre Bohemi, vt in primario Vrbis templo ligneas soleas, quibus arans vtebatur, diutissime seruarint, easque ceu rem sacram nouis Regibus, dum diademate ornarentur, præferrent.

X. Nec silentio inuoluenda est ALVILDA Sivvardi Gothorum Regis scitæ pulchritudinis filia. Eam cùm deperiret, & coniugem sibi dari peteret Danorum Regis filius, abnuit eius mater, quo audito suam deplorans fortunam ALVILDA, animum licet amatoris memorem ad Martem adijcit; capit militaria munia; piraticam aggreditur, imò piratarum princeps (mirum dictu) efficitur. Quid inde? fors tulit, vt dum Regis filius piratas persequitur, in classem ALVILDÆ incideret, manum ignorans cum ignorante conserit, dubio satis Marte. Dum feruet prælium, galea decussa capiti, puellam prodit, & ex hoste protinus dedit amatorem. Siquidem Regius iuuenis vbi agnouit notos vultus, receptui cani iussit, pugnamque inhiberi: & insiliens puppi, virginem, an viraginem? amplexatur; fortunam accusans, quæ talem illi hostem obiecisset, malle tamen sic occurrisse, quàm omnino incognitam præterijsse. Itaque amata sua potitur in mari, quam in regia consequi non poterat; quæ & consors fit Imperij, Deo sic præter maternum votum, disponente. *Id. Krāt. 1.* *Illo quo nō indecens piraticam exercere, teste Krātzio lib. 1. Noruagiæ cap. 8.*

XI. *Lubitum est adire sacra.* Quis non sciat in Hebræis Regibus DAVIDEM vnum è multis Regem à Deo electum? *1. Reg. 16.*

XII. SALOMONEM eius filium magnificè profitentem à Domino Regem se constitutum? *Viuit*, inquit, *Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei.* *3. Reg. 2. 2. Paral. 1.*

Longum esset cæteros recensere: quos ideò prætergredior, quòd obuij sint sacram Regum historiam legenti.

XIII. Et verò, quorsum cœlestis illa totque sæculis celebrata ampulla chrismatis (quam ego pio osculo veneratus sum in vrbe Rhemensi) columbæ ore D. Remigio cœlitus missa, quo CLODOVEVM sacro Baptismatis fonte paganismo mundatum inungeret, cæterique post eum Reges sacrarentur, nisi quod hoc veluti symbolo & cerimonia Deus testatum Gallis, adeoque omnibus nationibus faceret, per se Reges regnare, & à se regna omnia constituta? *De qua vi de Gaguinum 1. de Gestis Franc. & Baron. in An. 496.*

*Sed & signis seu prodigiis plerumq; ostendit Deus, & regna, & Reges ab se dari.*

XIV. SERVIVM TVLLIVM, nunquid *visa circum caput flamma*, Regem aliquando fore præmonstrauit? *Florus 1. c. 6.*

XV. Nunquid aquilæ circum caput MARCIANI volatus, Imperio quandoque potiturum prænuntiauit? Procopium super eo scribentem audi: Sub id tempus (*Theodosii* II,) Wandali Africam Romanis rapuêre: captiuos verò quos ceperant in custodia habuêre, inter quos MARCIANVS fuit, qui *Theodosio* successit. Cùm igitur *Gensericus* Wandalorum Rex fortè præciperet, vt captiui in Aula sub dio cogerentur, vt aspectibus eorum consideratis, conspiceret, si quis *Apud Baron. Tom. V. Annal. An. Chr. 431.*

regiam haberet indolem, ac indigna præsente fortuna pateretur: interim ijdem inediâ ac labore fessi humi obdormiscerent, aquila fortè volans supra MARCIANI caput passis adstitit alis. *Gensericus* igitur portentum tacitè notans, non frustra hoc fore, iussit ad se venire, & quinam vir esset interrogat. Ille se *Asparis* (Romanorum Ducis) arcanorum omnium socium fuisse inquit, quem Romani domesticum Comitem vocant. Gensericus igitur meditans, & aquilæ gestum, & *Asparis* quanta esset apud Byzantium potentia, hominem de medio tollere ab re putauit esse, neque verisimile vt quamprimum interituro signa volatu illa ostendisset: nulla enim ratione eum interfici oportere. Nam si postremò regnaturus est, morti non esset apud eum locus derelictus: quod ea quæ Deo sunt decreta, nullatenus prohiberi possunt. Quapropter iureiurando eum obligat sibi amicum fore, neque vllo modo contra Wandalos venturum. Eiusmodi ergò pactis simul initis, dimissus est *Marcianus* redire Constantinopolim, vbi non multo post (vita functo Theodosio) Imperator renunciatur.

*Bapt. Fulgos. l. 1. c. 4.* XVI. CVRTIVS RVFVS cùm apud Quæstorem Africæ priuatus ageret, per meridiem in porticu deambulans, fœmineam vmbram augustiore forma, longe supra humanam vidit, à qua hæc verba accepit: *Tu Rufus es, qui in hanc prouinciam Proconsul venies.* Eo prodigio ad bonam spem erectus, haud multo post à Tiberio Africæ Proconsulatum obtinuit.

*Ascan. cap. 2. in Annal. Ital.* XVII. Mortuo ante annos quinquaginta *Paulo IV.* Præsule Maximo ex familia Caraffarum, cùm in locum eius alius esset creandus Pontifex Romanus, atq; ea de caussa iam inter sese Cardinales in Conclaue deliberarent, ecce super sedem IOANNIS ANGELI Cardinalis Medicæi, qui postea *Pius IV.* dictus est, columba circum liberè volitans, tandem consedit: quam rem haud aliter prudentes interpretati sunt, quàm Ecclesiæ primatum illi portendi.

*Euseb. apud Baro. Tom. 2. Annal. an. Chri. 238.* XVIII. Plusculisque ante eum sæculis FABIANVS Papa consimili modo, id est planè admirando, ad Pontificatum euectus est. Nam cùm omnes fratres, caussa deligendi eius qui Episcopatum gereret in Ecclesia, conuenissent, & multi de multis Illustribus, & præclaris viris ad illud munus obeundum idoneis cogitarêt, quamquam *Fabianus*, qui tum fortè præsto erat, nemini in mentem venerat; derepentè tamen columbam è sublimi deuolantem, quæ similitudinem Spiritus sancti super Saluatorem in specie columbæ descendentis repræsentare videbatur, eius capiti insedisse memorant: ac propterea populum vniuersum pariter vno sacrati Spiritus instinctu commotum, magna tum alacritatis, & vno animorum consensu, eum dignum eo dignitatis gradu acclamasse, & absque mora abreptum illum in sede Pontificia collocasse.

*Io. Diacon. apud Baron. To. 8. Annal.* XIX. DIVO etiam GREGORIO, priusquam S. Pontifex eligeretur, columnam igneam in aëre supra speluncam, in qua personatus apicem dignitatum fugiens, latitabat, certò non arbitrario apparuisse scribunt.

XX. Quid de AMBROSIO Mediolanensium Antistite eloquar? Cùm mortuo Au-

Auxentio Ariano Episcopo populus de successore deligendo dissideret, Ecclesiam ingressus vt pro officij sui munere (Præfectus enim erat Vrbi) commotam seditionem sedaret, cum multa de quiete & tranquillitate Reip. præclarè dixisset, derepente puero Ambrosium Episcopum exclamante, vniuersi populi vox erupit Ambrosium Episcopum deposcentis.

*Rufin. 2. Hist. Ecclesi. c. 11. Baron. to. 10.*

XXI. Quid de Nicolao? Is cùm in Palestinam è Lycia profectus esset, eamque multis annis pietate motus incoluisset, Dei admonitu Myream, quæ Lyciæ Metropolis est, venit, quo tempore eius vrbis Episcopo mortuo, Prouinciales de Episcopi successore deligendo consultabant, in ea deliberatione diuinitùs admoniti sunt, vt eum eligerent qui Nicolaus nomine postridiè manè primus in Ecclesiam ingrederetur, quâ obseruatione adhibita, in Ecclesiæ ianua deprehensus est Nicolaus, & summo omnium consensu Myreæ Episcopus creatur.

*Io. Diaco*

XXII. Omissis exteris, ad Ecclesiam nostram Leodiensem decurrat Stylus, S. Ioannem Agnvm XXV. Episcopum Tungrensium, quem transmarinus quidam vir omnibus ignotus, Angelo monente, agriculturæ intentum reperit, & Tungrensem Cathedram inire iubet, reluctatur ille, multa caussatus, cur indignus sit eo fastigio; ad extremum, baculum, quem manu gerebat, terræ infigit, aitque, non magis fieri posse vt ipse Episcopus fiat, quam vt aridus iste stipes radices, frondes, flores, fructus repentè parturiat. Vidit tamen hæc illic fieri, & se diuinitùs ad regimen animarum vocatum, quibus postea ita præfuit vt multa prædia, vt erat locupletissimus, Ecclesiæ Leodiensi, & Huiensi (in cuius arce quiescit) reliquerit. Fabula nonnullis videbitur, sed lucifugis, & quibus sunt fabula ipsa religio orthodoxa. Historia & traditio inuincibiles sunt ab ipsis.

*Annal. Leod. V. P. Roberti in Legia Catholica.*

XXIII. Cosmvs denique Medicevs Ioannis F. quo die, qui brumalis erat, Alexander à Laurentio consanguineo necatus est, bulbos momento temporis florescentes vidit. At, quid aliud designabant, quàm Florentiam, Vrbium Italiæ florem diuinitùs illi deberi? Obtinuit ergò Principatum: & quidem, tam fausto omine, vt subditi fidem clientela rem è vestigio illi repræsentarent.

*P. Matthæi in hist. Henrici IV. lib. 2. narrat. 4.*

XXIV. Itaque benè nuper Cardinalis quidam sciscitantibus nonnullis à creatione Pavli V. ter maximi Pontificis, quorum potissimùm suffragijs Pontifex factus esset, respondisse fertur, *Pontificem Romanum non fieri, sed factum de cœlo recipi.* Quod tam bellè quàm verè in Paulo dictum. Nam cùm moribus, virtute, doctrina, rerum experientia præ cæteris mortalibus emineret, diuinitus potius quam humanitus culmen Dignitatum illi obtigisse non irreligiose sentimus.

XXV. Vt meritò inoleuerit mos ille apud supremos Principes, vt dicant & inscribant se *Reges gratia Dei*, vel *diuina gratia*, seu *clementia.* Vt notent (inquiente nostro Rebuffo) quod à Deo Regnum vel Imperium habeant, *de Dieu & de L'espée.* Et licet successione deferatur, gratia tamen Dei est, cùm alicui obuenit: quia Deus potuit auferre vel morte, vel permittere vt alius regnum occuparet. Ideò sponte sua Deus videtur relinquere, & dare ei, à quo non aufert cùm possit. *Qua*

*Ad Constit. Reg. tract. Vt benef. ante v art. 2 gl. 1.*

*cum*

*Lib. 5. de Ciu. Dei c. 25.* cum ita sint ( vtar D. Augustini verbis ) *non tribuamus dandi Regni atque Imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem in Regno Cœlorum solis piis; Regnum verò terrenum & piis, & impiis, sicut illi placet, cui nihil iniustè placet.*

*Principes in tutela Dei.* *Porrò, quod dixi Reges à Deo singulariter iuuari atque protegi, planum quoque faciamus exemplis.*

*A.Gell. l. 5. Noct. att. c.* I. CRŒSVM Regem bello deuictum occidere tentat hostis, Regem eum esse ignorans: at Deus mirè illum seruat, filij facto, qui licet natura mutus & elinguis, hostem conspicatus mox inopinato rumpit vocem, clamans in hostem, ne Rex Crœsus occideretur. Tum & hostis gladium reduxit, & Rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsus deinceps incepit.

II. CYRVS vt primùm in lucem editus est, nunquid alitibus ferisque fuit expositus, & à fœta cane vberibus educatus? quemadmodum & Conditores Vrbis Romæ à Lupa, & Abidus à Cerua?

*Plut. Sueton.* III. Æquè memorandum CÆSARIS exemplum. Cùm gubernator nauis qui eum vehebat, cessurus esset fluctibus & tempestatibus, is præhensa gubernatoris dextra: *Quid times* ? inquit, *An non Cæsarem vehis* ? Quasi nil à tempestatibus periculi foret, propter eius transfretantis personam, quam vt aliorum Principum in Dei tutela constitutam existimabat. Quod & sensit aliàs, cùm interceptus in Gallia ab hoste, alius quidam de hostibus occurrit, qui eũ dimitti incolumem *In lib. 2. Aeneid.* iussit. Hoc autem ipse Cæsar in Ephemeride sua narrat teste Seruio: vbi propriam commemorat fœlicitatem.

*Lib. belli Iud. 5. c. 7.* IV. Sed & istud TITI VESPAS. Is cùm propiùs ad mœnia Hierosolymæ explorandi caussa accederet, multis erumpentium hostium telis petitus est. Quo quidem tempore maximè intelligi potuit, inquit Iosephus, *& belli momenta, & Imperatorum pericula Deum curare.* Namque è tot missilibus iactis, cum neque galea, neque lorica munitus esset, nullum in eius corpus delatum est: sed vel citra, vel vltra velut ex compacto ferebantur.

*Dio lib. 53.* V. TRAIANVS autem, cùm bellum in Iudæos seditiosos suscepisset, horribilis in Syria ( quæ bello flagrabat ) terræ motus cuncta quatefaciebat, adeo vt maximas illi oræ strages inferret, multa præclaraque ædificia euerteret, homines autem quamplurimos absorberet; interim quid Traiano factum? ecce, ex ijs regionibus in locum benè tutum à specie virili, id est, diuinitus, sanus, saluus, lætus educitur, auctore Dione.

*G. Zenocar.* VI. Verùm, antiqua hæc, ad recentiora veniamus. Imperator CAROLVS V. sæpè in magnis periculis, quorum illud inter cætera non minimum fuit, cùm in expeditione Africana reliquas iuxta se naues mergi, sibique idem periculum instare videret, tamen diuinitus, sicut & à plurimis alijs, seruatur: vnde periculi magnitudinis memor, illud identidem vsurpabat: *ô malum hospitium, ô malum hospitium mare!*

*Indidem.* VII. Eundem etiam ferunt, cùm ad Ingolstadium castra haberet, & oppidani, hostes-

hosteſque fœderati infinita tormenta bellica in ipſius caſtra exploderent, tanto numero globulis miſſilibus vbique volitantibus, vt Cæſaris ipſius tentorium non raro peteretur, atque ideò ab miniſtris moneretur loco cederet, ſeq; incolumem ſeruaret, arridentem dixiſſe: *Confiderent, neminem Imperatorem tormenti ictu perijſſe.* Cæterùm, ne ſingulis recenſendis otio abutar meo, quis neſciat & alios Imperatores, ac Reges, AVGVSTVM, TIBERIVM, CLAVDIVM, TRAIANVM, quid veteres? HENRICVM IV. SIGISMVNDVM, FRIDERICVM, MAXIMILIANVM I. alioſque; & è Regibus LVDOVICVM II. FRANCISCVM I. denique, vt ſexcentos alios prætermittam, HENRICVM IV. Galliæ Regem varios caſus & diſcrimina non tam caſu & fortunâ effugiſſe, vt Athæi autumant, ſed potius diuinitus auertiſſe?

VIII. Priuſquam caput claudam, narrandum eſt eximium illud ALPHONSI Arragonum Regis (viri, mortales, quem Muſæ & omnes Philomuſi in æuum dilaudent) apophthegma. Cùm ei à Coſma Florentino non mediocriter ei offenſo miſſi eſſent Titi Liuij libri, vtique præclari, reclamatum eſt à Medicis Regijs, qui aderant ne attrectaret librum ab hoſte miſſum, quem veneno infectum in Regis interitum putabant. Verùm, *Alphonſus* cùm aliquantò videretur Medicis aſſentire, demum Liuium manibus attrectans, hinc indeque legens & relegens quaſdam hiſtorias ad ſuos conuerſus, ait: *An ignoratis Regum animas non priuatorum libidini ſubiectas eſſe, ſed ſub curâ Dei ſecuras & lætas agere?* Cenſuit Princeps prudentiſſimus, diuinâ prouidentiâ cùm regantur omnia, cor Regis ſemper eſſe in manu Domini, qui regit & flectit quò vult contra omnia noſtra conſilia, vt merito maximo Athenienſes Diagoram expulerint, quod auſus fuiſſet ſcribere neſcire ſe an Dij eſſent, aut ſi eſſent, quid eſſent. *Æneas Syluius.*

IX. SAMNII Ægyptij præſtantiſſimi Philoſophi dictum non contemnendum. Is cum accepiſſet ALEXANDRVM Regem Iouis Hammonis filium oraculo fuiſſe ſalutatum, admirantibus compluribus, ait: *Omnes homines ſub Dei Imperio ſunt: iccircò imperare & Principatum inter mortales gerere, diuinum quoddam munus exiſtimandum eſt*: omnibuſque rationibus parere dicebat, Deum communem hominibus parentem eſſe, verùm peculiariter veluti filios ſibi adoptare illos, quibus imperandi regendique poteſtatem permitteret. Quæ propoſitio, vt à vero non aberrat, ſic tamen intelligenda, vt ſimilitudo illa, quæ Principibus cum Deo congruit, non tam in externa illa & abſoluta poteſtate conſiſtat, quàm in homines ſibi datam eſſe geſtiunt, verùm in Virtute, Iuſtitia, Pietate, Prudentia, quibus maximè rebus Principes Deo ſimiles efficiuntur, docente Platone: *Deo, inquit, ſimiles homines efficit Iuſtitia, cum Prudentia, & Sanctitate coniuncta, Deus enim nuſquam & nullo modo iniuſtus eſt, ſed iuſtiſſimus, nihilque illi ſimilius, quàm iuſtiſſimus homo & Princeps.* Hinc AGESILAVS Lacedæmoniorum Rex potentiam magnitudinemque regiam virtute magis quàm magnis diſtantibuſq; terrarum ſpatijs metiebatur; qui cùm opulentiſſimum Perſarum Regem *Magnum* appellari audiret, *Et ve-* *Apud Franciſc. Patrit. I. de Regno.* *In Theæt.*

Lib. 4. de Prouidentia. ro quare maior me est, inquit, nisi sit iustior? Rectè: quid enim sunt Principatus, inquit Saluianus, sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine nomine? vocabula nihil sunt sine rebus. Atque hactenus de potestate Principum, quam immediatè accipere à Deo communis tradit Theologorum Schola, vt notat Diana in Resolut. Moral. tract. de Immunit. Eccles. Resolut. 125.

## CAPVT II.

### *Principatus ergo, & omnis potestas à Deo est. Mediatè vero tributitur, aut* iure hæreditario, *hoc est,* successione, *aut* electione.

SVCCESSIONEM appello, cum iure quodam gentilitatis in liberos, vel agnatos is honos deriuatur: *Electionem*, cum iure sanguinis neglecto, suffragijs populi, vel eorum ad quos ea res spectat, defertur. *Hanc* natura priorem; *illam* receptiorem esse atque adeò meliorem, sunt qui putant. *Minore* etenim *discrimine sumitur Princeps, quàm quæritur.* Nimirum, quia multi, nec boni ipsi, nec bono publico, cupidine tantum potentiæ, ( *omnes enim habere in alios imperium cupiunt* ) ad Principatum incenduntur, idque nō sine magno Reip. interdum detrimento. *Maximè adducuntur plerique* ( inquit maximus Oratorum) *vt eos Iustitiæ capiat obliuio, cùm in imperiorum, honorum, gloriavè cupiditatem inciderint.*

Tacit. 1. Hist. Dio. lib. 52. Cic. 1. de Off.

Quid, quod Anarchia insidijs, dissidijsque magis oportuna? quando defuncto Principe plebem ferè videamus *motus noui cupidam*, nec magis publicam rem in tuto, quàm nauis suo destituta nauarcho. Siquidem *magnis*, aut nouis, *conatibus, opportuni sunt transitus rerum.*

Tacit. 1. Hist. Taci. ibid.

Aliter atque *si successor non in incerto*: tum enim est, qui *prauas aliorum spes cohibeat.* quoniam, *non sentitur amissus, cui non succedit extraneus.* Ecce, *mortuus est pater eius*, ait Ecclesiasticus, *& quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.*

3. Annal. Indidem. Cassiod. 3. epist. 6. Ecclesiast. 30.

Denique, perspicuum est, *suis quosque parère placidius*: ac procliuius per consuetum & indigenam Dominum, quàm nouum & exterum, plebem in officio contineri: quippè,

Q. Cur. lib. 6. Statius.

——— *cui mos humili læsisse veneno*
*Summa, nec impositos vnquam ceruice volenti*
*Ferre Duces.*

Curt. lib. 7

Vt verè dixerit non imprudens scriptor, *Alienigenam Dominum neminem pati.*

D. Hiero. Ca. Moyses 8. q. 1.

Plerique tamen existimant Principatum non sanguini deferendum: *Nam nasci & generari à Principibus fortuitum, nec vltra æstimatur, cooptandi iudicium integrum, & si velis eligere, consensu monstratur.* Certè, apud omnes antiquas gentes, *Imperium nonnisi ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur.* Vnde præclarè Philosophus: *Reges eliguntur, ἐκ τῶν ἐπιεικῶν ex viris bonis, propter ὑπεροχὴν excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute, gestarum.* Itaque, *magis expedit*, inquiunt, *eligere, quàm ex hæreditate mereri Principem.*

Tacit. 1. Hist. Cic. 3. de leg. Aris. S. Poli. cap. 10. Pomp. Latus in Martian.

Mihi

Mihi tamen prior illa sententia tutior, ac certior: vt quæ etiam à iure Diuino manare credatur. *3. Reg. 1. & 2. Deuteron. 17.*

Atque hæ quidem potissimùm sunt legitimæ consequendi Imperij viæ; qui aliter, & qui extra duas has vias assumunt, non tam Imperium, quàm sui exitium quærunt. *Imperia* enim *malè parta, malè gesta, malè retenta obruuntur.* Vt prorsus verè Otho Imperator dixerit: *Non posse Principatum scelere quæsitum diu retineri.* *Genes. 49. Liuius lib. 9. Tacit. 1. Hist.*

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

I. PERSARVM Reges iure hæreditario imperitasse Strabo super alios testatur: refertque Isocrates eorum Monarchiam non aliam ob caussam ad tantam processisse potentiam, quàm quòd Regibus non electione, sed hæreditariâ successione ad Imperium assumptis regerentur. *Lib. 15. Orat. 3. ad Nicoclem.*

II. Narrat Thucydides temporibus heroïcis, antequam ambitio ad mutandam Remp. GRÆCOS impulisset, eosdem sexcentis ante annis rectos fuisse Regibus per successionem legitimam vocatis, vt Athenienses, Spartanos, Sicionitas, Corinthios, Thebanos, Epirotas, Macedonas. Contendit quoque Pisistratus cùm occupasset Tyrannidem Atheniensium, regnum sibi debitum, & nihil alienum sibi vsurpasse. *Quippe,* inquit, *genus à Cecrope duco: Id enim meo iure vendico, quod Athenienses olim iureiurando firmassent, Codro illiusq; genti præbituros regnum, quod postmodum abstulerunt.* *Pet. Greg. 7. de Rep. c. 4. Diog. Laert. in Solon.*

III. ÆGYPTII à tempore primi Regis, vsque ad Sethonem vltimum Regem & Sacerdotem commemorabant trecentos quadraginta quinque per successionem continuatam ex genere. *Herod. lib. 2.*

IIII. LYCVRGVS vbi accepit Polydecten fratrem vxorem grauidam reliquisse, statim Regis quod præproperè assumpserat nomen, deposuit, interim πρόδικον, hoc est tutorem se esse professus. Sed & natum deinde posthumū primo lumine stitisse Lacedæmonijs, ac dixisse fertur, Βασιλεὺς ἡμῖν γεγένηται ὦ Σπαρτιᾶται, *O Lacedæmonij Rex nobis natus est*; moxque infantem Regia in sella deposuisse. *Plut. in Lyc.*

V. Quid multis? nulla ferè gens toto in orbe, quæ non receperit, ac prætulerit hæreditariam hanc successionem. Annon Indi, Afri, Turcæ, Tartari, & multis sæculis Romani & Athenienses, Etrusci, Galli, Hispani, & Britanni receperunt, ac summa cura retinuerunt? an non denique ius ipsum diuinum? Deus inquā à populo suo illam recipi iussit, & stabiliri? fidem faciat quod Deus nemini ita Regnū contulerit vt personæ id solum, quin etiam posteritati legitimo possessionis iure tenendum daret. Nam sæpe nos scriptura docet, Deum licet vni nominatim tribueret Imperium, voluisse semper id beneficij ad sobolē quoque peruenire, quasi satis persona Patris comprehensam, quamuis donationem non rarò ob donatarij commissum reuocarit. Ecce, Deus per Nathan Prophetam Dauidem sic alloqutus est: *Ego tuli te de pascuis sequentē greges, vt esses Dux super populum meum Israël: & fui tecū in omnibus vbicumq; ambulasti, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua, &c. cùmq;* *Successio receptior electione. Deuter. c. 17. vers. 20 & Genes. 49. vers. 10*

*dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnum eius. & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.* Quam promissionem Deum ad Salomonem Dauidis filium repetijsse quoque legimus, vt habetur 3. Reg. 9. & 1. Paral. 22. Deinde legimus, diadema cum sceptro sæpe pueris, atque adeò infantibus, tradi solitum. *Choas* namque septem tantùm annorum erat cùm regnare cœpit: *Manasses* verò duodecimo; *Iosias* octauo ætatis anno vincti sunt; quos populus, si libera atque soluta ei optio Regem eligendi fuisset, nunquam posthabitis adultis Reges sibi asciuisset, vt præclarè ratiocinatur eruditus vir Guilielmus Barclayus lib. 3. contra Monarchomachos, quò loci plura qui volet exempla legat.

4. Reg. 22. 2. Paral. 33. 34.

Meritò, cùm per eam vitetur ambitio, eiusque incommoda; quæ exemplis ostendūtur.

VI. Enimuerò, si non ob aliud, certè ad euitandam, & circumscribendam innatā mortalibus ambitionem conducit hæreditaria hæc successio. Quis enim nescius est, vel ab ipsis incunabilis ingenitam esse hominibus dominandi cupiditatem? Testis ille *Polynices* apud Senecam: *Pro regno velim Patriam, penates, coniugem flammis dare: Imperiò precio quolibet constant benè.* Vnde fit, vt viuente etiam Principe sæpè de eius successione consulatur. Instruuntur Illi insidiæ, vt occupandi detur locus; factiones; coniurationes oriuntur, calumniæ texuntur, aliaque occasiones quæruntur destitutionis eius. Quid autem mali adferant factiones pro gubernaculo Reip. ambiendo, testantur abundè miserrima ciuilia Romanorum bella, Marij, Syllæ Lepidi, Cæsaris, & Pompeij, Antonij, & Augusti. Hinc factiones, ærarij expilationes, ortæ diuisiones, Reip. odia, inimicitiæ inter regnicolas, ciues, & Prouinciales. quæ quidē omnia quiescunt, quando est certus successor ex genere.

Tacit. 1. Annal.

VII. Accedit, quòd Principes qui culpatioris sunt vitæ, successorem sibi plerumque assumant longè peiorem, vt aliorum comparatione secundam sui apud posteros concitent existimationem. Ita *Tiberium* pessimæ notæ Cæsarem, *non quidem caritate aut Reip. curâ successorem* (Neronem) *adsciuisse, sed quoniam arrogantiam sæuitiamq; eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsiuisse.*

VIII. Alia ratio: Officiales & ministri eorum, qui electi sunt minùs fidi sunt, & quodammodo rapaciores: nam dum non ignorant functiones suas cum principis vita emorituras, ad opes & honores festinanter aspirant. Mutato enim & translato in alienam familiam Principatu, veteres ministri aut dimittuntur, aut postponuntur.

Lib. Hist. 4.

IX. Imperium itaque longè stabilius, si successor (vt antè dixi) non in incerto. Id testatur quoque TITVS ille Taciti, dum ait: *Non legiones, non classes perindè firma imperij munimenta, quam numerum liberorum. Nam amicos, tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maximè Principibus, quorum prosperis & alij fruantur; aduersa ad iunctissimos pertineant.* Firmemus priùs illud membrum illustri exemplo *Philippi Mariæ* Ducis Mediolanensis, cuius non tam mors, quàm orbitas, quas perturbationes & confusiones rerum omnium quas prædas, quos laniatus Reip. Mediolanensi attulerit,

haud

haud est opinor quisquam qui nesciat. Ecce; populus vt cognouit Ducem sine liberis obijsse, mox in libertatē sese exclamat, Duodecim viris electis qui Remp. administrarent: Interea temporis plures suscitantur, qui Principatum sibi deberi contendant. *Fridericus* III. Imper. se iure potiorem esse asserit. *Alphonsus* Aragoniæ Rex ex testamento hæreditatem petit. *Carolus* Dux Aurelianensis ex sanguine Vicecomitum natus, ab intestato sibi deberi contendit. *Franc.* verò *Sfortia* Vicecomes, coniugem suam, quæ Philippi filia erat, suam & necessariam Patri hæredem esse ait, & quidem se cæteris potiorem. Auditæ sunt legationes imminentium Dominorum in Senatu Mediolan. sed frustra. Dilaniatur itaque Philippi hæreditas, *Veneti* Placentiam, Cremam, Laudam occupauere, aliaque minuta oppida: *Ludouicus* Dux Sabaudiæ Valentiam, & Florentiam inuasit. Astenses ad Ducem Aurelianensem Carolum defecêre, qui susceptis à Rege Franciæ non paruis auxiliaribus copijs, Alexandrinorum agros vexare atque populari cœperunt. Papienses intestinis agitati discordijs, diū ancipites fuêre, quibus se potissimum partibus iungerent. Nouarienses, Comenses, Alexandrini, ac Tardonenses Mediolanensium Imperium subiêre, Parmenses in societatem quodammodo recepti sunt. Tandem bellis inter hos intestinis excitatis, præualuit Franciscus Sfortia: quibus consilijs, quavè virtute, qui volet legito apud Illustriss. Card. Æneam Picolomineum, Comment. lib. 46. de Mediolan. Ducibus: & plura eiusmodi exempla quibus docetur, Principi omninò expedire successorem in Imperio designare, petantur ex Dissert. 2. libri. 1. Scip. Amirati. *Card. Æneas Picolominus lib. 46. Comment. de Medi la. Ducibus.*

*Denique dixi, indigenis Principibus nationes procliuius subijci: nihil verius.*

I. Testis mihi sit locuples PHILIPPVS COMINÆVS auctor grauissimus. *Vix vlla est*, inquit, *natio quæ diu ferat peregrinum Imperium: Galli certè non ferrent, & vbicumque populus est aliqua mediocri potentia, videmus eum ferè ab indigenis gubernari. Ante annos 40. maximas in Gallijs possessiones tenuerunt Angli, hodierno autem die præter Caletum, & duo quædam castella nihil habent, & temporis ferè puncto amiserunt omnia. Galli possederunt aliquando per complures annos Siciliā & Neapolim; his autem omnibus ita sunt exuti, vt præter maiorum suorum sepulcra nihil ibi reliquum habeant. Nam etiam vt Princeps aliquis externus benè rem gerat, & commodè gubernet: tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repræsentare potest beneuolentiam ac si esset indigena, faciles oriuntur dissensionum occasiones. Itaque fit, vt ille quò Principatum ad se delatum suasq; fortunas tueatur, aliunde militem & copias adducat, eorumq; se præsidio muniat; qui beneficijs deindè singulariter ab eo, & honoribus aucti, magnam multitudinis inuidiam, & odium in se concitant*: hæc ille lib. 8. Comment. Accedit, quòd Imperijs externorū haud facilè homines subijciātur.

II. Si Rempub. IVDÆORVM spectes, nunquid illis vetitum Regem admittere nisi ex se, aut fratribus suis oriundum? Audiamus Codicem sacrum: *Cùm ingressus fueris terram*, ait, *quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam habitaverisq; in illa, & dixeris: Constituam super me Regem sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* *Deuter. 17.*

*Pet. Greg. 7. de Rep. cap. 4. num. 14.* III. Ferunt Annales Franciæ Anno Domini 1168. à tempore Regis Siciliæ Guilielmi qui Gallus erat, *Siciliensses, Apulos,* & *Calabros* conspirasse in Gallos apud illos existentes, eosque necasse, prætextu quod Rex illis præfecisset Cancellarium Gallum, alioquin tamen præstantem, & huic muneri idoneum : ægrè ferentes quod summus Magistratus alienigenæ, & non ex Patria datus esset. Ita ferè semper turbæ ac seditiones vbi non indigenæ dominantur. Et reuera, dum Odysseam malorum vicinarum prouinciarum contemplor, ambigo num ab hac vna ipsa re eam acceptum referre debeam.

Pro Electione stant etiam exempla, & rationes. *Verùm, quoniam ostendi nonnullis alijs Electionem probari, satiusq́; esse per eam Principatum deferri, ne grauemur dicis causa id exemplis confirmare.*

*Q. Curt.* I. Legimus ALEXANDRVM MAGNVM tametsi Herculem filium, & fratrem Aridæum, & Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, tamen illum Imperij hæredem futurum respondisse, qui dignissimus esset: nefas esse ratus viro forti alium quàm fortem & manu strenuum succedere.

*Dio. Sueto. Plin. paneg. Vopiscus in Tacit.* II. Scimus etiam plerosque Romanos Principes, neglecto proprio sanguine, exteros ad Imperium assumpsisse. inter cæteros GALBAM Pisonem adoptasse, NERVAM Traianum Imperatorem fecisse, eundemque posteà Cæsarem in Senatu designasse prudenter: *Ingens enim est gloria morientis Principis*, inquit ille, *Rempub. magis amare, quam filios.* Itaque, optimi Romanorum, non coniunctionem sanguinis, cùm propinqui non deessent, anteponebant publicæ vtilitati: quippè existimabant ad Imperium, virtutem potius cuiusque, quàm generis claritudinem, atque adeò propinquitatem, ponderandam. Cuiusmodi plura exempla lubens subnecterem, nisi horum commemoratione, tædium Lectoris prouocarem.

*Lib. 2. de Regno. & Reg. officio.* Veruntamen, priusquam desinam, verbo expendamus rationes, quibus isti nitantur, qui Electionem putant Successioni præferendam. Et quidem præter quas in textu attuli, eximius Doctor Genes. Sepulueda Hispanus in medium has profert: Primùm, quia cognita iam virtus atque perspecta, expectatæ & incertæ iure optimo præfertur, cùm sæpè videamus in eadem familia, filios & posteros à parētū, & maiorum præstantium virorum virtutibus degenerare. Vnus *Vespasianus*, apud Romanos, Titum filium virtutis suæ imitatorem habuit; mox Domitianus degenerauit. *M. Antonius* nullam vnquam Reip. iniuriam intulit, nisi quod Commodum filium reliquit. *Seuerus* Caracallam fratricidam, & Senatorij sanguinis osorem, post se in imperio habuit. *Magnus Constantinus* filium Arrianum, & Iulianū Apostatam reliquit: Deindè, quia defuncto Rege nonnunquam puer aut infans succedit, aut etiam posthumus relinquitur, vt Lacedæmone Charilaus, Lycurgi fratris filius; quorum dum maturitas exspectatur, regnum solet multis incommodis & seditionibus laborare. Quod malum sæpè Hispania sensit, in qua Ranimirus Tertius quinque annos natus, Sanctio: Alphonsus V. eadem ætate Veremundo: Alphonsus IX. Sanctio quadrimus: Alphonsus XI. vixdum egressus primum ætatis annum Fernando; Ioannes II. mensem vigesimum agens, Henrico patribus

in regnum successerunt. Sed quibus calamitatibus ac malorum fluctibus per tutorum regnumque procurantium ambitiosas contentiones, & procerum nouarum rerum & imperiorum studium, vicinorumque Regum huiusmodi occasionibus abutentium cupiditatem, Hispania iactata sit, longum esset recensere. Scimus quoque Imperium Electione deferri per septemviros seu Principes Electores, ex instituto quidem Othonis III. Imperatoris, summi Præsulis Romani Gregorij V. confirmato, licet iam à 200. circiter annis illud in inclyta Austriacorum familia resederit, sed non tam successionis, quam liberæ electionis iure. Censuerunt enim Serenissimi Electores bono potiùs expedire publico in inclyta illa familia consistere Imperium quàm in alia, quod per illam vtpote viciniorem faciliùs Turcarum vires à Germania, cæterisque Prouincijs propulsarentur, adeoque Religionis Status stabiliretur. Cæterùm, vt res sese habeat, mihi semper verior altera sententia: neque hæc argumenta tanti apud me sunt, vt à partibus dimoueāt Successionis: nam & si quis iusta iudicij trutina ea ponderet, ex facili videbit leuiuscula esse, & longè præponderare quas pro Successione protuli rationes.

---

## CAPVT III.

### *Porrò, Principatum, siue Monarchiam optimam esse politiæ ciuilis formam, haudquaquam dubitandum.*

*3. de Rep. c.*
OMNIS politica administratio secundùm receptam Prudentum sententiam, *10. De Rep.*
vel vnius arbitrio, Μοναρχία βασιλικὴ, *regia gubernatio*: vel paucorum, quæ *16. In Symmach.*
Ἀριστοκρατεία, *status Optimatium*: vel plurium, quæ Δημοκρατεία, *populare imperium*, di- *Tacit. 1.*
citur. Harum specierum meliorem esse *Monarchiam*, cum Arist. Platone, Isocr. *Annal.*
Herod. alijsque sexcentis existimo: Neq; enim potest vllum melioris administra- *Idem 1.*
tionis perfectius exemplar adduci quàm ipsius Dei, cuius imago Princeps. Nam, *Hist.*
vt in homine cor vnum, in familia vnus Dominus, in vniuerso Deus, sic *vnum im-*
*perium, vnius animo regendum videtur*. Eapropter, *omnem potestatem ad vnum conferri* *Deut. 17.*
*pacis interest*. *Ios. 1.*
*Cic. de leg.*
Vnde & sacræ testantur litteræ, vnum à Deo Regem populo constitutum: at- *l. ex hoc. ff.*
que adeò omnis antiquitas docet; *Omnes gentes Regibus quondam paruisse*. Idque sum- *de Iust. &*
mâ humanitatis ratione: cùm vni omnes parêre, maximè sit secundùm naturam. *iure.*
*Natura* siquidem, *commenta est Regem: quod ex omnibus animalibus licet cognoscere*; *vt ex* *Senec. de Clem.*
*apibus*: —— *quæ sine Rege esse non possunt. Nihil certè molestius, quàm multis parere Impe-* *Plin. lib. 11*
*ratoribus*. *c. 17.*
Planè, noxia res plures Domini; & dissidijs magis obnoxij: *Philo de*
*Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas* *Agricult.*
*Impatiens consortis erit.* *Lucanus 1*
Quid quæris? *Nihil habet consultum, aut æquale, popularis*, aut optimatium *status*. *Thucyd. in Orat. A-*
Quod *thanag.*

*Iustin. exhort. ad Gent.* Quod contra. si vnus: *Vnus enim, Principatus, à bellis dißidijsq; solutus ac liber esse solet.*

Rem vidit Homerus:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω
*Iliad. 1.* Εἷς βασιλεύς.
*Haud bona multorum dominatio, herus vnicus esto,*
*Vnicus & Princeps.*

*Isocrat. ad Nicoclem.* Nimirum, quia *tantò facilior est Monarchia, quantò facilius est animum suum vnius viri arbitrio accommodare, quàm multis & varijs opinionibus placere conari.*

Quocirca cum Steneida dixerim,

*Fragm. de Regno.* οὐδὲν ἀβασίλευτον καλὸν οὐδὲν ἄναρχον: *nihil pulchrum, honestumvè ducendum, sine Regno, aut Principatu.* In quo sedulò tamen cauendum, ne studio augendi aliena
*Senec.* concupiscat. *Violenta Imperia nemo sustinuit diu.* Insatiabilis enim illa habendi & turbandi libido & ardor, suo ferè sanguine extinguitur, vt infra lib. VI. cap. 1. ostendemus, quod & paulò post exemplis firmabimus.

---

## EXEMPLA.

*Lib. 3.* Principatum cæteris, imperij formis præferendū. *Senec.*

I. MOnarchiam cæteris rerum ciuilium formis præferendam DARII exemplo docet Herodotus: Cùm enim post mortem Cambysis, filij Cyri Regis Persarum, congregati essent septem Principes regni Persici (qui Smerdim Magum, quòd tyrannidem occupasset, è medio sustulerant) hoc consilio vt deliberarent super optima gubernationis forma, tandem post varias rationes vltrò citroque allatas, præualuit Darij sententia, existimantis Monarchiam reliquas ciuilis politiæ species præcellere, duabusque potissimum de causis. Primùm, quod Democratia facilè degenerat in Anarchiā. Maius autem esse malum Anarchiam, quàm Tyrannidem, Sophocles in Antigo. docet. Deinde, quod Aristocratia facilè degenerat in Oligarchiam, quæ est paucorum gubernatio, magis seruiens priuatæ quàm publicæ vtilitati. Itaque potior, inquit, Monarchia.

*In Symmach. & 3. ad Nicoclem.* II. ISOCRATES autem facundiæ Græciæ facilè Princeps, duarum clarissimarum Rerumpublicarum testimonium addit, *Carthaginensium*, & *Lacedæmoniorum*, apud quos cùm domi summum Imperium optimates obtinerent, belli tamē summam ad vnum Regem deferebant; publicis videlicet periculis publicam per facta confessionem exprimentibus, vnius quàm plurium imperium, cœtibus hominum commodius multoq; magis salutare esse. *Athenienſium* quoque Rempub. (quibus maximè Monarchia esset odiosa) documento esse; qui belli summam nunc pluribus simul ducibus, nunc vni traderent, res ipsa sæpè declarauit vnius viri præstantis Imperium longè salutarius Reipublicæ, quàm plurium.

*V. Bodin. 6. de Rep. c. 4.* III. Sed, ne insistamus multorum testimonijs, perspicuum est omnes penè populos, Assyrios inquam, Medos, Persas, Ægyptios, Parthos, Macedonas, Celtas, Arabes, Indos, Æthiopes Scythas, Tartaros, Turcas, Danos, Gallos, Moscouitas, Britannos, Polonos, Africanos, Perusinos, Monarchiam amplecti, & antea

semper

ſemper adamaſſe, Optimatum ac popularia Imperia repudiaſſe: Quin etiam Græcorum ac Italorum Ciuitates, priuſquam ambitioſa imperandi cupiditate obcæcarentur, fæliciter ac diu Regali imperio paruerunt. Teſtes ſunt prædictæ Ciuitates Athenienſium & Lacedæmoniorum, item & Sicyoniorum, Cretenſium, Achæorum, Hetruſcorum, Latinorum, quarum nonnullæ ſexcentis, ſeptingentis, nonnullæ octingentis & quod excurrit annis, pace & bello floruerunt. Intereà, miramur Athenienſes & Romanos, Lacedæmonios & Venetos, pulſis Regibus quadringentos circiter annos populare Imperium tueri potuiſſe, ac quidem iure miramur; quia quod repugnante natura fit, mirabile debet videri. Monarchias verò, quas dixi tam latè patentes, tot ſæculis, ſtetiſſe minimè miramur: quoniam vnius Dominatio naturæ conſentanea ſit. Ac tametſi Regium nomē populus Rom. execraretur, ſinguli tamen regiam poteſtatem affectabant: Nam paucos ante menſes quàm Auguſtus naſceretur, oraculum diuinitus editum Iulius Marathus ſcribit, Regem populo Romano naturam parturire. Et cùm Senatus exterritus cenſuiſſet, ne quis illo anno editus educaretur, eos qui grauidas vxores haberent, quod ad ſe quiſque Imperij ſpem traheret, curaſſe ne ad Saturni templum Senatuſconſultum deferretur.

IV. Nato autem AVGVSTO, cum deuicto & fugato Antonio, Principatus ei obtigiſſet, non prius retinendum indicauit, quam Perſarum principum exemplo, eandem cum amicis agitaret quæſtionem, quodnam nimirum rerum ciuiliū genus præſtantiſſimum eſſet? Diſceptationis vtriuſque ſumma fuit, *Vnius dominatum anteferendum.* *V. Dion. lib. 5.*

V. Accepit igitur Principatum AVGVSTVS: quinimmò affectus aliquando tædio diuturnæ valetudinis, cùm ſe Reipublicæ adminiſtratione vltrò ſubmouere vellet, & Magiſtratibus ac Senatu domum accitis, Rationarium Imperij tradidiſſet, deliberaretque de reddenda Repub. variè interim ſecum *reputans, & ſe priuatum* (verba Suetonij) *non ſine periculo fore, & rem Romanam in diſcrimen venturam ſi plurium arbitrio committeretur*; *in retinenda perſeuerauit.* Id quod etiam Prouincijs placuiſſe Tacitus ſcribit: *Neque Prouinciæ* (inquit) *illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatu, populiq; imperio.* Euentus autem docuit, conſilium benè Reip. ceſſiſſe: quippè ſub eo Principe annis ferè quinquaginta ſummâ pace ac tranquillitate ſaluis legibus perfrui licuit; cum antea vix annos decem à ciuili tumultu Reſp. libera fuiſſet. *Cap. 28.* *1. Annal.*

VI. Certè ſatis conſtat, GALLOS priuſquam in poteſtatem populi Rom. veniſſent, nunquam bell[i]s, ſeditionibus, atque factionibus caruiſſe: quod illis clarè exprobrat Cerialis apud Tacitum: *Regna bellaq; per Gallias ſemper fuère, donec in noſtrum ius concederetis.* & paulò poſt: *Nam pulſis (quod Dij prohibeant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter ſe gentium exſiſtent.* *Lib. 4. Hiſt.*

VII. GOTHORVM potentia (vt ad propiora ſæcula veniam) atque Imperium quantum adulto Principatu fuerit, vel hinc colligere eſt, quod cùm infinitæ gentes vnius Principis auſpicijs parèrent, grauius tandem Imperium exiſtimârunt, quā vt vni perſonæ illius habenæ committerentur, varia ſuper eo fuit partium con- *Krantzius 1. Suecia.*

C tentio;

tentio:verùm non diu valuit,quominùs ad vnius Regis gubernacula concesserint.

VIII. Post CLEOLVLFVM Regem,res Northumbricæ in Anglia ad exitum inclinatæ erant,populo per factiones in partes diuiso;Succesẞere ordine septem Reges populari seditione,qui exiguo tempore vel pulsi,vel interfecti. Vacauit regnum aliquandiu,nullo amplius id sibi petere audente,vtpotè quod velut equum Troianum vniuersi formidarent. Itaque Northumbria domestico exitio sic fuit agitata, vt deinceps triginta, & amplius annis tam finitimorum populorum,quàm barbarorum iniurijs exposita fuerit,donec tandem *Ecbertus* Occidentalium Rex,regnum deuastatum per deditionem à Northumbris factam,suo adiecit imperio.

*Polyd. Virg. lib. 4.*

IX. Ferunt qui res POLONORVM litteris mandarunt,postquam à primo eius gentis Rege,*Lecho* & eius posteriore,centum & quinquaginta circiter annos fuisset regnatum, deficiente tandem stirpe regia, summam gubernationis publicæ ad Duodecimviros,vulgò *Vayuodas* dictos,fuisse delatam : qui licet initio susceptæ administrationis specimen aliquod egregium procurationis Reip.ediderant,tamen breui post muneris sui obliti,cùm ambitionis,tùm res suas familiares amplificandi studio,ita discordibus inter se animis Remp.vexabant,vt nisi populus vniuersus cõuentum de re ad regnum reuocanda celeriter indixisset,misera omnium confusio, bellique ciuilis funesti exitus subsequuti fuissent.Id enim regno sæpè,quod alij vix vlli rei accidit,vt quod Imperium sub vno scilicet stare posset, dum à pluribus sustinetur,ruat.

*Io. Herburt. lib. 2. c. 3.*

Neque desunt alia in omnibus omnium ætatum historijs exempla, quæ docent atque testatum faciunt,Regiam gubernationem cæteris statibus anteferendam:*ac inter diuina humanaq́ bona*(vtar verbis Isocratis)*maximam,augustissimam & summo studio appetendam esse*:Quamquam non deesse sciam defensiones & argumenta valida, tàm pro Aristocratia,quàm Democratia, quas hîc prudens prætermitto,ne vltra quàm par est decurrat oratio,& consulere poterit cui id volupe apud Plato.& Arist.& recentiores Auctorem de Repub.a & Pet. Gregorij,b aliosque.Intereà tamẽ priuiquam stylum ponam, verbo examinandum quid super Monarchia Ius diuinum dictet constituatque,eône iure probetur,an verò secus.

*Orat. 3. ad Nicoclem.*

*a 6. c. 4. b 5 de Rep. c. 3. & 4.*

X. DEVS,dum populum Israëliticum sibi peculiarem deligeret, vnum MOYSEM illi præposuit,non plures:neque permisit populo Principes sibi eligere,vel seipsum regere, sed vocato Moyse, & præmunito potestate desuper, iussit eundem & ad Regem Ægypti,& ad populum venire.Neque populus legem dedit suo ductori vel Duci, sed Dux datus à Deo,vt populo legem & Ducatum præberet. Neque Moysi se excusanti ab hoc onere vel auctoritate,quod impeditioris esset linguæ, (quò sibi videbatur insufficiens huic muneri) ideò voluit dare collegam in principatu,aut constituêre in populo Aristocratiam, aut consilium Democratiæ, sed adiunxit tantum *Aaronem* fratrem,non tanquam collegam, sed ministrum,& executorem, & interpretem suæ legationis, & muneris. Imò iratus est Dominus Moysi,quòd tanquam non idoneus solus recusaret hoc munus à Deo, qui omnia

Probatur Monarchia iure diuino.

potest

poteſt,& dat ſufficientiam cum munere,vt habetur Exodi cap. 4. quo loci poſtquã Moyſes intellectâ magnitudine & grauitate legationis ſibi impoſitæ à Deo,dixiſſet: *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es*: iratus Dominus ad Moyſem,ait: *Aaron frater tuus Leuites,ſcio quod eloquens ſit: ecce ipſe egredietur in occurſum tuum videnſq; te,lætabitur. Loquere ad eum,& pone verba mea in ore eius*,&c. *ipſe loquetur pro te ad populum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent,&c.* Quo loci notabile fuit vt cùm Deus poſſet vtrumque inſtruere,& Ariſtocratiam conſtituere, noluit tamen,ſed ſubiecit voluntati Moyſis voluntatem & executionem Aaronis, voluitque tantum vnum Moyſem primum,ſupremum,& ſibi proximum ſolum eſſe. Exodi 3.& 4. verſ.13.

XI. Fecit rurſus DEVS præſtantiæ Monarchiæ probationem, cùm Moyſes propter populi peruicaciam,diceret *ſe non poſſe ferre eum populum.* Nam iuſſit ei,non populo,vt eligeret ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël,quos ipſe noſſet eſſe ſenes & Magiſtros, *quos* (inquit Deus) *duces ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſq; ſtare tecum,& deſcendam,& loquar tibi,& auferam de ſpiritu tuo,tradamq; eis vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Num. 11.

XII. Atque, ſi quis altiùs hæc indaget,inueniet etiam Monarchiam cum ipſo humano genere cæpiſſe & creuiſſe, DEVS enim in mundi conſtitutione,vnum creauit Adamum,ex quo omnes ortum traxerunt, nec mulierem de limo, ſed de viro producere voluit: vt in ordine generis humani,omnes vnum caput,vnumque communem parentem agnoſcant, quod ideò feciſſe Deum, D. Chryſoſt. ait,vt Regnum Democratia præſtantius & ſibi gratius eſſe ſignificaret. A Natura quoque introducta. Homil. 34. in. 1. ad Cor. c. 13.

XIII. Quod etiam in animalibus oſtendit idem ille naturæ auctor Deus Opt. Max. Nam ecce *apes* creant ſibi Regem,cæteris magnitudine excellentem, & manſuetudine clariorem; vnde & ſine aculeo eſt, vt nonnulli volunt,& alas cæteris minores habet. Ex alueario non exeunt niſi ipſe egrediatur; eo exeunte, totum conglobatur agmen,& Regem circumdat vndique,vt vix videri poſſit. Singulæ ſe eius obſequio offerunt,& ei proximæ eſſe contendunt,feſſum humeris ſubleuant,aliquando & totum portant. Vbicunque Rex ſederit,ibi totus exercitus caſtra figit. Illo viſo,totus animatur grex; eo amiſſo,examen dilabitur. In alueario dum reſident, Rex ſolus à labore immunis eſt, cæteræ omnes perpetuò mel colligunt, vel collectum diſponunt. Circa Regem quædam ſemper adſunt apes,fortem aculeum habentes,& tanquam lictores Regem cuſtodientes, quæ & offendentes vel vitioſas puniunt. Mortuo Rege,niſi corpus eius auferatur,cæteræ apes fame ſe necare permittent potiùs, quàm ab eo recedant. Solâ voce quaſi imperio cæteras in officio continet; vnde & hanc cæteris magis vocalem habet. O beſtiolæ prouidentem induſtriam! quæ tanta cum virtute vt ſic dicam politica coniuncta ſapientiſſimum quemque meritò rapiat in admirationem. Plin. lib. 11. c. 17. & 10. c. 23. Ariſt. 1. de Hiſt. ani.

XIV. Cæterùm,quod diximus in Aphoriſmis per cupiditatem ſuum amplificandi principatum,ſubire periculum propria perdendi,id probabimus infrà lib. 6. Habent enim hoc plerique vt credant creſcere diſcrimina, cùm vires viciniores

Imperij augentur, quòd fundant se in isto Dominationis Arcano: *Id agendum, ne* *In Apol.* *rerum omnium ius ad vnam aliquam familiam perueniat.* quod ex Liuio probat D. Vernuleus Ætolorum exemplo, qui cùm auxilium ab Antiocho peterent, monuerunt ad fidem, Maiestatemque Regiam pertinere, socios Ætolos inuare, ne ijs extinctis in Asiam Romani totis viribus irruerent. Hanc ob causam Constantinopolitani olim Imperatores omnem nauarunt operam, vt Siciliæ regnum à Neapolitano disiungeretur, ne formidanda alijs vnius potestas esset.

Ideò Cosmus Medicæus Princeps Florentinus quantum potuit, ne Ducatus Mediolanensis ad Venetos perueniret, laborauit; quod cum eo contineri non possent, quin ad Italiæ totius Imperium aspirarent. Leo quoque Decimus, & Clemens Septimus Pontifices, adnitebantur, vt idem ille Ducatus in Ludouici Ducis familia conseruaretur, vel cuiuis potiùs priuato traderetur, quam in Gallorum vel Hispanorum potestatem deueniret, quorum potentia, vt existimabant, intolerabilis esset euasura. Quis modò non videat cæteris Principibus in eo stare consilia, ne Austriacæ gentis crescat potentia? Atque inde tot societates cum Infidelibus quas illicitas esse infra lib. 2 c. 11. ostendemus, tot inquam aduersus istam inclytam familiam icta & sancita illicita fœdera, & impendiò magis, quod vt dixi, cum hostibus Fidei Catholicæ, extra quam non est salus, ineantur. Sed ludunt illi operam: Si enim non ab hominibus, sed à Deo sunt legitimi Reges, & Regna, non potest non ab illius diuina prouidentia Austriacorum Imperiorum magnitudo processisse, cui obniti nihil aliud est, quàm æternæ Sapientiæ decreto resistere, à quo sunt Imperia & Regna.

---

## CAPVT IV.

### *Principes autem quantùm alijs* dignitate *præstant, tantum etiam* Virtute, *&* moribus *antecedere debent.*

VIRTVTEM definit Philosophus, vt sit habitus electiuus in mediocritate consistens, quem habitum habere seu apisci debent Principes, vt quid eos maximè deceat, videant faciliùs; quovè sic in vita ciuili se gerant, ne quemquam vnquam ostendat disparitas. Cuius habitus tantam ideircò primi mortalium rationem ha- *Senec. epi.* buère, vt neminem sibi præesse vellent, qui non eo probè imbutus esset. *Naturæ est enim deteriora potioribus submittere: ideoq; summa fœlicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior: tantum enim quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat* *Arist. li. Poli. 5. cap. 10.* *esse. Illo ergò sæculo quod aureum perhibetur, penes sapientes fuit regnum.* Quod & Philosophus indicauit: *Reges, inquit, olim eligebantur* ἐκ τῶν ἐπιεικῶν *ex viris bonis, propter* ὑπεροχὴν *excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute gestarum*: Quo aspectu Arrianus egre- *Lib. 3. Dissert. cap. ult.* giè: Ὃς γὰρ οὖν καθόλου τὸν περὶ βίον ἐπιστήμην κέκτηται, τί ἄλλο ἢ τοῦτον εἶναι δεῖ τὸν δεσπότην: *Qui enim in vniuersum vitæ degendæ scientiam est assecutus, quid aliud eum esse opor-*

*oportet, nisi rectorem & Dominum?* Accedit, quòd subditi nunquam Principi fideles & obsequentes erunt, nisi illius exemplo ad virtutem informentur. Vbi enim vnquam inter vitia fidem? atqui veriloquium est: *Subditos facilius Præfectorum vitia, quàm virtutes imitari.* Sint ergò integri, & inter alios virtute eminentes: *Integritas enim Præsidentium salus est subditorum*, inquit S. Leo.

*G. Naziã-zenus.*

*Epist. 85.*

## EXEMPLA.

I. SOCRATES Philosophorum ille Deus, in conuiuio apud Xenophontem singulis dicere iussis, quo artificio, quovè bono sibi præcipuè placerent, cùm ordo ad eum venisset; *Se maximè gloriari de lenocinio*, respondit, sentiens se tradere veram virtutem, quæ potissimùm commendat habentem, quæque tùm priuatim, tùm publicè conciliat homini beneuolentiam, amoremque.

II. IDEM, percunctanti *Gorgiæ*, an Persarum Regem putaret fœlicem? respondit: *Nescio herclè quantùm virtutis & disciplinæ habeat.* Indicabat vir longè prudentissimus neminem esse fœlicem nisi omni virtutum genere cumulatum. Philosophi illa sententia.

*Bruson. ex Herod.*

III. Necto PHOCIONIS Atheniensis Ducis maximi elogium. Is ex scito diuino, *vnicam Virtute potentem, reliqua omnia nugas esse* dictitabat. Quò allusit Xenophon, dum ait: *Nihil homini cuiuis ac præcipuè ei qui in alios imperium habet, vllas opes existimo pulchriores aut honestiores, quàm virtus sit, quàm iustitia, quam animi magnitudo: quæ qui possideat, non potest non diuitijs plurimùm abundare.*

*Stobæ. serm. 1. de Prudentia.*

*Lib. 7. Exped. Cyri.*

IIII. Ad Reges decurro. Igitur AGESILAVS Lacedæmoniorum, cùm audiret Persarum Regem Magnum appellari; *Quâ re maior me est?* inquit, *nisi iustior est ac temperantior.* Censuit ille, eum demùm principem Magni cognomento dignari, qui virtutibus & rerum gestarum gloriâ alios omnes superaret.

*Plut. in Lace. apoph.*

V. Neque prætereundum est illud Regis eiusdem memoratu dignum responsum: qui rogatus quomodo quis potissimùm apud homines probaretur? *si dicat*, inquit, *optima faciatq; honestissima.* Virtus enim eiusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines, vt non modò admirentur opera, verùm in auctorem quoque summo studio incendantur.

*Bruson. lib. 7.*

VI. CYRVS apud Xenophontem præclarè dicebat, *Imperium nemini conuenire, qui quibus imperat melior non sit.*

*Lib. 8.*

VII. Quid de ALPHONSO (vt antiqua prætergrediar) Aragonum Rege potentissimo iuxtà ac eruditissimo eloquar? Eum dicere solitum legimus, eos demùm Principes magnifaciendos, qui virtutem probè excolerent: Quippè in quo Virtus fuerit, eius Imperium æquo omnes animo patiuntur, illiusque moderationi sæpè etiam sponte subijciuntur, quod in ignauis & terræ frugibus consumere natis contrarium dicendum est.

*Panor. 1. de eius gestis.*

VIII. Vt meritò Græcorum ORATOR maximus Regi suo præcipiat, ac suadeat, ne deterior ipse melioribus imperitet, nevè indoctior peritioribus. Optimè.

*Isocrat.*

Etenim, vt apud Romanos ludibrio habitus est *Sylla* à bonis grauibusque viris, quod cùm ipse intemperantissimus esset, luxuque difflueret, ciues tamen Romanos legibus ad frugalitatem, sobrietatemque reuocare niteretur; ita quoque frustra est eius illecebra, qui cùm ipse probrosus sit vitâ, alios tamen ad probitatem vitæque integritatem fucosa facie pellicere conatur.

*Plutar.*

*Marsel.1. de Leg.*

IX. ADRIANVS Florentius, postea Pontifex eius nominis VI. qui ob eximiam pietatem & doctrinam CAROLO Cæsari ab Margaretha Austriaca Præceptor datus, satis ostendit è quo fonte Imperij subsidia hauriantur. Etenim Louanij in Arce tantum discipulum adhuc puerum erudiens, è sacris litteris ei libros Regum proposuit & explicuit; ratus, frustrà doceri historias, nisi & pietas accederet. Qui eo modo doctus est, Cæsaris mox vt insignia acceperit, qui ea docuit, Pontificis; & tamen quàm humili iste origine! Sciebat sanè sine virtute & pietate Principis nomen sustinere non potuisse nisi vellet sequioris. Nam.

*Iuuenal.*

*Omne animi vitium tantò conspectius in se*
*Crimen habet, quantò maior qui peccat habetur.*

---

## CAPVT V.

*Arist. lib. 7. Polit.*

### *Atque imprimis* Religione *præcellant*, & Pietate: *cum* in Reipub. procuratione proxima omnium curatio sit rerum diuinarum.

*Trismeg. apud. Lactan. lib. 5. Instit. c. 15. Id Lactan. 4. Instit. cap. 4. Ecphãtes philos. Plin. sen. li. 2. Cassiod. Apul. dialog. D. Damasce. 2. in Matth. D. Damasce. dialog. contra Manich. Plutarc. de Tranq. animi. 3. Diuin. Instit. c. 29.*

PIETAS *nihil aliud est, quàm Dei notio.* eaque in duobus consistit: nimirum vt rectè de Deo sentiamus; & rectum ei cultum exhibeamus. *Sensus* ad affectum & Pietatem; *Cultus* ad Religionem refertur. *Sapientia præcedit*, inquit ille, *Religio sequitur: quia priùs est Deum scire, consequens colere.* De priori ergo primùm: & dicamus, *non debere, qui alijs imperat, eum ignorare à quo ipse regitur.* Deum (inquam) sensu non ignoret, *etsi ignoret eius formam.* —— *Vnus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur.* —— *Omnia* enim *Deus, & à Deo omnia, & eius voluntati omnia.* Qui meliùs credi, quàm diffiniri, diffiniri autem? *Immò nec cogitationibus comprehendi potest.* Satis sit piè credere, vnum esse vnius essentiæ Deum in trinitate personarum, *non quidem à se inuicem separatarum, sed quemadmodum sermo de mente genitus, non exit ab ea, nec separatur; sed ex ea gignitur, & exsistit in ea: sic Filius, & Spiritus ex Patre sunt, & in Patre. Itaque licet tres sint personæ, vnus tamen Deus est, non tres Dij: mens enim & sermo & spiritus eius, vna mens est.* Hic ille *Solis, Lunæ, syderum* fabricator: *à quibus vitæ, motusq; principia manant: quæ Prouidentia nobis visenda præbuit, vt sensibilia sint intelligibilium simulachra atque imitamenta.* Itaque, vt Lactantij etiam verbis vtar, *Omnis sapientia hominis in hoc vno est vt Deum cognoscat, & colat*, Deum, inquam, trinum & vnum: Audi S. Leonem ad Theodosium Imper. *Tunc est optimus regni vestri status quando sempiternæ, atque incommutabili Trinitati vnius Dei confessione seruitur.*

Satis

Satis sit ad captum nostræ imbecillitatis de Deo dictum: quia *de Deo etiam vera dicere periculosum.* *Cyprian. in Symb.* *S. Damasc.*

Verùm enim ille *natura bonus est & propitius:* *S. Leo.*

*Cuius opus misericordia.* *Senec. ep. 41.*

*Est tamen bonorum, malorumque nostrorum obseruator & custos, cui nihil secretum aut clausum est.* Etenim, vel Poëtæ sensu: *Idē. ep. 84.* *Menand.*

Ὀξὺς Θεοῦ δ᾽ ὀφθαλμὸς ἐς τὸ πάνθ᾽ ὁρᾶν: *Sen. ep. 83.*

*Acutus ad cernenda cuncta oculus Dei.* *Boet. 2. de Cōs. philos.*

Quid multis? *interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit.*

*Quem quia respicit omnia solus,* *D. Ambros. 2. in*

*Verum possis dicere Solem.* *Luc.*

Verè Præsul ille Mediolanensis: *Nuda mentium & aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiæ secreta non fallunt:* ac nequidem *vlla cogitatio eum latet.* *Iob. 41.* *Ouid. 1. art.*

Itaque——————*innocui viuite,*

*Numen adest.*

Adest, inquam, nec vt obseruator tantùm, & spectator factorum nostrorum, sed etiam vt grauissimus vindex. Siquidem, *Sophoc. Oedip.*

—————*nec supplicia merita impij*

*Vnquam effugere potuêre.* *Val. Max. 1. c. 1.*

Et quanquam non repræsentet, tamen *tarditatem supplicij grauitate compensat.* *Tacit. 5. Hist.*

Igitur *vnum illud summum, & æternum, neque mutabile, neque interiturum* NVMEN piâ mente concipite, quoniam *de Deo optimè existimare, pietatis est exordium.* *D. Aug. 1. de Arb.*

At, quia errare, labi, humanum est, si quis peccauerit *in Deum Patrem omnia speculantem,*—— *Aduocatum habet apud Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* *D. Hiero. ep. 40.* *S. Ioan. ep. 1. c. 2.*

Verum enimverò, non solum piâ mente propitius ille Deus concipiendus est, sed etiam cultu exteriori, hoc est RELIGIONE: *quâ cùm nihil sit in rebus humanis præstantius, quis dubitet eam summâ vi oportere defendi?* Omninò, ô Principes, omni conatu defendite Religionem: sed eam quæ vbique, & per omnes gentes Christi fidem docet, Catholicam dico Romanam, *à qua si quis exiuerit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est.* *Lactan. 5. Instit. c. 10.* *Idem. l. 4. c. 30.*

Enimverò, *quicquid extra eius vnitatem operantur hæretici, nihil illis prodest aduersus iram Dei.* *D. August. 2. con. Petil. c. 3.*

Itaque *sequimini viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsque manauit, & ab his ad posteros manatura est.* *Id. tract. de Vul. cred.*

——*Credite famæ, celebratæ consensioni, vetustati roboratæ.*

*Vos autem* (Hæretici) *& tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est, quàm nihil dignum auctoritate præferatis.* *Indidem c. 14.*

——*Breuem vobis apertamque animi mei sententiam* (vtar verbis D. Hieronymi) *proferam, in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque adhus* *Aduers. Lucif.*

*huc durat.* Sine illa antiquitate & auctoritate diceret Catholicus cũ iam memorato Augustino: *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas.*

Cont. Manuch. c. 5.

Hæc cùm ita sint, Principes, & antiquitas temporum, totque Martyrum sanguine, miraculorumque infinitorum copia sit confirmata fides hæc Catholica, quotusquisque erit qui dubitabit eandem fidem Catholicam (*cuius caput est Episcopus Romanus*) quam à maioribus accepistis omni contentione defendendam?

Pomp. Læt. in Gallo.

*Maiorum enim instituta* (liquidæ veritatis) *tueri sacris cærimonijsq́, retinendis, sapientis est.* Certè vel hoc adspectu, quod Religio & timor Dei, *solus sit qui custodit hominum inter se societatem*: vel isto; quòd *omnia prospera eueniant colentibus Deum; aduersa spernentibus.*

Cic. 2. de Diuin.

Liu. lib. 5.

Enimverò, illecebra est Religio per quam subditorum animi ad cultum & obsequium alliciuntur. *Nam nihil non boni sperant ab eo Principe*, vt inquit Aristoteles, *quem præter cæteros religiosum & Dei amantem vident, & minus ei aduersantur insidianturq́, quem à Diuino Numine protectum defensumq́ iri credunt.*

Lib. 5. Polit.

Religionis ergò cura sit, atque id quidem citrà superstitionem. Etenim, *Superstitio error insanus est: amandos timet, quos colit, violat.* Itaque vt illa sectanda, sic hæc fugienda: nam *Superstitione qui est imbutus, quietus esse non potest.*

Senec. ep. 123.

Sequere ergò Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam: nec attende in ea sequioris esse nonnullos vitæ: nam vt S. Cyprianus inquit, *Et si videantur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut Fides, aut Charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.*

Cic. 1. de Fin.

Lib. 3. Epist. ad Maximũ.

---

## EXEMPLA, NOTÆ MONITA.

Ethnicis Religio asserta.

I. DEI notionem, præterquam quod natura ipsa & vniuersus hic rerum contextus suggerit, Ethnici ipsi varijs argumentis proposuerunt & confirmarunt. *In mundo Deus est aliquis* (inquit M. Tullius) *qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicißitudines, ordinesq́ conseruat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitasq́ tuetur.* Cuius vt affectum & cultum magnus ille Mecænas Augusto Cæsari proponeret, animoque eius altùm imprimeret, nihil non egit, nihil non molitus est, sæpiùs ac identidem illum monens, vt diuinum illud Numen omni modo, omni tempore coleret, & quidem iuxta leges patrias, & vt alij quoque colerent, edictis prouideret. Namq; sciebat prudentissimus Mecænas etsi alioqui ethnicus, Dei ignorantiam subuersionis esse causam ciuilis vitæ. Siquidem vt Poëta ille inquit, *Prima scelerum causa mortalibus ægris, Naturam nescire Deûm*; & authore eodem Cicerone; *Pietate erga Deum sublata, fidem & humani generis societatem tolli necesse est, & Iustitiam virtutum omnium excellentißimam.*

Lib. 1. de Nat. Deor.

Dio. lib. 53.

Sil. 4.

1. de Nat. Deor.

II. Hinc factum, vt Romæ, ab eius conditore ROMVLO, cum primis vrbis fun-

fundamentis, Religio, etsi vana, stabilita sit, & templa *Ioui Statori, & Feretrio dedicata; & sacra Diis aliis Albano ritu, Græco Herculi facta*, quin Collegium Fratrum Arualium, & vndecim in eo fratres constituisse Sacerdotes, quorum insigne erat Spicea corona alba infulę alligata, quam cum sacris operabantur, singulos gestare more solemni decebat. *Liuius lib. 1. Alex. ab Alex. l. 1. c. 26.*

III. Proditum quoque est à Plinio NVMAM exinde POMPILIVM II. Romanorum Regem, ferum populum *Religionis institutione: & vtilibus legibus domuisse, suumq; Regnum ita formasse, vt pendente eius regno nemo illi bellum mouerit.* Nimirum id effecit, vt quos ratio ab innata feritate & barbarie non poterat, eos Religio ad humanitatis officia reduceret. Ac sanè fieri non potest, vt quamuis optimis legibus Ciuitas regatur, populus sine religione in officio queat contineri. *De Viris Illustr. c. 2.*

IV. ROMANVS verò SENATVS, ita magni Religionem fecit, vt quotiescunque à Magistratu coactus ille esset, hoc ipsum quod primò proponebatur ad Religionem pertineret; nullaque quamquam grauior caussa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteuerteret. Romanos verò Imperatores augustissimum illud Salomonis templum honoribus atque muneribus affecisse Iosephus auctor est. *M. Varro. Lib. 6. de Bell. Iud. 5.*

V. Debet igitur Princeps ab hac imprimis caussa aliis Religione prælucere. Sed & sua ipsius. Quid enim æquius est ac decentius quàm eũ à cuius afflatu ad Dominationem euectus est, Dominum & Imperii sui auctorem colere & venerari? Vnde rectè & salubriter IVSTINIANVM Imperat. *Agapetus* Diaconus monet: *Sceptrum Imperii cum à Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei, qui id tibi dedit: cumq; omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina.* Ita ille in aurea planè epistola parænetica ad Imper. Iustinianum. *ib. Extat apud Baron. tom. 7. Annal.*

VI. Ab eademque sententia *Cambysem* filium admonebat CYRVS primus Persarum Monarcha; nimirum, vt nihil publicum vel priuatum ageret, nisi priùs ad Deum confugeret; & nisi priùs eius voluntatem agnosceret, cùm mundus, inquit, erroribus sit refertus; Deus verò vt qui semper fuit, præterita, præsentia, & futura agnoscit, & inuocatus preces exaudit eorum qui religionem & pietatem colunt, & multis signis eis quid agere debeant, ostendit. *Xenophon. lib. 8. Cyropæd.*

VII. Idem CYRVS sic ab Isocrate admonebatur: *Religionem quam à maioribus accepisti conserua: solemneq; & pulcherrimum sacrificium & cultum maximum existima, si ipse sis optimus & iustissimus. Maior enim spes est, eiusmodi boni aliquid à Diis impetraturos, quàm qui aras delubraq; ædificant.* *Orat. 1. ad Nicocl.*

VIII. AGESILAVS Lacedæmoniorum Dux, adeò religioni addictus fuit, vt delubra etiam in hostico sita veneraretur, ab iisque vim militum, & iniuriam abstineret. *existimabat quippè diuina auxilia non minùs in hostili, quam amico solo imploranda esse.* *Idē Orat. de laudib. Ages.*

IX. Enimuerò, quantum ex cultu diuino, CONSTANTINVS ille, & CAROLVS cognomento Magni, vt taceā CAROLVM MARTELLVM huius auum, ALPHONSVM II. Legionis & Castellæ Regem, STEPHANVM LADISLAVM & LVDOVICVM Hungariæ Reges, CASIMIRVM Magnum Poloniæ Regem, RVDOLPHVM *Colentibus Deū omnia prosperè eueniunt.*

*Vide D. Aug. lib. 6. de Ciu. Dei c. 25. & Niceph. 7. c. 46.* denique Comitem Habſpurgenſem (vnde ampla & inclyta Auſtriacorum familiæ genus ſuum ducit) Imperium ſibi & ſuis firmarint & amplificarint, adque poſteros longa ſerie tranſmiſerint, multifariam docent hiſtoriarum monumenta. Nec id quidem mirum, cùm Deus ipſe apertè fœlicitatem ſui cultoribus promittat, cùm ait: *quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contempſerit me, erit ignobilis.* *1. Reg. 2. Lib. 44.* In eodē ſenſu Ethnici ipſi, ſi Liuio fides, apud quē C. Marcius ita inquit: *Fauere pietati fideiq; Deos, per quæ populus Romanus ad tantū faſtigij peruenit.* Sed exemplis inſiſtamus.

*Baron. tõ. 5. Annal.* X. Struebat inſidias ARCADIO Imperatori, quò ſibi facilius imperium conſenſu barbarorum raperet *Ruffinus* Præfectus Prætorio: quomodo euadit illas incautus alioqui Imperator? Pietate. Nam ipſis imperij incunabilis, parentis maximè pijs veſtigijs inſiſtens, quo tempore aduerſus in pietatem & hæreticam prauitatem ſolerti ſtudio leges armat, eodem vidit occultū hoſtem & execrandi ſceleris architectum fœdiſſimè trucidari, barbarasque gentes quibuſcum conſpirarat, paſſim diſſipari & diſturbari.

*2. Paralip. 2.* XI. Notabile eſt quod de Rege IOSAPHAT prodidit ſacer Codex: *Fuit, inquit, Dominus cum Ioſaphat, quia ambulauit in vijs Dauid patris ſui primus, & non ſperauit in Baal, ſed in Deo patris ſui, & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Iſraël. Confirmauitq; Dominus Regnum in manu eius: & dedit omnis Iuda munera Ioſaphat: factiq; ſunt ei infinitæ & multa gloria.*

*2. Reg. cap. 6. & 7. 1. Paral. 22. 1. Paral. 23. 2 &c. 3. & ſeq.* XII. Ocellus ille diuinus DAVID ſimul inauguratus fuit, de reducenda arca, temploque ædificando, piam cogitationem ſuſcepit: moribundus autem ad filium Salomonem, dixit: *Proficere poteris, ſi obſerues mandata atque iudicia quæ præcepit Moyſes.* Hic igitur parentis præcepto obediturus, à Deo Sapientiam precatur, Dei templum magnificum exſtruxit, religionem amplificauit, viginti quatuor millia Leuitarum conſtituit. At verò, poſtquā mulieres paganas & idololatras deperire cœpit, iiſque Puniri à Deo irreligioſos, an prauè religioſos. ſeſe iungere, idolaque earum venerari, iratus Dominus dixit: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi.* *3. Reg. 11. & 12.* Quin etiam diuerſos inimicos excitauit Deus, qui contra Salomonem rebellarunt, & Ieroboam dedit decem Tribus Iſraëlis, vt patet in Codice ſacro.

*Act. 12.* XIII. HERODES AGRIPPA non ſubticendus, de quo idem ſacer Codex: *confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus vermibus expirauit.*

*2. Macha. 9.* XIIII. Eandem ſeueritatem ſenſiſſe ANTIOCHVM Tyrannum legimus: quippè qui inuiſibili plaga à Deo accepta & ſcaturientibus è corpore ſuo vermibus, cùm carnis ſuæ vndique diffluentis fœtorem ferre non poſſet, confeſſus eſt, *iuſtum eſſe Deo ſubijci, & mortalem paria Deo non ſentire.*

XV. Verùm profanorum & recentiorū Principum exemplis hæc confertim illu-

ſtremus

ſtremus, ne forte quis exiſtimet Deum ſeueriorem à priſcis illis vltionē exegiſſe. Primus ex Imperatoribus hæreticis fuit *Conſtantius*:a is autem ſacro igne percuſſus fuit, eoque interijt. Poſt eum *Iulianus*,b qui in prælio aduerſus Perſas ſagitta confoſſus occubuit. *Valens* c à Gothis fuſus, in tugurium abditus, ab hoſtibus eſt concrematus. *Zeno* d morbo comitiali correptus ab Ariadna vxore viuus eſt ſepultus. Hūc ſecutus *Baſiliſcus* e qui vna cum vxore & liberis fame interijt. Quid *Anaſtaſio* f ſimiliter hæretico factum? Is cùm didiciſſet ex Oraculo, igne ſibi pereundum, ciſternā in palatio effodit, ad quam ſuborto incendio confugere poſſet; verùm fulmine improuiſo ictus, ambuſtus interijt. Quid de *Heraclione* g dicam? is non minùs hæreſi quàm nefaria libidine cùm eſſet contaminatus, Deus illum ſic puniit, vt inguine ſurſum cōuerſo & ſemper tento in faciem ſuam perpetuò meieret; ſed quò vrinam auerteret, tabellam ventri apponere conſuêrat. Taceámne *Heracleonem* Heraclij filium, & impietatis hæredem? ei naſus præſectus fuit; Martinæ verò vxori, præſecta lingua: ambo tandem imperio priuati & in exilium miſſi. h Quid de *Conſtante* & *Philippico* commemorem? ille à ſeruo domeſtico in balneo necatus; hic à Senatoribus Imperio, & luminibus priuatus eſt. *Arnolphus* etiam Carolomanni filius cùm ad rapinas, & templorum ſpoliationes animum conuertiſſet, iuſta Numinis ira pediculari morbo interijt. k Denique *Honorius* Wandalorum Rex in Africa, cùm in Orthodoxos nimium quantum ſæuiret, conſimili pœna diuinitus punitur, vt qui vermibus vbique ſcatentibus & rodentibus, miſerabiliter expirat. Omitto *Leonem*, *Conſtantinum*, *Copronymum*, *Nicephorum*, *Leonem VIII*, *Michaëlem Theophilum*, aliosque Imper. Orientis, quos Hæretica prauitate corruptos, ſanam religionem contempſiſſe, eoq; diuinā vltionem ſenſiſſe, fide dignæ narrant hiſtoriæ. *Henricum* etiam *VIII*. Angliæ Regem decem millia Templorum & Monaſteriorum anno vno euertiſſe hiſtoriæ teſtantur, ſed quomodo mortalitatem expleuerit, poſteritati ſatis notum eſt.

a *Pompon. Lat.*
b *Aur. Victor.*
c *Krātzius 2. Sueuiæ c.27.*
d *Cedren in Compē. hiſ.*
e *Procop. li.1. VVandal.*
f *Pom. Latus.*
g *Idem.*
h *Idem.*
i *Idem.*
k *Luitprādus lib.1.c. 9.*
l *Krātzius li.1. VVandal.*
*V.P. Theo. Bozium lib.22. de ſig. Eccleſ. Dei.*

Tales igitur exitus manere ſolent Principes à Catholica, & Orthodoxa Religione alienos. Et legat, relegat hiſtorias qui volet, inueniet iſtiuſmodi ſectarios Principes, aut ſub exitum vitæ reſipuiſſe, aut tandem miſerrimè naturæ ſatisfeciſſe. E contrario verò, qui Catholicæ fidei, & Apoſtolicæ Sedis acerrimos ſe præbuere defenſores, hos conſtat toto vitæ tractu Remp. ſanè quàm fœliciter gubernauiſſe atque adeo Imperium locupletauiſſe, poſtea optatiſſimum vitæ exitum habuiſſe, ſua nomina longa progenie ad ſucceſſores tranſmiſiſſe, & (quo nihil maius) nonnullos ex ijs in numerum Diuorum relatos eſſe.

Contra, Religioſos, & Deo curæ eſſe.

I. Si Gallicum Regnum ſpectemus, duodecim *Ludouici* fuerunt, & in his *Ludouicus Sanctus*. Nouem etiam *Caroli*: quorum primus Carolus ille Magnus. In Anglico numerantur *Edoardi* nouem: quorum ſecundus eſt Martyr, ac Sanctus: tertius item Sanctus, qui priuilegium ſanandi ſtrumas ad poſteros tranſmiſit. Poſt Edoardos, ſunt *Henrici* octo: è quibus laudatiſſimus fuit quintus. In Bohemico quinque *Venceslai* fuerunt, & ex his duo Sancti. In Hungarico quinque etiam *Stephani*, quorum primus eſt albo Sanctorum adſcriptus. In Caſtellano *Alphonſi* vnde-

*Bozius lib. 2. de Imp virt.*

vndecim fuerunt, primus ob pietatem Catholicus est vocatus; secundus ob admirabilem pudicitiam Castus. Inde, *Ferdinandi* quinque: tertius (ait Vaseus) Sanctus habetur, ac multis miraculis clarus: quintus innumera regna simul coniunxit. Sed & alios omitto Reges, quorum seriem videre licet cui lubitum sit apud eundem P. Bozium lib. de Imperio virtutis secundo. Hoc tantum addo: diuinâ fieri prouidentiâ vt qui strenuos se defensores Ecclesiæ præbuerunt, vel aliàs pietate magis floruerunt, eorum nomina sæpius in successoribus repetantur. Contra quam accidit Imperatoribus & Regibus à fide Catholicâ alienis, vel aliàs vitæ sequioris, quorum si quis scrutetur propaginem, vix quisquam est eorum qui vltra tertium agnationis gradum Imperium transmiserit.

Ex quibus perspicuum fit, Principem (cui modò salus & honos est cordi) omni cura, studioque debere Religionem Catholicam sarctam & tectam seruare, quinetiam curare, vt subditi eam exactissimè, seruent & amplectantur. Quàm præclara illa *Gratiani, Valentis*, & *Theodosij* Imper. constitutio! *Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari quam D. Petrum apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat.* & in L. 6. C. Theod. de Hæret. ita edicit. *Nullus hæreticis*, inquit, *mysteriorum sit locus, nulla ad exercendi animi obstinationis dementiam pateat occasio. Sciant omnes etsi quid speciali quolibet rescripto per fraudē elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum est, non valere. Arceantur*, &c. Præclara hercle Constitutio: Siquidem certissimum augurium interitus & subuersionis Reip. cum diuersæ introducuntur religiones atque sectæ.

*Anno 380. Extat. li 1. C. de Sum. Trin.*

Vbi heresis, ibi occasus Imperiorū.

I. Quod ipsum nec diffitetur Pseudo ille Politicus Machiauellus, dum sic instruit Principem suum atque Respublicas, vt si velint Statum suum conseruare in id vnum præcipuè incumbant, vt verum religionis cultum rectè instituant, ac venerentur: neque certius iudicium de Prouinciæ alicuius ruina atque interitu vnquam haberi, quam si in ea diuinum cultum despicatui haberi atque sperni cognoueris.

II. At in eo ipse & reliqui Politici hallucinati sunt, dum dixerunt Principem debere mutare vela pro varietate fortunæ; si nimirum videat sibi obesse vnam religionem, ad obtinendū, aut conseruandum imperium, assumat aliam. quod est proprium Athæorum, qui nec Deum, nec eius cultum pensi habent. Contra hos videtur dicendum, quod illa mutatio in Principe non sit secura, nec solida prudentia. Ratio est, quia Princeps est quasi Ciuitas in monte posita, quæ abscondi non potest; si autem subditi videant Principem ad quemcumque ventum religionem leuiter mutare, non facilè confident illi, quem Deo fidem datam infringere nouerunt. cui enim seruabit fidem, qui Deo præstita iuramenta violat? qui in Deum iniurius, & ingratus est? quam spem Iustitiæ, & Clementiæ præbebit subditis? Mutet Princeps quantum velit religionem nunquam sua inconstantia constantes acquiret subditos, nunquam dolus securitatem dabit. ergo malè docent Politici, Principi expedire religionis mutationem, cum illa securitatem euertat Reipublicæ, & animos populi alienos reddat. quomodo ista leuitas prudentiæ nomen mereatur, Sapientes

*Refutātur Pseudo Politici.*

tes iudicent. Certè ex mutatione religionis, mutari Reipublicæ statum & interitum Principum neminem esse puto tam obstipæ mentis qui ambigat.

III. Inter sacra eminet IEROBOAM Rex, qui Regni sui iacturam fecit, quòd nouum cultum diuersum à lege Dei introduxerit. ASA Rex Iuda quamdiù veræ Religionis cultor fuit, fœlicissimè expugnauit ZARVM Regem Ethiopiæ : cùm verò communicauit cum Rege Syriæ Gentile, eique obtulit thesauros templi, subitò Deus per Prophetam eum reprehendit, quem etiam priuauit victoriâ, multisque exindè calamitatibus affecit sacro Codice exaratis.

IIII. Tradit EGHINARTVS Caroli Magni Notarius, cùm in Oriente Imperatorum incuria sine dissimulatione hæreses reciperentur, paulatim collapsum Imperium Orientale, & in Pipinum & Carolum eius filium translatum fuisse. *In vita. Caroli.*

V. Prioribus verò sæculis HERACLIVS Imperator, quamdiu cultor fuit & custos Catholicæ Religionis, Deum expertus est Romani Imperij vindicem, & defensorem, hostiumque fortissimorum expugnatorem: at, vbi à Catholica fide deflexit, & Eutichianis adhærere cœpit hîc Deus recessit ab eo, cum magno totius Orientis Imperij damno; id quod videre est apud Coryphæum illum Annalistarum Cæsarem Baronium. *Tom. 8. Ann.*

VI. Quinetiam ducentis & quod excurrit annis ante Heraclij Cæsaris Imperium; cùm eadem Orientalis Ecclesia varijs Donatistarum, Arrianorum, & Sabellianorum Hæresibus diuexaretur, Orientale Imperium tantùm non collapsum esse, donec salutaribus GRATIANI & THEODOSII Impp. constitutionibus hæretici pellerentur, facile est videre apud D. Ambrosium sic ad THEODOSIVM Imper. scribentem: *Etiam Constantinopolis*, inquit, *iam verbum Dei recepit & euidentia metuit tui documenta iudicij. Etenim quamdiù venena Arianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus. Postea verò quam fidei exules abdicauit, hostem ipsum iudicem Regum, quem semper timere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obtinuit, sepultum possedit*, &c. Ita *Constantius, Valens, Iustinianus, Heraclius, Leo Isaurus, alijq; summo detrimento Reipub. Religionem nouarunt.* *In Prolog. l. 1. de Spir. San.*

VII. Verùm, quid longè petitis vtor exemplis? cùm clarissima domi non desint documenta & exempla, quibus doceri perspicuè potest, hæresim asseclas ætatem habere rixas, dissensiones, rebelliones, proscriptiones, cruciatus, ciuium interneciones, denique, quo nihil miserius,

*—— —— —— videre parentes*
*Frontibus aduersis, fraternaq; cominus arma,*
*Cognatasq; acies.*

Vidimus, nostra, pro dolor, ætate, vidimus mala hæc omnia in Belgio nostro, quorum haud dubiè scatebra fuit Iconomachia, quæ primùm in Flandria, mox Brabantia suscepta fuit à pauculis quibusdam non nominandis; qui quò acephali dominarentur, in leui habuêre non solùm auitam Religionem violare, pietatemque omnem prosternere ac pessundare, verum etiam Reipublicæ statum ipsa tranquillitate *Anno 1560*

 tum

tum tranquilliorem inuertere, aut commouêre. Hoc in Belgio. Quid in Germania, Austria, Polonia, Hungaria, Dania, Bohemia, Gallia, nunquid nostra, & Patrum memoria, ortis Religionis prætextu seditionibus, variæ earum regionum vrbes humano, ac ciuili sanguine maduêre, euerso ad extremum Reipub. statu? *Meritò itaque, Patres nostri* (D. Leonis Papæ verbis vtar) *sub quorum temporibus hæresis nefanda prorupit per totum mundum, instanter egêre, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur: quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amantiam detestati sunt, vt auctorē eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnē coniugiorum copulam solui, simulq; diuinū ius, humanumq; subuerti, si huiusmodi hominibus vsquam viuere cū tali professione licuisset. Et profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones; seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timuerint corporale supplicium.*

Epist. 93.

Nouatores coërcendi.

Leuit. 14.

Quidni enim Principes Christiani ad instar diuinæ legis: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur*, legem in ditionibus suis sanciant, quâ Nouatores religionis, maximè si refractarij sint, & turbidi, à Republica arceant, vel etiā plectant? quidni inquam pro iustissima illa diuina lege luant? an fortè plasphemus non est hæreticus? Non igitur blasphemus Arrius, qui filio diuinitatem, æternitatemq; detraxit? Non blasphemus Manichæus, qui de duobus rerum principijs, Dijsq; duobus, fabulas illas vel potiùs deliramenta contexuit? Quid? non blasphemus Caluinus, & quidem multimodis blasphemus, qui omnipotentiæ derogans, fieri vel à Deo posse negat, vt quod in cœlo est Christi corpus, in altari quoque simul ad verba efficacissima Christi seruatoris existat? Non Brentius blasphemus, qui in diuersum tanquam tempestate delatus, quod diuinitatis propriū est, vbique simul esse, naturæ in Christo humanæ adscribat? Omitto alias aliorū neq; paucas, neque leues blasphemias: ex quibus perspici clarissimè possit, quantâ legum æquitate, & quàm iustâ earundē seueritate mortis supplicium blasphemis hæreticis irrogetur. Ideò idē D. Leo Pontifex Max. consultissimâ ratione, Anatholium Episcopum Constantinopolitanum acriter reprehendit, quod pernitiosâ quadam patientia hæreticos tolerarat; & admonet, vt à Principe poscat opem ad eos comprimendos. *Illud*, inquit, *sanè plurimū mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuæ clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conniueant prauitati, & vasa iræ, vasis misericordiæ misceantur. Quibus inuestigandis & seueritate congruâ coërcendis, debet diligentia tua vigilanter insistere: ita vt his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscißio. Oportet enim nos Euangelici meminisse mandati, quod ab ipsa Veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextra scandalizauerit, manus à compage corporis auferatur: quia melius sit his in Ecclesia carere membris, quàm cū ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluè extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, ijs quos decipiunt vulneramur. Abijcienda prorsus pestifera hæc à Sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorū parcendo, non parcit. Sicut Heli quondā Sacerdos filiorum suorū delicta tolerando, cū ipsis diuinæ Iustitiæ sententiā meruit experiri, qui segni indulgentia dißimulauit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas inuitat officij, religiosißimum Principem* (Leonem imper.) *dile-*

Nouatores blasphemi.

*dilectio tua studeat frequentare: & non solùm regiam, sed & sacerdotalē ipsius mentem precibus meis obsecrare persiste, vt memor communis fidei, quam Spiritu sancto docente suscepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat: neque quidquam illis in Ecclesijs Christi licere patiatur, ne in eorum potestate sint diuina mysteria, quibus in domo Dei pro scelerum suorum magnitudine, nec habitandi ius residet, nec orandi.* Hæc doctissimus prudentissimusque Pontifex: probè scilicet intelligens (vtar verbis eruditissimi Theologi Lensæi) has esse pij Principis partes, Ecclesiæ Præfectis adsistere, suaque auctoritate & seueritate opitulari ad repurgandas perniciosæ doctrinæ sordes, atque confringenda, vt ait D. Leo, machinamenta hæreticorum: quemadmodum & Ezechias & Iosias Sacerdotibus quondam ac Leuitis adfuerunt potentiæ suæ præsidijs ad idolatriam exterminandam. Est enim hic ordo, vt primùm de doctrina iudicent Sacerdotes, iuxta id quod scriptum est: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem perquirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Deindè, vt ijdē vigilantia pastorali curent definita retineri à populis, errantes reuocent quos possint, docendo, corripiendo: quos autem sanare haud queant, abscindant, atque vt putrida membra resecent à compage corporis. Denique, si nec isto modo pernicies arceatur, Catholici Principis implorent opem, vt adiutor esse velit ad communis Matris tutelam. Est enim Præfectis quidem Ecclesiasticis spiritualis gladius, quem in sceleratos, suisque in sceleribus obfirmatos exerunt subinde, dum ab Ecclesiæ visceribus & communione diuellunt, diuinæque protectionis nudatos præsidijs in potestatem Sathanæ tradunt: quo nimirum tanti mali in quo versantur magnitudine perculsi, tandem aliquando resipiscant. Verùm, cùm ea multorum mentibus offusa caligo est, vt animi mala atque pericula, nec videant, nec curent omninò; sola verò ea quæ sensu percipiunt pertimescant, alium profectò gladium, qui & videatur, & sentiatur, & maiorem afferat metum, educi subinde necesse est à propugnatoribus Ecclesiæ: quæ tanquam pia & sedula Mater, omnem dat operam, vt profugientes à se filios, aut à suis auulsos vberibus, in gremium suum redire compellat; modò per Ecclesiæ Præsules excommunicationis virga feriendo modò per Reges, & Principes, vbi priorem illam seueritatem contempserint, etiam exilij, vel mortis interminatione terrendo. Nam quemadmodum is qui pestem patriæ, qui ciuium perniciem nefariè molitur, non vt perditus ciuis, sed vt hostis importunissimus infestissimusque tractandus est: ita illum, qui non iam Christianorum more, Christianæ disciplinæ leges ac pœnas pertimescat, sed vt hostis, omni ratione impugnet, omni arrogantia contemnat, non vt perditum Christianum excommunicationis gladio coërceri, sed vt profanum & impium Dei atque Ecclesiæ hostem, conspicuis istis, communibusque facinorosorum supplicijs affici par est. Hinc ex scito legum ciuilium Rectores & Moderatores Prouinciarum & Ciuitatum de iure ciuili negligentes exequi pœnas hæreticis statutas, denarum librarum auri pœnâ mulctantur; & insuper etiam existimationis suæ periculum sustinent l. Quicumque in fi. C. de Hæret. nam & de iure Canonum, Potestates non puniendo hæreticos dicuntur eorum defensores & protectores. Io. de Anan. in cap. Excommunicamus I. §. credentes de Hæret.

*Lib. de Vnica Religione.*

*Malach. 2.*

*Pœna non castigantium hæreticos.*

ret.

ret. Sylueſt. in Summa verbi Herculis. Farinac. de Hæreſi quæſt. 182. CLODOVEVS Francorum Rex qui ſimulatque Baptiſmatis Sacramento initiatus & Rex conſecratus fuit, declarauit ſubditis, ferre ſe non poſſe, vt Galliæ partem Wiſigothi Ariani liberè poſſiderent. Bello itaque aduerſus eos ſuſcepto, prælijs ſecundis vſus, Galliæ finibus expulit: quod qui fecit, num tibi laturus fuiſſe videtur, vt inter ſuos Catholicos impunè illi religionem contrariam exercerent? Et, vt Arianos relinquamus, quid aduerſus poſteriores ſectas Principes reliqui? Nunquid *Theodoſius* iunior Concilij Epheſini auctoritate damnatum Neſtorium pulſum ex Oriente, exilio relegauit apud Oaſim? Nónne & indè longius fuerat abducendus, niſi diuina vltio præueniſſet? Tabefactis enim omnibus membris eius, maximeque lingua conſumpta, in Oaſi diuina manu percuſſus, interijt. Ne multa: nunquid præter exilium, capitalem etiam animaduerſionem contra eoſdem Manichæos promulgauit *Valentinianus* Imperator? Quid in *Carolo Magno* dicam? quem legimus deſiderium Longobardiæ Regem infeſtiſſimum Eccleſiæ orthodoxæ hoſtem, ab eo victum, fugatum, vinculis mancipatum? Quid de *Ludouico* eius filio? quem ſcimus ex Sicilia Saracenos expuliſſe, & Heraldum Daniæ Regem cum vxore, præcipuaque nobilitate ad ſuſcipiendum Moguntiæ baptiſmum adduxiſſe? Quid de *Carolo Simplice*? qui Rullonem Nortimannorum Regem Romanæ Eccleſiæ ſubiecit. Quid de *Ludouico IX.*? qui vt in album ſanctorum relatus eſt, ita hæreſim Albigenſium profligauit, & finibus regni eliminauit. Taceo *Carolum Sextum* qui Bohemos impietatis cultores oppreſſit. *Henricum* denique *Quartum*, quem cõſtat ab imbutâ auitâ religione, trecentis pluſquam in locis illam inuexiſſe, quæ alioqui totis quinquaginta annis in Bearnia exulârat. Quid quod in gremiũ Matris Eccleſiæ Romanæ ſupra ſex & ſexaginta hominũ millia opera PP. Societatis reduxerit? vt meriò Paulus V. Pontifex Max. publico memoriæ teſtimonio ei erexerit in Vrbe Statuã æream, vti aſſertori in ſuo Imperio Fidei Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ. Taceo Reges Iberos qui acerrimos Fidei Catholicæ aſſertores ad vſque ſe præbuêre. Teſtis *Petrus* primus *Aragoniæ Rex*, qui apud Oſtenſem Vrbem Regis Saracenorum plures copias profligauit: atque vt non ſibi, ſed Eccleſiæ viciſſe teſtaretur, victoriæ inſignia, captiuos, ſpoliaque grato animo ad *Vrbanum II.* tranſmiſit. Taceo inſuper *Alphonſum* Regem Caſtellæ, Ferdinandum II. (veræ fidei in Germania reſtitutorem) qui conſimili animi fortitudine, & in religionem auitam feruore & magnanimitate ditiones ſuas Catholicas à Mauris, Iudæis, Saracenis perpurgarunt. Sed non eſt vt ſingulorum Regum, ac Principum facta commemoremus: quibus conſtat nunquam Principes illos cordatos, id eſt, veræ Religionis auitæ tenaciſſimos, aliam ab illa fide; id eſt orthodoxa Religione, ſuſtinuiſſe. Idcircò *Philippus II.* in publico totius Hiſpaniæ theatro cùm in eo publicæ Inquiſitionis Cenſores ſederent, iureiurando ſeſe obſtrinxit, hæreticos & eorum fautores armis perſequi, atque Eccleſiam, Pontificiamque Religionem vbique terrarum tueri. ô Regium, & maſculum animum! Sciebat enim *ad ſalutem & vitam æternam neminem peruenire*; (vtor verbis D. Auguſtini) *niſi qui habet*

*Lib. 5. Cod. de Hæret. & Manich.*

*Lib. de Vnitate Eccleſ. cap. 19.*

*bet*

*bet caput Christum: habere autem caput Christum nemo poterit nisi qui in eius corpore fuerit, id est Ecclesia: quàm sicut ipsum caput in scripturis sanctis canonicis debemus agnoscere; non in varijs hominum rumoribus, ac opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere.* Nostrum sæculum imò nouissimos annos si memoria repetamus, videbimus eidem FERDINANDO II. Imperatori non ita pridem è viuis erepto summæ fuisse curæ vt Religio Catholica, Apostolica, Romana pristino nitori in Germania restitueretur. Vnde non modò totis viribus datâ occasione Magnates omnes ipsemet ad fidê prouocabat, aptisque Magistris erudiendos adtribuebat; verum etiam hos fidei Magistros ad se aduocabat, & eorum de quibus agebatur conditionem ingeniumque edocebat ac viam monstrabat, quâ eos ad fidem reduci posse speraret: veræ tandem Ecclesiæ restitutos planè hilaris lætusque excipiebat. Libet hîc verba eius è multis subtexere, quibus Praga per litteras propriâ exaratas manu Anno 1623 Rudolpho à Tiffenbach Baroni Austriaco præstanti militum Ductori, Viennæ degenti ad Catholicam fidem reditum gratulatus: *Exoscularer*, inquit, *tui capitis verticem si tibi præsens essem.* Vix possum alio clariùs argumento FERDINANDI in Deum fidem, zelumque religionis testari, quam adscriptâ hîc codicilli parte, quem vltimæ voluntati adiecit: In hæc verba, quibus Hæredem, ac successores, non tam alloquitur, quàm adiurat: *Etsi nos* FERDINANDVS II. *Imperator vrgentibus ex causis nostrum testamentum ac vltimā voluntatem consignari iam curauimus; Dei tamen nostri, & benefactoris summi, & Patris beneuoli honor, quem procurare ex gratitudine propter accepta beneficia tenemur, impulit Nos vt vniuersalē Hæredem nostrū dilectum filium* FERDINANDVM ERNESTVM, *& post illum futuros successores, iterū nouoq; codicillo, paternè ardenterq; moneremus, Prouincias nostras, populosq; quos eis subditos relinquimus, commendatos ex corde habeant eos in nostrâ verâ Apostolicâ, Romanâ, in qua sola salus est, Catholica fide conseruent: Sectas omnes prauas & falsas doctrinas, imò quidquid his aditum, causam, occasionem, aperire posset, seriò omni studio, omni conatu auertant, impediant.* Hæc & plura alia in codicillo FERDINANDVS. Intelligere porrò ex his licet, quo zelo amplificandæ tuendæque veræ fidei flagrauerit qui non modò viuus id strenuè curauit, sed etiam moriens ab Hærede, vt vltimam suam voluntatem curari præcepit.

*Lib. de Vnitate Eccles. cap. 19.*

Sed aduersus tot Sanctorum Patrum dogmata, aduersus tot Christianorū Principum animaduersiones, insurgunt Nouatores, dum dicunt; *Fidem suadendam, non iubendam, aut imperandam.* Quibus responderi solet, theorema illud de ijs capiendū, qui nulla vnquam religione imbuti fuêre: in his enim qui salutaribus aquis tincti fidem semel receperunt, aliud statuendum esse, & omnis antiquitas, & præsens ætas docet. Hi enim ad officium reuocandi: quibus, si pœnitentia ducti resipuerint, mitiùs agitur; sin aliter, vel rursus in eandem prociderint dementiam, pœna vltima ad monentur. Neque enim illi qui hæreticos peruicaces, vel relapsos ad Ecclesiæ vnitatem impellunt, ad fidem cogunt, sed duritiam eorum & perfidiam castigant, Augustino asserente: *Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus; sed per seueritatem, immò & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores*

*Ministrorum obiectio coactionem in Religione nō esse adhibendam.*

 optimi

*optimi libertate voluntatis eliguntur; ideò mores peßimi, non legis integritate puniuntur? sed tamen malè viuendi vltrix disciplina præpostera est, nisi cùm præcedens benè viuendi contemnitur. Si quæ igitur aduersus vos leges constitutæ sunt, non eis benè facere cogimini, sed malè facere prohibemini.* Quin & alibi soluit vulgarem illam Nouatorum obiectionem: *Vbi est*, inquit, *quod isti clamare consueuêrunt: liberum est credere: cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce, habent Paulum Apostolum: Agnoscant in eo priùs cogentem Christum, & posteà docentē: priùs ferientem, & posteà consolantem. Mirum est autem, quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit.*

Epist. 50. tom. 2.

Rursum optimè lib. 1. contra Gaudentium Donatistam cap. 25. *Quod vobis videtur*, inquit, *inuitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes scripturas, Luc. 14. Exi in vias & sepes & compelle intrare vt impleatur domus mea, intelligimus vias, hæreses: schismata, sepes: viæ quippè hoc loco significant diuersas opiniones.*

Egregiæ herclè Augustini sententiæ, & ab Orthodoxis Principibus signandæ, quos equidem maximoperè velim ex præscriptis exemplis & documentis animaduertere, Rempublicam nunquam esse sine noxa & graui damno, cùm Religio sinitur negligi, vel prolabi.

*Veteres etiam Ethnici armis Religionē retinuerunt.*

Quod, & animaduerterunt Ethnici ipsi, qui quidem tantam suæ, quamuis falsæ, Religionis curam habuerunt, vt vi & armis eam retinerent; sed & in innouatores, seu nouorum Numinum cultores diris semper exemplis animaduerterent. Testis DRIOPES ille Atheniensis, qui legem tulit, quâ capitale censebatur esse *de Deo non rectè sentire, siue de Religione nouos ritus afferre*: quod & IVSTINIANVS aduersus Manichæos sanxit.

*Lib. 10. c. 32. de Hæret. & Manich.*

Proindè ATHENIENSES *Diagoram* Philosophum repulerunt, quia scribere ausus fuerat, primùm ignorare se, an Dij essent; deinde si sint, quales sint. Ijdem Socratem damnauerunt, quòd nouam Religionem introducere videretur.

*Vale. Max. lib. cap.*

Lex XII. Tab. erat, vt de ritibus patrijs colerentur optimi, de quo cùm consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum Religiones tenerent, oraculum editum est, *Eas quæ essent in more maiorum.*

*Cic. 1. de leg.*

In Inauguratione Regis Galliæ, sic ei dicitur: *Accipe annulum signaculum videlicet Fidei sanctæ, sodalitatem Regni, augmentum Potentiæ, per quem scias triumphali potentiâ hostes repellere, hæreses destruêre, subditos coadunare, & Catholicæ Fidei perseuerabilitati connecti. Et cùm sacratum caput eius diademate redimitur: Accipe coronam Regni, &c. vt contra aduersitates Ecclesiæ Christi defensor aßistas*, &c. Sciebant prisci illi Reges, nihil validius ad potentiam, nihil præstantius ad salutem subditorum, quàm vnam sinere & colere in Regno Religionem.

*A Costa.*

Vnde apud Sinenses (amplum Indiæ Regnum) lex illa habetur: *Ne qua Religio admittatur sine Regis eiusq; Concilij assensu, qui aliter capitale ei sit*: fortè in nebula illa ignorantiæ, imbiberant illud Mæcenatis ad Cæsarem Augustum: *Eos qui in diuinis aliquid innouat, odio habe, & coërce, non Deorum solùm caussa (quos tamen qui contemnit, nec aliud sanè quidquam magni fecerit) sed quia quædam noua Numina hi tales introducentes, mul-*

*Dio. lib. 52.*

tos

*tos impellunt ad mutationem rerum. Vnde coniurationes, seditiones, conciliabula existunt, res profectò conducibiles Principatui.*

Quàm verè hæc omnia Mæcenas, fidem facit Gallia, Germania, Vngaria: sed prægrandi suâ fraude. Ipsemet *Iacobus* Britanniæ Rex proceres Hollandiæ superioribus annis monebat vt in herba Armenianos opprimerent, quod si fecissent, secta illa robustior non fuisset iam facta, & quidem ita, vt vix modò depugnari possit.

Vt sanè consultissimâ ratione Imperator, Reges, Principes Catholici, priusquã inaugurentur: solemni iuramento adstringantur, quo nedum Orthodoxæ fidei se esse profitentur, verum etiam eius ac Romanæ Sedis tutelã & patrocinium suscepturos se esse Deo & ordinibus sanctè promittunt. Alioqui si socordia, negligentiavè diuersas Religionum scholas sectasque permittant, quid nisi odysseam contentionum atque bellorum flammas in Rempub. introducant? Quod exemplis pluribus illustrarem, nisi I. Lipsium [a] præceptorem, & amyntorem meum plenâ manu ante me id præstitisse viderem. Hoc tamen obiter hîc addo, proprium munus esse Principum præbere se populo ministros Dei, [b] & existimare adhibitos se custodes legis diuinæ. [c] monente & concludente D. Augustino: [d] *Quamdiu ergò, vos non tenetis Ecclesiam quam prænunciauerunt piscatores. Apostoli plantauerunt, tam diu Reges qui eam tenẽt rectissimè ad suam curam iudicant pertinere, ne vos aduersus eã rebelletis impunè.* & alibi: [e] *Mirantur autẽ quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergò mouerẽtur? Et quomodo redderent rationẽ de Imperio suo Deo? Intendat charitas vestra quid dicam: quia pertinet hoc ad Reges sæculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suã Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt.* Hactenus sanctissimus Doctor: cuius verba nõ sic capi velim, quasi rebus Ecclesiasticis, Reges & Principes sese immiscêre possint (neque enim à condito orbe vnquam visũ est ius Ecclesiasticæ potestatis ad Imperatorem aliosvè principes spectauisse, sed ita, vt Pietati, ac Religioni studentes eum in Orthodoxam Ecclesiam zelum ostendant, vt subditi nõ solùm ab omni hæretica prauitate alienissimi sint, verum etiam sanctionibus ac legibus Ecclesiasticis omninò obtemperent. Cuius rei extat insignis, & elegans BASILII Imperatoris exhortatio ad Synodum VIII. generalem, Actor. 10. in fine: seriò monentis Principes & omnes laicos in dignitate constitutos, vt sui ordinis sint memores, desinantque se negocijs Ecclesiasticis interponere, & non pastores, sed oues se cogitent, quamuis sapientes, & pij. Id quidem Ambrosius non tantum non est veritus adstruere, sed confidenter inculcare in aureo illo (vel Sectariorum opinione) tempore voluit, his verbis: *Si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus; quis est qui abnuat in caussa fidei Episcopos solere de Imperatoribus, non Imperatores de Episcopis iudicare?* Deinde, Epistola proxima sic ipsum affatur Cæsarem: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere.* Et certè par ambrosio ac tẽpore prior Hosius, mente, verbis, occasione non

[a] *lib. adu. Dialogist. c. 2.*
[b] *ad Rom. 13.*
[c] *Deut. 17.*
[d] *Lib. 1. cont. Epist. Gaud. c. 34. tõ. 7.*
[e] *Tract. 2. in Ioan. tom. 9.*

Rerũ Ecclesiæ cognitionem ad Principes non pertinere.

*Epist. 32.*

*Epist. 33.*

*Hosius apud Athã. Epist. ad solitariam vitam agen.*

Iura vel bona Ecclesiæ vsurpantes à Deo puniri: quod multis docetur exempl. *Tom. 6. 7. 8. & 10. annal.*

*Psal. 2.*

disparibus aiebat: *Ne te misceas Imperator rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs à nobis disce, Tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Vnde exclamauit magnus ille Athanasius: *Quando à condito æuo auditum est iudicium Ecclesiæ ab imperatore auctoritatem suam accipere?* Auditum vir maxime & sanctissime, sed nonnisi hisce infœlicioribus temporibus nostris & ægris Orthodoxorum oculis visum, non tantùm Regem HENRICVM VIII. bigamum ac trigamum, contra omnes canones, sed EDOARDVM VI. puerum nouennem contra canones ac scripturas, immò ELISABETAM fœminam, contra leges, ac omnes scripturas ipsamque naturam, in iura Ecclesiæ, proh dolor, inuolasse, parùm alioqui memores Deum acerrimũ se eiusmodi arrogantiæ vindicẽ semper præbuisse: id quod MARCIANI, VALENTINIANI, NICEPHORI, PHOCÆ, BERENGARII Italiæ Regis, CAROLI denique MARTELLI Galliæ, & aliorum Imperatorum & Principum exemplis docet eminentissimus Card. Baronius. *Etenim, vltor exurgens Deus in virga ferrea tanquam vas figuli confringit eos qui adstruunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, dicentes: Dirumpamus vincula eorum & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* vt meritò ad omnes Principes illud quod in Psalmo sequitur, sit inclamandum: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram:* sed nolunt, inquit vel dissimulans intelligere à Deo sibi immitti varias calamitates, vnde accidit vt grauioribus semper vrgeantur angustijs atque premantur ærumnis. Quod pius & Orthodoxus Imper. CONSTANTINVS cum animo suo reputans, adeò non iura Ecclesiæ sibi vsurpauit, vt apertè professus sit regimen eorum Episcopis relinquendum; hoc pacto nimirum vt prouideret curaretque ipse Ecclesiæ leges atque decreta sarcta & tecta seruari. Siquidem vt præclarè Leo Papa inquit: *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regio & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Sed haud scio Principibusne sit imputanda temeritas hæc, an verò ministris eorum, quibus nequaquam curæ est quid Principibus consulatur, dum ipsi quibuslibet artibus emergant, nescientes interim, aut paruipendentes se aduersus Deum habere certamen, qui contra huiusmodi sacrilegia vindex exurgens (secundum illud Propheticum) *adducit Consiliarios in stultum finem, & Iudices in stuporem: baltheum Regum dissoluit, & præcindit funе renes eorum.*

*Epist. ad Pulcheriã Augustam relata in c. Res autem 23. q. 5.*

*Iob. 2.*

Notent Principes, & eorum ministri.

*a Gregor. Turon. de Glor. confess. c. 71.*

*b De quo Baro. 10. Annal. an Chr. 962.*

Meminerint ministri Principum CHILDERICI illius a qui primus apud Sigebertum Francorum Regem habebatur: qui ob agellum, aut villam iniuria ab Ecclesia Aquensi raptam, & euersam, post continuum, & acutissimum vnius anni morbum, tandem misere expirauit: lucratus ob iniquam villulæ adeptionem, animæ sempiternam damnationem. Memores ipsi Principes sint BERENGARII Italiæ Regis, b qui post ablatam ab Episcopatu Nouariensi Insulam S. Iulij dono piorum Principum Ecclesiæ donatam, mox se suumque perdidit Imperium.

CAROLVM quoque MARTELLVM Galliarum Regem, sibi ob oculos ponant, c qui quod itidem in Ecclesiarum res inuolauerit, corpore nedum anima simul ac excessit è vita, sempiternis pœnis mancipatus est, si D. Eucherio Aurelianensium

*c Id. Baro. to. 10. an. Chr. 858.*

Epis-

Episcopo credendum, cui in oratione rapto obiectum fuisse æternis pœnis mulctatum, vno ore asserunt multi Præsules diœceseos Rothomagensium, atque Rhemorũ in Epistolis ad Ludouicum Germaniæ Regem. ETHELREDI quoque d Anglorum Regis recordentur, qui propter vastatam Ecclesiæ Roffensis ditionem, varias barbarorum siue Danorum incursiones, ac deprædationes perpessus est. Meminerint etiam ipsæ Principum vxores exitus BERTÆ Richuuini Comitis coniugis, e quæ quòd villam Iuliacam nullo iure à *Carolo* Francorum Rege marito suo donatam, inuito verò illius Domino, *Fulcone* videlicet Rhemensi Episcopo, retineret, graui & lethifero morbo affecta tandem miserrimè fato concessit. Taceo Iulianũ Iuliani Apostatæ Imp. auunculum qui quod sacra vasa è templo Antiocheno abstulisset, repentè sæuo morbo correptus visceribus putrefactis, totoque corpore vlceratus, & vermibus carnem eius depascentibus miserrimè exstinctus fuit. d *Id. Baro. An. 893.* e *To. 10. An. Chr. 848.* *Trip. Hist. lib. 6. cap. 31. 3. Reg. 21.*

Inhient iam Principes in damnum suum rebus iuribusque Ecclesiarum. Quid erit? Vtique (iuxta Sapientem) id quod fuit. Vt nisi desistant ab huiusmodi sacrilegijs ipsi à Christo vltore sint omninò suis ipsorum bonis (vt exemplis & documentis hactenus ostensum) iustè priuandi. Si enim nec pretio licuit absque immenso dãno suo ACHAB Regi accipere vineam Naboth, parentum suorum antiquam hæreditatem licebit impunè Principi Christiano Ecclesiarum antiquitus possessa bona quibusuis coloribus rapere, & excogitatis artibus quibuscumque (vt sæpè vidimus factum) auferre? Nequaquam inulti isti relinquentur à iusto vindice Deo: à quo grauior eò procedet vindicta, quòd per insidias, & occultas fraudes, vanosque prætextus rapiunt, aut certè à decessoribus ijsdem artibus rapta, mala fide retinent. Ministri enim sunt Ecclesiæ non Domini; gladium gestant & sceptra, nõ vt sacra vsurpent, sed vt hæreticos, sacrilegos & quotquot Ecclesiã persequuntur aut perturbant, supplicijs coërceant. Maneant illi, maneant intra suos terminos: *Alij enim sunt*, vt vtar verbis Diui Ioannis Chrysost. *termini Regni, alij termini Sacerdotij. Hoc regnum illo maius est. Illi equidem ea quæ sunt in terris sortiti sunt administranda; cæterùm Sacerdotij ius è supernis descendit. Regibus ea quæ hic sunt, commissa sunt; Sacerdoti cœlestia Maior hic principatus; propterea Reges capita submittunt manui Sacerdotis.* Hactenus magnus ille Præsul, taxans eos maximè qui ea quæ ad religionem illiusvè iura spectant temerario ausu vsurpant. Quid non exclamasset in illos qui præter omne fas libertatem conscientiæ, vt vocant, id est, Religionis suis in Regnis & prouincijs permittunt? sequuti peruersissimum hæreticorum dogma docentium pacis & quietis publicæ interesse, vt hæc fidei indifferentia vbique admittatur. Quod dum satagunt quid aliud nisi Atheismum aptissimum ad fascinandas mentes inuolucrum & honestum ad exterminandos Catholicos prætextum, introducunt? Non est quod hoc exemplis longè petitis firmemus: luce clariora sunt vicina. quis nesciat in Germania, Gallia, Batauia, atrocissima & diuturna bella, prætextu libertatis religionis excitata? *3. Reg. 21.* *De verb. Isa. Homil. 4.*

Verùm, ego longiùs progressus fui delectatus illecebrâ Religionis. Pedem igitur Reijcitur

Machiauelli dogma. Lib. del. Prencipe.

nunc referam, si tamen imperij Machiauelli sententiã eleuauerim, asserentis Principem bellè functum officio, si foris speciem tantum Religionis retineat, etiamsi domi minùs pensi habeat eius cultum; satis superque esse si bonam de se concitet opinionem, quò plebeculam simulatione incautam decipiat, remque suam occultis vaframentis augere cumulareque possit. Pestiferum profectò dogma, vel Ethnicis ipsis non dicam Christianis politicis reiectum, & circumscriptum. Nam & Cicero negat in bonum virum cadere mentiri emolumenti sui caussa; asseritque alibi: *Totius iniustitiæ nullam capitaliorem esse quàm eorum, qui tum cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni viri esse videantur*. Verùm, quid de his falsitatis figulis tradat Lactãtius, videamus: *Quidam*, inquit *probitate ficta, viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntq; multa, quæ boni solent, eo quidem promptius, quòd fallendi gratia faciunt. Vtinamq; tam facile esset præstare, quàm facile est simulare bonitatem! Sed ij cùm esse cœperint propositi, ac voti sui compotes, & summum potentiæ gradum cœperint, tùm verò simulatione deposita, mores suos detegunt, capiunt omnia, & violant, & vexant, eosq; ipsos bonos, quorum causam susceperant, insequuntur, & gradus, per quos ascenderunt, amputãt, ne quis illos contra ipsos poßit imitari*. Itaque benè alibi concludit: *Ideò mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescunt, quia Deus huius mũdi effector, & gubernator derelictus est: quia suscepta sunt, contra quàm fas est, impiæ Religiones: postremò quia ne coli quidem vel à paucis Deus sinitur*. Nihil profectò magis proprium temporibus nostris di potest. Reijciamus itaque perditi hominis scæuũm dogma: & concludamus, Principem & domi, forisque, quouis etiam tempore debere profiteri Religionem Catholicam; eamque totis animi neruis aduersus illius hostes protegere. Ni fecerit, præterquam quod nouorum tolerantiã dogmatum, tranquillum Reip. statum euertet, eandem quã ij ipsi fidei hostes hæreditatem Orci aliquando cernet. Non solùm enim qui facit, sed qui consentit mala facientibus, correus est delicti. Vt sanè non sit abhorrens à vero, quod nonnulli autumant, LVDOVICVM Imperatorem 30. ipsos annos, purgatorij pœnas sustinuisse, propterea quod non satis viriliter hæresi Nicolaitarum restitisset. O quid fiet his, qui tantum abest, vt hæreticis, alijsvè Ecclesiæ hostibus se opponant, quin pronis animis, sed occultis manibus excipiunt? Et vero non excipiunt, cùm tolerant, & conniuent, vel dissimulant? Etenim dissimulando, vel tolerando facile (vt ad deteriora multi proniores sunt) in sequiorem labuntur partem ceù licentia meliorem, maximè cùm Principem in illam propendêre animaduertunt: qui alioquin si palam Religionem Catholicam præferat, huic nemo audebit mussitare; hæretici ipsi tum erubescent, tum etiam timebunt videri se alterius sectæ fidei Principis aduersariæ assectatores; indeque accidet, vt vel timore correpti recantent palinodiam, vel rubore suffusi sileant, lateantq; & alio procul abscedant: quod si eis ille gratas semel præbuerit aures, præterquam quòd passim sint volitaturi, licentiaque in Rempub. peccaturi, existimationem suam, atque adeò ipsum Reipub. statum in discrimen adducet. Vide mihi LEONEM Imperatorem, nunquid inter optimos censendus esset nisi hæreticis adhæsisset, eosque in Aulam introduxisset? Tametsi enim omni prorsus careret hære-

*3. de Offic.*

*Lib. 6. Instit. c. 6.*

*Lib. 5. c. 8.*

*Speciẽ eius filio obiectam narrat Baron. An. Chr. 874. Tom. 10. annal.*

Quanti intersit Principẽ palàm catholicum agere.

*Baron. To. 4. & 6. annal.*

hæreticæ prauitatis contagio, tamen quòd haud prudens ipsos non cauerit hæreticos, qui buscum indulgentius egit, dum *Basilisco* Verinæ coniugis Germano pepercit, & *Zenonem* inexploratum adhuc sibi hominem haud probè de Catholica Religione sentientem, generum sibi & administratorem Imperij cooptauit, minùs meruit à posteris laudari præsertim cùm eiusmodi hominum contubernio Romanorum propemodum perdiderit Imperium: id quod rectè & vere notat Illustriss. Annalium Ecclesiast. scriptor Baronius. Atque hactenus de *Pietate* & *Religione*. *To. 6. Annal. an. Chr. 474.*

---

## CAPVT VI.

### *Pietati ac Religioni agnoscitur* Conscientia & Fama: *vtræque Principi oppidò quam necessaria. Sed de illa primùm dicamus.*

CONSCIENTIA (de qua hîc tractaturi sumus) nobis à Deo relicta est, veluti indiuidua comes, testis, & pedissequa actionum nostrarum: quæ si rectæ fuerint, *Hilaritatem*, & *Lætitiam* in Deo nobis procreabit, & *summam* cum pari Fiducia, *mentis tranquillitatem*. Priorem fructum nobis suggerit Philosophus ille tantum non Christianus: *Sapiens nunquam sine gaudio est. gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudêre, nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans.* Et alibi: *Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum: etiam si quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt.* Et Plutarchus verbis aureis: *Honestas & virtus, proprium iubar, magnamq; lucem habet in animo, & gaudium domesticum parit, siue videat aliquis, siue lateat omnes, & Deos, & homines.* Alterum autem fructum nobis proponit Tullius: *Si optimorum consiliorum*, inquit, *atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine vllo metu, summa cum honestate viuemus.* Et ipse Poëta: *Senec. epist. 19.* *Epist. 27.* *De Cupid. diuitiarũ.* *Pro Cluët.* *Horat. 3. od. 3.*

*Si fractus illabatur orbis,*
*Impauidum ferient ruinæ.*

Quod contra facit Conscientia prauarum actionum: quippe quæ pauidum, inquietum, & imbellem reddit, vel Comico teste:

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ. *Diphil.*
*Sibi conscium licet virum audacißimum,*
*Timidißimum facit ipsa conscientia.* *Senec. Ep. 43.*
Nam, *etiam in solitudine anxia atque solicita est.* *Sallust. Catil.*
*Immò, neque vigiliis, neque quietibus sedari potest:* *Senec. Ep. 98.*

Vt vere dicatur, *vermis animæ non contemnendus*: qui *rodit animam errantem, ac tortori subijcit.* Hic perpetuò agitat, vrit, excarnificat, & (vt ille inquit) *Sallust. Catil.*

*fur-*

Iuu. Sat. 13
Ouid. 1. Pont.

——— *surdo verbere cadit,*
*Nec priùs hi mentem, stimuli quàm vita relinquunt.*

Tacit. 6. Annal.

*Si recludantur* Tyrannorum *mentes, possent aspici laniatus & ictus, quando vt corpora verberibus ita sæuitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur.*

D. Chrysost. l. 7. epist. 44.

Prorsus benè vir Sanctus. *Sibi vnusquisque animum suum seuerum Iudicem sui vltorem sceleris & vindicem criminis habet.*

Ber. 3. de Consid.
Lactant. lib. Diu. Instit. 3.
Nazar. in Paneg. Cõstan. Aug.

Ergò omninò ex diuini illius viri monito, *Fortitudo tua, ô Princeps, fiducia fidelis conscientiæ; decor tuus, splendor bonæ opinionis.* Duo verba in aurem: *Nullus hic simulationi locus est: in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* ——— *Spectat enim ex alto rerum arbiter Deus, & quamuis humanæ mentes profundos gerant cogitationum recessus, insinuat tamen sese tota seruata diuinitas.*

## NOTÆ ET EXEMPLA.

Ex Stobæ. se. 1.

I. NOn pauca extant DIAGORÆ summi Philosophi præclarè sapienterque dicta, sed nullum magno illo & diuino animo dignius isto, quo interroganti, quænam esset vera fœlicitas? *Quæ*, inquit, *facit vt mens & anima in perpetuo gaudio collocetur.* Hæc autem est ipsa conscientia.

Fr. Patrit. 9. de Regno tit. 20.

II. Quâ quidem fretus maior AFRICANVS cùm ei ad populum dies dicta esset: (peculatus enim incessabatur, quòd ex præda Antiochi ærarium defraudasse criminaretur.) *Hac die Quirites*, inquit, *Carthaginem vici, Deo agendæ sunt gratiæ.* Et prosequente vniuerso populo, Capitolium conscendit, relicto iudicio cum accusatore, & præcone tantum; Et quamuis culpam deprecari & crimen facilè amoliri potuisset, ac etiam tribunitias iniurias propulsare, voluntarium tamen exilium subire maluit, contentus sola innocentiâ, & conscientiæ sententia absolutus. Adeò magna vis est conscientiæ, vt nihil timeant aut reformident ij qui nihil admiserunt; quin potiùs in solida tranquillitate, & inconcussa fiducia versentur semper.

Capitol. in Antoni.

III. ANTONINVS Imper. *tantæ tranquillitatis semper fuit, vt vultum nunquam mœrore mutarit.* Vnde istud? nisi à conscientia benefactorum, quæ tamen apud illos adumbrata. Pulchrè enim ac verè Comicus græcus.

Antiphon.

Τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὑτὸν τῷ βίῳ
Ἀδίκημα μηδὲν ἡδονὴν πολλὴν ἔχει.
*Conscium esse sibi in vita sua*
*Nullius criminis, multum voluptatis parit.*

Vtriusque conscientiæ effectúm pręclarè describit diuinus PLATO his verbis: Quicunque potest se sustentare memoria & recordatione honestorum consiliorum & factorum, huic semper adest bona spes ac fiducia, quæ est *dulcis nutricula senectutis*, vt Pindarus ait. È contrario qui circumferunt contaminatam multis sceleribus conscientiam, subindè expauescunt terrenturque: sicut pueri dormientes solent spectris & portentis somniorum excitari. *Hæc probemus exemplis.*

Exempla secundæ

I. NERO, omnium scelerum postremus, post interfectam matrem, & præcepto-

rem suum Senecam, sceleris sui conscientiam ( quamquam & militum & Senatus populique gratulationibus firmaretur) nec statim, nec vnquam ferre potuit: sæpè confessus exagitari se maternâ specie, verberibus furiarum ac tædis ardentibus. Verba Suetonij audiamus. *Occisa demùm matre*, inquit, *vidit per quietem nauem sibi regenti extortum gubernaculum; trahiq́ se ab Octauia matre in arctißimas tenebras. Et modò pennatarum formicarum multitudine oppleri, modò à simulachris gentium*, &c. Tandem autem dignum flagitijs & sceleribus suis vitæ exitium sibiipsi fecit. partis: deterrimos homines insomnijs, & conscientiæ aculeis diuexari *Cap. 46.*

II. C. autem CALIGVLA (vt idem scribit Tranquillus) in somnio etiam à multis flagitijs maximè incitabatur: *neque enim plus, quàm tribus nocturnis horis quiescebat; ac ne his quidem placida quiete, sed pauida miris rerum imaginibus*, &c. & postea: *Nam qui Deos tantoperè contemneret, ad minima tonitrua & fulgura conniuêre, caput obuoluere, ad maiora verò proripere se è strato sub lectumq́ condere solebat*: Itaque verum est quod Seneca scribit: *Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. quare? quia infixa nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit.——Ita est, tuta scelera esse non possunt.* *Cap 50. & 51.* *Epist. 97.*

III. Sed & DOMITIANVS pauidus semper & anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commouebatur, & antequam interficeretur, *Iunium Rusticum*, quem innocentem occiderat, gladio ad se venientem in somnis vidit. *Xiphil. Sueto. c. 14.*

IV. Iungatur his ALEXANDER MAGNVS: Is cùm *Clitum* amicum per temulentiam occidisset, tantos animi cruciatus sustinuit, vt exclusis omnibus arbitris & amicis, iam sibi manus allaturus esset, nisi *Anaxarchus* Philosophus superueniens impediuisset, varijsque alloquijs à præcipiti consilio reuocasset. Nimirum furijs & scelerum facibus incitabatur magnus Princeps, quas restinguere haud fermè illi integrum erat: nobis Christianis liquido licet expiato facinore pœnitentia. *Iustin. & Plut.*

V. THEODOSIVS Imperator ( vt ab Ethnicis discedam ) varijs animi tempestatibus propter cædem in Thessalonica Vrbe mandato suo patratam, maiorem in modum exagitabatur, & *Ruffino* familiari qui illum alloquio solabatur, humi prostatus lachrymasque fundens tandem inquit: *O Ruffine tu mea mala non sentis: ego lamentor & gemo calamitatem meam: quia seruis quidem & mendicantibus aperta sunt templa Dei*: (erat enim à D. Ambrosio Episcopo Mediolanensi anathemate percussus: ) *& proprium Dominum, ingredientes, licitè exorant; mihi verò ingressus ad eum non est. Insuper etiam cœli mihi sunt clausi.* Hæc dicens, verba singula singultibus interrumpebat: neque quieuit, dum à Diuo *Ambrosio* nexu excommunicationis solueretur. Patet ergò verum esse quod ille idem D. Ambrosius inquit: *Nullus maior est dolor quàm is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque vllam grauius est onus, quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum.* Et firmat vir Ethnicus: *Nam facinorum conscientia, sicut vlcus in carne, in animo pœnitentiam relinquit, aßiduè lancinantem & pungentem. Et alias quidem curas doloresq́ aufert; ipsam pœnitentiam creat, morsicantem cum pudore & à seipsa punitam.* *Theodo. Hist. trip. 9. c. 30.* *Epist. 28. & lib. 5.* *Plutarch. de Tranquill.*

Procop.lib. 1. Crantz. lib. 3. Suecia c. 19.

VI. Verùm, multo infœlicius conſcientiæ laniatus pertulit THEODORICVS Veroneſis Rex Gothorum, ex nece *Symmachi* Conſulis Romani, & eius generis, *Boëtij*, cuius etiamnum extant peregregia ſcripta. Nam quo die iuſſerat interfici ſummos viros, propter futiles ſuſpiciones affectati regni, eodem die miniſtri regij poſuerunt in cœna inter alia fercula, caput cuiuſdam magni piſcis. THEODORICVS verò, ſpecie huius piſcis ita eſt perterrefactus, vt exiſtimaret videre ſe caput interfecti *Symmachi* minitantis triſtia & dira. Hoc igitur ſpectro propè exanimatus, mox ſeceſſit in vicinum conclaue, & intra triduum mœſtitia extinctus eſt.

Niceph. Greg. lib. 5

VIII. In Græciam tranſeamus; ibi occurret nobis MICHAEL PALÆOLOGVS Imper. quem afflicto animo & conſcientiâ ſemper turbatâ fuiſſe ſcribunt ob innouatam à ſe Religionem, quam hoc conſilio ſuſceperat, vt Imperium ad ſuos liberos prorogaret. Et tamen tàm exiguam gratiam à filijs reportauit, vt honorem ſepulturæ mortuo denegârint.

De Ser. Num. Vind.

VIII. Venia eſto, ſi tempora miſceantur. *Beſſus*, apud Plutarchum, cùm patrem ſuum necaſſet, diuque id ſcelus clam fuiſſet, poſtea temporis ad hoſpites quoſdam cùm iuiſſet cænatum, nidum quendam hirundinum haſtâ incuſsâ deiecit, pullosque interfecit: Cùmque ij qui aderant quærerent, quanam re impulſus, rem tam inſolentem egiſſet? *Non*, inquit, *auditis hirundines; falſo de me vociferari & teſtari me patris mei eſſe interfectorem?* Mirati qui intererant, hunc ſermonem ad Regem detulerunt, eoque certis argumentis comprobato. pœnas luit *Beſſus* & luit quidem ſuo indicio accuſatus. Nihil verius igitur illo Polybij: *Nullus neque teſtis tàm formidabilis, neque iudex tàm grauis, quàm conſcientia, quæ mentibus cuiuſque inſidet & inhabitat.* Vnde B. Iob de ſcelerato; *Vndique*, inquit, *terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius, & ſonitus terroris ſemper in auribus eius.*

Frag. m.

Cap. 15. & 16.

Lib. 1. Hiſtor.

IX. De ALPHONSO iuniore Rege Neapolit. ſic ſcribit Guicciardinus: Certum exploratumque eſt, Alphonſum conſcientiæ ſuæ viribus tortum, noctu diuque nullam animæ requiem inueniſſe, vnde iam necatorum Principum vmbras, populumque contra ſe ſupplicij poſcendi cauſſa concitatum per ſomnum videre, ſibi videbatur, & fugæ ſuæ conſilio cum nouerca Regina tantummodò communicato, quod eiuſdem Reginæ precibus, neque fratri, neque filio reuelari voluit, neque biduum triduumvè expectare, quo regni ſui annum integrum explêret, fugæ ſe dedit, quatuor comitatus triremibus pretioſiori ſupellectile regia onuſtis; in ipſo autem diſceſſu tantum de Gallis terrorem animo conceperat, vt ab ijs iam iam circumdatus ſibi videretur, adeò vt minimum ſtrepitum exaudiens, facile conuerteretur, ſic quaſi timeret, cœlum, & elementa fœdus contra ſe iniuiſſe, Mazariam Siciliæ municipium, quod antea Ferdinandus Hiſpaniæ Rex eidem largitus fuerat tandem nauigauit.

X. Plura ſuperant huius notæ exempla quæ prætereo tædij vitandi vnius tantùm commemoratio non omittenda, quod ipſe didici experimento in Adoleſcente

cente nobili, qui cùm alterum inconsulta licet opera interfecisset, occisi vt ita dicam manibus sic infestabatur, vt dies noctesque quiescere nequiret, perpetuò vexatus imaginosis. Literas eius in Hungaria, vbi stipendia faciebat, scriptas legi, quibus æstuabat reconciliari & depacisci quacunque ratione cum amicis interfecti, existimans hoc pacto animo se liquido ac tranquillo fore; ita enim scribebat: verùm nihilomagis postea factus sedatior misellus, lancinante semper conscientia, quæ illum pauidum & inquietum ætatem reddebat. Interea, si hîc conscientia tam inquieta, quid fiet aggressoribus, quid fiet ijs qui iniustis bellis Orbē Christiano sanguine inundant? nisi viuendo miserè moriantur, surdo quotidie verbere denascantur. O miserrimum, qui contemnit hunc testem! Certè extremam improbitatis lineam attigit, qui illum paruipendit. Nam & Epicurus voluptatis assertor, cùm nihil iustum esse natura diceret, improbè tamen & impiè; adiecit tamen crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit. Et alius Lucretium secutus Philosophus; *Multis se quisque modis semper fugit* (nimirum varias voluptates consectando, & sicut ægri corpore solent mutationibus loci, cibi, strati, quasi remedijs inaniter vtendo) *sed quid prodest, si non effugit? sequitur ipse & vrget grauissimus comes* prauus ille animi morbus, & conscientiæ Mastix. *Apud Senec: Ep. 8.* *Senec: de Tranquill.*

*Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus.* *Ouid.*

XI. Quocirca cum Xenophonte concludo, *Pudorem & Conscientiam* potentissima esse certissimaq; facinorosorum flagella: existimandumq; conscientiā mentis nostræ quam à Deo accepimus, à nobis diuelli non debere; hancque vnam testem nobis optimorum consiliorum viuis fatoque functis futuram. Nonne animaduertistis quos terrores illorum animi qui iniuriam passi sint (inquit Cyrus Rex) homicidis incutiant? quos scelerum vindices nefarijs immittant. *Lib. 5. Cyroped.*

*Hi sunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent,*
*Cùm tonat, examines, primo quoque murmure cœli,*
*Non quasi fortuitò, nec ventorum rabie, sed*
*Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.*

*Iuuen. Sat. 13.*

Et vnde istud? nisi, vt S. Chrysostomus testatur, quòd in ipsa mente humana tribunal quoddam à natura constitutum sit, vbi vnusquisque sui sceleris est index, testis, & iudex, vt cùm ipse propriæ culpæ conscius, seipsum capitis condemnet, pænam sibi posteà à naturæ Auctore inflictam, iustissimam esse agnoscat. *Conc. 4. de Lazaro.*

Optimè D. Augustinus: *Seruus*, inquit, *hominis, aliquando Domini sui duris imperijs fatigatus, fugiendo requiescit; seruus peccati, quò fugit? secum trahit se, quocumque fugerit: non fugit seipsum mala conscientia, non est quò eat, sequitur se, imò non recedit à se: peccatum autem quod facit intus est.* Quibus conuenit illud Isidori; *Omnia fugere poterit homo præter cor suum: non enim potest à se quisquam recedere: quocumq; enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquet.* Quod præclarè etiam ostendit in *Tiberio* Cor. Tacitus: *Quid scribam* inquit Tiber. ad Senatum *vobis P.C. aut quomodo scribam? aut quid omninò non scribam hoc tempore? adeò facinora*, subijcit Tacitus, *atque flagitia sua ipsi quoque in* *Tract. 41. in Ioan.* *Lib. 5. Histor.*

 *suppli-*

*supplicium verterant. Neque frustrà præstantissimus sapientiæ firmare solitus, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus, quando vt corpora verberibus; eâ sæuitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* At obijciunt Pseudopolitici, *Conscientiam*, vbi de ratione status agitur, non esse attendendam. Respondeo, non mirum esse si isti conscientiam Principis è Republica exigant, cùm Deum ipsum non admittant. Nec sufficit paucos Atheos impiam hanc doctrinam adstruere; cùm ipsi Ethnici sapientiores, virtutum sectatores, vt ante vidimus, vniuersa Thologorum schola, contrarium defendant. Obijciunt rursus isti, exempla nonnullorum Regum, qui si conscientiæ Christianæ strictas regulas secuti fuissent, nam diù iugum Iberorum subiuissent: quia verò per rationem status hæreticis & rebellibus auxilia & consilia subministrant, bellum in exteris alunt, vires illorum variè distrahunt, Turcas prouocant, & Prouincias saluas conseruant. Hanc doctrinam falsam esse docent Theologi Politici, & signanter D. ab Etteren in suo Manuali Politico. Non enim est bona ista consequentia, plerique Principes deserunt Christianum consequentiam, ergò Regna sua & Prouincias conseruant: si enim sequela hæc esset vera, peccata inuenirent præmia, quod diuinæ Iustitiæ repugnat. Graue enim scelus est contra propriam conscientiam & Ecclesiam Dei iuuare hæreticos, ex quo scelere, si obtinetur salus Regni, certè detestandum scelus, magnum acciperet præmium.
Isai. 6. Sed *væ vobis qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

---

## CAPVT VII.

## *Altera sequitur* Pietatis *soboles* Fama.

Cap. non sunt l. 1. q. 13. Cic. 2. Tuscul. HÆc est celebris quædam de nobis opinio ob meritum virtutis, beneuolentiam multorum concilians. Etsi autem plerique arbitrentur non admodum expetendam ei, quem sua oblectat conscientia, vtpote quæ *virtutis satis amplum theatrum est*, tamen si quis in recessu secum reputet famæ & existimationis bonæ commoda, non dubiè dicet cum omnibus hominibus, tum maximè Principibus affectandam, quippè, non minùs famâ, quàm vi stant res Principum.

Tacit. 3. Annal. Præclarè Tiberius Cæsar apud Tacitum: *Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quod sibi conducere putent: Principum diuersam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Et rursum:
Ibid. *Vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam: nam contemptu famæ, contemni virtutes*, Bene igitur Poëta:

Claud. 4. Ho. *Vile latens virtus: quid enim submersa tenebris*
*Proderit?*

Lib. 1. de Clem. *Cauere debet*, inquit Seneca, *qualem famam habeat, qui qualemcumque meruerit, magnam tamen habiturus est.* Hoc intellexit Epiphanius ad Theodoricum Italiæ Re-

gem:

gem: *Boni Principis mos est, cum virtutibus amare famam, & Regnum ita ordinare, tanquam* *Apud. Bar.*
*ad stirpis suæ posteros transiturum.* *sub An. 496.*

Veruntamen, sine fuco sectetur. quoniam quidem, ea demùm est rectissima ad famam, & gloriam via, si talis sis, qualis videri cupis. Vis veriloquium? *Non imaginibus* (ait ille) *& statuis sed virtute & meritis prorogatur.* *Pli. Pane.* Ac, vt insignis Reipub. litterariæ Senator Iul. Cæs. Scaliger quondam dicebat: *misera est foris Fama, nisi sit præsidium domi.* *Epist. ad Silu.*

Quinimmò, *magna est leuitas animi, magna vanitas, relicta propria conscientia, alienam opinionem sequi, & quidem fictam atque simulatam.* *D. Hier. Epist. 14.*

Primum igitur, *Conscientiæ fiat satis.* post illa, Famam (*quæ in nouis cœptis validissima est*) paret. *Laus enim & Caritas sunt vitæ sine metu degendæ firmissima præsidia*: Pulchrè S. Ambrosius: *Duo sunt tibi necessaria, Conscientia, & Fama: Conscientia propter Deum; Fama propter proximum*: quæ tamen moderata sit: cùm *magnitudo famæ plerumq; exitio sit.* Sed & partam seruet: *Nam multò deformius est, amittere, quàm non assequi laudem.* *Senec. 3. de Ira. Tacit. 13. an. Cic. 2. de fin. l. S. epist. 24. Ad Const. Tac. 3. a. 1.*

---

## EXEMPLA, NOTÆ, MONITA.

I. QVis altior fuit apud Romanos, & excelsior IVLIO illo CÆSARE? *Suet. c. 7.* quis naturâ ad res præclarè gerendas excitatior? Hunc legimus animaduersa in Gadibus (oppido Hispaniæ, in quam gubernandi caussa missus erat) *Magni Alexandri* imagine, ingemuisse, & quasi pertæsum ignauiam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ætate quâ iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuò efflagitauisse, ad captandas quamprimum in Vrbe maiorum rerum occasiones. *Obiit Alex. ætat. an. 33. Cic. Philip. 5.*

II. IDEM cùm per Alpes iter faceret, socijque itineris rustica mapalia, & pusillos illos pagos riderent: *Atqui* (inquit) *malim hic primus esse, quàm Romæ secundus.* *Plut.* Nempe vrebat illum gloria; quæ postea facem illi præbuit ad Imperium Romanum amplificandum.

III. Iam THEMISTOCLEM virtutum stimulis agitatum, inquietas noctes, & insomnes exigere solitum ferunt: quærentibusque quid ita eo tempore in publico versaretur? respondisse: *quia me trophæa Melchiadis de somno excitant.* Marathon nimirum, animum eius & Artemisium, & Salamis naualis gloriæ fertilia nomina illustranda tacitis facibus incitabant. *Val. lib. 8. Plut. Apoph.*

IV. IDEM Theatrum petens, cùm interrogaretur cuius vox auditu illi fuisset gratissima? *Ea* (inquit subridens) *quæ in laudem rerum à me gestarum canitur.* *Valer.* Quasi non satis esset laudem meruisse, nisi dulcedo etiam gloriæ famaque accederet.

*Indidem.* V. Memoratu iucundum istud: cùm ALEXANDER Thebanorum mœnia diruisset, *Phryne* meretrix pollicita est de suis impendijs reposituram, modò ciues paterentur hoc insculpi elogium: Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη: *Alexander quidem subuertit, sed Phryne restituit.* Hîc meritò quis dubitet, vtrum sit admiratione dignius, an quod scortum corporis vsura tantas opes collegerit, an quod tanto nominis amore teneretur, vt titulum tàm carè voluerit emptum: Nam vt præclarius est restituere quàm demoliri: ita speciosior fuisset laus *Phrynes* scorti, quàm *Alexandri* Regis.

*Lib. 5. ad famil. epist. 12.* VI. At multò laudabilius (vt ad Romanos redeamus) famæ & gloriæ desiderium M. TVL. CICERONIS: qui longâ epistola à *Luceio* ciue Romano enixè petijt, vt Catilinariæ coniurationis historiam seorsum ab alijs rebus ad propagandam nominis sui famam scribere vellet: neque abstinuit illud quoque deposcere, vt in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsóque viuente eam ederet, vt viuens gloria sua perfrui posset. Quod si ab illo non impetraret, scripturus erat de se, *multorum tamen* (inquit) *exemplo, & clarorum virorum.*

*Spartia. apud Barō. to. 2. Ann.* VII. In his annumeratur Princeps ÆLIVS ADRIANVS: qui magnâ diligentiâ rerum suarum historiam scripsit: & ne ei nominis sui inscriptio fidem adimeret, sub liberorum suorum nomine edidit.

*Plut. & Prob.* VIII. LYSANDER quoque Lacedæmonius, ductus & ipse gloriæ desiderio, Choerilum Poëtam semper circa se habebat, vt carminibus ea celebraret, quæ ipse armis atque virtute gessisset.

*Epistola eius extat. li. ep. Lipsij 2.* IX. Atque vt externis, & antiquis domestica, & recentia subnectam, IVL. CÆS. SCALIGER vir vt prosapia magnus, ita doctrina inter eruditissimos numerandus, tametsi nunquam adduci potuit, vt de se ipse historiam conscriberet, tamen non recusauit quo minùs *Paschalius*, Galliæ Regis historicus, res à se gestas ex præscripto (suo quod ille enixiùs petebat) monumentis consignaret. In quo vir sapientissimus (talis enim fuit) minùs est reprehendendus: quia *fama virtutem reddit illustriorem* (teste D. Bernardo) *tametsi non maiorem.* *Sup. Cant. ser. 10.*

*Bapt. Fulgos. lib. 8.* X. Ne Pontifices quidem (quos supra omnis gloriæ fastigium Deus extulit) ab affectu famæ abhorrere video: Nam LEO IV. dum vrbis Romæ partem, quæ cis Tyberim est, muro cingeret, ipse etiam famæ, ac nominis cupidus à suo nomine *Leoninam Vrbem* appellauit.

*Ibid.* XI. SIXTVS quoque IV. in porticu, quam à fundamentis instaurato sancti Spiritus Xenodochio, Romæ condidit, vitam suam resque à se gestas pingi iussit, pontemque, qui in Tyberi dirutus erat, restauratum à suo nomine *Sixtum* nuncupauit.

*5. de Repub. c. 4.* XII. Rectè igitur Bod. ex sententia, & Arist. & D. Thomæ Principem instituendum putat, vt solidâ veraque laude pascatur, in eaque sensim adolescat. Etenim ex vero est illud Poëtæ:

*fax*

——— ——— ——— ——— *fax mentis honesta* Principiũ animi ad gloriam extimulandi.

*Gloria*

Quâ si contentus non erit, non dubiè in deterrimum euadet: vtpotè qui quæret opes, ac voluptates, inde ad rapinas, & stupra animum conuertet. quod accidit *Dionysio* iuniori, quem pater in otio, ac delicijs ita educauerat, vt neque ex ergastulo in lucem prodiret, neque vllis omninò disciplinis imbueretur, nec veræ laudis gustum illum haberet. Itaque cum adulatoribus perniciosissimis tantisper voluptatibus indulsit, dum ex illâ tyrannide veluti ex carcere deturbaretur. Qui autem gloriæ cupidus erit, non modo infamiam, & vitæ turpitudinem fugiet, sed etiam intelliget verum decus in solâ virtutis actione versari; quâ quidem regat improbos, tueatur bonos, factaque fortium, ac sapientium laudibus, ac præmijs, cùm improborum ignominia sempiterna prosequatur.

*Duo tamen notanda laudem, & gloriam aucupanti.* Paranda maximè principiis rerum agendarũ.

PRIMVM, *vt illam formet initio rerum agendarum.*

Mirum enim quantum valeat ad res prosequendas secunda sui existimatio.

Docuit hoc DOMITIVS CORBVLO apud Tacitum, qui missus ad Armenias regendas, egregia mox facinora aggressus est, *vt famæ inseruiret, quæ in nouis cœptis validissima est.* Itidem AGRICOLA Taciti socer quem idem Tacitus scribit reb⁹ in Britannia sedãdus missum, statim *obuiã ire discrimini statuisse, cõtractisq; legionũ vexillis, & modicâ auxiliorũ manu, aciẽ erexisse; cæsaq; propè vniuersa gẽte, nõ ignarus instandũ famæ, ac prout prima cessissent, ferè vniuersa, Monã insulã redigere in potestatẽ animo intẽdit,* &c. *Li.13. Annal.* *In eius vita.*

A'LTERVM *est, vt non tantum in famâ, verumetiam in conscientia reponat, quæ Gloriæ fructus est, & honestatis.*

I. Quemadmodum DEMETRIVM PHALEREVM (quem *Cassander* Macedonum Rex Atheniensibus præfecerat) fecisse legimus. Nam cùm ob virtutẽ & præclarissima gesta trecentæ ei statuæ ab Atheniẽsibus erectæ fuissent, & post *Cassandri* obitum æmulorum inuidia in Ægyptum fugere compulsus, accepisset eas omnes disiectas esse, & in matulas per ignominiam conflatas, ridens ait: *Statuas quidem euertere inuidi potuerunt, virtutes autem & præclara gesta, quibus præmio imagines illæ exstiterunt, nunquã abolere poterunt.* Præclara vox & magno atq; erudito viro dignissima! Declarauit enim vera præmia à conscientia meritorũ præberi, quæ neque inuidiâ aboleri, neque lotio, aut ventris ingluuie inquinari possunt. Quò pertinet illud D. Augustini: *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Fama & gloria nõ extremo cortice assumẽda *Fran. Patrit.* è *Plutarch.* *Ep. ad Secundinum Manichæum.*

Denique, non est audiendus hic, vt plerisque in alijs, Machiauellus, qui ait abundè esse, si Princeps famam, & gloriam apud suos qualitercunque consequatur, etiam laruatenus, & ex inani virtutum specie. Religionem & virtutem vtilitate metiendas: si hæc adsit vel adfulgeat, illas conculcandas, profligandas. Nam licére Principi quamlibet in tempore religionem simulare, hæreticis arma, pecunias, viros suppeditare, fœdera cum illis facere, inter Principes vicinos discordias serere, & hæc prosint ne, an obsint, neutiquam curare, dum- *Lib. 4. de Principe.* Refutatur Machiauell.

Ratio status apud Machiauellum. dummodo per eiusmodi media perueniat ad suum finem. Atque hæc est Ratio status Macchiauellistica; quæ licet impia sit, & deterrima, sunt tamen pseudopoliticæ quidam farinæ homines, qui ambabus animi vlnis eam excipiunt; apud quos & Pietas, & Religio, & Virtus omnis fit nundinaria. Cùm enim adversarijs armorum pressuris vrgentur, nihil magis ad fallendos populos (verba sunt inclyti Annalium scriptoris Baronij) quàm Religionem Catholicam oretenus præseferunt, subque Catholico nomine delitescunt, donec quod cupiunt assequantur. Facti verò voti compotes, maiori impetu in damna Pietatis erumpunt. Sed qui cunctis præsidet rerum humanarum arbiter Deus, haud diutiùs patitur scelera ista inulta relinqui. Etenim, qui discernit cœlestis Regis, *appendens eos in statera*, digito tandem ostendit paratam ob oculos vltionem, cum repentè diù dilatum maiori fragore iræ suæ fulmen intorquet: Id quod insigni exemplo ANASTASII Imperatoris, eximio fraudium, & simulationum architecto, docet idem Baronius loco dicto. Itemque LEONIS Imp. Orientis altero exemplo, qui ipso sui Imperij exordio, quo sibi conciliaret omnium animos omnibus morem gerere studuit; verùm vbi habenas ipse Imperij iam securè possidere visus est sibi, rursum ipsos Orthodoxos persequi aggressus est.

*To.6. Ann. an. Chr. 516.*

*Daniel 5.*

*To.9. anno 773.*

Religionē Ethnici minus violabāt, etiamsi Dominationi expediret. Verum, hoc maiore censoria animaduersione digni sunt isti, quò videmus ipsos Ethnicos rationem status legi vel Religioni nequaquam prætulisse. Id quod L. METELLI Pontificis probari potest exemplo, qui *A. Posthumium* Flaminem eundemque Consulem vrbe exire ad bellum in Africa gerendum (ne à sacris discederet) non est passus: religionique inquit Valerius, *summum Imperium cessit.* Signanda est ratio quam subijcit: *Omnia namque post Religionem ponenda semper nostra Ciuitas duxit; etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitauerunt sacris Imperia seruire; ita se humanarum rerum velut curam gerere existimantia, si diuinæ potentiæ benè atque constanter fuissent famulata.* ô præclare omnia!

*Val. Max. li. 1. c. 1.*

*Plu. Themist.* Quinimmò, tantum abest, vt Religionis, & cultus Dei, quin nec Æquitatis limites transilirent Ethnici isti præ studio dominandi. Fidem facient ATHENIENSES, qui *Aristidi* dicenti, *Themistoclis* quidem consilium ex vsu Reipub. esse, at non cum æquitate coniunctum, extemplo respondit populus, *Nequaquam sibi tale consilium placere.* Ex quibus breuiter censuerim explosa Macchiauellistarum schola, diuinum ius nequaquam tollendum, aut dissimulandum, neque naturalem ipsam æquitatem labefactandam, multò minus Dei cultum eleuandum præ status, & Dominationis ratione.

## CAPVT VIII.

### *Atq; etiam populi caussa* Pietatem, *imbibat necesse est.*

PIETATEM eiusque fructum à *Virtute, & Religione* quadamtenus commendaui, & breuiter expressi; immò satis eius vsum ijs aperui quibus ipsa cordi est sui i-

sui ipsius caussâ. At quia hac tempestate non desunt qui haud fermè eam pensi habent, alio fine proponenda, commodi nimirum gratiâ, id est, ad beneuolentiam populi conciliandam: in quâ non mediocre consistit Dominationis arcanum. Nihil enim est vnde faciliùs amorem sui apud populum concitet Princeps, quàm per Pietatem. Hanc veluti Regnorum fulcrum egregiè imperatoris proponit Synesius: Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας: *Pietas primùm substernatur fulcrum, cui firmiter insistat simulacrum hoc Regni.* Imò, ausus gloriari Tullius, Romanos, *non calliditate aut robore, sed pietate ac religione omnes gentes nationesq; superauisse.*

*Orat. de Regno.* *Orat. de Arusp. respon.*

*Nempè, cetera virtutes admirationis tantummodò multam, Pietas verò etiam amoris meretur plurimum.* Itaque si non aliam ob rem, certe affectus causa ea sit à Principe comparanda: quippè, quia subditi sub tali Principe, faciles & obsequiosi ætatem erunt: siue quòd *omnibus amori sit pietas*; siue quòd viuere sub vnico, & pio Principe summa sit libertas:

*Val. Max. lib. 5. c. 4.* *Cic. ep. 15.*

*Nusquam libertas gratior extat,*
*Quàm sub Rege pio.*

*Claud. 3. Stil.*

Rationem Arist. affert: *quòd* nimirum *indigenæ minimè sperent aliquid iniustum ab eo Principe pati, quem religiosum, Deiq; verentem arbitrantur: minusq; in eum insurgent, qui Deum etiam habeat adiutorem.*

*Lib. 5. Pol. cap. 5.*

Cæterum, quia *oportet Principem moribus imperium docere*, subditis etiam Pietas instillanda (quod mox dicam) vt hoc pacto Principis imitatione, pij quoque ac temperantes euadant: *Plurimorum* quippè *hæc fertur sententia, id maximè ad disciplinam ciuilem instituendam attinere, vt ciues quoque benè moratos & temperatos exhibeant.*

*Dictũ Pietate apud Stobeum Cap. seq.* *Plut. Polit.*

Et verò, quid ab impio, & intemperante ciue expectes, nisi Impatientiam? at verò:

*Hæc perdit vrbes, turbat, euertit domos.*

*Sophocles Antigo.*

Cura igitur, ô Princeps, *vt cum ipse bonus atque strenuus sis, vti etiam quàm optimis imperites.* Siquidem, si incolæ malè morati sunt, inobedientia, vt dixi, sequetur: *quia pessimus quisque sic animo affectus est, vt asperrimè Rectorem patiatur.* E contrario, *vbi homines Deum colunt, Principibus obtemperare student*: quâ re quid maius assequi potest ad fœlicem Imperij procurationem.

*Sallust. ad Cæs. ora. 1.* *Indiden.* *Xenoph. 3. Rer. græc.*

Necessaria ergo Principi *Pietas*, constans quidem illa, & perpetua non temporaria, qualis quorundam, quorum *initia meliora sunt, sed finis inclinat.* idque humanæ mentis, proh dolor, infirmitate, *quæ cùm potentiam sibi ministram habet, difficile sibi moderatur, quasiq; frenos imponit cupiditatibus.* Vel denique hoc adspectu, quod *omnia prospera eueniunt colentibus Deum; aduersa spernentibus.*

*Tac. 15. annal.* *Herod. li. 1* *Liu. lib. 5.*

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

PLenæ sunt veteres historiæ, nedum recentiores, exemplis, quæ satis superque docent

docent Pietatem ad affectum & propitium sibi Numen conciliandum sanè quàm valere: vt contra Impietatem, odiū, & exinde perniciem potestatibus importare.

I. Haud scio, an illustrius pietatis exemplum, & vix hoc æuo imitandum, quam in RVDOLPHO Habsburgensi Comite, qui ob singularem, & cunctis notissimā mortalibus erga Augustissimū Corporis Christi Sacramentum pietatem ac venerationem, duodecim ex sua stirpe Cæsares reliquit successores, quos elegāti delineatos stylo Auberti Myræi quondā Decani Antuerpiēsis non pigebit referre.

XII. Cæsares Austriaci, qui à Pietate, & veneratione ergaven. Sacramētū magnitudinem familiæ suæ metiuntur.

Gens Austria, velut fato quodam ad Imperium orbis terrarum nata, duodecim continua penè serie Cæsares Augustos dedit, magno vniuersæ Reip. Christianæ commodo. Primus supremum istud honoris & gloriæ fastigium *Rudolphus*, Habsburgensis apud Heluetios Comes, anno partæ salutis 127 . familiæ suæ intulit, & gentem scriptis regnisque fatalem propagauit, Quo merito? in Dei Opt. Max. consulta inquirere nefas esse scio, nec faciam: sed non est inquisitio, quæ superiorum ætatum historici litteris consignarunt, commemorare.

Anno 1261. in modicâ adhuc fortunâ, & non nisi Comes Habsburgensis, multiplex veræ pietatis ac religionis studium *Rudolphus* prætulit: cui se cuturam decursu temporum magnitudinem vaticinia vocesque diuinæ adscripserunt. Venatū fortè die pluuio, & vijs fractis ac sordentibus, eques iuerat. Ecce Parochus sacrosanctam Eucharistiam extremum ægro solatium laturus, torrentis ad ripam, pedes occurit. Quo viso pijssimus Comes, non sine indignatione equo desilit, & *Me vehi*, inquit, *Te qui Saluatorem meum portas, pedibus incedere, indecorum sit atque impium. Conscende itaque, & equum hunc cape.* Paret Sacerdos, & præeuntem Comes, capite nudato, piè sequitur; atque ad humile ægri tugurium deducit. Sacerdos, ad templum redux, equum restituere cùm vellet, *Absit*, inquit, *vt illum ego equum conscendam, quem scio Dominum & Creatorem meum gestasse. Quod si præter merita, hæc tibi à me venire censes, Teq; adeò munere isto indignum, pios in vsus conuerte. Illi nempe ego dedi ac dicaui à quo mihi honores, opes, vita, & anima.* Parochus itaque munus admisit, & mente diuinitus monita, Comiti benè abeunte dixit, simulque Imperium orbis terrarum ipsi ac posteris prædixit.

Postero die *Rudolphus* ad *Farense* monasterium (quod inter Tigurum & aquas situm (Lindemago adiacet) se contulit, virginem sanctimonialem, propinquam & ætate grandem, inuisurus: quæ vbi eum vultu sereno excepisset, *At tibi ego*, inquit, *hesterno die Numen cœleste placatum beneuolumq; redditum denuntio, proq; pietatis ac liberalitatis officio, tibi, posterisq; tuis summum in terris honorem ac fastigium promitto. Perge porrò, atque vt cœpisti, viam insequere.*

Parochus verò postea, cùm *VVernero* Moguntino Archiepiscopo, & S.R.I. Electori à Sacris ac Secretis esset, crebros de *Rudolpho* sermones, non solùm apud herum suum, sed alios quoque Principes habuit, eius virtutes ac pietatem laudibus in cælum offerens. Quo factum, vt agente in primis eodem Electore Moguntino, Imperator anno 1273. renuntiaretur. Sic ferè ex Francisco Guillimanno lib. 6. Histor,

Hist. Habsburgicæ, ex antiquis & probæ notæ codicibus manu-scriptis, refert iisdem verbis Aub. Miræus Canoni. Antuerp. Alij ad Sueuicam Vatem, nonnulli ad Frederici II. Imp. Astronomum hæc referunt: quidam & somnio sequentis noctis (qualia non pauca, à Deo immissa, in sacris profanisque historijs legimus) Comitem ipsum diuinitus edoctum scribunt. Vt vt sit, res illa certa est ac rata, & fidem etiam ab euentis (quæ certissima vaticiniorum interpretatio) nunc habet. Itaque nemini mirum videri debet, Caluinianos, sectæ Berengarianæ propugnatores acerrimos, Serenissimam Familiam Austriacam (quæ vt Deo in primis magnitudinem suam debet acceptam; sic cultus eiusdem, in V. Sacramento, est studiosissima) tanto odio prosequi; quanquam frustra, irritoque semper conatu, Deo scilicet illam protegente.

Cæterùm, *Rudolphus* Cæsar creatus, Ottocarum Bohemiæ Regem potentissimũ bello vicit, & prouinciis, quas is stante Interregno occupârat, recuperatis. *Alberto* filio suo maiori Austriã, Stiriam, & Carniolã, *Rudolpho* natu minori Sueuiam, & *Mainhardo* Tirolensiũ Principi Carinthiam anno 1282. in comitijs Augustanis contulit. Obijtq; plenus gloriæ anno 1291. Spiræ Nemetum cõditus. Obseruatum à Gilberto Genebrardo in Chronologia, & alijs, Familiã Austriacam eo ipso tempore orbi Christiano diuinitùs datam, quo Ottomannica publico damno emersit.

*Rudolphum* secutus est *Albertus* I. filius, qui Adolphum Nassauium prælio victum, regno exuit, obijtque anno 1308. Spiræ itidem sepultus. II.

*Fridericus* cognomento *Pulcher*, Rudolphi nepos, Rex Romanorum, eo nomine Tertius, anno 1314. eligitur, & à Ioanne XXII. Papa confirmatur. Cum Ludouico IV. Bauaro collega anno 1325. transegit, vt pari vterque potestate imperaret. Obijt anno. 1330. conditus in Cartusia Murbacensi à se condita, apud Viennam Austriæ III.

Succenturiati deinde Luceburgici; quos *Albertus* II. Sigismundi Imperatoris gener, excepit: cui, intra vnius anni spatium, tria Regna, Bohemiæ, Hungariæ, & Romanorum, rarâ quadam fœlicitate, obtigerunt. viuere desijt anno 1439. Albæ in Hungaria. IV.

Exinde sobrinus illius *Fredericus IV.* cognomine *Longæuus*; sceptra tenuit, quo nullus Cæsarum, post Octauianum Augustum, diutiùs imperauit, quique postremus ex Germanicis Imperatoribus in vrbe Roma coronam Imperij accepit, Obiit anno 1493. Imperij 53. ætatis 78. V.

Reliquit is filium *Maximilianum* eo nomine Primum, qui Potentiam istam, toti hodie orbi formidabilem, in Austriam gentem transtulit, *Maria Burgundica*, Caroli Audacis filiæ matrimonio auctus. Dign⁹ profectò ea fortuna Princeps, vtpotè virtutibus, & animi magnitudine, itemque benignitate, cum optimis quibusque omnium sæculorum Principibus comparandus. Is filium reliquit *Philippum* cognomento *Pulchrum*, cui *Ioanna* vxor, Ferdinandi Regis Catholici filia, Hispaniam cum India, dotem attulit. Vita excessit Maximilianus anno 1519. VI.

VII. Maximiliano, in Imperio suffectus est ex Philippo filio nepos, *Carolus V.* vero elogio Maximus, cuius laudes leuiter hîc libasse, sit detraxisse.

VIII. Carolus porrò *Ferdinandum* fratrem, Ferdinandus filium *Maximilianum*, eo
IX. nomine Secundum, Maximilianus *Rudolphum II.* itidem filium, Rudolphus *Mat-*
X. *thiam* fratrem habuit successorem. Patrueli suo Viennæ anno 1619. die 20. Mar-
XI. tij defuncto, successit *Ferdinandus II.* Cæsar, à Septem-viris Francofurti congrega-
XII. tis, die festo S. Augustini, qui est 25. Augusti electus; cui prouincias omnes Austriacas, per Matthiæ fratris obitum ad se deuolutas, cessit Serenissimus Archidux *Albertus*, Belgarum Princeps; raro sane ac laudabili exemplo, si vniuersæ Reipublicæ Christianæ bonum spectemus, vt is spectauit.

Optimo itaque iure *Domus Austriaca*, *Romanorum Imperatorum* (quos nouem continuâ serie dedit, & plures, vt vouemus dabit) *parens ac nutrix*, frendente nequidquam inuidia, nuncupatur. Hoc præmium diuini cultus & Pietatis. Cui efflictim etiam addictus fuit idem Ferdinandus II. de quo notatum, recurrente tempore quo Christianorum Pietas ipsos octo dies Eucharistiæ colendæ ornandæque attribuit, nunquam ipsum à supplicationibus abfuisse: pedes, nudo capite, sola florea redimitum corona, facem dextrâ præferentem, quotannis Deo suo triumphanti famulatum esse. Accidit aliquando, vt diutiùs gestata face brachium, manusque vacillaret, adeoque intumesceret. Subsecutæ diei supplicationi interesse alteri cùm vellet, maleque affectum brachium è collo suspensum haberet, è Proceribus aliquis Cæsari à face ferenda ea die cessandum asseruit; at ipse: *Superest*, inquit, *adhuc manus altera quâ Deo seruiam.*

*Guliel. Lamormainus de Vir. Ferd. II.*

Insuper quando aut exeunti, aut redeunti in aulam occurrebat Sacerdos Eucharistiam deferens, Rudolphi I. imitabatur exemplum. Illicò venerabundus exiliebat curru, fixis etiam lutulenta in humo genibus Deum adorabat, Sacerdotem siue ad ægrotum ab Ecclesia, siue ab illo ad hanc euntem pedes prosequebatur. Græcij in Eucharistiam cùm incidisset, non modò Presbytero ad infimæ sortis hominem in suburbium properanti præstò fuit, sed ægroti etiam paupertatem mirificâ liberalitate erexit. Denique plurima illi in tanta Regnorum turbatione bellisq; difficilia & grauia cùm occurrerint, hoc habuit in omnibus solemne; ad præsentem diuini Numinis opem impetrandam, publicum Eucharistiæ cultum indicere. Itaque sæpissimè modò in vno, modò pluribus in templis ipsoque non rarò Aulæ sacello, Eucharistiam iussit publicè proponi, colique; Ipse cæteris vt præiret exemplo, integras ante illam horas deiectus in genua humillimè supplicauit Deo statas quadraginta horarum preces tribus ante diem Cinerum diebus in Societatis Iesu templis institui solitas, frequentauit quotannis, Deoque in Eucharistia tunc deseruijt profusiùs cùm alij voluptatibus indulgent liberiùs.

Ecce, quomodo cultus auitæ religionis ac pietatis iure quodam hæreditario defluxerit in inclytam illam stirpem Austriacam! cuius magnitudo à sola pietate & fide à maioribus accepta haud dubiè processit.

II, Cæ-

II. Cæterùm, liceat digredi ad alios vel luce Christianæ fidei orbatos, qui, censuêre Pietatem, Affectum, beneuolentiamque conciliare, quod vidit imprimis SEVERVS Imper. cuius hoc extremum extremi temporis quo naturæ concessit, elogium fuisse ferunt; *Turbatam Rempub. vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo: Senex & pedibus æger firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt, imbecillum, si mali.* Benè sentiebat Imper. prudentiss. Imperium haud diuturnum ei fore, qui virtutem relinquens, ad impietatem & deterrima vitia prolaberetur: *fortuna enim vt plurimum cum moribus immutatur,* vt Sallustius inquit. *Ex Spartia.* *Catil.*

III. Legimus PERVANOS reges quos vocabant *Ingas*, simulatque regionem aliquam armis subiugassent, distributis in partes tres vectigalibus, vnam Deorum cultui ac sacris cerimonijsque solitos dedicare: quòd sperarent Numinum beneuolentia tanto pietatis officio conciliata, facilius incolas sibi obsequentiores reddere, & porrò imperium suum amplificare. *Apud A. Costam Hist. Indor. lib. 6.*

IIII. Iure certè mirantur omnes singularem MENANDRI Regis Bactriæ pietatem, quâ sic suis vbique præluxerat, vt eo vita functo Ciuitates concertarint, quæ omnium esset quæ præ cæteris ipsum funeraret. Tanti fuerunt apud subditos optimi ac pij Regis Manes. *Bod. 2. de Rep. c. 4.*

V. Vt meritò celeberrimus ille ALPHONSVS Aragonum dixerit, eos demum magnifaciendos Principes, qui Pietatem atque Iustitiam probè excolerent, quippè in quo eæ virtutes fuerint, eius imperium æquo omnes animo patiuntur, illiusque moderationi sese etiam spontè subijciunt: siquidem verum est Comici verbum: *facile est imperium in bonos.* E contrario, si pietatem remoueris, *nihil proderunt exercitus,* teste Nicephoro, *equi, satellites, ensium vis, virorumq; innumerabiles copiæ,* quo minus in te imperiumque tuum insurgant. *Panor. 1. de Reb. gest. Alphon.* *Plaut. Milite.* *Lib. 14. c. 2.*

VI. Pulchrum in THEOPOMPO Lacedæmoniorum Rege elogium: cùm dictum esset, eo tempore benè Lacedæmonijs esse, quod benè regere Reges didicissent, respondit, id potiùs accidere quòd subditi parère didicissent, ostendens bonam populorum, & vrbium administrationem, non tam in Principum regimine, quàm in populorum obedientia consistere, quæ vt penes subditos sit, requiri Principis pietatem. Vt enim corpora inferiora motui cœlestium sphærarum propter naturæ nobilitatem volentes parent, ita libenter inferiores se Principi subijciunt, quem Pietatis & Virtutum radijs micantem vident. *Fulgos. lib. 7.*

VII. Hinc THEODOSIVS, moriens nihil aliud filijs mandauit, quàm vt veram pietatem integram seruarent: per quam eos asseuerauit pacem habituros, & bella sopituros, trophæaque excitaturos, & victoriam denique à Deo habituros. *Ex Nicep h l. 13. c. 1.*

VIII. Quâ si præditus fuisset MITHRIDATES Artabani primi Parthorum Regis filius, haud dubiè nunquam à suis Parthis circumscriptus & deiectus fuisset. Impietas, ruina Principũ.

IX. Quid? an non C. CALIGVLÆ apud Rom, impietas, cæteraque eius deterrima vita causam ei necis præbuerunt? *Ioseph. 18. c. 3. Strab. 16. Sueto*

*Idē Sueto.* X. An non VITELLII sæuitia summaque simul impietas, hostes eo adegit, vt minutissimis ictibus excarnificatum atque confectū vnco in Tyberim traherent?

XI. Quid NERONES, DOMITIANOS, & sexcenta eiusmodi monstra commemorem? ad nostros potiùs Principes, adeamus: etsi quomodo potiùs? nisi quod horum commemoratione cæteri Principes caueant, ne postea in hoc infamiæ theatrum ab Historicis producantur.

*Polid. Virgil.* XII. In quo lusit ludum, sed sibi pernitiosum, RICHARDVS II. Angliæ Rex: Is enim dum viuens reiectâ omni pietate, multis se flagitijs inuoluisset, quamuis eam conaretur falsis virtutum imaginibus tegere, ad extremum tamen ortâ rebellione, regnis exutus, summâ in miseriâ decessit.

*Idem.* XIII. Idem obtigit HENRICO VI. ijsdem simulationum vijs insistenti.

*Chapeauill. tom 2. Annal.* XIV. Quid verò de HENRICO III. Imperatore dicam? nunquid ille vulpis in morem versipellis, cuncta miscuit, cuncta perturbauit, & confudit, ac tandem spoliatus Imperio vitâ infœlicissimè migrauit?

Finis non esset, si huius generis exempla perquiram.

Principes in deterius sæpè mutari. Illud interea animaduerto, ingenito fieri vitio, an humanæ mentis imbecillitate, vt plerumque in principatu exerant se vitia, quæ priuata in vita occultabantur. *Initia Magistratuum* (ait ille) *ferè meliora sunt, sed finis inclinat.* vnde sequitur vnà cum motibus imperij inclinatio & auersio: id quod Polybius docet Hispaniarum exemplo, quæ eâ re, citò admodum iugum Carthaginensium excusserunt: *Nam aliter* (inquit) *censebant quæri imperia debere, aliter seruari; nec imbiberant eos optimè retinere dominia, qui in ijsdem institutis perseuerant, quibus ea initio sunt adepti. At verò illud clarum, testatumq; exemplis est, quod homines fœlicitatem assequantur pietate, benignitate in alios, & bona de se opinione. ijdem, cùm adepti quæ voluerant, ad iniurias & impotentiā in Imperijs dilabuntur, fit meritissimò, vt vnà cum imperantium mutatione, sibi subditi se, & affectus mutent.*

*Lib. 10. in fi. Tacit. 5. annal.*

Externis libentiùs, quàm domesticis aut vicinis vtar.

*Dio. Cass. Selin.* I. Clarum in NERONE exemplum, qui initio Imperij, hoc est primis quinque annis, adeò laudabilis & inculpatæ vitæ fuit, vt plerique, & in his *Traianus* Imper. dixerit *omnes etiam Principes longè à primo quinquennio Neronis abesse*, & tamen quibus & quantis postea flagitijs coopertus fuerit, nemo non nescit.

*Spartianus.* II. ANTONIVS CARACALLA adeò leni fuit animo in prima iuuenta, vt si quem ad supplicium duci videret, oculos in aliam partem, manantibus lacrymis auerteret. Is postea mortuo patre, immanis factus, sine caussa *Antonium Getam* fratrem, item Senatores, permultosque alios, crudeliter interemit.

*Baron. Tō. 6. annal. an Chr. 490.* III. Mirantibus quibusdam ZENONIS Imperatoris ingenium, è mansueto sæuum factum esse, *non mutauit* (inquit Leōntius) *naturam, sed in rebus secundis improbitatem declarauit.*

*Idem Baron. d. Tō. 6. an. Chr. 491.* IV. ANASTASIVS Zenonis successor, adeò ante Imperium virtute præstabat, vt in Circo totius populi acclamationem hanc audierit: *Sicut vixisti, ita etiam impera.*

*impera, Domine*; at postea ita aduersus est ab omni virtute, vt solutissimam vitam ageret, omnia raperet, magistratus venderet, delinquentibus denique non sine Reipub. damno ignosceret.

V. De Galba Tacitus: *Maior priuato visus, dum priuatus fuit, & omnium consensu capax imperij, nisi imperasset.* 1. Histor.

VI. In eadem classe Darivs, vt *cui erat mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumque fortuna corrupisset.* Q. Cur. lib. 3.

VII. Denique de Tryphone Iosephus: *Adeptus iam concupitam potestatem, non amplius dissimulare prauum ingeniū valuit, quod priuatus tegere conatus est, quò magis animos hominum sibi cōciliaret: quamprimum enim Rex declaratus est, absque persona Tryphonem agere cœpit.* 13. Antiq. c. 11.

Sed valeant Tryphones, Darij, & Anastasij, & id genus portentorum: nobis sermo est cum Christianis Principibus quos par est cum Rege Regum Christo magis magisque crescere & proficere sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.

Verùm, vt intra septa propositi capitis regrediar, sic statuo & concludo, Viro principi Pietatem ad affectum perquam esse necessariam. Non quidem illam nudam & otiosam, sed quæ sit amicta industriæ prudentiæque veste: Nusquam enim magis regnat improbitas, quàm sub Rege magis probo & facili, quàm prouido & prudente. Patet caussa: quia præualent tum adulatores, blaterones, mimi, cinœdi, ambrones, denique deterrimi quique à quibus inscio aut falso principe, venum exponuntur officia, siue ciuilia, seu ecclesiastica; immò ærarium ipsum in longè maximam subditorum captionem perditum itur; vnde sequuntur non tam prædæ, quàm laniatus per noua vectigalia & tributa, quæ fiscum per eiusmodi ambrones exinanitum explere debent. Pietatem solam sine prudētia non prodesse ad ciuilē administrationem.

Multis id probari posset exemplis, sed illustrioribus contentus ero.

I. Galba Romanus Imperator, non in pessimis habitus est, quippè qui multa dedit initio præsertim Imperij, egregij Principis documenta: seruis tamen suis & libertis *adeò se abutendum permisit & tradidit, vt vix sibi ipsi constaret, modò acerbior, parciorq́, modò remißior ac negligentior quàm conueniret Principi electo ac illius ætati*, &c. Quid quod præpotentes liberti (teste Tacito) cuncta venalia proponerent? seruorum manus subitis auidæ? &c. Sueton. c. 14.

II. Gallia sese offert: quam nullis temporibus ita commotam, & afflictam fuisse, atque regnante Carolo cognomento Simplice, testantur Gallorum historiæ. B. de Rep. c. 4.

III. Itidem Henrico II. regnante (qui ad pietatem, & naturæ bonitatem multis retrò sæculis sui similem habuit neminem) status eiusdem regni Gallicani penè euersus fuit. Vt enim erat omni bonitate affluens, ita nemini cuiquam quidquam petenti abnuebat: quò factum est, vt ingenti parentis pecuniâ exhaustâ, Sacerdotia, atque magistratus, vel indignissimis venderentur: tributa quoque

solitò grauiora, immò maiora quàm vnquam ante à condito regno Gallicano: & tamen constat morientem (factâ maximarum prouinciarum iacturâ) ordinem Quæstorium obstrictum in maximo ære alieno reliquisse. Sanè, si pietas, & innata bonitas huius Principis seueritati prudentiæque coniuncta fuisset, dubio procul hi abusus non irrepsissent, neque facilè quodlibet quisque ab illo elicuisset. Quis enim nescius est, prudentiæ proprium esse rerum, personarumque circumstantias solerter examinare, opportunitates percallêre, omnia denique ratione, atque consilio peragere? Hac igitur virtute ciuili, qui præditus non erit, Archiman-
*Lib. 4.* dritam potiùs, vel Anachoretam, quàm Principem agat. Etenim, *ille qui in vna Dei cognitione* (ait verè Nicephorus) *omnes cogitationes ponit, huic montes, & speluncæ conueniunt; at qui cum Virtute, & Pietate ciuilem etiam viuendi rationem edidicit, & notitiam sibi comparauit rerum variarum, ille verò populum ad optima ducere idoneus est.*

---

## CAPVT IX.

### *Denique, & hoc fine* Pietas *assumenda, vt subditi viuo quodam Principis exemplo pij beneque morati reddantur.*

*Xenoph. 1. Κυρȣπαιδ. Lib. 2.* ΑΡΧΟΝΤΟΣ γάρ ἐστιν, οὐκ αὐτὸν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀρχομένων ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονται: *Principem enim decet, non se bonum præstare dumtaxat, verumetiam pro subditis diligentiam adhibere, vt quàm optimi sint futuri.* At verò, quî hoc assequetur? Exemplo suo: si Paterculo credis, dicenti: *Rectè facere ciues suos optimum Principem faciendo docêre.* Populus enim Principem tanquam in excelso positum, inque clarissima luce versantem curiosè intuetur, obseruatque: adeò vt nec vnum, sed mille Argos habeat, & dictorum, & factorum suorum obseruatores atque præcones. Hinc studium imitandi seu virtutes, siue (malùm!)
*Apud Cic. 1. de Off.* vitia ipsa. *Quales enim in Repub. Principes fuerint, tales erunt & ciues.* Nihil verius:
*Paneg. Traiani.* Nam Plinio auctore: *Vita Principis censura est, eaq́; perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur; nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo.* Cui adsidet
*Paneg. Theodri.* alter Panegyricus scriptor: *Exasperat homines exasperata correctio; blandissimè iubetur exemplo.* Quid ita? quia *flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe; atque, vt*
*Plin. de paxeg.* *ita dicam, sequaces sumus.* Cur multis? *vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur in cætera membra.* Iure igitur ille: *Facilius est errare naturam,*
*Plin. lib. 4. Epist.* *quàm dissimilem sui Princeps possit formare Rempublicam:*

*Theod. Rex apud Cassad. 3. epist. 12.*

——— *Nam,*

——— *Componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus*
*Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*

Itaque,

Itaque, vel exempli contemplatione valdè expedit, vt *Virtutes tuæ nullo vnquam vitiorum confinio lædantur.* —— *Vt enim in corporibus, sic imperio grauißimus est morbus, qui à capite diffunditur.* Monetque Cicero: *Peccata Principum plus exemplo, quàm peccato nocère.* —— *Vitæ namque splendor, ac claritas, plerosque eorum qui proni, ac lubrici sunt ad peccandum; ad consimilem æmulationem inuitat.* Plin. paneg. Idem. lib. 4. ep. 22. 3. de leg. D. Basil. in Psalm. 1.

Neque latebras obtendas: *Quoniam quidem habet hoc primùm magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur. Principum verò, non modò domos, sed cubicula ipsa, intimosq; recessus recludit; omniaq; arcana, noscenda Fama proponit, atque explicat.* Plin. Paneg.

Quod ergò Seneca Principi suo, hoc tibi quisquis es Princeps dictum puta: *Tibi non magis quàm Soli latere contingit. multa circa te lux est; omnium in istam conuersi oculi sunt:* Atque hinc fit, vt *Tua facta, dictaq; rumor excipiat: & ideò nullis magis cauendum est, qualem famam habeant, quàm qui qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt.* ô notanda! Lib. 1. de Clo. cap. 8. Senec. d. c. 8.

## EXEMPLA.

I. Refert Athenæus PHILIPPVM MACEDONVM Regem pessimum rei suæ dispensatorem fuisse, nec ipsum tantum, sed & eius imitatione comites familiaresque omnes. Nullus enim citra exceptionem rectè viuere didicerat, aut modestè suam rem regere. Eius autem insolentiæ caussa rex fuit, qui sumptuosior iusto, omnia inconsulta facilitate donaret: Bellis enim militiæque assuetus, nunquam sustinuit accepti, & expensi rationes subducere, &c. Neque verò mirum fuit *Philippum* sui similes socios habuisse, cùm idem auctor referat, eum viros modestos rerumque suarum studiosos reprobasse; prodigos autem laudasse, & in honore habuisse. Li. 4. c. 20. de Suauiloq. & intemp. Lib. 6. c. 4.

II. Quàm dissimili ingenio optimus ille TRAIANVS! quem sic affatur Plinius: *Est quidem magnificum* (inquit) *quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac reuocas, sed magnificentius quod tuos. Quantò enim magis arduum est alios præstare, quàm se; tantò laudabilius, quod cùm ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.* Paneg.

III. NERO notior scelere, quàm virtute, nunquid fœdissimos suæ lasciuiæ habuit imitatores? habuit, si Tacito credimus, de ipso sic scribenti: *Otium foris, fœda domi lasciuia, qui itinera vrbis, & lupanaria, & diuerticula, veste seruili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus, qui raperent ad venditionem exposita, & obuijs vulnera inferrent aduersus ignaros, adeò, vt ipse quoque exciperet ictus, & ore præferret. Deinde vbi Cæsarem esse, qui grassaretur pernotuit, augebanturq; iniuriæ aduersus viros fœminasq; insignes, & quidem simili licentia sub nomine Neronis, multi proprijs cum globis eadem exercebant, & in modum captæ ciuitas nox agebatur.* Ita ille. Lib. 13. Ann.

IV. Hócne mirabitur quisquam? haud erit ACHILLES ille TITIVS: *Nam etsi,* inquit, *ad temperantiam aliquis benecomparatus est, exemplo tamen ad imitandum, trahitur, eoq; facilius quò nobilius proponitur exemplum. Nam pudor, qui à peccando reuocabat præstantioris alicuius dignitate loco pulsus, in licentiam commutatur.* Li. 1. Clitoph.

V. Eccè tibi in aliud exemplum ANTON. HELIOGABALVS, cuius æuo nulli Rectores prouinciarum reperti sunt qui virili mente, & virtute præessent: quia nimirum ipse Fœdissimus, & vanissimus erat, & præter imitationem, *eò* ille *vecordiæ* (inquit Herodianus) *prouectus fuit, vt omnes scenicos, artifices, ac Theatricos ad maximas imperij dignitates promoueret.*

*Lib. 5.*

VI. At eo è medio sublato, constat ALEX. SEVERVM, diuerso prorsum ingenio, omnia secundum bonos mores, quibus erat abundè imbutus, emendasse: Iurisperitosque & doctores, & prudentes ad consilij Aulæ, Senatus, & Prouinciarum administrationem euocasse.

*Herod. lib. 6.*

VII. Similia multa ab Ethnicis producerem, nisi meus me animus ad sacrorum scrinia penetranda hortaretur: E quibus prodit imprimis MARDOCHÆVS, qui cùm mortem sibi, ac omnibus Iudæis propositam multis cum lacrymis deprecaretur, eius exemplo Iudæi, quotquot regno erant diffusi, vlulatu complerunt omnia &c. Historia cum prolixa, tum insignis extat libro Esther.

VIII. SAVLEM pariter lego parcentem Regi Agag, contra scitum Dei, & melioribus ouibus, atque armentis pinguioribus, verùm populum etiam reliquum secutum esse Principis exemplum, docet me idem sacer codex.

*1. Sam. 15.*

IX. Quis nescit insuper, impium MANASSEM non solùm vitia concepisse, sed etiam in ciuitatem infudisse, dum eius impietatem maxima pars populi Iudaici, & ciuium Ierusalem imitatur?

*4. Reg. 21. 2 Paralip. 33.*

X. Rex autem IOAB, ait Iosephus, *à pristina religionis cura facilè desciuit, moxque & Principes populi consimilem in modum deprauati sunt, adeò, vt nihil antiquius haberent, quàm iuris, & iustitia contemptum.*

*Lib. 9. Antiq. c. 8.*

XI. Haud iniuria de suo æuo quæritur Lactantius: *Et quoniam mores, ac vitia Regis imitari genus obsequij iudicatur, abiecerunt omnes pietatem, ne exprobrare scelus Regi viderentur, si piè viuerent. Hic assidua imitatione corrupti, diuinum fas reliquerunt, & paulatim malè viuendi consuetudo, mos factus est. nec quicquam ex antecedentis saculi pio atque optimo statu remansit, sed explosa Iustitia, & veritatem secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem.*

*Et L. 4. Diuini Instit.*

XII. Denique, quanta vis insit apud subditos Regis exemplum, mirabili facto comprobauit FERDINANDVS II. Imperator, qui non ita diu mortalitatem cum opinione sanctitatis expleuit. Grassabatur in Imperio *Gustauus* Sueciæ Rex & victor, qui susque deque miscebat omnia. Vrbanus VIII. Pont. Max. vt Catholicæ Reipub. Deum placatum faceret, Iubilæum præcipuè Germanis concesserat: in eam rem indicta Viennæ fuit supplicatio ab Aulæ templo ad S. Stephani Cathedralem ædem. Hora supplicationis cùm adesset, copiosa cœpit effundi pluuia. Fuêre qui Cæsari suaderent à supplicatione vt abesset, cœlo scilicet grauiore ac pluuio: pernegauit. saltem curru veheretur: renuit. erant lutulentæ plateæ; per lutum incessit, è tectis & canalibus copiosus imber cadebat: contempsit, fluebant per compita riuuli, vt à ciuibus asserculi sternerentur transituro; transiuit, amictu

vili

vili manibus ſub pallio madido compoſitis, demiſſis in terram oculis; cùm pilei o-
ras vel limbum denſiſſimè ruens pluuia in faciem depreſſiſſet, ipſumque in collum
defluens imber penetraret. H c non ſilebo quod inclamauêre permulti eâ die, ea-
que ſupplicatione à FERDINANDO de Sueco triumphatum eſſe; eâ eius diei Cæſa-
ris humilitate fractam fuiſſe victoris Regis ſuperbiam. Certè non ita diu poſt in
ipſo conflictu glande plumbeâ traiectus occubuit.

XIII. Ex quibus omnibus liceat inferre, Principem diſſolutum ſi habeat po-
pulum, de ſe queri debere: Aut enim à ſua negligentia, aut à ſe neceſſario vitia in-
naſcantur oportet. Siquidem teſte Damaſceno, *Huiuſmodi principatus atque imperij* Opuſculo
*natura eſt, vt ſemper ſubditi, ad eos, qui rerum potiuntur ſeſe componant; eaq; amare, ac conſe-* de S. Bar-
*ctari ſolent quibus Principem delectari ſentiunt.* laam. cap. 13.

XIV. Æquum tamen non eſt vt prætermittam ALPHONSVM potentiſſi- Ex Pa-
mum illum Aragonum Regem. Is præclarè inquiebat, eos qui alijs præeſſent, tantò norm. lib.
priuatis hominibus meliores eſſe oportêre, quantò honoribus, & dignitate ante- 6. de Reb.
cellerent. Sentiens tum demùm ſubditorum mores rectè formari poſſe, ſi hi qui- eius geſt.
bus Reip. gubernatio commiſſa eſt, vitæ inculpatæ exemplo præcedant, & viuum 2. de Ex-
ſint exemplar omnis virtutis. *Sicut enim boni Principis vita*, ait Egeſippus, *probitatis* cid. Hieroſ.
*quædã præſcriptio, & per vniuerſos viuẽdi forma eſt ita Imperatoris colluuio, lex flagitiorum eſt.* c. 5.

XV. Et ſanè, *qua fronte* (aiebat Imper. BASILIVS ad filium) *eos qui tuæ domina-* Cap. 19.
*tioni ſubiecti ſunt, ad pudicitiam, ceteraſq; virtutes ſeruandas cohortaberis, ſi eas ipſe non ſer-*
*uaueris? nam quæ facientem te viderint, eadem quoque permitti ſibi facere interpretabuntur:*
*ſolent enim ad exemplum Principis, mutari ſubiecti.*

XVI. Quo adſpectu ALPHONSVS paulò antè memoratus, diſceptantibus Panorm.
Aulicis de vita moribuſque Principum, dixiſſe fertur: *Veluti ad Solis motum, ita po-*
*pulares ſemper vertuntur, atque conformantur ad Principum mores.* Nam quod à Princi-
pibus vulgus conſpicit factitari, plerumque ſolet imitari: facta enim Principum
mandata videntur. Heliotropij inſtar ſunt ſubditi, qui vt herba illa ad omnem So-
lis motum caput ſuum circumfert: ita illi ad Principum mores lubenter ſeſe com-
ponunt.

XVII. Aliud exemplum adferri poteſt FRANCISCI Galliarum Regis, & Bod. in Re-
MANSORI cognomento MAGNI Africæ Imperatoris? qui ſimulatque litteras & pu.
litteratos in pretio habuêre, mox nobilitas, atque adeò plebs ipſa, ſic humaniori-
bus litteris addicta fuit, vt nullum ſæculum legatur feracius virorum in qualibet
ſcientiâ & facultate præſtantium.

XVIII. Denique, conſimilis imitatio fuit IOSINÆ, Scotorum Regis. Is e-
nim cùm medicorum, atque chirurgorum familiaritate delectaretur, breui reli-
quâ nobilitate in mores Regis ductâ factum eſt, vt multis ſæculis nemo eſſet in
Scotia illuſtriore natus loco, qui vulnerum curationem non teneret. Ideoque Au-
ctor hiſtoriæ Scoticæ *Iacobum* IV. Regem Scotiæ commendat, quod è vetuſtâ gen-
tis conſuetudine vulnera ſcientiſſimè tractare ſciret.

Lib. de Magist. Franc.

XIX. Postremò, LVDOVICVS XI. Galliarum, cùm *Carolum* filium, fortasse propter valetudinis imbecillitatem (vt Vincent. Lupanus scriptum reliquit) scire latinè vetuisset præter vnum illud: *Nescit regnare, qui nescit dißimulare.* Nobiles Galli ita consilium Regis interpretati sunt, vt multo tempore nullum non genus litterarum contempserint, donec Guilielmus Bellaius, qui non minùs honestis studijs & eloquentiæ, quàm militiæ gloria nitescebat, liberales disciplinas è tenebris eruerit, quas nequaquam officere nobilitati, Gallos intenso studio edocuit.

Minuta etiam subditos æmulari.

*Porrò, non tantum* in moribus, maioribusq; rebus, *Principes sui imitatorem habent populum*, sed etiam in minimis factis. *Vin' exempla? age, sume aliquot è sexcentis.*

Val. Max. 9. c. 1.

I. ANTIOCHVM Syriæ regem luxuriosissimorum milites imitati sunt aureis clauis crepidas subnectentes, argenteaque vasa ad vsum culinæ comparantes, & tabernacula textilibus sigillis adornantes.

Tacit. 14. Annal.

II. SABINA POPPÆA (cui cuncta alia fuêre præter honestum animum) ad insaniam vsque à *Nerone* adamata, capillos habuit succinei coloris, quos *Nero* crebris sermonibus laudabat: inde factum, vt puellæ omnes Romanæ, itemque Italicæ colorem eiuscemodi in capillamento suo fabrefacto vsurparent.

Bellefore-tius Hist. Gallic.

III. In FRANCISCO I. Galliæ Rege notatur cum accepto vulnere comam posuisset, primùm ipsam nobilitatem, mox cæteros crinium syluam, quæ ante cædua non erat; detondendo, Regis imitatione, resecare cœpisse.

Qu. Curt. & Panor.

IV. Adhæc, salsum & ridiculum est, quod narrant de AVLICIS *Alexandri Magni* & ALPHONSI Arragonum Regis celeberrimi. Cùm enim vterque obstipus esset, ille quidem à naturâ, hic prauo habitu, aulica gens cœpit imitari eorum habitudinem: adeò vt nullus esset paullò honestior, qui non detorto collo incederet. Nunquid vani homines & mastigia digni? Verùm, hoc excusatus, rebantur quod istud obsequij specimen gratum fore Principibus putarent: in quo grauiter hallucinabantur, cùm sæpenumero Principes tædeat tàm proiectæ seruientium adulationis.

Lib. 6. Deipnosoph.

V. Nectamus postremò, quod de DIONYSII familiaribus scribit Athenæus: *Ii*, inquit, *quia Dionysius minus oculis perspicax esset, inter cænandum obtusè cernere se fingentes, apposita fercula tanquam visu non discernerent, temerè contrectabant, quoad manus Dionysium ad patinas perduceret.* At de his satis: ex quibus luce clarius est, Principum vitam, instar esse speculi, quod quotidie subditi intuendo sese ad instituta atque mores ipsorum conformant, siue ij probi sint, siue mali. Vt Solis defectio magnorum motuum plerumque argumentum trahit: ita Regum errores etiam mediocres magnam rebus humanis perturbationem afferre solent, vt dictitare solebat *Carolus V.* Enimuerò, si nullam aliam ob caussam, certè hac contemplatione à sequiore vita Principes abstinere par esset, quòd eorum facta nullis latebris occultentur, nullis tenebris inuoluantur; si Claudiano credimus, sic Cæsarem alloquenti:

Hoc

*Hoc te prӕterea crebro sermone monebo,* 4. Hon. Cons.
*Vt te totius medio telluris in orbe*
*Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse*
*Facta palam, nec posse dari regalibus vsquam*
*Secretum vitijs: nam lux altißima fati*
*Occultum nihil esse sinit, latebrasq; per omnes*
*Intrat, & obstrusos implorat fama recessus.*

Quibus aureis versibus congruunt hæc Xenophontis: *Neque enim*, inquit, *vos Dÿ in tenebris operiunt, sed opera vestra necesse est semper in propatulo esse apud omnes: quæ si pura & sine iniuria appareant, reddent vos inter omnes homines potentißimos. Sin, si quid iniusti inter vos inuicem cogitabitis, fidei dignitatem apud omnes amittetis.* Lib. 8. Cyri.

## CAPVT X.

### *Porrò, nihil est quo magis ad* Virtutem *informetur animus, quàm* Doctrinâ. *Propterea Principes (quibus sit Virtus cordi, esse autem omnibus debet) tradant filios* Doctoribus *erudiendos; sed,* qui moribus primùm, deinde facundiæ præstent.

l. 7. C. de Profess. lib. 10.

EQVIDEM non inscius sum, heroicas præsertim ac generosas mentes, ad propriam cuiusque naturæ Virtutem vltrò prouocari, verùm nisi doctrinæ quodam vapore irrigentur, tantum abest vt quidquam honesti producant, quin quidquid in illis erit natiuæ virtutis, vel in ipsis incunabulis statim exstinguetur, vel sensim euanescet. Quemadmodum enim,

*Fertilis aßiduo si non renouetur aratro* Ouid. de Trist. E-led. 12.
*Nil nisi cum spinis gramen habebit ager:*

ita prorsus humanus animus, nisi liberalibus studijs excolatur, nimium quantum senticosus redditur; adeò vt nullas aut certe exiguas laturus sit optimæ Virtutis fruges.

*Quomodo scintillam si flante adiuueris ore,*
*Continuò magnas elicis inde faces:*
*Insita sic animus virtutum semina, cùm quis*
*Excitat, vbertim luxuriare solent.*

Quare haud immeritò saniores semper iudicarunt, Principem ineunte mox pueritiâ, tradendum Præceptoribus erudiendum. Nam vt antiquus etiam ille doctor inquit, *tametsi Virtus impetus quosdam à natura sumat, tamen perficienda doctrinâ est.* —— *Vt enim aspectus à circumfuso aëre lumen accipit, sic animus à disciplinis liberalibus.* Quintil. li. 12. c. 2. Diog. Laert.

Graphice & explicatè Seneca: *Omnibus*, inquit, *natura fundamenta dedit semenq; virtutem; omnes ad omnia ista nati sumus: cum irritator acceßit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur.* Irritator iste Doctrina est, & Eruditio litterarum, quæ *naturam* Epist. 108.

*Cassiod.10. Var.ep.3.*

*laudabilem reddit ornatam. Ibi prudens inuenit, vnde sapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animus virtute roboretur: inde Princeps accipit, quemadmodum subditos sub æqualitate disponat.*

*Lib.1.de re milit. Senec.de Breu.vitæ c.13.*

Hinc ex vero Vegetius scribit: *Nullus est quem oportet vel plura vel meliora scire quàm Principem, cuius doctrina potest omnibus prodesse subiectis.* Doctrinam tamen intelligo seriam, altam, vtilem, *Nam de aliis inutilibus nemo dubitabit quin operosè nihil agant, qui in litterarum inutilium studiis detinentur.*

*Senec.epist.88.*

Addo etiam modum in illa ponendum: *Plus enim scire velle, quam sit satis, intemperantiæ gens est.*

*D. Ambr. li.de Virg. Boet.de Disc.schol. Plut. de liberis educ.*

Cæterùm, quia *primus discendi ardor, excellentia est magistri*, omninò videndum, quibus Præceptoribus, Principis tener animus committatur; ne nimirum hominibus maculosis: quoniam, *nulla res discipulo tàm pernitiosa, quàm vita magistri contumeliosa.* —— *Inquirendi itaque filijs Præceptores, quorum vita nullis obnoxia criminibus, irreprehensi mores & optimum experimentum.*

*Antigo. apud Diog. lib.7.*

Ac sanè, an non consequens est, optimus ille vt sit morum magister, qui nedum Principis, sed etiam populi quodammodò dux est, & magister? Nam, *qui Regem erudit, atque ad virtutem instruit, certum est eum quoque subditos ad sapientiam instruere atque docere.*

*Senec.epist.88. Virg.in Æne. Arist.3. Polit. 2.de Orat. Plut. Thimoleon.*

Verùm, quibus artibus potissimùm Principem suum instruet? Velim à Grammatica imprimis, exin in Rhetoricis, demùm Historijs erudiri: per illius enim præcepta eloquentiæ traduntur; *quæ Principibus maximè ornamento est*: quippè quæ —— *regit dictis animos, & pectora mulcet.* per istas autem quia earum cognitione, Prudentiâ (*Imperantis propria & vnica virtus*) maximè comparatur. Nam historia, si Tullio credimus, *Lux est veritatis, magistra vitæ.* Rectè magistra: quia docet ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον: *tanquam in speculo ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes.*

*Plaut. Pœnit.*

At verò, quia modus est in omnibus adhibendus, (nam vt Comicus inquit —— *nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se*) etiam in doctrinâ, quam proponimus, moderatio adhibenda: vt ne nimiopere in eius inuestigatione immergatur, sed hactenus hauriat, quatenus opus sit ad vsum & bonam mentem. Studuisse, quàm studere Regem addecet.

*Senec.de Breu. vitæ c.13. Hipp. apud.Athenæ. Laert. Epist.88.*

Veriloquium est,

Πȣλυμαθημοσύνης οὐδεν κενώτερον ἄλλο.

*Vanius haud quidquam, quàm scire & discere multa.*

Ego cum Aristippo, *non qui plurima, sed qui vtilißima legerint, doctos autumo.* Et cum Seneca, *Plus scire velle quàm satis sit, intemperantiæ genus esse.*

*Apud Tac. 4.Hist. Li.2.Hist.*

*Heluidium* illum *Priscum* adolescẽs Princeps imitetur, qui *illustre ingenium altioribus studijs iuuenis admodum dedit: non vt plerique, vt nomine magnifico segne otium velaret, sed quò firmior aduersus fortuita Remp. capesseret.* ô eximiam mentem, & regiâ maiestate dignam! & tales multi apud Athenienses, quosque ita gloriari solitos Thucydides refert:

refert: φιλολογοῦμεν μετ' εὐτελεί , καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας: *Elegantes sumus, sed cum parcimonia; & pholosophamur, sed sine mollitie.*

Consonat illud Poëtæ:

Ο χρήσι χ' εἰδὼς οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς σοφός:
*Qui vtilia nouit, non qui multa, sapiens est.* *Æschilus.*

---

## EXEMPLA, *cum* NOTIS.

VErè dixit, sensitq; M. Cicero, *esse ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem,* inquit, *simul atq; editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continua prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur, vt planè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.* *Li. 3. Tusc.* Quibus alludunt ista Platonis: *Educatio & institutio commoda bonas naturas inducit: & rursum bonas naturas, si talem institutionem consequantur, meliores adhuc & præstantiores euadere scimus.* *Dialog. 4. de Rep.* Ergò diligenti institutione, atq; doctrinâ, vitia sensim surrepentia à teneris euellamus necesse est; si non, postea nouâ luxurie, tota ætate diffundi velimus.

I. An non vidit hoc PHILIPPVS ille Macedonum? vidit quidem quem constat *Alexandrum* filium sæpiùs hortatum, vt auscultaret Aristoteli, cui traditus erat instituendus, daretq; operam Philosophiæ: *Ne,* inquit, *multa committas, quæ me fecisse nunc pœnitet.* *Lycost. ex Plut.* Eundemq; sic Aristoteli scripsisse ferunt: *Gratias ago Dijs, non quia natus est mihi filius, sed quia temporibus vitæ tuæ natus est: Spero enim fore vt à te edoctus dignus existat & nobis, & tanto regno.* Perspexit egregius Princeps, neminem Philosophiæ, & bonarum artium expertem, regno idoneum esse; nec puduit fateri, se multa per errorem fecisse perperàm, quod à teneris vnguiculis Philosophiæ, & humanitatis præceptis non fuisset imbutus. Nam qui experimentis discunt administrare regnũ, licet ingenio fœlicissimo nati sint, tamen & serò & magno Reipub. malo tandem euadunt boni Reges. At, qui honestis studijs & Philosophiæ præceptis præmuniti accedunt, si adsit mens integra, vix poterunt ab honesto deflectere.

II. AVGVSTVS Cæsar qualis quantusque fuerit nemo non nescit: hunc autem Athenodoro magistro operam dedisse, suosque ex filia nepotes tàm litterarijs quam bellicis studijs excoli curauisse, sciunt qui res eius gestas legerunt. Suetonius auctor est eum *eloquentiam studiaque liberalia ab ætate primâ cupidè & laboriosissimè exercuisse. Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse & scripsisse & declamasse quotidie traditur.* *Cap. 84.*

Verùm obiicient nonnulli: Liberales disciplinæ, vires, ac robur adimunt; mẽtem, ac animum ad timorem, & ignauiam traducunt. *Nobiliũ quorundam obiectio.* Vani & stolidi! Non legistis Senecæ decretum? *Et si magis refert nostra, fortiores fieri,* inquit, *quam doctiores: tamen alterũ sine altero non fit. Non enim aliunde animo robur venit, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ.* Quod ita verum scito (inquit Belgicus noster Seneca I. Lipsius) si doctrinam, non hanc mollem, & amœnam solum intelliges, quàm Φιλολογίαν haud malè appellamus; sed virilem magis illam, & robustam, quemque Φιλοσοφίαν *Epist. ad Pollionem.*

ιαν propriè indigetamus. Illâ enim solâ, tantum abest, vt tutum securumque te præstet, inter hos vitæ fluctus: vt moneat sæpè excitetque in ambitioso animo nouas cupidinum tempestates. Itaque, vt nautis solitarium Helenæ sidus non placet: non item mihi ista. Gemini illi sunt, qui cùm apparuêre, tranquillitatem nautis nunciant: tibi hæc duo si, iunges.

*Herodian. 1.* III. Laudabile igitur MARCI Imperatoris institutum, qui *Commodum* filium magnâ diligentiâ curâq; educauit, accitis vndiq; Rhetorum Philosophorumque clarissimis, quibus maxima congiaria pronunciauit, vt ijs allecti, mores pro se quisque filij hisce altioribus studijs disciplinisque diligenter excolerent.

*Plut.* IV. ALEXANDRVM MAGNVM, qui belli gloriâ præfulsit, Aristoteli plurimos annos operam dedisse diximus, sed eius laudatissima vox celebratur ad nobilissimum hunc Philosophum: *Malle se doctrinâ, quàm Imperij magnitudine cæteris antestare.* quippe sentiebat vir verè magnus, doctrinam etiam atque etiam ad mores, & judicij vim valêre, iuxta illud Comicum:

Διπλῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα:

*Menäder.* *Vir litteratus duplo acutius videt.*

Sed res est testis, quanti illi fecerit disciplinas: Nam *Aristoteli* satagenti scire animalium naturam, suppeditauit aliquot hominum millia, qui ex venatu, aucupio, piscatione bestias cuiuscunque generis deferrent, inspiciendi contemplandique gratiâ. Hinc optimi illi libri de animalibus ab eodem Arist. elaborati, in quibus cunctorum animalium, vitam, mores, generationem, partus, cubilia, pabula, ætatem descripsit: quod fieri non potuisset, nisi summa Regis liberalitas (at quæ? *octingenta talenta* fuerunt, hoc est *quadraginta, & octingenta millia Philippicorum* siue ducatonum Florentin.) in comparandis alendisq; omnigenis animalibus subuenisset.

*Diod. Sicul.* V. ÆGYPTI autem REGES valdè prædicantur, quòd litterarum cognitione atque dignitate cæteris egregiè antecellerent: imò haud quisquam superioribus sæculis in laude, & gloriæ dignitate habebatur; qui non præclare informatus esset Ægyptiacâ disciplina, ad quam per discendam Orpheus, Musæus, Melampus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Pythagoras, Plato, Eudoxes, Democrates, Euripides, alijq; permulti incredibili litterárum studio inflammati accesserunt.

*Herod. & Xenophon.* VI. Iure ergò laudandi PERSÆ, qui à prima statim ætate, quæ disciplinarum capax est, Regum suorũ vitam optimè instituunt, adhibitis præter litterarum magistros, quatuor viris optimis: quorum primus est prudentissimus, qui Dei cultum docet: alter iustissimus, identidem commonefaciens, vt in omni vita Rex veritatem atque æquitatem custodiat: tertius temperantissimus, vetans, ne voluptatibus seruiat, sed liber viuat vti Regem decet, omnium indecentium cupiditatum ardore restincto: quartus denique fortissimus, qui fortia, & egregia clarissimorum virorum facta commemorat. Digna sanè imitatione hæc Persarum Regia educatio. Sed quid? flocci ista apud plerosque hodie existimantur: pluris venatio, aucupium, & eiusmodi oblectamenta nullius vsui profutura.

VII. Lon-

VII. Longum esset singulas orbis nationes subijcere. Romanis contenti erimus. Satis autem constat, nullum Imperatorem propè factum, qui non minus politiori humanitate, quàm belli gloriâ cæteris antestaret. An non C. *Iulius Cæsar* Apollonium Molonem optimum dicendi magistrum, *Augustus* Apollodorum Pergamenum, *Tiberius* Theodorum Gadaræum, *Mæcenas* Arium, alij alios habuere? Quo factum est, vt omnes isti, præter Vespasianos, Traianos, Pios, & Marcos Antoninos, Alexandros Seueros, Aurelianos, Tacitos, omnes benè litteris tinctos, & si de religione Christiana malè meritos, incredibili felicitate, & gloriâ imperitarint. Nec id quidem mirandum. Iuuabantur enim ad res expediendas doctrina quę quidem heroicis iuncta mentibus, quantum promouendis atque gerendis rebus valeat, non satis dicendo explicari potest. Quod contra accidere videmus in Principibus illiteratis. Est enim incredibile dictu, quàm multa hinc oriantur incommoda. *Nam quia toti ab aliorum arbitrio pendent*, (inquit Cominæus) *neque per se quidquam ipsi gerunt, nascuntur factiones, diuiditur populus, Senatus, Imperij proceres. Inde bellum nascitur, atq; ex bello rerum penuria, quam excipiunt deinde morbi, & varij generis ærumnæ. Iustam igitur & doloris, & querimoniæ causam habet populus, cùm sui Principis liberos videt malè institui, & ab hominibus vitiosis educari.*

*Pessimū publicum à Principe illiterato.*

*Lib. 3. Cōment.*

VIII. Eapropter THEODOSIVS Imper. cum Arsenio viro doctissimo filios in disciplinam tradidisset, sempiterna memoria dignum, & verè Imperiale illud verbum prolocutus est. *Si tales se præbituri essent, vt mores vitamq; suam ad disciplinam, & leges Dei componerent, propensum se fore, vt ijs Imperium in manus tradat ad ciuium, & subditorum commodum, & vtilitatem accommodatum. Sin minus, conducibilius ijs esse, vt sic priuati vitam agerent, quàm doctrina nulla cum periculo imperarent.*

*Nicephor. lib. 12. c. 23. v. etiā lib. 14. c. 9*

Sed & illud memoratu dignum quod de eodem ex Metaph. narrat Baronius: Cùm quondam ingressus scholas vidisset THEODOSIVS ARSENIVM stantem, *Arcadiumq;* auditorem sedentem, indignatus est quod magisterij gradum parum decorè seruasset: cùm stans ipse doceret; *Arcadius* verò filius sedens addisceret. At verò cùm *Arsenius* se excusaret, diceretque haud decêre sedentem se docêre Imperatorem, indignatione ille commotus, abstulit ei Imperatoris insigne, sedereque in throno *Arsenium* compulit, filium verò detecto capite auditorem profiteri, illud inculcans, tunc prolem suam verè fore Imperio dignam, si cum scientia, æquè imbuta fuerit pietate.

*Tom. 4. Ann. an Chr. 382.*

IX. BASILIVS Imp. dum instruit filium suum Leonem, quem relicturus erat Imperij successorem inter alia saluberrima documenta, quæ veluti testamentarijs tabulis eadem tradidit obseruanda, istud non in postremis fuit: *Euoluere*, inquit, *nunquam cesses veterum historias.* Sciebat enim ex illarum cognitione magnam acquiri Principibus existimationem, præter prudentiam, quæ illarum luce mentibus hominum suffunditur.

*Barō. tom. 10. annal.*

X. Et vt excurramus ad recētiora, CAROLVS V. Galliæ Rex lōgè prudentissimus, dum valetudine perdita rebus humanis se non diu fore superstitem præsen-

*Froissardus.*

tiret, *Carolum* filium fidei fratrum suorum commisit, ac sedulò obtestatus est, vt melioribus disciplinis imbui curarent pectus filij omnibus imperaturum. Quod factum, bono filij, & publico: etenim, vt Princeps quidam Germaniæ liberius inquiebat, quid aliud est Rex illiteratus, nisi asinus coronatus? imò, quid aliud Rex auro, gemmis, fulgens, & renitens, nisi asinus comptus, & aureus?

*Card. Æn. Piccol. cōmēt. c. 34.* XI. Quod seriò quidem sensit, si seriò, IACOBVS Marchio Badensis: qui cùm sibi ad humanam fœlicitatem solâ literaturæ peritiam deesse angeretur, nunquam sustinuit, vt liberorum animus literarum ignorantiâ obscuraretur.

*Æmil. lib. 10.* XII. CAROLVS VIII. Gallorum Rex decimum tertium agens annum Patri Ludouico XI. successit: latinè scire illum vetuerat præter illud vnum: *Nescit regnare qui nescit dissimulare.* Ita amplissimi regni Rex sine litterarum præsidio ad alterius nutum regnum administrare coactus est.

*P. Matth. Hist. li. 6. Nar. 8.* XIII. CAROLVM etiam V. Imper. maximè pœnituit, quod non paruisset præceptori *Hadriano* Latinæ linguæ cognitionem commendanti, impensèque dolebat quod *Geuterio* à Latinis dehortanti morem gessisset: Et cùm Genuam fortè aduenisset, ibique elegantissimâ oratione à quodam Rhetore exceptus esset, in huiusmodi vocem cum gemitu erupit: *P. Iouius.* *Vtinam atque ter vtinam monitis Hadriani paruissem! iam non interprete, nec alias opus haberem.*

*Panorm. lib. 4.* XIV. Quàm egregium istud ALPHONSI Aragonum apophthegma! cùm audisset ex suis quendam Hispaniæ regem dixisse, non decere principes viros scire literas, exclamauit: *eam vocem bouis esse, non hominis.*

*Ibid.* XV. Idem ALPHONSVS aliquando interrogatus, vtrumne armis, an libris maiorem gratiam deberet? respondit, *ex libris se arma & armorum iura didicisse.* Indicans se à libris acceptum referre, quæ sciret omnia.

*Salust. Iugurt.* XVI. Vnde miramur nonnullos adeò proiectæ esse amentiæ, vt censeant dehortandos Principes à studio litterarum: *nisi vt in tantâ reignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem sui officij. Ita plerumque euenit, vt quem vos imperare iussistis, sibi alium Imperatorem quærat.*

Biblioth. à Principe instruendæ. XVII. Ideò Principes melioris notæ & litteraturæ, eam in otio Reipub. suscipere cogitationem solent, vt in publicum vsum bibliothecas libris omnigenis refertas instituant: vt EVMENES ille Attali filius, *a* qui maximis impēsis supra ducenta millia librorum conquiri & describi iussit. Ita à PTOLOMÆIS Regibus Alexandriæ septingenta fermè voluminum millia collecta esse A. Gellius scribit. *b* PISISTRATVS quoq; tyrannus, eodem Gellio auctore, *c* bibliothecam primus Athenis publicauit, quam Xerxes vrbe potitus ad Persas transtulit. PTOLOMÆVS PHILADELPHVS Rex Ægypti maximis sumptibus vndique conquisitos libros ex Autographis describi curauit. Olim Romæ 29. librarias officinas fuisse Iulius Victor scribit. *d* Quid veteribus illis insisto? an non CONSTANTINVS MAGNVS Imper. cùm superiores Imperatores plurimos libros exussissent, suis impensis bibliothecas omnes Constantinopoli instaurauit? quas quoque bibliothecas diligenter posteà

*a Alex. ab Alex. li. 2. c. 30. b Li. 6. c. vlt. c. d cap. vlt. d Gal. 3. Epid. Socr. li. 1.*

accu-

accurauit VALENS Imper. vt cōstat ex eius rescripto ad Clearchū eius Vrbis Præfectum: Antiquarios, inquit, ad bibliothecæ Codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos scribendi peritos, legi iubemus. Quæ bibliotheca in tantum sensim excreuit numerum, vt tricena & tria millia librorum contineret. Quid de FRANCISCO I. non tàm Gallorum, quàm omnium litteratorum rege & vindice? nunquid apud S. Victorem, neque non in arce Fontanablio, conquisitis ex media Græcia, atque Arabia infinitis propemodum libris locupletissimas instruxit bibliothecas? Taceo MATTHIAM CORVINUM Hungariæ Regem, qui Budæ bibliothecam similiter longè instructissimam instituit, neque dignam certè quæ ab impio Christiani nominis hoste, Vrbe capta, dissiparetur. Taceo denique NICOLAVM V. Pontificem Max. qui bibliothecā Vaticanam (quam Ill.[mus] Baronius *Promptuariū & ditißimum rerū antiquarū penu* solet appellare) primus omniū excitauit, splendidam quidem illā & minimè etiam idoneam, quæ sub aliquot lustra sedente Romæ Clemente VII. à libriperdis militibus Germanis atque Hispanis Vulcano traderetur. Instaurata tamen magnifice ab alijs Pontificibus, & præcipuè SIXTO V. & PAVLO etiam eiusdem nominis QVINTO litteratorum Mœcenati præstantissimo.

*L.1.C. Theod. de Stud. li.*
*Baro. To.9 Ann. An. Chr. 726.*

XVII. Quid, quod etiam dedecori summo sit Principibus imperitia humanioris litteraturæ? Nam scimus NERONI probro datum fuisse, quod orationem à Seneca emendicasset, quo die pro Rostris *Claudium* defunctum laudare debebat. *Adnotabant Seniores* (inquit Tacitus) *quibus otium est vetera & præsentia contendere, primùm ex ijs qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse. Nam dictator Cæsar summis Oratoribus æmulus, & Augusto prompta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, quâ verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens, vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata dissereret, elegantiam requireres.* NERO *puerilibus statim annis viuidum animum in alia detorsit. Cælare & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat.* O quam hæc illaudabilia in tanto Principe: quem sane decuisset animum applicuisse ad alteriora studia, quò (quemadmodum in Heluidio suprà diximus) firmior aduersus fortuita Rempub. capesseret.

Studia litterarū Principibus decori.
*13. Annal.*

Quænam igitur, quæres, ista studia? *Rhetorices* (quod diximus) *& historiarum*, quibus addo cum Polybio, *Astrologiæ* & *Geometrices*, quibus studiis Principem nostrum non tàm imbutum quàm tinctum velim: quòd mirum quantum ea valeant, ad bellicas expeditiones, vt præclarè deducit, exemplisque compluribus illustrat Polybius.

Rhetorices imprimis.
*Li.9. Hist. in prin. Lib.9.*

I. Legi AGESILAVM Lacedæmoniorum Regem, cuidam percunctanti quibus in rebus præcipuè pueri institui deberent? Hactenus respondisse, *ijs rebus quibus vsuri sint, cùm ad virilem peruenerint ætatem.* Rectè censuit, non friuolis artibus instituendos liberos (Principum præsertim) quæ nec grandibus decori futuræ sunt, nec ad seria vocatis, vtiles.

*Plutar.*

*In vita singulorū.* II. Notat Suetonius AVGVSTVM anno ætatis suæ duodecimo funebrem orationem in laudem Iuliæ auiæ dixisse. TIBERIVM nono idem funebre officium Patri suo pro rostris peregisse. CAIVM auiam suam adhuc prætextatum, hoc est puerili in ætate existentem, pro iisdem rostris laudasse. Nempe statim ab incunabulis, vt sic dicam animi eorum ad eloquentiam per eximios dicendi peritos formabantur.

*Baron. in An. Chr. 778.* III. Quod probè intellexit ALBINVS Caroli Magni præceptor (omnium Anglorum secundum B. Adelmum, & Bedam doctissimus) vtpotè qui *Imperialem animum* (quantum ab aulicis curis vacabat) *Dialectica, Rhetorica, ac etiam Astronomia composuit.* O vtinam Caroli, & Albini institutum ac studium imitentur Principes eorumque formatores! nempè vt disciplinis illis benè tinctos efficiant oratores verborum, actoresque rerum Phœnix apud Homerum inquiebat:

*Iliad.*

*——— ——— ——comes atque magister*
*Sum datus, vt præcepta tibi rerumq; bonarum,*
*Verborumq; darem: rebusq; vt fortis agendis*
*Esses, & verbis posses orator haberi.*

*Cap. 56. Mon. cuius meminit Baro. An. Chr. 886.* IV. Quin iungamus BASILII MAGNI monitum, ad filium Imperatorem futurum: *Per historias veteres*, inquit, *ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt; atq; illinc hauries, & bonorū virtutes, & improborū vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuersiones: mundi huius instabilitatem, & imperiorum præcipites casus. Et (vt verbo multa complectar) malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in diuinæ Iustitiæ manus incidas; hæc amplecteris, vt præmijs quæ ea comitantur, potiaris.*

Et rursum:

*Cap. 7.* *Vtere medicis animorum assidue, vt ipse animo valeas: ab iis enim discere poteris, quas res expetere: & à quibus abstinere debeas, quibuscum hominibus assuescere, & à quorum consuetudine abhorrere, & quomodo vitam totam dispensare oporteat, vt ne infrequentes morbos incidas. Si hanc institueris viam, ad solida germanaq; virtutis veros limites breui peruenire poteris.*

*Probitas in præceptoribus maximè consideranda.* Quod quidem postremum eò subieci, quò Principes, prudentissimi Imperatoris institutum æmulentur, vt non temerè omnibus, sed qui moribus & eruditione cæteris præstant, filios committant erudiendos.

*Plut.* I. Præclarè AGASICLI Lacedæmoniorum Regi cùm quidam diceret admirari sese, quòd cùm esset auidus discendi, non adiungeret sibi Philosophanem sophistam eo tempore clarissimum, respondit: *Eorum se velle discipulum esse quorum simul esset filius.* Significans non minùs interesse quos nactus sis parentes, quàm quos adsciscas præceptores.

*D. Hier. ep. ad Lætam.* II. Græca narrat historia ALEXANDRVM potissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus & in incessu *Leonidis* pædagogi sui non potuisse carêre vitijs, quibus adhuc puerulus fuerat infectus: procliuis est enim malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.

III. Atque illud quidem regiæ indolis vitium. At quale populi iudiciũ: LACEDÆMONII (inquit Val. Max.) *libros Archilochi è ciuitate sua exportari, iusserũt quod eorũ parum pudicam, ac verecundam lectionem arbitrabantur: Noluerunt enim ea liberorum suorũ animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingenijs prodesset.* Sic & apud Athenienses libri improbatæ lectionis igni tradebantur: quod exemplo Protagoræ, cuius volumina igni tradita fuerunt, Tullius docet. Deus Opt. Max. faciat, vt Principes omnesque Respub. illorum imitatione, omnes eiusmodi libros, vel alioqui hæreticâ prauitate aspersos, non tàm exterminent, quàm Vulcano tradant, atque adeò Auctores ipsos operum insigni opere censorio admoneant.

*Lib. 6. c. 3. V. Alex. ab Alex Genial. dier. 1. c. 25.*

*Lib. 2. de nat. Deor.*

IIII. Quo modo *Carolum V.* fecisse legimus, qui anno salutifero 1521. ex Senatusconsulto procerum Germanorum, nedum Lutherum, sed & libros eius perquiri, & palàm exuri mandauit: quod & ante eum alij Imperatores Christiani factitarunt, vt constat ex l. vlt. C. Theod. de Hæret. l. Arriani C. eod. tit.

*Guil. Zenocarus lib. 1. de Gest. Caroli.*

V. Et ex eodem genere FERDINANDVS II. Rom. Imperator decessorum vestigia suorum secutus, omnes ingenij neruos extendit in extirpandis editionibus sibi subiectis hæreticis, eorumque libris, vt testantur Prouinciæ Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, quas à labe sequioris doctrinæ prorsus expurgauit. Deindè, ex Bohemiæ regno, & Morauiâ, & ex vtraque Austriâ Acatholicos prædicatores omnes dimisit, Catholicosque suffecit, eò animarum prouentu, vt nonnulli absque temeritate se affirmare posse existiment. FERDINANDI zelo ac operâ, centies centena millia hominum ad Ecclesiæ Catholicæ gremium esse reuocata: adeoque FERDINANDVM omni iure posse ac debere harum Prouinciarum Apostolum dici, aut Apostolici Imperatoris cognomento donari. In Vngaria ac Silesia eadem reparandæ Catholicæ fidei iecit fundamenta, quibus etiam hodie strenuè FERDINANDVS III. paternæ æmulus pietatis superædificat: zelusque hic reparandæ Religionis eò euasit, vt cætera omnia commoda Catholicæ fidei tuendæ propagandæque posthaberet. Sæpè voce, sæpè scripto testatus est, suis se Prouincijs regnisque renunciaturum citiùs ac libentiùs, quàm scienter amplificandæ fidei occasionem neglecturum, malle solo pane, & aquâ vitam contrahere; malle cum coniuge ac liberis solo scipione instructum ire in exilium; malle ostiatim panem mendicare; malle in frusta concidi ac discerpi; quàm iniuriam Deo Ecclesiæque ab hæreticis in subditis sibi Prouincijs hactenus illatam diutiùs perferre. Siquidem non nescius erat Magnus Cæsar, nullâ aliâ re Principem scandali & impietatis maiorem præbere segetem, quàm si permittat aliam à Catholica coli Religionem, alioqui, si duas patiatur diuersas, reus apud Deum erit indeuotionis, imò nullius esse Religionis agnoscetur.

Porrò, addidi in extremo documentorum, ***modum in doctrina tenendum.*** Rectè: nam, ***vt omnium rerum*** (inquiebat Seneca) ***sic litterarum quoque intemperantia laboramus.*** Vitiosum est vbique, quod nimium est.

Modus in doctrina constituendus.

*Epist. 107.*

I. Gloriam, quam sibi vindicabat APELLES sequor, qui cùm Protogenis

*V. Franc. Patric. 1. de Reg.*

 opus

opus immensi laboris summæque curæ admiraretur, dixit, omnia sibi cũ illo paria esse, aut illo etiam meliora: sed vno se præstare, quòd manum ille de tabula tollere nesciret; qua ex re ostendit, nimiam diligentiam, anxiamque promouendi cupiditatem, non rarò nocêre.

*In vita Iul. Agricol.* II. Memoriâ teneo (inquit Tacitus) solitum narrare AGRICOLAM, se in prima iuuenta studium Philosophiæ vltra quàm concessum Romano, ac Senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. scilicet, sublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementiùs, quàm cautè appetebat: mox mitigauit ratio & ætas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

*Plut.* III. MENEDEMVS ETRIENSIS, cùm videret multos in doctrina, nec modum, nec modestiam tenêre, solitus erat dicere, plurimos nauigare Athenas studiorum gratia, qui primùm essent sapientes, deindè fierent Philosophi, tum progressu temporis euaderent idiotæ.

IV. Atque vt in vnum velut aceruum congeram plures Imperatores, qui ab *Ammian. lib. 22.* hac immoderatâ discendi cupiditate, sinistram de se opinionem concitârunt, ecce fama minùs secunda fuit, adeoque malè audiuit IVLIANVS DESERTOR (aliàs tamen magnus Imperator) tanquam Græculus litterio, & Philosophis nimiùm de-*Dio Cass.* ditus. Sed nec HADRIANVS extra culpam affectatæ supra modum doctrinæ. Peccauit pariter MICHAEL Ducæ filius Byzantij Imperator, qui docente Michaële Psello, ita totum litteris se dedidit, vt gubernatio rerum penes alios esset, & tur-*Zonaras.* piter Imperium dehonestaretur. Ego sanè cum viro clarissimo I. Lipsio, TRAIA-*Notat. Plin. Paneg.* NVM aliquem malim doctum leuiter, sed vigilantem; serium, quàm Principem otiosum. & in litteris deliciantem. Quanquam istum malim, quàm omni litterarum inscitiâ laborantem. *Nam varia & multiplex eruditio ferè semper retrahet Principem* (teste Cominæo) *à prauis, & illaudatis consilijs. Et quò quisque magis quid se deceat intelli-*  *Lib. 10. Comment.* *git, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officij: & etiamsi non omninò sibi temperet à maleficio, tamen ne planè modum excedat, cauet. Huc etiam accedit metus diuini Numinis. Quanta enim sit peccati magnitudo, & quantoperè Deus offendatur flagitijs, docti non paulò meliùs, quàm homines imperiti cognoscunt. Qui sunt igitur inerudìti Principes, quantum sit munũ quod acceperunt à Deo, non intelligunt, & ipsorum familiares, ne malam gratiam sibi concilient, dissimulant: vt ex omnibus fortè sit vnus, qui fideliter admoneat, is tamen suæ sententiæ nullos habet approbatores, ac ferè fit, vt ridiculus habeatur.* Præclarè & verè omnia prudentissimus Cominæus.

Mediocritas studiorum quatenus attendẽda. At verò, quam tandem designamus Principi mediocritatem? placet mihi I. Lipsij præceptoris mei iudicium, vt neque nihil, neque omnia discat: Nam LVDOVICVS XI. meritò reprehensus fuit, qui Carolum filium omnium bonarum artium rudem voluit, *ne esset* (vt aiebat) *in consilijs capiẽdis refractior, & tenacior sui sensus.* Et herclè hoc est assecutus. Nam illum iam Regem, duo tresvè homunculi, & ij

ex vilissimis, huc illuc pro suo arbitrio circumegerunt, cum magna subditorum indignatione, & damno. Ita amplissimi regni Rex, sine litterarum præsidio ad aliorũ nutum regnum administrare coactus est; quod tolerandum vtique fuisset, nisi Curiam suam mille fraudibus, & captionibus ignauiâ & inscitiâ impleuisset. Sed heu miseriam! Etiam hodierno æuo (quod de suo queritur idem Cominæus) sic complures instituuntur, quasi ad ludum, & iocum f[illegible]ci esse videantur. *In omni enim & cultu, & sermone nihil moderatè, prudenterq; faciunt: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis atque peritis, non patet vllus ad eos aditus; de negotijs aut suis, aut populi, non cognoscunt ipsi; sed in familiares omnia reijciunt, qui per hanc illorum ignauiam atque socordiam suas facultates insigniter amplificant, & hoc fere solum agunt. Si quis est aliquando, qui forte tanquã ex veterno expergefactus, animum rebus gerendis adijciat, hoc serò admodum fit, amissis propemodum occasionibus. Certum enim est eos, qui in vlla re vnquam excelluerunt, maturè puerilibus annis ad eam rem accessisse. Totum hoc consistit primum in beneficio Dei: proximè in educatione.* quam quanti referat probis, doctis, & prudentibus præceptoribus committi, non ratio modò dictat, sed & vsus suadet. Quis non videat MAGNVM illum ALEXANDRVM in virum pacatissimum euadere potuisse, si feruidam illam iracundiam atque insolentiam præceptores eius cohibuissent? Quis non sciat MICHAELEM III. Orientis Imperatorem laudabilem, & idoneum Imperio futurum, nisi virtutis eius indolem deprauassent Pædagogus, & *Barda* frater *Theodoræ* Augustæ? Duobus enim istis tanquam omnium scelerum biga vectus Imperator, redditus est temporibus istis nouus Nero, illo non inferior nauigandi arte, nec libidine impar, sed prodigalitate persimilis atque sæuitiæ proximus. IVLIANVM etiam IMPERATOREM, naturâ ingenioque optimo fuisse, si non ab impijs, ac superstitiosis magistris corruptus fuisset? siquidem Astrologorũ, & Ariolorum quibus operam dabat, tum *Lybanij* Oratoris, & *Maximi* Philosophi præceptoris exemplo à Christiana pietate ad impios Græcorum cultus defecit. Tanti refert, quibus præceptoribus rudem puerorum animum instruendum, & informandum credas.

*Innot. c. 10. Polit. 1. Ex P. Æmil. lib. 10.*

*Lib. 10.*

Præceptoribus, & Pædagogis optimis Principũ filij committendi.

*Baron. Tõ. 10. Ann. an. Chr. 854. Pomp. Latus.*

Sint ergò Præceptores moribus optimis artibusque exculti, qui tenerum Principis animum ad eruditionem, & virtutes Principe & Imperio dignas informent. Non enim rectè fingitur Princeps (vt rectè monuit & scribit auctor Parœmiarum) nisi cùm nondum intelligit se Principem. Statim inquam adsciscendus formator: in quo deligendo conueniet, & hoc esse diligentiores, quod Principem deligere, plerumque non licet, instituere licet. Hîc mihi in pectusculum adhuc vacuum, ac sequax, instillet opiniones Principe dignas: muniat optimis de honesto decretis: ostendat discrimen veri Principis, ac Tyranni: subijciat oculis quàm Deo propinqua res est salutaris Rex; quàm tetra bellua, quamque abominanda Tyrannus. Admoneat eum, qui sibi gerit Imperium, Reipub. prædonem esse, non Principem. Nihil interesse inter piratas, & Principes piratarum animo præditos: nisi quod hi quò sunt potentiores, hoc maiorem afferunt perniciem re-

Munia Præceptoris boni.

bus humanis. Inculcet, quàm multis hominum millibus, imò quàm vniuerso mundo prodesse queat, si is vnum sapientem, ac bonum præstiterit virum. Doceat apud Christianos homines, Imperium nihil aliud esse, quàm Reipub. administrationem, non dominium. Imperium quidem appellari, sed meminerit se imperaturum, & liberis, & Christianis, hoc est, bis liberis. Ad hoc vt Princeps sit aliquis, non satis esse natum fuisse, non satis esse vetustas imagines, non sceptrum, non diadema: Animus sapientiâ præcellens, animus pro publica incolumitate semper sollicitus, & nihil spectans nisi commune bonum, Principem facit. Præmoneat ne sese vel applausibus stultæ plebeculæ, vel adulatorum laudibus metiatur. Ne quid agat impulsu odij, amoris, iræ, aut vllius affectus instinctu. In creandis magistratibus, in condendis legibus, in cæteris munijs, vnicum spectet scopum nempè honestum, & publicam vtilitatem. Non satis esse, si ipse nemini faciat iniuriam. Officialium quoque suorum integritatem præstandam esse Principi. Non esse sitam in hoc Principis laudem, si ditionis terminos proferat, si finitimos submoueat armis, verùm si quam fortè nactus est ditionem, iustitiâ, frugalitate, cæterisque pacis artibus efficiat florentiorem. Doceat, vt ad benè merendum de bonis sit propensissimus, ad ignoscendum facilis; ad puniendum non aliter accedat quàm amicus medicus membrum deploratum amputaturus, aut inusturus: vt omnia studiosè vitet, vnde prospiciat Reip. magnū malum fore. Super omnia verò, bellum modis omnibus declinet: quod alijs de rebus alia atq; alia mala nascuntur, at bellū malorū omnium agmen semel effundit. Hæc atque huiusmodi decreta sunt animo puerili sapientum apophtegmatis, & laudatorum Principum exemplis infigenda, & inculcanda. Verùm, quod non in postremis dicendum fuit, etiam atque etiam animaduertet (in quo cæcutiuerunt Præceptores illi Alexandri, & aliorum iam antè commemoratorum) quibus potissimùm affectibus, tener ille Principis animus moueatur, num iracundiâ, libidine, ambitione, cupiditate, metu: quod exerant sese illa ætate affectus, qui plerumque maturiore occultantur. Proinde, si feruidâ, & elatâ mente sit, reprimendus; si segni, & remissa, excitandus; si voluptatibus deditus, ad honesti, virtutisque normam reuocandus: quò fiet, vt aptam, & congruentem ingenio institutionem accommodans, Principem habiturus sit tantò sapientiorem, quantò cæteris, opibus, potentiâ, dignitate, præstat, & antecellit.

Cæterùm, dum Principibus eruditionem litterariam propono, non abnuo quin in disciplinâ militari exindè instruantur. doceor facto Tiberij apud Tacitum: *Nec multò post Drusus* (Tiberij filius) *in Illyricum missus est, vt suesceret militiæ, studiaq; exercitus pararet, simul iuuenem vrbano luxu lasciuientem melius in castris haberi, seq; tutiorem* Li. 1. 2. *rebatur vtroque filio legiones obtinente.* Hinc nonnulli existimant M. Antonium Columnam Romanum, & Marchionem Pesciriæ, ac Vespasianum Gonzagam non aliam ob causam in egregios euasisse milites, nisi quod illis contigit ab adolescentia, litteris tamen tincta, procul ciuilibus, domesticisque delicijs inter exercitus & arma educari.

CAPVT XI.

## CAPVT XI.

# *Sed & bono publico eruditos adſciſcent* Profeſſores, *vnde incolæ in optimis artibus inſtituantur.*

NEQVE enim ſatis, vt Principes optimis excultum habeant diſciplinis animum, verumetiam par eſt, vt curam inſtituendæ iuuentutis ſuſtineant; cùm is demùm optimi ſit Principis finis, *non modò vt ipſe omnia ex officio agat, ſed vt qua ratione etiam reliqui omnes quàm optimi fiant, proſpiciat.* Nullis autem artibus melius id efficiet, quàm *Humanitatis*. Nam, vt quiſque liberalibus artibus præditus eſt, ita optimus ferè fit, maximeque in omni genere comitatis atque humanitatis excellit: vt merito ab efficientiâ eæ artes *ſtudia Humanitatis* nuncupentur. Vnde veriſſimè dixit Comicus Græcus. *Dio in Orat. Macē. lib. 52.*

Ἀ᾽παντὰς ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ: *Menāder.*

*Doctrina, mores non ſinit eſſe feros.* *12. Var.*

Vidit hoc etiam, & quis non? Caſſiodorus: *Litterarum ſcientia,* inquit, *ornat homines & tacitos & loquentes: tacitos, quoniam mores purgat; loquentes, quia verborum gratiam ſubminiſtrat.* *Cic. 2. de Diuinat.*

Eapropter, *nullum munus Reipub. afferre maius meliusvè* Principes *poſſunt, quam ſi docere ac erudire iuuentutem curent, his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refrænanda, atque coërcenda ſit:* Οὐ γὰρ μικρὸν διαφέρει οὕτως, ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν: *Non parui enim refert hoc vel illo modo à teneris aſſueſcere, ſed plurimi omninò, imò verò totum ex eo pendet.* Multò certè fœlicius eſt, benè inſtitui, quàm fœliciter naſci. Cura ſit primùm morum, poſt doctrinæ. Pro qua dabunt operam, vt ſint celebres ac numeroſæ Scholæ, eæque optimis munitæ priuilegijs, neque non Præceptoribus, quà vitæ integritate, quà eruditione, quà docendi dexteritate præſtantiſſimis; quos non tantùm ad ſpem erigant honorum, verùm etiam quotannis optima certaque pendant congiaria. Nam cæteroquin, *ſublatis ſtudiorum pretijs* ſcholæ frigeſcent, imò, *etiam ſtudia peritura, vt minus decora.* Verè Symmachus ſcripſit: *Scimus bonas artes honore nutriri, atque hoc ſpecimen eſſe florentis Reipub. vt diſciplinarum Profeſſoribus præmia opulenta pendantur.* ——*Vt enim fruges non tàm ſoli ingenio, quàm cæli beneficio & temperie lætius proueniunt: ita quoque artes bonæ, eximiaq́ue ingenia, Principum ac Magiſtratuum benignitate excitantur.* Notum illud: *Virtutis vberrimum alimentum, honos.* *Ariſt. 1. Ethic.* *Tacit. 11. Annal.* *Lib. 1. epiſt. 73.* *Iuſtin. Epiſc. in Cantic. Cant.* *Val. Max. l. 2.*

Itaque gratia & affectus Profeſſoribus, Præceptoribuſque (maximè quibus operam dedimus) reddenda: *Home. 4. Odiſ.*

Οἱ δ᾽ αἰεὶ βούλοντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων:

*Ipsi enim semper volunt Dij nos memores esse praeceptorum*, Ratio ipsa dictat & sensus communis: *Nemo enim est*, si Oratori credimus, *nostrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur.* *Pro Plancio.*

Sed neque negligant Bibliothecas, quas Seneca *pulcherrima Regiae opulentiae monumenta* appellat. *De Tranq. animi c. 9.*

---

## EXEMPLA, ET NOTAE.

Magna mihi copia est exemplorum, quibus doceri potest nullam poene gentem esse, nullam Rempub. nullum Principem, qui non singulari cura praeceptores artiumque liberalium magistros publico sumptu, vndecunque accersiuerit alueritque. Nam, vt omittam Thurinos, Iberos, aliosque Graeciae populos. *Sueto. Iul. cap. 42.*

I. Scimus ROMANOS, *Iulio* maxime *Caesare* auctore, bellis omnibus exstinctis, *omnes medicinam professos, & liberalium artium doctores asciuisse, imò quò libentius & ipsi vrbem incolerent, & caeteri appeterent, Ciuitate donasse.* Atque id quidem summâ prudentiae atque humanitatis ratione. Sciebat enim ciuium animos continuis bellis efferatos, nulla alia re aptius cicurari, vt sic dicam, posse, quàm litteraturâ, id quod etiam ipsum nobis testatus est Poëta: *Sueto. Iul. c. 42.*

*Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes,*
*Emollit mores nec sinit esse feros.* *Ouid.*

Vt Sacrificulo honorem habet Ciuitas, quod commune omnium bonum à Dijs petant: Ita multò magis honorandus Principis praeceptor bonus, qui talem fingit, vt omnibus sit vtilis futurus.

II. De VESPASIANO scriptis proditum est, Rhetoribus, centena sestertia, id est, 2500. Imperiales constituisse: ANTONINVM Drachmarum decem millia, id est totidem regales hispanicos.

III. MITYLENEI populi quos bello deuicerant, nullam aliam poenam irrogabant, nisi ne liberos suos litteras edocerent. Neque enim ignorabant eas tantum ciuitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. *Aelian. lib. 7. Var. c. 15.*

IV. Non praetereunda ARTAXERXIS ad *Histanum* Hellesponti Praefectum epistola: Hippocratis Medici Aesculapio prognati ad me artis fama peruenit. da igitur operam vt aurum illi tribuas quantum volet, aliaque quorum indigebit, & eum ad me mitte: erit enim par honore summis in Persia viris. Et si quis in Europa fuerit vir clarus, hunc amicum domui nostrae redde, minime parcens pecuniae; viri enim quanquam potentes, haud facile inueniunt quod honeste cupiunt.

V. Memorabile est quod nobis referunt de SINENSIBVS illius orae Apostoli Iesuitae, epistolis nuper ab ijs editis, & Latinè ex Italico redditis ab R. P. Franc. *Studijs litterarũ quantum tribuant Sinenses.*

Orano

Orano illius Societatis Theologo, & populari meo. *Non existimo*, inquit auctor, *vlla in historia contineri gentem adeò studiosam, & litterarum amantem. Cuius hæc præcipua ratio, quod Rex, (à quo vt membra à capite dependent omnes) officia, & publica munera Prouinciarum, iuxta cuiusque eruditionem, & quem in litteris assecutus est gradum, distribuit. Quare omnes, nullo discrimine vel delectu studium in litteris ponunt, vt dignitatis & honoris gradus, ab vitiosa hac & deprauata natura adeò expetitos, consequantur. Vnum dicam quibusdam fortè incredibile, quod tamen hisce oculis vidi: hoc in regno tot Athenas inueniri, quot sunt Sinæ totius Ciuitates & Castella; cùm in horum vnoquoque Generale studium, (Vniuersitatem vocamus) habeatur, in quo docentur & examinantur territorij eius incolæ, nulla scholarum aut iuuentutis huius aut illius permistione: quod fit tam incorrupto iudicio, ac Præsidum Gymnasiorum, & Examinatorum integritate, vt primùm de scriptione iudicium fiat, & præmia & gradus pro merito conferantur: post scriptoris & aucteris nomen sigillo auulso reseratur tam paruis impendij & studiorum sumptibus, vt loco pecuniariæ contributionis Gymnasio faciendæ, regijs impensis pro merito studentium & gradu præmia deferantur.*

VI. Illi certè institutione proximè ad ROMANOS accedunt, quos alioqui præter cæteras omnes nationes (florente dico Repub.) curam educandæ instituendæque iuuentutis habuisse constat. Audiamus Quintilianum: *Iamprimum suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella empta nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domum, & inseruire liberis. Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis, spectatisq; moribus omnis cuiuspiam familiæ, soboles committeretur: coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò curasq;, sed remissiones etiam lusumq; puerorum, sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Corneliam Cæsaris, sic Acciam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat, vt sincera & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas, & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id vniuersum hauriret.* Hactenus Quintilianus: qui meritò postea queritur sui sæculi mores longè alia, sed deterrima disciplina immutatos. Legat qui volet quæ sequuntur, non tam gutta guttæ quàm illis nostri mores similes sunt. O miseram huius æui conditionem! Veteres quidem illi Romani (si modò à vera religione discedam) in patria fuerunt optimarum disciplinarum; nunc autem sumus (vt veteri verbo vtar) in rutuba.

Apud Romanos quãta erudiendorum liberûm cura.

*Dialog. An sui sæculi Orat. antiquus, & quare concedant.*

*Curent igitur hanc curam Principes, vt præter ludos literarios Vrbium triuiales, singulis Prouincijs celebres quædam Scholæ instituantur*, veterum Paganorum exemplo, qui celeberrimas Academias complures, Athenas scilicet, Corinthum, Rhodum, aliasque, & Christianorum imitatione Principum, veluti Caroli Magni *exemplo, qui Parisiensem & Papiensem Academias instruxit*: Petri Lunæ *Cardinalis, qui in Hispania Salmantinensem*: Francisci Ximenij *Episcopi Tolet. qui Complutensem*: Ioannis III. *Lusitaniæ Regis qui Conimbricensem*: Venetorum Senatus, *qui Patauinam*: Cosmi Medicæi, *qui Pisanam*, Brabantiæ Ducum, *qui in Belgio Louaniensem & Duacenam Acade-*

Academiarum cura.

*Academias*, aliorum alias eximijs cum priuilegijs exornatas *erexerunt. nec id satis: nisi* Academiarum Præfectis, ac liberalium disciplinarum magistris publica stipendia pendi procurent. *Namque, ea demum est optima Respub. in qua plurima virtuti; atque bonis artibus præmia proposita sunt.*

[*In Annal.*]

[Professoribus bonarũ artium stipendia pronuncianda, & curanda. *Plut.*]

I. Refert Zonaras IVSTINIANVM Imper. antiquitus constitutas in quoque oppido annonas professoribus bonarum artium dandas, de consilio Præfecti sui sustulisse: quod accidit non minimo Reipub. detrimento: *Siquidem, inquit, frigentibus passim per oppida scholis, rusticitas & barbaries occupauit inhabitantes.* quid mirum? nam *gloria*, teste Salustio, *Industria alitur; vbi eam dempseris, ipsa per se virtus amara, atque aspera est.* Hinc rectè Cato dixit, *Iuuentuti auferri studium honoris, quoties virtus præmijs viduatur.*

[*L. Medicos. §. fin. C. de Profess. & med. lib. 10*]

II. Idcircò CONSTANTINVS Imperator, *mercedes professoribus & salaria reddi iussit quò facilius liberalibus studijs & memoratis artibus multos instituerent.* Constantinopoli autem bibliothecam ædificasse scribunt, quæ ab alijs sensim aucta libris, tandem numerum centum viginti millium librorum expleuit.

[*Zonar. in Basilisco 3. part. Annal. Cassiod. li. 9. Vari. epist. 21.*]

III. Quin & ATHALARICVS Rex Senatui Romano de stipendijs Professoribus soluendis, hoc modo rescripsit: *Nuper*, &c. *cognouimus doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris deputata summa videatur imminui. Quapropter cùm manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potiùs ad gloriosa studia, per commodorum augmenta prouocandi.*

IV. Quò magis rogandi Principes nostræ tempestatis, ne per captiones & fraudes Coactorum, ordinisvè Quæstorij quidquam de stipendijs imminuatur: quin potiùs augeant minuta hodierna stipendia, quæ profectò veteribus data fuissent pueris ipsis Professorum. Quid ducenti aut trecenti aurei, ad duo, tria aureorum millia? Audietis miranda, inter admiranda Romana, I. Lipsio viro clariss. relata. VESPASIANVS Imperator cùm ingenia & artes maximè foueret, *primus è fisco* (ait Sueto.) *Latinis Græcisq; Rhetoribus, annua centena constituit.* Ea reddunt *bis mille & quingentos Philippæos*, siue ducatones, vbi hodie vel eximijs doctoribus largiendos? Atqui vt Medicis *quingenta HS.* mercedem annuam fuisse Plinius docuit: quæ sunt *duodecim millia & quingenti Philippæi, siue Ducatones Italici.* Cur non igitur admittam, vel *sexcenta* excellenti alicui data fuisse? Imò fuerunt Eumenio Rhetori, & doctori in scholis Augustoduni, quem Constantius Princeps, sub Augustis Diocletiano ac Maximiniano, *salarium in sexcentis millibus nummûm accipere iussit.* Ita ipse semel iterumque profitetur in Oratione quæ exstat: nec *sexagena* rescribi mihi aliquis persuadebit. Scilicet alienum nimis à magnitudine Romanâ est quindecim millia Philippæorum, singulari doctori & qui magister Palatij fuisset, dari? Nihil est, & credere audeant, si qui non audent sperare: ita Lipsius.

[*Lib. 4. c. 10*] [*Cap. 18.*] [*V. Alciat. §. Parerg. c. 27.*]

[Præceptoribus grates reddẽdæ.]

Porrò, non tantum publici illi doctores, stipendijs honorandi, verùm etiam (quod æquum postulat) Præceptores cuiusque: in quos, proh pudor! nimio-

pere

perè ingratum est vulgus hoc iuuentutis. Non ita, non, meliores mentes etiamsi Ethnicorum spectes.

I. Nunquid *Agathonem* Philosophum summo in pretio habuit AGESILAVS? *Volater. lib.3.*

II. Nunquid *Platonem* & *Theophrastum* donis affecit PHILIPPVS Macedonum Rex? cuius filius, dignus eo patre Alexander *Pyrrhonem* Philosophum & Poëtam eximium decem aureorum millibus pro oblato poëmate donauit. *Ælia.4. Var.*

III. NICOCLEM etiam Cypri Regem pro oblato ei libro, *Isocrati* duodecim ducatorum millia dedisse, certò non arbitrariò scimus.

IV. Sed & *Heliodorum* in pretio habuisse ADRIANVM Cæs. monumentis suis consignauit Spartianus.

V. Quis non sciat NERONEM fœdum alioqui & maculosum Principem, magnis præmijs atq; honoribus præceptorem suum *Senecam*, virum omni sapientiâ cumulatum, affecisse? Tacitus quidem author est, eum *ter millies sestertium intra quadriennium parauisse*. Audi ipsum Senecam Neronem sic alloquentem:——*Tantum honorum atque opum in me cumulasti, vt nihil fœlicitati meæ desit, nisi moderatio eius*. Poteras addere, ô Seneca, fidem Principis tui, quam infidam sensisti, pro tot tantisque sapientiæ documentis. *Lib.15. Ann. Tac.14. Ann.*

VI. POMPEIVS ille MAGNVS, eo semper honore *Possidonium* Stoïcum Philosophum decorauit, vt quondam ad ipsius domum venturus, lictores demissis fascibus ceù coram digniori se, adstare imperaret. *Ex Plut.*

VII. VESPASIANVS autem Imper. *Salucio Basso* illustri Poëtæ vnâ donatione *quingenta* donauit, hoc est, Belgica moneta, *duodecim millia Philippicorum*, Italica *Ducatonum*. *Tac.2.hist.*

VIII. Quid in GRATIANO? nunquid *Ausonium* præceptorem Poëtam celebrem ad Consulatum euexit? *Testatur ipse Auson. in Grat. act. Iul.*

IX. Pari etiam beneficiorum memoria M. ANTONINVS Philosophus, *Frontoni* præceptori suo statuam in Senatu posuit. *Proculum* etiam Proconsulem fecit. Et in summa tantum honoris Magister suis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet; & sepulcra eorum additis hostijs, & floribus superornaret. Eximiam, ita viuam, pietatem, & nostro, non dicam illo æuo, Phœniceam! *Capitol.* Insignis pietas Antonini Cæsaris erga Præceptores.

X. ALEXANDER etiam SEVERVS ab eadem animi gratitudine celebratur qui *Vlpianum* præceptorem suum patris loco habuit, parentisque nomine eum appellauit. *l. ex Diui. C. locuti.*

XI. THEOPHILVS Imper. *Agaren.* Præceptorem suum legati honore dignandum censuit. *Zonarat.*

XII. De FLORENTINIS conspicuum est *Philippum Decium* Mediolanensem Pisis iura profitentem annuo stipendio mille & quingentorum aureorum honorasse, vt ipse testatur & probat eius, quod vidi, Epitaphium.

XIII. Superiori denique memoriâ CAROLVS V. Imper, insigniter *Hadrianum*

*Ex hist. Gall. P. Matth. li. 1. Narrat. 4.*

*num* Præceptorem muneratus est, dum post varios maximosque honores delatos, apicem dignitatum, id est, Pontificatum commendatione suâ illi procurauit. Ejusque imitatione PHILIPPVS II. eius filius, Ecclesiæ Hispanicæ Primatum præceptori suo *Ioanni Martini* contulit, vt taceam alias honores, aliasque beneficentiæ, & grati animi notas quibus eum mirificè insigniuit. Rari herclè tales Principes, & (pace bonorum dixerim) qui in vno annulo hodie inscribantur.

*Biblioth. per Principes excitandæ.*

*Iam de Bibliothecis per Principes instituendis quid dicam? nisi per illas excitari ingenia ad doctrinam, ciuilitatem, humanitatem, vno verbo, virtutem?* Consule Ethnicos: ibi videbis.

*Ex Sueto.*

I. IVLIVM CÆSAREM *destinasse Bibliothecas Græcas & Latinas quàm maximas posset publicare, data M. Varoni cura comparandarum ac dirigendarum constat.*

*E Putea. Ausp. Biblio Iouin.*

II. Sed & plures erant ante IVLII tempora in Vrbe, Bibliothecæ à Cæsaribus excitatæ: vnde ab AVGVSTO Octauia, & Palatina, à TIBERIO postea Tiberiana: à TRAIANO, Vlpia siue Tiberiana: Posteriori æuo à CONSTANTINO vndetriginta. si tot Bibliothecæ, quot libri? Mittamus Italiam.

*In did. m.*

III. FRANCISCVS VALESIVS Galliæ Rex sæculi sui velut Musageta, quamuis bellis continuis districtus; hoc tamen egit, quod laudamus: Non vnâ contentus Bibliotheca, Fontanablæam, Parisinam, & Victorinam fundauit: non vno etiam præconio dignus, quia Regnum suum publico Litterarum patrocinio nobilitauit. Austriaci majestas nominis, hoc etiam jubare; partim in Germaniâ, vbi originem habet, partim in Hispania, vbi humanum pænè fastigium transcendit, inclyta & corusca est.

IV. In Germania, quî Maximilianum II Imperatorem satis laudem? Omnibus & libris & litteris opus est, quibus fauit; omnibus viris Litteratis, quos familiariter complexus est. Clamant vno ore plures *in sola Aula tum temporis Viennensi Eruditos fuisse, quàm aliorum totis Regnis. Bibliothecam tum quoque instructam esse sic affluententem omni genere monumentorum vt Philadelphi, aut Attali videretur magnificentia.*

V. In Hispania prudentissimus ille Regum Rex PHILIPPVS II. ille supra spera, & metum aliquando positus, & cùm ex voto templum D. Laurentio, & vnà sibi palatium, quod pietatis magnitudinisque Austriacæ capax esset, erigeret, non potuit nisi nouum Orbi miraculum dare. *Scoriale* ab ipso loco, & pago appellant: & cui jam ignotum? Tam vestam, imò tam venustam fortunæ Regiæ, necnon magnanimitatis molem Orbis vtriusque stare diuitiis credas; Libris viuere, & æternam esse. Hoc nimirum Magnus ille Monarcha egit, vt si in aliis, Rex in Bibliotheca PHILIPPVS videretur.

VI. Quid de magno illo ALPHONSO Aragonum eloquar? siue domi, siue militiæ, non sine libris erat. Vbi Bibliotheca, ibi Aula; vbi lectio, ibi vita. Cùm pro Symbolo librum apertũ vsurparet, verbis non semel testatus est, *Malle se Regnorũ omnium ma jacturam facere, quàm minimam doctrinæ.* Item: *chariores sibi litteras librosque, diademate esse.* Feliciter sanè arma tractare corporis potuit, qui tã feruidè illa mente dilexit.

VII. Re-

VII. Recentior MATTHIAS HVNNIADES CORVINVS, Pannoniæ Rex, aliqua certè Alphonsi imago. Inter arma natus, & in ipso Martis gremio nutritus, non se putauit militem esse, nisi Musas complecteretur; non se Regem esse nisi libros amaret. Euocatis ex Italia, Germaniaque bonarum artium Antistibus, Budæ, & in ipsa Regia nobilissimam bibliothecam statuit, pulcherrima arbitratus Majestatis ornamenta, quæ instrumenta fierent æternitatis. Hos thesauros à Turcarum Imperatore è gaza Constantinopolitana ingenti pretio coëmerat? quo fato? vt in Barbarorum manus infeliciter, proh dolor, relaberentur.

VIII. In ITALIA, præcipuum publico Philologorum testimonio locum MEDICÆI tenent, qui cùm extorres è Græcia Musas hospitio exciperent, Bibliothecam in Vrbe sua erexêre, tam propenso erga viros eruditos affectu, vt vniuersam Italiam ad litterarum vsum reduxerint. Si initia respiciamus, è Laurento sunt, illo Medicæo; si incrementa, à Clemente VII. Pontifice Opt. Max. & Medicæo; si ornamenta, à Cosmo item Medicæo.

IX. Nec silentio inuoluendus Eminentissimus Cardinalis FRANCISCVS BARBERINVS morum sanctimonia cum quouis inculpatissimæ vitæ conferendus, qui incomparabilem priuatim, & in Palatio suo Bibliothecam instruxit, & adhuc instruit: quæ cùm publica erit, si non pares, proximos certè Vaticanæ honores occupabit.

V. In GERMANIA, Bauari luculentam ad genus suum elegantiæ famam trahunt, librorum censu opulenti, priuatim Monaci, & in Palatio; publicè Ingolstadij, & in Athenæo.

XI. Proximo gradu PALATINI sunt: imò fuerunt. Bibliotheca simul Palatina fuit, illud Heidelbergensis, & pari cum Principibus suis fato: illa Cœnobiorum adhuc languentium spoliis superba: illa maiore sui parte Romam nuper & ad matrem suam translata. Sed suo & summo quodam jure, Summus eam Pontifex Vrbanus VII. verus non sacrorum tantùm, sed omnis eruditionis Princeps, post occupatam à Tilio, belli terrore, ac fulmine Heidelbergam Vrbium Vrbi asseruit, ac mancipauit.

Hæc perpetuæ magnorum Principum gloriæ elogia acceptum refero clarissimo viro Ericio Puteano, cuius eruditio magnum à Iusto Lipsio Academiæ Louaniensi ornamentum dedit. *In Auspic. Biblioth. pub. Louan.*

IOAN-

# IOANNIS à CHOKIER DE SVRLET,

*CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEOdiensis Canonici, Et Vicarij generalis, Abbatis secularis Ecclesiæ Visetensis.*

## THESAVRI POLITICORVM APHORISMORVM

## *LIBER SECVNDVS.*

Hactenus vniuersè de VIRTVTE, eiusque partibus, & via quæ ad illam ducit: superest, vt eam per species exequamur.

### CAPVT I.

*Inprimis* Iustitia *in conspicuo ponatur, quæ omnium Domina, & Regina Virtutum; omnibus maximè suspicienda, & tuenda Principibus.*



*Frag. lib. de Repub.*

*VSTITIAM* virtutem esse quâ suum cuique tribuitur, & sine quâ Respublica haud diu stare, vel administrari possit, optimè docet Orator Romanus: *Vt in fidibus*, inquit, *ac tibijs atque cantu ipso, ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isq; concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur, & congruens: sic summis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, vt sonis, moderatâ ratione Ciuitas consensu dissimillimorum consistit; & quæ harmonia à Musicis dicitur in can-*

*in cantu, ea est in Ciuitate concordia, quæ sine Iustitia nullo pacto esse potest.* Quid scriptor Pa- *Liu. lib. 1.*
tauinus? *Multitudo coalescere in vnum populi corpus nulla re, quàm legibus potest.* Verè.
Namque non adamantinis illis vinculis, quæ Dionysius ille senior crebrò in ore ha-
bebat, *Vi atq; Metu*: sed *Iustitiâ* (quæ Concordiæ mater) *magna imperia retinentur.* As- *Cic. de*
serit Poëta cùm ait: *Rep.*

τὰς ἀνδρῶν ἀγορὰς ἢ μετὰ λύει, ἢ δε καθίζει: *Homer. I-*
*Hæc cœtus hominum soluit, iungitq; vicißim.* *liad.*

Ideoque Plato Philosophorum ille Princeps, *Iustitiam* nominat, ἔρμα πόλεων, *De leg. 2.*
*hoc est, fulcrum Ciuitatum.* Quod sic explicat Πεῖτα πόλις ἄπολις ἄν, γένοιτο ἐν ᾗ δικαστή- *5. ad Nicō.*
ρια μὴ καθεστῶτα εἶν κατὰ τρόπον: *Omnis Ciuitas desinit esse Ciuitas in qua tribunalia non sunt* *Lib. 6. de*
*recto ordine constituta.* Aristoteles verò, *Præstantißimam omnium Virtutum*, nominat *leg.*
meritò: Nam vt Poëta Græcus ait: *Nec tam Hesperus, nec Lucifer miran-* *Euripid.*
*dus est.*

Ideò M. Cicero verè scripsit; *Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ Iusti-* *Lib. 3. de*
*tiam esse, sine qua nihil potest esse laudabile.* Imò, neq; diuturnum: quia juxta Salomonis *Off.*
Oraculum: *Iustitia firmatur solium.* *Prou. 16.*

Quis enim non sciat, Iustitiæ alioqui contemptu, cæteras virtutes contemni?
Imò, *nullam ferarum fraudem esse tantam, nullam malitiam, quæ poßit cum eius malitia con-* *Arist. 1.*
*tendere, qui semel legem, Iustitiamq; contempsit?* Ergò igitur cum Tragico: *Polit. c. 2.*

——————— *Vbi non est pudor,* *Sene. Thy-*
*Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,* *est. astr. 4.*
*Instabile regnum est.*

Viderunt hoc prisci mortales, qui *& scripserunt, & docuerunt. absq; Iustitia Prin-* *Plut. lib.*
*cipatum ipsum gerere, ne Iouem quidem ipsum posse.* *de Doctri.*

Maneat igitur, *sine summa Iustitia Rempub. regi non posse.* Idcircò, ore Veritatis di- *Princ.*
ctum: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, &* *Cic. 2. de*
*diuersos dolos.* *Rep.* *Eccl. 10.*

Principum ergò sit *Iustitiam* sarctam & tectam conseruare: *In hoc Reges ser-* *Lib. 3. cōt.*
*uiunt*, inquit B. Augustinus, *in quantum Reges sunt si in suo Regno bona jubeant, mala pro-* *Cresc. c. 5.*
*hibeant: non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad diuinam Re-*
*ligionem.*

Sint ergò Iustitiæ tenaces, vel hoc adspectu, *quod nihil melius sit Iustitia, & quæ* *Plato de*
*Principatum inter virtutes teneat, & est primum earum ornamentum.* *leg.*

---

EXEMPLA.

1. Literis proditum est consueuisse PERSAS, ei qui ex Regijs liberis natu ma-
ximus erat, quique in spem regni educabatur, cùm alios ad virtutem ma- *Xenophon.*
gistros dare, tum vnum imprimis à quo Iustitia doceretur. Censebant enim

Iustitiam primas in Principe partes tenere, cùm ab illo ceu fonte quodam in cæteros sit deriuanda.

Io. Dubr. 9. Hist. Bohem. II. Pædalios autem, Indicam gentem, in sacris publicis nihil aliud à Dijs, quàm Iustitiam petere solitos ferunt: quod eam si consequerentur, affatim sibi bonorum omnium putarent fore.

Cyropæd. III. Nec id quidem falsò: Nam & Xenophon opes nullas viro præsertim Principi censebat pulchriores, ac honestiores, quàm Virtutem, & Iustitiam. Namque (vt Plato rectè sentit) nunquam homo negligitur à Deo, qui juste viuendi, suumque cuique tribuendi bonum habet propositum.

Refert Muret. orat. 6. IV. Hesiodvs bonus imprimis Philosophus, & Poëta eximius, multis versibus prosequitur, ac percenset ea bona, quæ à Deo tribuuntur cultoribus Iustitiæ; contraque eas, quæ ab Injustitia Ciuitatibus inferuntur calamitates. Illorum enim lætas vrbes florere populis, nunquam bello, nunquam fame, nunquam aliis ejusmodi pestibus conflictari: hos & fame, & peste, & bello, & aliis innumerabilibus malis injustitiæ pœnas dare.

Plut. V. Quò pertinet illud Leonis Eurycratidis filij apophtegma: Sciscitanti quâ demùm ciuitate tutò habitare liceret? *Vbi Iustitia viget*, inquit. Præclarè admonens, eam demùm ciuitatem sine periculo habitari posse, in qua Iustitiæ cura haberetur. Nihil verius.

4. de Ciu. Nam *remota Iustitia*, inquiente Augustino, *quid sunt regna, nisi magna latrocinia?*

Zon. lib. 3. VI. Verùm, vt in hunc Iustitiæ campum nonnullos Romanos producam Imperatores, ecce tibi Valentinianvs Imperator, qui vt summus Iustitiæ cultor fuit, ita illud subindè in ore habuit: *A Principe imprimis curam Iustitiæ flagitari.* Nam

2. de Off. (vt Cicero refert) Iustitiæ fruendæ causa apud maiores nostros, & in Asia, & in Europa benè morati Reges olim constituti sunt. Vnde Hesiodus qui suprà:

*Hac vna Reges olim sunt fine creati,*
*Dicere ius populis, Iniustaque tollere facta.*

Ioseph. lib. 18. c. 16. VII. Breui deflexu Philippvm subjungam, Herodis Antipæ fratrem, qui præfuit triginta annis Traconitidi. Is igitur quoties domo progrederetur, iter cum paucis selectis comitibus faciebat, subsequente sella, in qua jus reddere solebat: ac si quis ex occursu opem ejus imploraret, sine dilatione, mox sella posita residens causam cognoscebat, aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium.

Aimon 3. de gest. Franc. c. 35. VIII. Quid de Tiberio Constantino loquar? ejus extat præclarum elogium, jam morituri, & Imperium Mauritio genero tradentis: *Sit tibi* (inquit) *Imperium cum hac puella filia concessum; vtere eo fœliciter, in mente habens æquitatem, ac Iustitiam, præcipua esse optimi Principis insignia.* Nullum verius dici, vel excogitari potuit documentum.

Niceph. 3. Eccl. hist. cap. 23. IX. Consimili animi Traianvm Imperatorem Iustitiam, & æquitatem plurimùm commendare solitum legimus; hisque potissimùm virtutibus Principes cæteris excellere debere dictitabat; quarum & ipse dum Romanum gubernaret

ret Imperium, studiosus adeò fuisse fertur, vt aliquando ensem strictum Præfecto Prætorii in conspectu omnium dederit, atque dixerit: *Cape ferrum hoc, &, si quidem rectè Imperium gessero, pro me sin aliter, contra me vtâre.* O verè masculum, & diuinum animum, qui nedum Imperium, sed nec vitam ipsam sine comite Iustitia tenere sustinuit.

X. Cæterùm, vix credibile memoratu est, quod D. Gregorium corpus ejusdem Imp. putrefactum, & in puluerem vsque redactum inspicientem, solam linguā inuenisse illæsam, ferunt: nisi hoc diuinâ permissione accidisse dicamus, propter Iustitiam quam perpetim colebat atq; tuebatur. Porrò, quod scribunt nônulli animam ejusdem D. Gregorii precibus ab Inferno liberatam, fidéne dignum sit, an non, legatur Baronius in Anno Christi 604. vel ejus Epitom. tom. 2. pag. 136. *Mart. Polon. in vita D. Greg.*

XI. Illud certum: D. REMIGIVM Remorum Antistitem, virum diuino afflatum Spiritu, dum *Clodoueum* Galliæ Regem ipso inaugurationis die inungeret, vaticinatum, *Regnum illud tamdiu florens futurum, quamdiu in eo Iustitia, & Religio coleretur.* *Agathias Schol. li. 1. belli Goth.*

XII. ALPHONSVS ille Aragonum & Neapoleos Rex plurifariam celebrandus, eos Principes, qui Iustitiam non colerent, persimiles sibi videri dicebat iis, qui morbo caderent comitiali: nam cùm animæ materia sit sola Iustitia, quâ tenditur ad vitam quid restat Principibus sublatâ Iustitia quæ est vitæ quasi nutrimentum, & cibus? *Panor.*

XIII. Ideò FERDINANDVS clemens ille, ac justissimus Cæsar, crebris illud sermonibus vsurpabat: *fiat Iustitia, aut pereat mundus*: Siquidem tàm lectione, quàm vsu didicerat, Remp. sine Iustitia consistere non posse: & legerat forsitan in Platone i *Fulcrum Ciuitatum* eam appellari; vel apud Augustinum, *Vnicum regnorum columen.* Probè. Nam sine ea, nihil est perpetuum, nihilque diuturnum, vt totidem verbis, militibus ad Placentiam tumultuantibus ex vero inquiebat I. Cæsar. *Lauren. Penensf. in Symb. Impp.* *2. de Ciu. Dei.* *Dio Cass.*

XIV. FRIDERICVS Imper. jungendus qui *Ladislaum* puerum Hungariæ & Bohemiæ Regem educabat, suadebant nonnulli ipsi quibus vtile honesto potentius erat, vt vnius corpusculi casu sine inuidiâ, & infamiâ duo florentissima regna sibi adjungeret. At Frederico verè magno pluris erat justitia, quàm regnorum congeries, quin & salutari monitione scelerata consilia repressit. *Quid ergò*, inquit, *diuitem potiùs, quàm justum Regem me vultis?* Quo eos responso perculit, cùm viderent eum eodem in ipsos jure vsurum quod ei in alium dictassent. Hoc imitare Principes, majus donum à Deo non habes. *Lib. 41.*

*Diximus quoq; in Aphorismis sublatâ justitia Imperia infirma esse, neq; ætatē latura:* Oraculum est Syracidis: *Propter injustitias transferuntur regna de gente in gentem.* Ista quidem res Liguriæ, Longobardiæ Ciuitates à Germano Imperio distraxit, & in varia dominia sparsit. Cùm enim apud Imperatorem quæstæ, ostenderent biennio solo plus damni à præfectis Germanorum, quam toto reliquo tempore à

tyrannis perpessas, & tamen contemptui essent, defecerunt, facta conspiratione; & securitatem consequutæ in se mutuo injurias verterunt. Primùm enim hoc agere solent homines ne opprimi possint, hoc vbi se consequutos arbitrantur, etiam eam potentiam ambiunt, qua alios possint opprimere. Atque ita efficiunt, vt verum sit quod Augustinus lib 2. de Ciuitate Dei, cap 4. nobis inculcat. *Remota Iustitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus etenim ipsa hominum cum Imperio Principis regitur, pacto societatis adstringitur, placidi lege præda diuiditur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, Ciuitates occupet, populos subjuget, euidentius regni nomen assumit, quod etiam in manifesto confert non adempta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim, & veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit: Nam cùm idem Rex hominem interrogasset, quid ei videretur vt mare haberet infestum? ille libera contumacia, quid tibi,* inquit, *vt orbem terrarum? sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor. quia tu magna classe, Imperator.*

*Sapien.6.* Claudam caput istud Monito Sapientis: *Audite ergò Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis Ministri regni illius, non rectè indicastis, nec custodistis legem justitiæ neque secundum voluntatem Dei ambulastis, Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet.*

---

## CAPVT II.

### *Hanc igitur Iustitiam quicumque præest, seruet, tum in se, tum in aliis ex præscripto legum.*

*Plin. Pan.* DICO primùm in se: quia Iustitiam nedum Principi adsistricem, sed & magistram atque moderatricem, idq; meritò, constituunt sapientes. Siquidem *Paul. li.4. Sent. tit.4.* cùm hactenus creati sint Reges, vt quàm ipsi æquitatem in singulis statuerint exequantur; qui dni etiam eidem æquitati illos alligemus, quos præsertim æquitati *Li.5.ep.52 ad Valen. Imp.* scriptæ, hoc est, legibus subiici constat? *Non est enim Princeps supra leges, sed leges supra Principem.* Et verò quis non videat, *par esse eum qui leges facit, pari majestate legibus obtem-* *L.1.ff. Quod quisque iur.* *perare.* Præclarè columen illud Ecclesiæ Ambrosius: *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Adde Iurisconsultum —— *Quis aspernabitur,* inquit Vlpianus, *idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit?* *Cap.2. Dist.9.* Consonat Isidorus: *Iustum est Principem legibus obtemperare suis: tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet.* *Cic.3.de Rep.*

Quod autē nonnulli parùm pij & prudentes obiiciunt, *Id jus esse, quod ei qui plus potest,*

*potest, vtile est*, scæuum illud est, & adulantis animi dogma. Quantò honestior, & regio animo dignior vox: *Cum omnia possimus, sola credimus nobis licere laudanda?* Nempè, quia id tantum posse facere dicimur, quod iustè & honestè possumus. Hoc facit etiam ad Principis securitatem: *Nam cui nihil ad augendum fastigium*, inquit Plinius, *superest, hic vno modo crescere potest, si seipse submittat, securus magnitudinis suæ.*

*Theod. Rex apud Cassard. 16. ep. 10.*

*Paneg.*

Videat ergò ne leges cùm suas, tum patrias lædat, sed nec eas quæ conscientiam & pietatem tangunt. Nam *quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.* a

Cæterùm quod etiam isti iactant, Principem legibus solutum,a hoc de legibus pœnarijs intellectum habet: *neque enim vllus ad pœnam vocatur legibus, tutus imperij potestate.* b Nam legibus tum diuinis iisque quæ Naturæ congruunt; tum Ecclesiasticis, tum etiam suis quæ in contractum abierunt, Princeps obligatur. c Vnde nedum ex proprio contractu conueniri potest, verum etiam sui decessoris, d modò tamen ex epistalmate, & auctoritate Principis contractum fuerit; neque ex eiusmodi contractu, Regalibus (quæ res sunt nec mancipi) damnum factum eatur. e His cessantibus, pactis conuentis stare tenetur.

Hinc etiam efficitur Principem priuilegijs, & patriæ legibus deuinciri: adeò vt in præiudicium illorum, quibus ius ex ijs quæsitum est, nequaquam mutare, aut abrogare, quidquam possit. f Eapropter, *maneat honor legum, nihilque ex publica vtilitate conuellatur*: sibique illud Heracliti dictum putet, *magis pugnandum esse pro legibus, quàm pro mœnibus.*

*a Pomp. l. 15. ff de Cond. inst.*
*a l. Princeps ff. de leg.*
*b D. Ambros. Apol. Dauid. c. 4. & 10.*
*c cap. Tuā, de ord. cog. c. omnes Princip. de Maior. & obed. c. omnis vtriusque sexus ibi*

*DD. de Pœnit. & remis.* d *l. Cæsar. de Public. & vect. Ias. in l. Ciuitas de Reb. cred. Abb. & alij c. 1. de Prob. l. Benè à Zenone C. de Quad. præs.* e *C. Intell. de Iure iur. 2. fit. Qui feud. dar. pos. Cyn. & DD. in l. digna vox. C. de leg. Papon. in arrest. Lib. 5. titt. 10.* f *Plin. Paneg.*

## EXEMPLA, ET NOTÆ

I. PRiusquam aggrediamur, libet præmittere illud Lactantij: Quicumque dat præcepta hominibus: ad vitam, moresque fingit, aliorum quidem bona sunt, quæ præcepit: at ipsi eodem modo viuendum est, quò docet esse viuendum: ne si aliter ille vixerit, præceptis suis fidem detrahat, leuioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nitatur adstringere. Cùm igitur quis non faciat, quæ præcepit, quæ insolentia est, vt homini libero velit leges dare, quibus ipse non pareat? homines enim malunt exempla, quàm verba: quia loqui facilè, præstare est difficilè.

*Lib. 4. Instit.*

II. Et illud Isidori, *Iustum est Principem legibus obtemperare suis, tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit posse damnare iura, quæ in subiectis constituunt. Iusta est enim*

*Cap. 2. Dist. 9.*

*vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.* Hæc firmemus exemplis.

III. ANTIOCHVS III. Asiæ Rex potentissimus, inter cætera præclarè gesta, ob quæ commendationem meruit & famam, hoc ei adscribitur, quòd omnibus regni sui vrbibus scripserit: Si quid in litteris, quæ eius nomine scriberentur, esset quod legibus aduersari videretur, crederent ignaro se eiusmodi litteras scriptas esse, & propterea eis non parerent. *Plut.*

IV. Nec minori laude ÆGYPTIORVM REGES dignantur, qui iuxta regionis consuetudinem, Iudices ad iusiurandum adigebant, vt si quid Rex iuberet eos iudicare quod iustum non esset, ne iudicarent: tanti referre putabant, vt Iustitia in regnis seruaretur. *Diod. Sicul.*

V. THEMISTOCLES postulanti à se Simonidi Poëtæ, vt sententiam iniustam ferret, respondit: neque tu Poëta bonus esses si præter numerum caneres, neque ego Princeps bonus si contra leges iudicarem. *Plut. Ap. 15.*

VI. Ab eadem causa à GRATIANO, VALENTE, & THEODOSIO sancitum legimus, ne Iudices habeant rationem rescriptorum suorum, si contra leges imperentur: additâ ratione, *quòd sæpè in nonnullis causis inuerecunda petentium inhiatione Principes constringuntur, vt etiam non concedenda tribuant.* *L. 1. C. de Petit. bon. subl. lib. 10.*

VII. Nunquid etiam consimilis causa permouit ANTHEMIVM Cæsarem, vt diceret, *nihil amplius licere bonis Principibus, nisi quod liceat priuatis?* quod Cæsaris, vt & sequentium Principum dicta, licet sint modestiæ plena, hactenus tamen intelligenda, vt multa liceant Principibus, quæ non licent priuatis. *Nouel. de Bon. Vacã.*

VIII. In eadem classe bonorum Principum celebris ille AGAMEMNON, cuius apud Tragicum tale punctum: *Senec. Troad.*

*Minimum decet libêre, cui multum licet.*

IX. Quid, quod THEODOSIVS & VALENTINIANVS Impp. liberè profiteantur, *Salua maiestatis reuerentia, non dedignari sibi cum priuatis ius esse commune?* Et rursum: *Digna vox* (inquiunt) *maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* *L. fin. C. Theodo. de Appell. L. Digna vox C. de leg.*

X. Ter igitur & ampliùs absurda, & in vltimas orbis terræ oras amandanda, C. CALIGVLÆ vox ista: *omnia sibi, & in omnes licêre.* Tanto dissimilior virtute non solùm Romanis, sed & Regibus Lacedæmoniorum, qui minorem delinquendi potestatem, quàm priuatis hominibus sibi relictam existimabant. *Tranq. c. 29. Isocr. Orat. de Pace. Spartian. in Ant. Carac.*

XI. Talia interdum monstra; quæ etiam in sequiori illo sexu conspicua se reddiderunt. Nam IVLIA AVGVSTA, cùm priuignum suum ad stuprum inuitaret, subiecit: *An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* *Dio. Cass. in Traia.*

XII. Contra quàm melioris notæ Principes, apud quos plus semper valuit honesti & æqui ratio, quàm summa potestas. Præclara, nec satis memoranda TRAIANI Imper. sententia Præfectum Prætorij ense (pro more recepto) accingentis, *Cape*, inquit, *hunc ensem, & si iustè imperauero, pro me; sin aliter, contra me vtare.* *Zas. l. 2. §. eod. temp. num. 25. de Orig. iur.*

Scilicet deuinciri imperando, non secus quàm quibus scriptæ erant, legibus voluit Imperator.

XIII. A quâ mente, vir ille diuinus ad Imper. Valentinianum: *Quod præscripsisti alijs, præscripsisti & tibi: leges enim Imperator fert, quas primùm ipse custodiat.* *D. Ambr. epi. 32.*

XIV. Clarum & decantatum Iustitiæ exemplum in ZALEVCO Locrensium Legislatore, qui lege in adulteros lata, vt oculos in flagitio comprehensi perderent, forsque tulisset vt filius eius adulterij reus testatò probaretur, luminibus extemplò damnatum ibat, nisi (qui erat in eum fauor) tota Ciuitas aliquamdiu repugnasset. Is igitur quò pœnam temperaret, simulque iustum Legislatorem ageret, filio vnum, sibi alterum effodit oculum. Ita legi à se constitutæ satisfecit, aut certè eius rigorem clementiâ temperauit. *Ælian. 2. Va. Cic. 2. de leg.*

XV. Par Iustitiæ cura in CHARONDA: qui lege cauerat, vt si quis armatus in concionem veniret, continuò interficeretur: cùm autem interiecto tempore, ex longinquo rure veniens, subitò indicta concione, gladio, vt erat accinctus in eam veniret, admonitus suæ legi: ab eo, qui proximè sedebat: *Idem ego illam*, inquit, *sarciam*, ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit, cùm alioqui ei licitum esset culpam dissimulare vel defendere: sed pœnam repræsentare maluit, ne qua fraus post illa Iustitiæ fieret. *Val. Max. lib. 6. c. 5.*

XVI. Æquè abscissior Iustitia in MANLIO TORQVATO emicuit, qui supplicio filium affecit, quòd, bello Latino contra imperium, hostem depugnasset. *Liuius lib. 8.*

XVII. Quid de IVNIO BRVTO dicam? qui duos adolescentes filios proditionis conuictos, virgis cæsos securi percuti iussit. *Val. Max. l. 2.*

XVIII. Quid de Cæsare AVGVSTO, qui filiam, & neptem ob pudicitiam prostitutam in insulam relegauit? *Sueton. c. 65.*

XIX. Quid veteribus immoror? Nouitijs exemplis vela pandamus. Erat apud Wandalos, siue Obotritos integerrimus, & inuictissimus Imperator KANVTVS. Is ita ex æquo Iustitiam colebat, inquit Crantzius, vt omnibus indistinctè nocentibus supplicia repræsentaret. non affinitas, non necessitas, non amicitia delicto patrocinabatur, quod hoc facto constat. Depræhensi erant in Mericâ suæ ditionis latrocinantes; quibus vltimo supplicio condemnatis, cùm pœnam sumere carnifices iussisset, ex medio damnatorum grege quidam proclamat esse se de Principis KANVTI cognatione, iure sanguinis impunitatem, & vitam deposcens: quò Rex audito, *Cognato*, inquit, *nostro, vt honoratior sit locus sublimiorem parate crucem.* Liquidum sanè, & singulare Iustitiæ exemplum. *Lib. 3. VVand. Cap. 32.*

XX. Memorabile est, iuxta, ac admirabile factum OTHONIS III. Roman. Imperatoris, quem Annales Saxoniæ ferunt adeò Iustitiæ cultorem fuisse, vt *Mariam* vxorem, Aragonum Regis filiam, quòd rea esset necis Comitis cuiusdam innocentissimi, publicè cremandam iudicarit: Cùm enim fœmina procax oculos in dictum Comitem, virum integerrimum, formâ conspicuum, coniecisset, *Ex eodem Krantio 4. Saxon. c. 26. quem refert Baron. epit. pag. 677. p. 2. anno 998.*

iecisset, atque ab ipso iustam passa esset repulsam, illum de attentata pudicitia calumniosè accusauit apud Imperatorem, qui temerè vxori credens, Comitem morte damnauit: cuius vxor cum capite truncatum audisset, magna audacia, quam dolor nescius pudoris expressit, OTHONEM conuenit pro tribunali sedentem, clamans de nece iustissimi viri vindictam, proiectoque capite viri in medium, ipsum Imperatorem Reum innocentissimi sanguinis alioquitum iura reddentem accusat. Probationem per contactum ferri candentis, veritatis indicem, offert: consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur. Mulier conscia innocentiæ viri sui, arripit illud illæsa, contrectat inusta: quin stringit, vt flores, ignitum metallum: quâ ex re exuruntur præcordia ipsius Imper. cui tunc insultans victrix fœmina, vindictam in Imper. à gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, spondens iugulum, sed poscit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita fœminam exorant Imperatoris, sed frustrà diu laboratum: at tandem eâ conditione transactum est, vt auctrix sceleris *Augusta*, ex qua causa processerat viri iusti necis, flammis comburenda daretur: quod è vestigio factum. Ex quibus duo notabis, seueram Othonis sine personæ acceptione Iustitiam, & quod indicta causa pium illum Comitem condemnauerit.

Hoc Genus probationis, vt prisco æuo receptum, postea per Stephanũ Pap. VI. fuit improbatũ Barõ. An. Chr. 890.

XXI. Bene igitur vir quidam magnus, sciscitanti, quis inter Principes maxime iustus esset, *qui nullas*, respondit, *leges alijs præscribit, quibus ipse parere recusarit:*

*Publica nimirum tum res sibi constat, & æquum*
*Imperium, cùm Rex, quod iubet ipse, facit.*

*Ex Guicciar. in Descrip. Belg.*

XXII. Haud subticendum PHILIPPI II. Regis Catholici factum: Cùm illi iudicium ciuile dictatum esset coram Parlamento Geldriæ, inibique causa Rex cecidisset, atque nullus esset, qui sententiam exequeretur, ipse, ipse inquam Rex magnanimus æquissimusque quò iustitiam in se iuxta atque in alijs seruaret, certos nominauit, qui sententiam ocyssimè exequerentur, nec quieuit, dum pars victrix potiretur, quâ de re disceptabatur. Factum hercle & laudandum;

*Nam nihil, vt verum fatear, magis esse decorum,*
*Aut regale puto, quàm legis iure solutum,*
*Sponte tamen legi sese supponere Regem:*
*Gratia sit magno, qui temperat omnia Regi.*

Vsus Parlamentorum in Gallia.

*Cod. Henrici III. Li. 10. Cõment.*

XXIII. Ac in Gallia quidem eò instituta sunt Parlamenta, vt omnes eius regni incolæ potissimùm nobiles, ac generosi, ius suum legitimis modis etiam contra Reges persequantur. Et sæpenumerò vsu venit, vt in rebus maximi momenti Rex causa cadat, & contra eum iudicetur, vt è multis accidit CAROLO IX. anno 1543. contra Clerum. Verùm, dum Parlamenti incidit mentio, temperare mihi nequeo, quin cum prudentiss. Cominæo improbem nonnullorum imperitorum sententiam, existimantium per hunc Amplissimum ordinem, imminui Regum potestatem. Quæ sententia prorsus vana est, & erronea: quum potiùs Optimatiũ, & populi assensu plus roboris, ac potentiæ Regibus inde accedat, imò & pro-

Retunditur sentẽtia dicẽtiũ Parlamenta nõ esse ex vsu Regũ.

grессus

gressus longè sint fœliciores. Adeò mirarer vel indignarer Regum imminui potestatem: cùm præsertim leges, & statuta condere, velle, iubere, damnare, etiam citra cœtum Ordinum possit, paucis tamen casibus exceptis. Nam & edicta, quæ inibi conduntur, non tàm ordinum, quàm Regis auspicijs publicantur. Est quippè Rex qui iubet, qui statuit, &c. Vnde & THEODOSIVS Imperator ait, *humanum esse* edicta fieri consensu Senatorum, vt ostendat consensum non tàm necessitatis esse, quàm humanitatis. Sed hæc dicta sint ὁδοῦ πάρεργον.

*L. Humanum C. de leg.*

Nemo igitur iam dubitet, Principem legibus alligari. Sed quibus? dixi à diuina, naturalique lege (quod extra controuersiam sit) Ecclesiasticis seu sanctionibus Apostolicis obligari, & mecum Imperator Iustinianus: *Si enim*, inquit, *leges ciuiles, quarum potestatem fidei nostræ Deus concredidit, per omnia firmas, ac stabiles conseruare, ad subditorum securitatem studemus, quantò plus studij debemus circa sacrarum regularum, & diuinarum legum obseruationem ponere, quæ pro salute animarum nostrarum definitæ, & constitutæ sunt?* Firmatque Theodorus Studita, epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum, his verbis: *Neque enim perfectus esse Orthodoxum, sed dimidiatum, qui fidem quidem rectam habere videatur, diuinis verò canonibus non regatur.* Immò ausim cum Cassiodoro dicere: *Tyrannicæ feritatis indicium esse, audire nolle constituta veterum sanctionum.* Vnde tales, siue contemptores sacrarum Constitutionum, seu etiam Ecclesiasticæ libertatis (vt sic dicam) funambulos, horrenda sæpè Nemesi diris exemplis percussos, perire, permultis exemplis doceri potest. Agesis, è tanta copia, illustria quædam producamus.

Quibus legibus Principes alligētur. *Nouel. 137* *Adde Cōc. Tol. 3. 4. 8. & 18.* *Apud Baron. An. Chr. 808.* *8. Var.* Ecclesiasticæ libertati repugnātes seuerè à Deo puniri.

I. Satis constat, HENRICVM IV. Occidentalium Imperatorem primum, posteaquam multas Ecclesiæ Romanæ intulisset iniurias, atque à *Gregorio VII.* Pontifice Maximo eam ob rem anathemate percussus esset, haud ita diù post à proprio filio Imperio priuatum, & quæ ei fuit extrema calamitatis linea, ab omnibus destitutum, extra Imperij fines, exulem tristissimo fato concessisse.

*Naucler. vol. 3. Gene. 37.*

II. Idem vitæ exitus contigit HENRICO III. quem historiæ Leodien. aliæque narrant magnum fuisse Religionis contemptorem, schismatum acerrimum suscitatorem, eaque de causa Regiâ administratione non solùm priuatum, sed etiam anathemate percussum Leodij miserrimè mortalitatem explêsse, eiusque corpus quinque Annis insepultum iacuisse.

*V. appendicem Io. Magni ad Hist. Gothor.*

III. LVDOVICVS autem IV. post, cùm à Sede Apostolicâ semel & iterum anathemati datus esset, primùm à *Ioanne XXII.* posteà à *Clemente VI.* (in cuius defensionem contra Ecclesiæ Romanæ immunitates, & iurisdictionem temporalem, Poëtæ illi, & Rhetores hoc nomine infames Petrarcha, Dantes, Marsilius, alijque permulti scripserunt) quum in venatione esset, subitâ paralysi omnium membrorum correptus, quo decidens, miserrimè è vita discessit.

*Indidem.*

IIII. VALENTINIANO, & VALENTE fratribus, cum GRATIANO huius filio imperantibus, lex lata fuit Ecclesiæ omninò damnosa, & prorsus iniqua. Hi namque tres constituerunt, ne quid viduæ, clericis, aut Ecclesiæ posset legari. At

*Lib. 16. Cod. Theod. tit. de Episc. & cler.*

qualis horum exitus? Ecce imprimis VALENTINIANVS, non ita multò post hoc edictum, infœliciter admodum (vt scribit Ammianus) Brigittione hac luce priuatur. Cui succedens in Imperio GRATIANVS vnà cum patruo VALENTE, rursum neglectis, ac imminutis Iuribus Ecclesiasticis, statuerunt, vt Sacerdotes criminum rei, ad illustres potestates duci possent. At quid ijs factum? eodem die, quo hæc edixerant, Gotthis ad Istmum à Valente collocatis in Romano solo, ab ijsdem victus, & concrematus fuit, suffectusque illi à Gratiano *Theodosius* in Orientali Imperio. GRATIANVS autem à CLEMENTE MAXIMO, qui Imperium à Britannia occupauerat, ad Lugdunum victus, & occisus fuit.

*Append. Io. Magni in Hist. Goth.* V. IOANNES Rex Angliæ ob consimilia patrata scelera toxico miserrimè perijt.

VI. Pares taceo, immò & deteriores exitus MAVRITII, MICHAELIS, CONSTANTINI, POGONATI Orientalium Imperatorum; taceo FRIDERICI BARBAROSSÆ, OTHONIS IV. FRIDERICI vtriusque aui, & nepotis, aliorumque plurimorum Occidentalium Imperatorum immaturas, & miserandas mortes, quas eleganti penicillo depingit Reuerendissimus Guilielmus Genebrardus Archiepiscopus ad Aquas sextias libro de sacrarum elect. iure, ac potestate, & R.P. Thomas Bozius multæ, & eruditæ vir lectionis, lib. 23. de Signis Ecclesiæ, Signo 65. & quem primo loco appellasse debui, fama inclytus ille Baronius, tom. 10. Annal. Anno Christi 846. num. 13. & seq. & noster Chapeauillus quondam Vicarius Leodien. tom. 2. annal. Leodien.

*Principes ditionũ suarum priuilegijs obligari.* Denique, vt hoc caput ad exitum perducam, dixi in extremo documentorum *Principem legibus & priuilegijs patriæ obstringi*, quod ipsum exemplis iam confirmandum.

I. Perspicuum est, REGEM GALLIÆ regnum capientem, in solemni coronationis sacro, iurare, promittereque se omnia iura, libertates, priuilegia publica & priuata iuri communi non contraria, Ecclesijs, Principibus, Baronibus, nobilibus, ciuibus, incolis per suos decessores Reges iuste donata, ab Ordinibusque tempore interregni statuta obseruaturum, &c. Iustitiamque omnibus incolis iuxta iura publica administraturum. Eademque est reliquorum Regum Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, Imperatoris Germaniæ in suis Christianis regnis, & Imperijs conditio.

*Annal. Angl. in Ioanne, An. 1216.* II. Quò iustius IOANNIS Angliæ Regis factum reprehendendum: à quo cùm proceres petijssent, vt sincerè confirmaret illis antiquas patriæ leges, & libertates, quemadmodum regno inauguratus iurauerat; isque eas ad se transmissas accuratè, & singulatim perlegens, cum iracundia respondisset: *Se non magis velle, aut posse eas ratas habere, quàm diadema regni sui tradere*; proceresque contra retulissent, sese eum bello sempiterno prosecuturos, donec ijs confirmandis iuramento suo satisfecisset, emissisque in omnes regni partes edictis, belli huius caussas veras exposuissent: mox non solùm omnes per regnum Magistratus, qui regio nomine

publica

publica munia curabant, ab officijs suis exequendis destiterunt, sed & omnes Regis famuli domestici eum deseruerunt, adque proceres conuolarunt ; adeò vt ex toto comitatu, sæpè tentatum equites eum assectarentur. Quò tandem factum est, vt postulatis libenter assenserit, easque interposuerit fidei suæ præstandæ cautiones, quas ipsi proceres desiderarent.

III. Postremò, DVCES BRABANTIÆ in Belgio, more institutoque maiorum eodem se obstringunt iuramento: iura videlicet, libertates, & priuilegia patriæ sese obseruaturos. sic autem se habet iuramentum : *Iuramus nos ius sacrosanctæ Ecclesiæ, & ius Marchionatus sacrosancti Romani Imperij, vniuersaliter illorum statuta, priuilegia, chartas, libertates & omnia illorum iura, consuetudines veteres, & nouas, necnon priuilegia nostri iucundi introitus, quæ à nobis, & maioribus nostris Statibus Brabantiæ data, & concessa sunt, nullis quidem exceptis, firmiter obseruaturos, & obseruari facturos, nosq; aduersus, & contra eadem non facturos, aut fieri permissuros in toto, vel in parte, quouis pacto : Et quòd nos illa omnia faciemus, quæ boni, & iusti Domini, ac Marchiones sacrosancti Romani Imperij suis bonis subditis eiusdem Marchionatus facere tenentur, & obligantur; Et quidquid horum infractum, & innouatum est, reparabimus & restaurabimus. Sic nos Deus adiuuet, & omnes Sancti eius.* Atque hactenus de Iustitia, legibusque, quibus Principes obligantur, Nunc de Iustitia in alijs seruanda dicendum est.

---

## CAPVT III.

*In alijs quidem vniformem exequatur Iustitiam,* cùm demùm Iustus ille fit, & qui secundùm leges viuit, & qui ab æqualitate non discedit. *Arist. ad Nicoclem.*

HANC autem æqualitatem ad analogiam Geometricam reducamus necesse est. Cùm enim de Iustitia distributiua, quæ nimirum ad præmia & pœnas distribuendas, pro ratione, ac varietate meritorum pertinet, maximè agamus, certè prudentis est Principis, sic animum suũ comparare ad exercendam inter pares, & impares Iustitiam, vt potiùs Geometricam, quàm Arithmeticam in cognoscendo seruet analogiam. Quemadmodum enim τὸ δίκαιον κατ' ἀναλογίαν, *ius quod consistit in æqualitate analogica, est præcipua caussa conseruans Respublicas: ita etiam* τὸ ἄνισον παρὰ τὴν ἀναλογίαν, *inæqualitas contra analogiam, præcipua caussa est, per quam Respublicæ mutantur, & corrumpuntur.* *Plato 6. de leg.*

Neque id mirum cuiquam videri debet. Quis enim non sciat, si eadem munia, officiaque, præmia, & pœnæ, nobilibus iuxtà ac ignobilibus; peritis, & imperitis; benè meritis, & indignis distribuantur, interturbari ciuilem politiam, decusque omne virtutis interire? *Hæc autem facilè effugeris si dictam inæqualitatem tenebrarum & litium matrem cane peius & angue execratus fueris.* *Philo. de Principe cap. 4.*

Xenoph. lib.2. Cyriped. Vnde Cyrus Rex apud Xenophontem: *Nihil*,inquit,*inter homines inaequalius, & lethalius duco,quàm & ignauum,& fortem virum aequalia consequi.*

Tacit.2.& 4.annal. Coryphæus ille Historicorum censebat *Principem offensiones vitaturum,si quosdam Magistratus sortiri nominatim,quam eligi malit. Vt enim fatear sorte & vrnâ mores non discerni,tamen ambitioni aut inimicitijs per sortem locus non erit.*

---

## EXEMPLA.

1. VT à pœnis exordium sumamus,perspicuum est Nobiles,quàm ignobiles mitiùs à iure puniri. Nam ecce lex Viscellia plagiarios seruos ad bestias proijci,ingenuos securi percuti,aut in metallum damnari; si verò persona sit honestioris conditionis,relegari iubet.Sicarios alia lex extremo supplicio affici mandat;nisi fuerint in aliqua dignitate constituti. Item alia incendiarios damnat ad bestias obscuriores homines;gladio,vel exilio nobiliores. In summa,serui semper seueriùs,quàm ingenui,Romanorum legibus puniuntur. Nam ingenui fustibus;serui flagellis puniuntur. Inter ingenuos mitiùs castigantur ciues, quàm peregrini;nobiles,quàm plebeij;famosi,quàm integræ vitæ rei. Sic nec Decurionẽ quantumcunque crimen admisisset,aut in metallum,aut in furcas damnari patiebantur. Neque id Romanorum tantùm,sed & omnium penè populorum proprium fuit. Nam legibus Francorum, ac Saliorum quam plurimæ pro cuiusque statu,ac conditione pœnæ infliguntur. Quin etiam illi ipsi populorum omnium barbarissimi Indorum,qui ad occasum positi sunt,cùm eiusdem sceleris conuictũ nobilem,& plebeium tenerent;nobili,capillos,aut brachialia truncabant;plebeio nares,vel auriculas præcidebant. Sic & ijsdem Francorum legibus,præsertim in Ditione Delphinatûs,nobiles sunt ferè exempti à tributis soli : quod & edicto Christianissimi Regis cautum scimus. Anno 1602

Analogiã Geometricã considerari in Iustitia distributiua: quod defenditur, & exemplis Illustratur.

Ex quibus clarum fit,in Iustitia distributiua attendi analogiam,seu proportionem Geometricam;contra quam in Commutatiua, quæ circa contractus versatur,in quâ res rebus priuatorum,proportione Arithmeticâ commutentur,earũque tantùm ratio habetur,non personarum. Enimuerò non est audiendus Aristoteles,qui Geometricas rationes in præmijs, & spolijs distribuendis adhibendas putat,in pœnis verò decernendis Arithmeticas. In quo non tantùm iuris,ac Iustitiæ fundamenta subuertuntur,sed etiam Philosophiæ decreta , quibus constat ea quæ inter se contraria sunt,eadem subsistere disciplina. Quamobrem si præmia Geometricis legibus cuique tribuenda sunt , & pœnas ijsdem legibus irrogare oportet.

At iuris vtriusque Interpretes,Oratores,Historici,æquè ac legũ latores mitiùs nobiles,ac illustres personas,vt diximus,castigari volunt ( quamquam leuissima pœna

pœna illustri viro grauissima videtur) vt cæteri ad virtutem,& veræ nobilitatis(quę potissimum in virtute consistit ) studia inflammari possint. Verùm enimuerò, quoniam vulgus est naturâ liuidum , dum videt mitiùs cum optimatibus agi, suas verò injurias acriùs vindicari, sæpissimè queritur aduersus optimates, & potentiores , quorum alioqui conditioni maximè est consentanea proportio Geometrica; atque ita, cùm difficile sit eum, qui majestatis imperio præest, sic præmia,& pœnas meritis cujusque tribuere, nullus vt sit , qui disparitate non offendatur, rectissimè Auctor librorum de Republica , Harmonicam fingit proportionem, Arithmetica, ac Geometrica temperatam : de quâ, quoniam ipse ex professo tractat, nihil hìc tangam, contentus hæc ab eo libasse. Quemadmodum igitur ciuilis intertur batur politia, pœnas ciuibus decernendo secundum proportionem Arithmeticam : ita etiam honorum distributio, immunitatumque concessio , secundùm eandem æqualitatem Arithmeticam , in causa sæpenumerò est, vt ciuilis ordo interuertatur, aut certè subditi grauissimè offendantur. Quis enim nesciat grauissimas, funestissimasque oriri offensiones, si ignobilibus perindè, ac nobilibus , immunitates concedantur, *honoresque distribuantur.

*Lib. 6. c. vlt.*

**V. Papon. li. 5. Placitorũ Curiæ tit. 10. Placito 39.*

II. Neronem quidem legimus *Tigillinum* ad maximos honores euexisse quod ex intimis istius Principis libidinibus assumptus esset, at quam indè sibi maleuolentiam & populi odium concitauerit, Annales istius æui satis ostendunt.

*Tac. li. 12. annal.*

III. Super quo insigne etiam extat Caroli Simplicis, Galliæ Regis exemplum apud Papirium Massonum , qui scribit eum à proceribus Regni derelictum ad Suessionem propter *Haganonem* Laudunensem. Hic modicæ originis solus omnium consiliorum particeps erat : ac sine illo , neque domi, neque foris quidquam ardui gerebatur. Tanta obscuri hominis gratia Regi ipsi exitio fuit : cùm proceres molestè ferrent, vnum omnibus , eumque ignobili proximum nobilissimis viris anteponi.

*Lib. 2. An. Franc.*

IV. Theodoricvs quoque Rex à proceribus regni in monasterium detruditur, propter injustam honorum in plebeios distributionem : nam & cubiculariis suis totam Reipub. procurationem , ipse interea in priuatis parietibus delitescens, committebat.

*Ex Gaguino lib. 3. de Gest. Frãc.*

V. Quid de Lvdovico XI? qui sutori suo, fecialis, ac internuncii : tonsori, Legati : medico, magni Cancellarii munus deferebat.

*Bod. 6. de Rep.*

VI. Quid de Philippo Pvlchro? qui in honore, & vsu maximo semper habuit *Nongaretum*,& *Maniriacum*, obscuros, & flagitiosissimos homines : quæ res quas ei molestias, & turbas, nec sine pessimo publico, attulerit , narrant certissima historiarum monumenta.

*Heier. li. 12*

VII. Gallias mittamus: Imperio Romano Arcadivs , Honoriusqve fratres præerant, cum *Ruffino* & *Stilicone* , tutoribus, rerumque arbitris : ij in Aula cujusuis farinæ homines, imò ad præcipuæ notæ dignitates, juxta nobiles,& ignobiles, peritos,& imperitos, strenuos,& imbelles admittebant, atq; inter hos, *Bargantem*,

*Baron. ex Zesim. to. 5. Annal.*

*tem* quendam, qui ex venditore farciminum proditionis arte eò progressus est, vt inter primos in Palatio militaret. Verùm quam cladem ex indiscreta eiusmodi honorum distributione Roman. Imperium acceperit, plenæ sunt historicorum chartæ.

VIII. Vnde consequitur cauendum Regi, ne indignos, & culpatæ vitæ homines præmiis, & honoribus afficiat; dignos verò & virtute spectatos, neglectui, aut despicatui habeat. Mali namque vel indigni, beneficiis ornati, & in amicorum & consiliariorum numerum à Regibus recepti, exitio Regum, & vigent, & cadunt. Veluti SEIANVS ille Taciti, qui cùm ad summos honores Tiberii beneficio euectus esset, postea ad mortem adactus, magno Romanorum exitio & periit, & floruit. Neque enim ad magnos, & excelsos honores euecti (vt rectè notauit A. Scotus) gerentes se malè, sine multorum hominum incommodo res innouare possunt. Vnde sequitur, vt semper illorum ruina cæteros qui illos secuti sunt, trahat, & extinguat, nec id quidem sine maximo, & prægrandi Principum damno, lethalique offensione: Nam, vt hoc ex P. de Aragona addam, quamuis Rex vel Princeps sit dominus Officiorum publicorum grauiter tamen peccat si indignis illa conferat, estque reus omnium damnorum, quæ peruersa administratione sequuntur. In quâ sententiâ est quoque P. Lessius tract. de Iust. & jure lib 2. cap. 13. Dub. 3. qui etiam num. 15. subiicit mortiferè peccare, qui omissis aptioribus minùs idoneos assumunt. v. Sotum d. tract. quæst. 6. art. 4. & multò magis si officia quæ annexam habent Iurisdictionem vendant, vt claris ostendit argumentis.

*Lib. 4.* *In Tacit.* *Tract. de Iust. & in re quæst. 62. art. 2.* *Ibidē Dubit. 4. num. 28. & Nauar. cap 25. num. 7.*

---

## CAPVT IV.

### *Sed & juridicundo præsit ipse si potest; omni affectione aut intactus, aut major.*

CVm enim perspicuum sit Principes & Dynastas legum esse custodes, publicique juris administros, quotusquisque non dicet, *ipsorum esse proprium, facere judicium, & Iustitiam*? Rectè enim Philosophorum columen scribit: *Reges custodiæ defensionisque causa constitutos: vt & locupletes prohibeant iniuria, & inopem multitudinem, contra locupletum iniurias tueantur.* Quod ipsum probe exsequi non poterunt, nisimetipsi cognitoris munere fungantur.

*D. Hieron. c. Regiam Officium 23. q. 5. Arist. 5. polit. c. 10.*

Ius itaque Princeps dicati; Iustitiamque, *summum in Regibus bonum*, eâ seueritate colat, ne vnquam *varietur gratia, sed conseruetur æqualibus.*

Quod si maioribus intentus curis nequeat, viros præficiat *sanctos, & fideles, &* num-

*Arist. Plin. Paneg. Cic. epi. 1. ad Q. Frat. Lamprid. in Alex. Exod. 18. ver. 21. Epist. ad Q. Fra.*

*nunquam venales* : iuxta consilium Iethro datum Moysi : *Prouide*, inquit, *de omni plebe sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* —— *Par ui enim refert*, ait Cicero, *abs te ipso ius dici æqualiter & diligenter, nisi idem ab ijs fiat, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris.* Hoc fine, puris manibus illos præficiat. Vbi enim mercalis est iudicatus, ius quoque, & Iustitia vendatur necesse est, quum *necessarium sit, vt qui emit, vendat : nec sine rubore puniri possit is, qui, quod emit, vendit* : quâ de re alibi latiùs dicemus.

Porrò, litigandi studium studiosè minuat : *ne legibus fundata ciuitas, legibus euertatur.* Etenim vsu constat, licet *permulta præclarè legibus sine constituta, ea tamen iureconsultorum ingeniis corrumpi, & deprauari.*

Iustitiam quoque administret ex præscripto scriptarum, & non scriptarum legum : *cum in legibus sita sit, & Reip. salus,* —— *& judicum auctoritas.*

*Respice quid moneant leges, quid Curia mandet :*

—— *Neque* enim *vtendum imperio, vbi legibus agi potest.*

Denique, nouas leges restrictè ferat. Namque legum copia, *ciuitas* corrumpitur, & *vastatur magis, quam corrigitur.* Plato apertè asserit : ὅτι παρ' οἷς νόμοι πολλοὶ, καὶ δίκαι παρὰ τούτοις, καὶ βίοι μοχθηροί : *Quòd vbi leges multæ, ibi & lites multæ, & vita, moresq; praui.*

Sed nec antiquas temere mutet : Certum est enim, *super omnibus negotijs, melius, atq; rectius olim prouisum, & quæ conuertuntur, in deterius mutari.* Ideò rectè Vlpianus respondit, *in rebus nouis constituendis, euidentem vtilitatem esse debere, vt non recedatur ab eo, quod diu æquum visum est.* *Quæ enim in suo statu manent, etsi deteriora sint, tamen vtiliora sunt Republic. his quæ per innouationem etiam meliora inducuntur.*

Quod hactenus verum, nisi summa necessitas, & temporum mores aliud exigant. Hîc enim incongruum minus erit, si mutentur : modò leuiter, & sensim id fiat, *vt quàm minimo sonitu, orbis ille in Republica conuertatur.* Lex enim non meretur nominari lex, nisi *consuetudini patriæ, loco, tempori conueniat.* Itaque imperitos non debemus imitari medicos *qui vno collyrio omnium oculos curare solet.*

*Nouel. Iust. de Mand. Princ. c. 1. Dict. Alex. Seueri apud Lamprid. Plin. Paneg. Cic. pro L. Mur. na. D. Aug. Erit autē distinct. 4. Arist. 1. Rhe. c. 3. Iuu. sat. 8. Tac. 3. An. Sall. Frag. Li. 3. de leg. Ta. 14. An. De Const. pecun. Diocass. lib. 52. Cic. 11. ad Attic. D. Aug. de vera rel. Cap. Necesse 29. dist.*

---

## EXEMPLA ET NOTÆ.

INter eos Principes, qui summo cum studio juridicos suis se subditis præbuêre Romanos maximè excelluisse comperio. Nam ecce,

I. AVGVSTVS Cæsar, inquiente Suetonio, *jus dixit assiduè, & in noctem nonnunquam etsi parùm corpore valeret, lectica pro Tribunali collocata, vel etiam domi cubans.* *Cap. 33.*

II. De TRAIANO Plinius : *Tam assiduus in tribunali, vt labore refici, ac reparari videretur.* *Paneg.*

III. Ac vt in compendium reducam multos Principes, qui pari assiduitate atque diligentia jus ipsi suis subditis reddiderunt, ecce legimus IVL. CÆSAREM, *a* TIBERIVM, *b* CLAVDIVM, *c* VESPASIANVM, *d* SE-

*a Sueto. c. 43.* b *Idem c. 33.* c *Id cap. 14.* d *Cap. 21.*

VERVM,

a *Herod.3.* VERVM, *a* CONSTANTINVM, *b* jus assiduè, juxta ac laboriosissimè. Idemque cæteris Impp. perantiquum fuisse colligitur ex l. Imperialis, de Prohib. feud. alien. l. Imperatores, de jure fisci. l. Offilius, de leg. 3. Hinc VALENT. THEODOSIVM & GRATIAN. Impp. *Iustitiæ Sacerdotes*, Symmachus Vrbis præfectus vocat apud Ambros. epist. 30. Quippè Iustitiam veteres *Virtutem Regiam* nuncupauerunt: quod illa virtutum aliarum Regina, Regibus imprimis necessaria sit. Vnde Regina Saba Regi Salomoni inquiebat: *Constituit te Deus Regem, vt faceres Iudicium, & Iustitiam*, & Salomon ipse jussus à Deo postulare quidquid vellet: *Dabis*, inquit, *seruo tuo cor docile, vt populum tuum judicare possit.* Hoc etiam Israëli quondam positum in mandatis: *Nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia judicium Dei est.*

b *L. 1. C Quand. Imp. int. pup. & vid.*

*3. Reg. 10.*
*3. Reg. 3.*

*Lib. 3. de Gest. Frãc.* *Prou. 29.* IV. Scriptum est apud Gaguinum grauissimum Gallicanarum rerum scriptorem, DAGOBERTVM Galliæ Regem *sollicitè juridicundo præfuisse, sine vlla acceptione personarum.* Legerat fortasse illud Sapientis: *Qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.*

*Ll. 5. Belli Neap.* V. Similiter CAROLVM VIII. certis diebus cognouisse de querimoniis atque caussis omnium, qui quaque de re aliquid ad ipsum deferrent, auctor est Philippus Cominæus, *quod pauperum, & miserorum hominum causa* (vt idem addit) *imprimis faciebat. Tametsi autem Carolus non multa perficeret, tamen eò pertinebat institutum hoc, vt Præfecti in officio metuq; continerentur: quod satis vtcunq; erat ad perfectam Iustitiæ administrationem.*

*Basinus in Ann. Lusit.* VI. LVSITANIÆ quoq; *Reges*, certis etiam diebus cuiuslibet hebdomatis in Senatu præsidere solebant.

VII. Ne multis abauorum sæculo CAROLVS Burgundiæ Dux cognomento AVDAX, pessimè alioqui de Leodiensibus meritus, diebus tribus: multis verò ante eum sæculis CAROLVS MAGNVS die vno in hebdomada, Iustitiæ sacra peragebant. Verùm hic volebat, vt se præsente, illæ tantùm causæ agitarentur, in quibus eius ministris jus dicere noluissent, & qui ligitabant, iniuriam sibi factam quererentur, vt hoc fræno coërcitis Iudicibus, integra, & inuiolata Iustitia staret. Quod ipsum quoque *Iustinianum* constituisse videmus: nempè vt sicubi actus rerum cessaret, emendaret ipse, & ceu Coryphæus excitaret.

*Nouel. de Mand. Princ. c. Sit tibi quoq; studium.*

*Li. 6. Cõf. c. 3.* VIII. Sed nec omittendi magni illi Præsules AMBROSIVS & AVGVSTINVS. Ille à discipulo Augustino sic obrutus scribitur alienarum causarum multitudine, vt vix daretur ei respirandi facultas, atque adeò, vt toto tempore quo ipse Augustinus Mediolani resedit, nunquam nactus sit Ambrosium ab his liberum, & ociosum: vt (quod diutiùs exoptauerat) mentis suæ tricas, quæ animum in diuersa distraherent, prolixiori sermone apud illum exponeret. Atque hoc quidem vitæ institutum tenebat Ambrosius, tametsi variis Ecclesiasticis muniis distructissimus, quæ sic strenue solus obibat, vt (Paulino inquiente) circa baptizandos ipse solus impleret, quod post eius obitum vix quinque Episcopi perficere potuerunt.

*In vita D. Ambrosij.*

XI. *Diuus*

IX. *Diuus* verò AVGVSTINVS magiſtri ſui veſtigiis inſiſtens, adeò indefeſ-ſo & incitato ſtudio dirimendis cauſarum controuerſiis rapiebatur, *vt eas* (verba ſunt Poſſidii) *aliquando vſque horam refectionis, aliquando autem tota die jeiunans, ſemper tamen noſceret, & dirimeret.* *In vita D. Aug. 19.*

X. Inſeratur ſanctis iſtis Præſulibus, Sanctus Rex Ludouicus IV. Galliæ Rex, qui adeò vſque Juſtitiæ cultor erat, vt ſine vlla prorſus acceptione perſonarum controuerſias quorumlibet audiret, juſque omnibus ex æquo aſſiduè redderet.

Sed audio voces: alia eſſe nunc tempora: Demus, ſed deteriora: ſi hodierni Iuſtitiam non ſuſtineant, aut velint exercere, at habeant Cognitores, & Officiales ab integritate & eruditione ſpectatos qui hujuſmodi onera ſubeant, *viros* dico *ſanctos, fideles & nunquam venales*; ex præſcripto diuini Numinis, quod in Aphoriſmis diximus. & tales abſtineant etiam à Sympoſiis cum litigatoribus, id quod Cæſares Arcadius, Honorius, atque Theodoſius lege cauiſſe videntur, dum ne meridianis horis à litigatoribus Iudices viderentur, ſanciuit. Quibus verbis prandij tempus intelligendum eſſe oſtendit vir eruditus Ianus Langlæus lib. 11. Semeſtrium cap. 1. qui vt erat Senatus Prouinciæ Celticæ Conſiliarius, ita teſtatum facit in iſto celebri Senatu vſu receptum, vt nedum Senatores, ſed & Cauſidici abſtineant à conuiuatoribus. *L. 1. in C. Theod. de offic. Iud. Ciuil.*

Porrò, quod dixi lites à Principe minuendas, hoc & ipſa humanitatis ratio dictat, & ciuilis politiæ tranquillitas. Incredibile enim dictu, quæ telæ abuſuum ex hoc magno litium ſtamine, & ſubtegmine enaſcantur, idque in longè maximam ſingulorum captionem.

I. Quod probè quondam conſiderans IVLIVS CÆSAR *jus Ciuile ſtatuerat ad certum modum redigere, atq; ex immenſa diffuſaq; legum copia, optima quæq; & neceſſaria in pauciſſimos libros conferre.* *Suet. c. 44.*

II. Quod quidem multis poſt ſeculis præſtitit IVSTINIANVS: ſed profectò, longè aptiori quadro, quæ illius erat ſagacitas, ſummaque prudentia, in aliam formam multò videlicet breuiorem, redegiſſet Cæſar, niſi violento fato, citiuſque voto occubuiſſet. *Anno à Christo nato 531.*

III. Ferunt etiam CICERONEM idipſum excogitaſſe. nam & olim fuit liber eius, *de jure ciuili in artem redigendo*, qui etiam ab Agellio Grammatico appellatur: cujus vt vſuram haberemus, optandum ſanè quàm eſſet. Vt vt ſit, haud inutile eſſet, ſi Cæſar aliquis communes (ſic loquimur) Juriſconſultorum opiniones (quid enim? eò miſeriæ ventum eſt, vt in interpretandis legibus quot capita, tot ſententiæ ſint) in corpus ceù breuiarium quoddam, ad inſtar Nouellarum Conſtitutionum conſarcinaret, & hanc vel illam ſententiam in judiciis ſequendam conſtitueret. Deus faciat, vt ſol ille in hac errorum, & opinionum nebulâ litigantibus aliquando exoriatur. Plerique enim conſulti haud ſunt abſimiles Byzantino illi Oratori, qui interrogatus, *Qualis Byzantiis lex eſſet? Qualem ego volo*, reſpondit: adeò ſunt *Noct. att. 1. c. 22.*

infinitæ opiniones, quæ aliòuersum atque scriptæ, & intellectæ sunt antiquitus, à plerisque Iurisconsultis hujus æui capiuntur.

*Tranquillus c.10.* IV. VESPASIANVS quoque non paucis post Cæsarem lustris, quò longas litium series tolleret, *sorte elegit, per quos judicia Centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigantium ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentq; ad breuißimum numerum.*

*Bellefortius Hist. Gall.* V. Nouissimis verò temporibus CAROLVS IX. Galliæ Rex, quò similiter litium nascentium fibras sensim circumcideret, judicarium vectigal instituit: *Vt quicunque litem intenderet, dependeret in fiscum regium duos aureos, recipiendos si jure litigasse judicatus esset: sin perperam, relinquendos.* Hoc fortassis Romanorum imitatione: qui tametsi in libera Republica difficulter vectigalia imponi sibi paterentur, vectigal tam judiciarium patienter tulerunt: adeò vt decimam partem litis ejus rei, quæ in controuersiam veniret, in priuatis; aut quintam, in publicis judiciis imperarent. Caligula tamen quadragesimam litis expressisse Tranquillus scribit. *Cap. 40.*

*Hoc fine tollet, si minuat numerū pragmaticorum, eorumq; fraudes, & captiones.* VI. Sed & minuendis litibus juuabit, si numerus pragmaticorum recidatur, qui propè cùm sit infinitus, singulique capturis, & lucro forensi sese sustentare debeant, eo fit, vt lites satis per se claræ, & expeditæ, longiùs repetitis ambagibus sinuosæ reddantur. Aut è contrario, lites, & causæ disceptationis non expeditæ, ac potiùs injustæ, defendendæ ac perdendæ potiùs suscipiantur: vt dicere cum nonnullis hodie liceat: *Concessum in foro latrocinium*: & cum Tragico Græco:

*Sophocles. Antigone:*

—— —— *Sæpè homines maximi*
*Labuntur insanum ob lucrum turpißimè,*
*Causas iniquas.*

Atque hinc fit, vt clientes accisis in foro facultatibus, solum miserè vertere atque ad rapinas, artes iniquas, illicitasque sese conuertere cogantur, quò lacunam rei familiaris istorum fallaciis factam explere possint. Vt mirum non sit Themistoclem dixisse: Si mihi quis duas vias monstraret, alteram ad infernum ducentem, alteram ad tribunal, multò lubentius ingrederer eam quæ rectà ad infernum duceret. GALEACIVS Mediolanensium Dux, cùm aliquoties audisset vafro ingenio Causidicum esse, qui lites serere, & satas producere, atque alere etiam in liquido jure posset: hominem ad se accitum affatur: *Debeo*, inquit, *pistori meo centum aureos. Non lubet soluere: tu ecquid tueri me in jure, & rem protollere potes?* Annuit largiter, & Principi promptè se dedit: sed iste ei malum. Nam fraudis sic confessum, verbis priùs increpitū, laqueo publicè necari jussit. Sed omissâ seueritate quæ vix hodie in exemplum trahatur, optandum quidem esset, vt saltem Principes hodierni æui attendant ad strophas, & grassaturas forenses, easque solerti curâ, & studio detegant; detectas corripiant; correptas, si non tàm acri pœna, at foro procul eliminent. Detegent autem ex facili, si viros probos, & rerum forensium vsu spectatos

*I. Lips. in Mon. & exem. pol.*

consu-

consulant: vt intellectis ab iis captiunculis, & ambagibus, & circumscriptionibus, quibus scatent tribunalia, aliis procedendi formulis, aut certè breuioribus, & strictioribus, miseris succurrant litigatoribus. Qua in re hoc decet esse diligentiores, quod subditi quò minùs litium sumptibus exhauriuntur, eò locupletiores erunt, & promptiores in subueniendis fisci necessitatibus: præterquam quòd indulgentia illa majorem cauillandi materiam subdolis illis præbebunt, & diuinam quoque offensionem sibi accersent: *quia qui non obest, cum potest injuriæ, tam est in vitio, quàm qui facit*, &c, vt est in Damasi rescripto, *Non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Cic.1.de off.ca. Qui pont.23. q.3.

Luteriæ non ita diù ortam esse seditionem scio, inter gentem Parlamenti, & Præsides. Hi cùm malo more, viderent incisos legum neruos, statuentium super salariis pragmaticorum, easdem leges serio retractandas statuebant. Verùm, quibus ea parabantur obstrepentibus, & sumptis in audaciam animis penitùs reclamare; adeo vt vnius fere mensis justitium fuerit ab Curiæ conuentu. Septem & trecenti (mirus numerus) secedebant, & à causidicina vltrò se submouebant, tandem negocium ita compositum, vt Aduocati in calce Consultationum adscriberent honorarium à cliente datum. Procuratores verò, quod mercedis daretur, regestis suis annotarent. Olim quidem, maximo Reipublicæ bono, certum in singulas causas Patronis causarum à Principè definitum erat honorarium, vt patet ex Taciti *Libro Annal.* 11. & Suetonii *Nero.c.* 17. aliisque. Quem morem si Principes hodierni reciperent, breui deprehenderent, quantum is valeret ad augendam, stabiliendamque Rempublicam. Docet monetque Ammianus Marcellinus: *Cùm rectè*, inquit, *procedunt judicia, delubra sunt æquitatis, cùm deprauata, foueæ fallaces, & cœcæ: in quas si captus ceciderit quisquam, nonnisi per multa exsiliet lustra, adusq; ipsas medullas exuctus.* Vt merito maximo in cælum tollendus sit LVDOVICVS XI. quem totis viribus in hoc incubuisse ferunt, vt optimis legibus Gallia constitueretur, & litium forensium, (quibus intumeris scatebat) tollerentur tricæ atque ambages, vt videre est in Commentariis Philippi Cominæi. Quo etiam nomine laudandum est statutum illud Patauinum, ne conjuncti, vel affines in controuersiis Iudices alios adeant, quam arbitros, coram quibus vadimonio citati, ex æquo bono res terminetur. Ita, quod multis fermè lustris litigatoribus non licet, suum breui temporis compendio assequuntur, aliàs fortè litibus consumendum. Nam plerumque videmus, ad restim redactos, non recusare quiduis tandem depacisci, vt è nassa controuersiarum eruantur. At pergamus. An.1602. V.Pet. Matth. tom.1. Lib.30. Lib.9. Super quo scripsit M. Antonius Blancus I.C. Patauin.

Addidi quoque in Aphorismis, *Iustitiam administrandam ex præscripto legum*; quod Plutarchus insigni hoc apophtegmate comprobauit. Iustitiam exerceat ad regulã legum.

I. ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, roganti quinam essent Spartanæ Ciuitatis præfecti? *Leges*, inquit, *ac legitimi Magistratus.* Grauiter censuit, in Repub. bene instituta, supremam auctoritatem esse legibus deferendam, nec vlli magistratui fas esse quidquam contra leges publicas tentare. In Lacon.

Stoba. ser. 41. II. At SOLON percunctatus, quo pacto salua esse posset Respub.? respondit: *Si cives quidem magistratui obediant, magistratus autem legibus.* Sensit vir sapientissimus, eam demùm ciuitatem conseruari, cùm magistratus recta præscribit, & vtilia, & conjuncta cum legibus. *Vt enim Magistratui leges* (aiebat Cicero) *ita populo præsunt Magistratus: vereque dici potest Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.*

3. de leg.

Sueto. III. AVGVSTVS verò Cæsar, ita magnos & potentes volebat esse amicos, vt pari tamen essent jure quo cæteri, legibusque judicariis æquè tenerentur.

Non temerè nouas leges ferat. Denique, dixi *nouas leges parcè ferendas*: Siquidem quò plures sunt leges, hoc major litium fœtura.

I. Id quod ipsa GALLIA satis superque ostendit, vt quæ cæteras Europæ partes superat litium varietate atque multitudine, quæ potissimum incrementum acceperunt cùm CAROLVS VII. qui omnium primus, deindé cæteri, legum farragines ad Justiniani exemplar scribi jusserunt.

Laert. lib. cap. 6. II. Scitum extat ARCESILAI Scytæ elogium, quo dicebat multas leges non aliter ægræ ciuitatis esse indicium, atque medici multi argumento sunt multos morbos in ciuitate grassari. Nihil verius.

Orat. cent. Timocrat. III. Auctor est Demosthenes legem fuisse apud LOCROS: vt si quis nouam legem laturus esset, suaderet eam publice collo in laqueum inserto: vt si non placuisset lex, ciues mox strangularent auctorem. Hinc factum est, vt in ducentis annis lex apud Locrenses noua nulla lata fuerit, eodem Demosthene auctore.

Thucid. IV. Vt meritò ALCIBIADES dictitare soleret, securissimam vitam castraducere, qui legibus, & moribus præsentibus, etiam alicubi forsan illaudabilibus, Rempub. pacifice, sine vllâ innouatione gubernarent; & si quæ pro bono status necessaria esset aliqua mutatio, id fieri deberet sine motu, & sensu: naturam imitando, quæ ab hyeme transilit ad vernum tempus, à vere, & æstate ad autumnum, & ab istis suauiter rursum ad hyemem, atque ita naturam motibus quidem obnoxiam imitando fiet, vt conuersio illa legum aut vix animaduertatur, aut innoxia habeatur.

Baro. To. 9. Annal. An. Christi 803. V. Certè constat CAROLVM MAGNVM, vt alios omittam, parcissimum fuisse in condendis nouis legibus: adeò, vt cùm tamdiu vixerit Rex atque Imperator, perpauca legum sanxisse dicatur; sed in veteribus restituendis, vt seruaretur, multus fuit.

Nec antiquas ex facili mutet. Non frustrà etiam in Aphoris. subiunxi, *antiquas leges haud temerè mutandas*: Vt enim sine valetudinis offensione, nemò subitò victus rationem mutat; ita nec leges sine maximâ rerum conuersione. Rectè Augustinus: *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitatem, nouitate perturbat.*

Ep. 118. Li. 3. Hist. I. Laudatum eo nomine CLEONIS apud Thucydidē dictum: *Eam Remp. quæ malis quidem, sed tamen immotis legibus vtitur, præstantiorum esse illâ, quæ bonis quidem legibus vtitur, sed tamen mobilibus, & inconstantibus.*

II. I-

II. Idemque censuit, præter Platonem a, & Aristotelem b, Cicero c, probatque exemplo LACEDÆMONIORVM, qui soli in toto terrarum orbe, septingentis annis vnis legibus, & nunquam mutatis moribus pacatissimè vixerunt. a Li. & 7 de leg. b L. c. 2. Polit. c Pro Flacco.

III. Præclara quidem AVGVSTI CÆSARIS ad Senatum Romanum cohortatio, & idonea, quæ Principum oculis subijciatur: *Positas semel leges constanter seruate, nec vllam earum immutate: nam quæ in suo statu eademq; semper manent, etsi sint nonnihil vitiosa, vtiliora tamen sunt his, quæ per innouationem, vel meliora inducuntur.* Vidi ego in Repub. non nominanda, quantum nocumenti ipsi attulerit legum innouatio circa electionem Magistratus; & quas turbas acciuerit nemo non vidit. Abusus qui antè erant illiciti, facti sunt liciti. Quæ quidem hactenus accipienda dixi, nisi necessitas aliud expresserit, vel vtilitas. Tum enim abrogare licet, sed sensim, & moderatè, Augusti eiusdem exemplo, qui sub initia imperij, *Non omnia statim vti decretum erat, exsecutus est, veritus ne parum succederet, si simul homines transferre, & inuertere vellet: sed quædam ex tempore disposuit, quædam reiecit in tempus.* Extat apud Dio. lib. 52. Dio. lib. 52

IV. Ita TIBERIVS eius priuignus *populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.* Itaque cum Poëta: Tacit. annal. 1

*Curando fieri quædam maiora videmus*
*Vulnera quæ melius non tetigisse fuit.*
*Temporibus medicina valet data tempore prosunt*
*Vt data non apto tempore vina nocent.*

Satis de Iustitia dictum, etsi nunquam satis de eâ dici possit.

---

## CAPVT V.

## *Iustitiæ* Clementiam *subnecto.*

O EXIMIAM & propriam Principis virtutem! quemadmodum Sol ille Iustitiæ, & omnium virtutum Deus, omnibus suis creaturis longè benignior est: ita boni Principis sit, qui veluti alter sol in terris dicitur, sese ita instituere, vt ad archetypi sui formam, diuinam inquam illam, & clementem naturam, quamproximè accedat, vt cæteris mansuetudine, atque clementiâ præstet, & antecellat. Siquidem, *nihil est quod magis Principem gentibus commendet, quàm clementia*: Imò, vt Iustinianus noster extulit, *Nihil est tàm peculiare imperialis maiestatis, quàm Clementia, & humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio.* Ergò vt ille, *Omnia scire debet, non omnia persequi: paruis peccatis veniam, magnis seueritatem accommodare, nec pœnâ semper sed sæpiùs pænitentiâ contentus esse.* M. Ant. Phil. apud Val. Gal. L. vlt. C. de Donat. inter vir. & vx. Tacitus in Agric.

*Non decet Regem sæua & inexorabilis ira.* Sene. 1. de clem.
*Sit summa parcimonia etiam vilißimi sanguinis.* Idē Senec

*Dio. Halicar.* Enimuerò, *optimum & firmißimum imperium est, quod subditos beneficijs magis, quàm supplicijs in officio continet, illis enim beneuolentia, his metus est comes.*

*Tacit. 4. Hist.* Congruum est igitur Imperio *Clementiam* vsurpare. quippè, vt cum Plinio dicam, Principis est, *beneficijs potiùs, quàm remedijs ingenia nostra experiri*, atque id quidem *Idē 1. An.* nouo maximè imperio, cùm sciant omnes, *nouum Imperium inchoantibus, vtilem esse Clementiæ famam*: Nam & *securitati tùm consulendum est, antequam vindictæ.*

*Tacit. Agric.* Alioqui *metus & terror infirma vincula sunt charitatis, quæ vbi remoueris qui timere desierint, odisse incipient.* Præterquam quod θεραπεύειν ὁ οὐ συνερεθίζειν δεῖ τὰς ἐξουσίας: *Ioseph. 2. de Bell. Iud. c. 16.* *Colere officijs, non exasperare iurgijs oportet Potestatem.* In apibus videmus, *Regem sine aculeo esse. Noluit enim illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, telumq; detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens est.* *Senec. 1. de Clem. c. 19.* qui si ad summum imperium naturæ acerbitatem adiungant, minùs certe ferent ætatem:

*Terent. Adel.* *Errat* enim *longè, meâ quidem sententiâ*

*Qui imperium credat grauius aut stabilius,*
*Vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adiungitur.*

*Senec. de Clē. 1. c. 19.* Errat inquam, *si quis existimat tutum esse ibi Regem, vbi nihil à Rege tutum est. Securitas,* *Salomon Prou. 20.* *securitate mutua paciscenda est*, etiam sacri illius Regis sensu; cuius notum carmen hoc *Clementia roborat thronum Regis.*

*Senec. de Clem.* *Ciuium non seruitus Tibi tradita est, sed tutela: nec Respub. tam tua est, quàm tu Reip.*

*Ennod. Pane. Theodorici* Itaque, *flexus sit animus tuus, pronus sit semper ad veniam*, Et vt Poëta canit:

*Ouid.* *Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.*

*Tac. 11. Ann.* Ad summam, scito; *potentiam cautijs* & lenioribus, *quàm acrioribus consilijs tutius haberi.* illudque Cæsaris dictum præter oculos habendum: *Hinc nouam esse vincendi ratio-* *Epist. ad Opp. lib. 9. ad Att.* *nem, vt munias Te Misericordia & liberalitate.* —— *Præsertim in causa quæ ad Tuam priuatam iniuriam pertinet*: Hîc enim velim Te cogitare, *gladium tibi datum à Deo, non tàm* *Ioseph. Anti. Iud. lib. 2.* *vt eo vtaris, quàm vt mineris ac terreas.* —— *Non enim vnquam placet*, vel laudatur *in Imperatore vindicta sui doloris; quæ etsi iustior fuerit, acrior tamen videtur.*

*Dictū M. Antonini apud Vulc. Gallic.* Excipio, si Imperium vacillat, *ne alioqui ista mansuetudo & misericordia Tibi & Imperio in miseriam vertat*: tùm enim vel minima delicta in Te & publicam rem patrata, & parata, exsequi par est: *Quid enim? nunquid turbulento mari tempestatibus, videmus nauarchum nauiculatoribus irasci, si quid vel in minimis rebus ad nutum eius minùs re-* *Greg. Naz.* *spicientibus offenderint? Planè, atque hac de causa, quòd minima tunc peccata facilè omnia per-* *Sallust. Catil.* *dere, ac pessundare poßint. Quæ est ista bonitas, quæ ista misericordia vni parcere & omnes in* *Xenoph. 7. Cyripæd.* *discrimen adducere?* Itaque *nec promiscuam habere ac vulgarem Clementiam oportet, nec abscissam. Nam omnibus ignoscere tam crudelitas est, quàm nulli.* Qui culpæ passim ignoscit, *Orig. dist. 43. cap. 14* suadet pluribus. Hæc firmemus exemplis.

*Senec. 1. de Clem. c. 2.*

EXEMPLA

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

I. EXimiorum exemplorum regiæ huiusce virtutis, quæ passim historiarum studiosis occurrunt, antesignanus sit clarus militiæ dux C. I. CÆSAR: cuius cùm permulta exstent Clementiæ monumenta, tùm illud imprimis habet admirationem, quòd *detectas contra se coniurationes, conuentusq; nocturnos, non vltra arguerit, quàm vt edicto ostenderet esse sibi notas: & acerbè loquentibus, satis habuit pro concione denunciare ne perseuerarent, Auliq; Cecinnæ criminosissimo libro, & Pitholai carminibus maledicentissimis, laceratam existimationem suam ciuili animo tulit*. Omitto, quod post Pharsalicam victoriam, plerisque clarissimis viris, qui *Pompeium* secuti erant, in quibus *Brutus* ille à quo postea occisus est, clementer ignouit. Quinimò, quod magis admirandum, cùm in scrinijs Pompeij secretæ litteræ repertæ essent, ex quibus, quo plerique animo, & erga Pompeium, & contra se fuissent, deprehendere potuisset, neque legit eas, neque descripsit, sed extemplò cremauit, ne quid acerbius in quēquam statuere ex litteris cogeretur. O moderatam frontem, & (si æquè ab ambitione) ter regio diademate dignam! *Sueton. cap. 75.* *Dio. lib. 41*

II. At AVGVSTVS Iulij iam dicti nepos, cùm *Tiberium* priuignum suum acerbius conqueri animaduertisset, quòd *Æmilium Elianum*, blateronem & maledicum virum nulla admoneret pœna, ita ei rescripsit: *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimiùm indignari quemquam esse qui de me malè loquatur: satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.* *Ex Suetonij cap. 51.*

III. Quem TIBERIVS eius successor imitatus est, domesticâ disciplinâ perdoctus: Nam *aduersus conuicia, malosq; rumores firmus ac patiens* sub initium Imperij fuit, crebroque in familiari sermone iactabat, *In libera ciuitate, mentem ac linguam liberas esse debere.* Adeò, vt in se iacta diceret nolle ad cognitionem vocari. Prudens tamen Princeps à frequentibus dictis libellisvè hodie sibi cauebit, *ne lingua temeritas ad gladios perueniat*, vt aiebat Alexander. *Id. cap. 28.*

IIII. Sed & aliud Clementiæ specimen præbuit idem AVGVSTVS: Cùm de eo sparsi essent famosi in Curia libelli, tantùm abfuit vt punitum iret auctores libellorum, quin potiùs in eos inquirere noluit, sed tantùm censuit, *cognoscendum posthac de ijs, qui libellos, aut carmina ad infamiam cuiuspiam, suo, alienove nomine ederent.* Magna quidem certè viri Principis clementia, qui maledicum pro suo, communivè iure malè mulctare potuisset (quippè iam tum pœna in eius criminis conuictos constituta erat, vt intestabiles essent) ei tamen ignouit. *Id. in Aug. cap. 55.* *L. lex. Cornelia §. si quis librum ff. de iniur.*

V. VESPASIANVS etiam maledicta in se librata, æquo animo pertulit; & *Demetrium Cynicum in itinere obuium, ac neque assurgere neque salutare dignantem, oblatrantemq; etiam nescio quid, satis habuit canem appellare*; quæ animi moderatio haud miranda in eo, qui memor, aut vltor maledictorum nunquam exstitit. *Id. Suet. c. 13.*

VI. TITVS quoque eius filius cognomento *Delitiæ generis humani*, paterno pror-

*Id. c. 6.* prorsus animo & exemplo, non modò malè in se dicta tolerauit, sed etiam *duos Patritij generis conuictos de affectatione imperij pertulit, nihilq; amplius, quàm vt desisterent monuit: hoc tantùm dicens, Principatum Fato dari.*

*Ex Vulc. Gal. lic. in Auidio Caß.* VII. Sed virorum laudibus inserit se ferox *Faustina* M. ANTONINI vxoris animus, cuius quidem inclementi facto, mariti clementia illustrior reddita fuit. Quærenti enim per litteras vindictam rebellantium cum Auidio Cassio, hoc modo respondit: *Tu quidem mea Faustina religiosè pro marito, proq; liberis nostris agis. Relegi enim epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris, vt in Auidij conscios vindicem. Ego verè & eius liberis parcam, & genero, & vxori, & ad Senatum scribam, ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Nihil enim est quod imperatorem Romanum meliùs commendet gentibus, quàm Clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit: hæc Augustum consecrauit. Hæc patrem tuum præcipuè ornauit. Denique, si ex animi mei sententia de bello esset iudicatum, nec Auidius esset occisus. Esto igitur secura, Dij me tuentur: Dijs pietas mea cordi est.* Ad Senatum autem in hanc sententiam scripsit: *Quod ad defectionem Caßianam pertinet, vos oro atque obsecro P. C. vt censura vestra deposita, meam pietatem clementiamq; seruetis; imò vestram, neque quemdam vllum Senatus occidat: Nemo Senatorum puniatur, nullus fundatur viri nobilis sanguis. Deportati redeant, proscripti bona recipiant, atque vtinam possem multos ab inferis excitare! Non enim vnquam placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur, Quare Auidij Caßij liberis, & genero & vxori veniam dabitis. Quid dicam veniam, cùm illi nihil fecerint? Viuant igitur securi sub M. Antonino. Viuant in patrimonijs parentum: sint diuites, & sint securi, sint vagi & liberi; & per ora omnium vbique populorum circumferant & meæ, & vestræ pietatis exemplum.* Præclarè omnia, & clementissimi animi indicia, quæ Principibus nonnullis Christianis ruborem meritò afferant, quorum iræ & offensiones sic implacabiles sunt, vt nullis precibus flecti queant ad condonandum.

VIII. Quid CLAVDII, TRAIANI, HADRIANI, ANTONINI PII, GALIENI, AVRELIANI, Impp. quid priorum temporum, PERICLIS, ALEXANDRI MAGNI, patrisque PHILIPPI, aliorumque Regum & Imperatorum sigillatim Clementiæ monumēta commemorem? dies me deficeret, quam stylo committam, quibus in rebus singulorū lenitas atque clementia eluxerit. Vnico ALEXANDRI SEVERI apophtegmate contenti simus. Huic cùm *Mammea* mater, vxorque *Memmia*, humanitatem eius & clementiam improbantes, dicerent, *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperij fecisti*: hîc ille, *sed securiorem & diuturniorem* respondit. Rectissimè. Neque enim (vt Plinius inquit) ab vllo periculo fortuna Principum longiùs abest, quàm ab humilitatis.

*Refert Spartian.*

*Paneg.*

Initio Imperij clementiæ fama affectanda.

IX. Sit igitur verum, vtilem esse & decoram Principi clementiam, quod satis vel maculosus ille NERO animaduertit, qui tametsi lentæ esset & sæuissimæ naturæ, eam tamen sub initia imperij probè dissimulauit, & clementiæ famam maximè tum affectauit. Siquidem, cùm in principio sui Imperij ei allata esset obsignanda capitalis sententia in sontem à Senatu lata, bis terve recusasse dicitur: tandem,

*Tranquil. c. 10.*

dem, vt misericordiam simularet, & Principis clementis famam sibi ædificaret, *optasse se nunquam scribere didicisse*. Non ignorabat Clementiam *primam esse* (vt Flauius Vopiscus inquit) *Imperatorum dotem*. Propterea, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ, vllam occasionem prætermisit. Quo consilio? nisi quod *Clementia non tantùm honestiores* (verbis vtar Senecæ) *sed tutiores præstat: ornamentumq; Imperiorum est, simul & certißima salus*. maximè vt in aphorismis diximus, sub initia administrationis. 1. de Clem.

X. Ideò CLASSICVS ille CIVILIS, nunquam crudelem vt exerceret Coloniæ Agrippinæ sæuitiam adduci potuit, *quòd obstaret ratio belli & nouum Imperium inchoantibus vtilis sit Clementiæ fama*. Tacit. 4. Hist.

XI. Quod probè etiam intellexit HANNIBAL acerrimus ille Reip. Rom. hostis, cuius primum studium fuit, *vt fama Clementiæ principio rerum colligeretur*. Illa enim *non tantùm honestiores sed tutiores etiam præstat, ornamentumq; Imperiorum est, & certißima salus*. Liu. lib. 22. Senec. 7. de clem. cap. 11.

Cæterùm, meritò de me queri possent plerique Principes Christiani, nisi etiam albo clementissimorum Principum inscribantur.

XII. CONSTANTINVS igitur Imperator cùm à nonnullis hortaretur, vt in aliquos, qui effigiem suam lapidârant, animaduerteret, dicentibus quod omnem ipsius faciem saxis conuulnerassent, fertur manu eam palpans leniterque ridens dixisse: *Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota*. Ita contumeliam flocci fecit magnus Imperator, & magnum clementiæ specimen posteris omnibus consignauit. Baron. Tô. 3. Annal. Ann. Chr. 324.

XIII. Proximè ei succedat THEODOSIVS, qui se adeò mitem, benignum, & mirâ quadam animi tranquillitate præditum erga omnes præbuit, vt etiam maiestatis reos, & conuictos damnatosque ab ipsa legum acerbitate exemerit, & ex Acherontis faucibus (ita loquitur Themistius Philosophus) ereptos ad Solem lucemque reuocârit. Vatem Ethnicum animi, & exempli causa de eo canentem audiamus: Orat. 5.

*——————Non insultare iacenti*
*Mallebat: mitis precibus, pietatis abundans,*
*Pœna parcus erat: paci non intulit iram.*
*Post acies odijs, idem qui terminus armis:*
*Profuit hoc vincente capi; multosq; subactos*
*Aspera latura commendauêre catenæ.*
*Magna [illegible]um largitor opum, largitor honorum*
*Pronus, & in melius gaudens conuertere fata.*

Claudian. 4. Cons. Honorij.

XIV. Quàm porrò admiranda eius Constitutio! *Si quis*, inquit, *modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit eum pœna nolumus subiugari, neque durum aliquid, vel asperum volumus sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnen-* L. vnica C. Si quis Imper. maled.

*temnendum est. si ex insaniâ, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum.*

Ammian. 31. XV. Eadem clementiæ nota in GRATIANO obseruata: quem legimus mulierem quandam salsissimè irrisisse, quæ maritum variè, & asperè criminabatur, ac dixisse: *Quid hoc ad me mulier?* & cùm illa subijceret: *Etiam in te malè animatus est, & loquitur*: cui rursum: *Quid hoc ad te mulier?* atque ita ioculari responsione missam fecit.

Lib. 2. c. 39. XVI. Quid in CAROLO, re & cognomine MAGNO? legimus eum non solùm clementiam vsurpasse, verùm etiam in suis Capitularibus (ita Constitutiones Regias vocabant) statuisse, vt omnes Domini temporales clementer tractent subditos, siue in exigendis operibus, siue in alijs debitis: *scientes*, inquit, *fratres suos esse, & vnum secum patrem habere Dominum, ad quem clamant omnes, Pater noster qui es in cælis.* Quod vtinam plerique nobiles cum animis suis sæpè cogitarent, non ita subditos suos affligerent, quibus tanquam seruis, & ambactis miserrimè abutuntur.

Ex Ægin. & Theuelho. XVII. Sed & clementiæ specimen etiam ostendit facto sanequàm (in re alioqui seriâ) ridiculo. *Eginhartus* quidam vir non mediocriter eruditus in aula erat, & CAROLO à secretis. Is perditè cœpit amare Domini sui filiam, & hæc illum vicissim redamare. Quid tum postea? ad vltimam amoris, sed furtiui lineam ventum: atque hactenus amatum dum niuali quadam nocte cùm in gynæceo solus cum solâ fuisset, & sub diluculum prodire amator vellet, videt omnia niue albicantia, heu me miserum! quid me fiet? inquit, succurrit amica, & callidum consilium promit. Quod? tollit, & succollat amores, ne vestigia deprehendantur. Hem astutiam! videt tamen fortè CAROLVS, sed quam ægris oculis, tu lector, iudica. Dissimulat tamen quoad vsque in proximum diem conuentum Panegyricum indicat. Ibi narrat flagitium, quærit que quâ pœnâ admonendus esset (nomina tamẽ supprimit) famulus, qui sic Dominum ludificatus esset, quâ item filia, quæ adeò grauiter patrem offendisset. Responsum, vltimo supplicio dignos. Tum CAROLVS produci in medium corporum ludibria iubet: *En*, inquit, *isti sunt, qui scelus admiserunt. Et tu Eginharte, quid ais? quid tu filia? qui hoc ausi estis. Iam hæc corona morte puniendos vos iudicat, exequarne sententiam, dubium. Hic graue facinus vrget: illic Misericordia me inclamat. Audite Rei, mitem & Dominum, & Patrem agnoscite. Ignoscimus: sed hac lege, vt tu Eginharte gerulam hanc tuam vxorem ducas: concordes estote, & porrò mutuùm inter vos quoque ferte.* Rides lector, sed vnà Carolum à clementia suscipe, & admirare.

XVIII. Affine probè exemplum PISISTRATI, Atheniensium Tyranni; *qui cùm adolescens quidam amore filiæ eius virginis accensus, in publico obuiam sibi factam osculatus esset; hortante vxore, vt ab eo capitale, supplicium sumeret, respondit: si eos quinos amant, interficimus, quid his faciemus quibus odio sumus? Minimè digna vox, cui adijciatur eam ex tyranni ore manasse. In hunc modum filiæ iniuriam tulit; suam, multò laudabilius.*

Ex Val. Max. l. 5. c. 1.

En. Silvius. 30. de Gestis. Alph. XIX. Quid de CAROLO IV. Rom. Imperatore? Is hominem, qui sibi necem parasset, ad se accersiri iussit, eique post varias sui in illum affectus significationes, mille aureos dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret, illius

se mise-

ſe miſereri dicens, cuius filia natu grandior domi clauſa eſſet. Imperatori bonus ille vir, reſte alioqui, quàm præmio dignior, gratias agit: & ad conſpiratores regreſſus: Neſciebam, inquit, *qualis Carolus eſſet: nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo modo poſſum.*

XX. Neque SIGISMVNDVS quoque ſupprimendus. Huic, cum *Laurentius Palatinus* Hungariæ diceret imprudenter agere, qui victis hoſtibus non ſolùm vitam, & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet extolleretque, præclarè reſpondit: *Tibi videtur vtile inimicum occidere, quod mortuus bellum non excitet: At ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo.* Indidem.

XXI. Quidni quoque ALPHONSVM Arragoniæ Regem in hunc clementiæ campum producam? Cùm igitur quondam argueretur, quod nimis mitis, ac lenis eſſet erga ſuos, vt qui nonnunquam etiam ijs, qui vel grauiter in ipſum deliquiſſent, ignoſceret, *Malo*, inquit, *multos meâ clementiâ, & manſuetudine ſeruare, quàm paucos mea ſeueritate perdere.* Panor. 2. de eius Geſt.

XXII. EIDEM cùm quidam diceret, *Caue ne tua hæc clementia in perniciem cedat;* acutè reſpondit: *Imò verò multa mihi perferenda ſunt, ne in inuidiam cadam.* Id.

XXIII. Quod quidem illuſtri hoc, admirandoque facto comprobauit idē Alphonſus. Cùm enim in obſidione Caietæ ſuſceptis impuberibus, ſenibus, omnique ſexu bellis inutili, quos Caietani ob annonæ penuriam ciuitate expulerant, quidam ei dixiſſet: *Si tu hos non admiſiſſes, Caietani paucis poſt diebus ſe dedidiſſent,* reſpondit optimus Rex: *Pluris ſe facere eorum vitas, quam centum Caietas.* Facinus cùm laudabile, tùm auctori ſuo vtile: quam enim vrbem quadraginta fermè millium conatu capere nequiuiſſet, poſtea ſoluta, ac diû deſita obſidione, ſine vi, ſine armis, eâ gratitudine in ditionem redegit. Id.

XXIV. Inferenda his RENATI Lotharingiæ Ducis inſigne humanitatis, & clementiæ elogium. Is principatu ſuo propemodum pulſus à *Carolo Audace* Burgundiæ Duce (qui ſub id quoque tempus Eburones ferro, flammaque inhumaniter deleuerat) poſtea Heluetiorum confœderatorum ope adiutus, eum ipſum à quo tàm multa tulerat, prœlio vicit, & interemit. Is haud paruo labore Caroli corpus in confertâ cœſorum multitudine inuentum, non vt fortaſsè aliquis ad explendam iram laniauit, aut aliquo ludibrio habuit, ſed ceù prudenti animo inſignique virtute Princeps ad Nancæam vrbem in D. Georgij fanum detulit, & cum omni aulâ ſuâ eum honoris gratia atratis veſtibus proſecutus, tanto Sacerdotum facumque numero adhibito quantus tunc inueniri potuit. Signa enim doloris omnia edidit, dum hoſtem grauiſſimum efferret, qui alioqui in ipſum omneſque alios præſertim Leodienſes crudelis & immanis fuerat. Bapt. Fulg. 5. cap. 1.

XXV. *Renatum* Ducem iam dictum excipiet RODOLPHVS Imperator: Nō nullis quærentibus, cur moribus mutatis ſubditis clementior eſſet, quàm ſub initium Imperij, reſpondit: *Seuerum & immitē fuiſſe me aliquando pœnituit: lenem & placabilem nunquam.* Sciebat quidem prudentiſſimus Imperator, lenitatem nunquam Sylnius 2. de eius Geſt.

aut perrarò, in exitum trahere sui cultores: quod contra faceret nimia seueritas. Neque enim, vt sapienter censet Guicciardinus, ij solùm offenduntur, ad quos seueritas ista pertingit, verum etiam cæteri quoque ex vniuersitate inique id ferunt, & vt maxime inimicum aliquem è medio tollas, aut obstaculum remoueas: nihilo tamen magis semen extinguitur, cùm in locum remoti alij succedant: imò *vt arbores quadam recisæ pullulant* (ait Seneca) *ita Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo.*

*Lib. 3.*

XXVI. Sed clarum depositarum iniuriarum exemplum in muliere (licet is sexus magis propendeat in vindictam) non omittendum. CONSTANTIA Arragoniæ Regina, vbi cōperit Nepotem suum Conrardini filium infami supplicio per Carolum Andegauensem affectum, nihil magis in votis habuit, quàm dari sibi occasionem mortis illius vlciscendæ. Sed ecce, vna ei occasio sub manu: Cùm enim vnicus eiusdem Caroli filius ab Rege marito captus esset, mittitur per eundem ad Reginam, vt de illo pro animi sui sententia statueret. Præmittit tamen ipsa veri disquisitionem; tandem capite damnatur: sententia illi legitur, & quidem quadam feria vj. quam pœnam lubens subiturum se nunciat eo die quo innocens Auctor vitæ, lucis vsurâ priuatus est. Solùm restabat duci, & capite minui. Verùm cùm CONSTANTIA intellexisset illum cum lubentiâ eo die quo Christus innocens mortalitatem explêsset mortem obiturum, ecce virus suæ acerbitatis clementiâ commutat, *& absit,* inquit, *vt sanguinem fundi velim quo die Deus meus Redemptor suum pro me in ara crucis exposuit. Ignosco itaque illi, omnemq; pono offensam ad pedes eius qui me morte infami redemit.* Magna certè clementia pari pietate iuncta.

*Lib. 55.*

XXVII. Benè ergò prudenterque LIVIA Augusti existimabat, *plus clementiam, quàm sævitiam proficere: Debere quidem* (verba eius apud Dionem) *Principem ea quæ in Rempub. peccantur, exequi; at priuatim in se admissa, tolerare.*

Et præsertim in proprijs offensis.

Quod cape, nisi Imperium sit in incerto; vt antè in Aphorismis ostendi: hîc enim in alia omnia eundum, & seueritate securitas repræsentanda. Indè nonnunquam fit, vt in coniurationibus, quæ fiunt in Principes nouiter ad Imperium electos, vel quorum alioqui status non satis firmus est, nullus relinquatur clementiæ locus, sed quàm citissimè è medio tollantur, præsertim cùm coniuratorum potentia, vel gratia magna est apud plebem. Neque enim cùm vertitur causa optimatis, vel illustris viri, diù protelanda executio: ocyùs enim vindicandum, cum causæ tamen cognitione; aut omninò remittendum facinus, imò molliendus inimicus ille (si quidem tempus ferat) nouis, & maioribus, quàm antea dignitatibus, vt in M. Antonino, Carolo IV. Imperatore, & alijs suprà annotatum est. Addo denique, vt non hanc regij animi virtutem exerceat quasi videatur timore adduci, nam alioqui nil proficeret, sed vt spontè ac virtutis cupiditate clementer agat. Nam tunc gratis animis clementia excipitur, cùm Principem fœliciter regnantem nullius necessitate coactum vti clementiâ, non etiam seueritate deprehenditur.

CAPVT

# CAPVT VI.

## *Ita tamen probanda est* Mansuetudo, *atq;* Clementia, *vt adhibeatur Reip. causâ* Seueritas: *sine quâ administrari Ciuitas non potest.*

Cic. 1. de Off.

OPTIMVS demùm ac dilaudandus ille Princeps, qui sic clementiam atque lenitatem, seueritate, austeritateque miscere solet, vt ex ejusmodi virtutum specie dissimilium temperamento, ciues in officio continere possit. Namque, si semper, & vbique clemens, & facilis ad condonandum, quid aliùd assequetur, nisi vt bonos ad scelera inuitet; malos verò ad deteriora perpetratis alliciat:

*——— ——— Nam natura queîs*
*Matrem dedit mentem malam, illa sic suos*
*Instituit, vt similia cogitatis*
*Scelera semper perpetrent.*

Sophocles Philoct.

I. *Seueritatem* itaque quandoque adhibeat; cùm facinorum ipsorum causâ: quoniam, *fœliciores sunt improbi supplicia luentes, quàm si eos nulla Iustitiæ pœna coërceat;* tùm boni etiam publici causâ: nempè, quia *serpunt vitia, & in proximum quemq; transiliunt, & contactu nocent.* Sed quis eum vereatur, *apud quem semper conditum, imò constrictum ferrum est? & quis ignorat*, inquit Cicero, *maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem?* Non certè Imper. ille, qui hoc adspectu inclamat: ἡ πρᾳότης αὔξει καὶ τρέφει τὴν κακίαν: *lenitas improbitatem alit, atque corroborat.* Itaque verissimè & audenter cum Oratore dixerim, *Salutarem seueritatem vincere inanem speciem clementiæ.* Maximè in magnis facinoribus: *Magnum enim maleficium impunè non est habendum.* Par est, *vt quos ipsa natura in officio retinere non potest, ij magnitudine pœna maleficio submoueantur.* Alioqui,

*——— ——— subuersa jacebit*
*Pristina majestas soliorum & sceptra superba.*

Boet. 4. de Consol. pros. 4. Sen. de Trãq. animi. c. 7. Id. 1. de Clē. Pro Milo. Iul. Imp. in Mosopog. Cic. Epist. ad M. Brutũ. Tac. 3. Annal. Cic. pro Rosc. Lucr. lib. 5.

Verùm, hac in re cautio est adhibenda. Vt imprimis, *ne quid aut durius, aut remißius constituatur, quàm causa deposcit. Nec enim aut Seueritatis, aut Clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso judicio, prout quæq; res expostulat, statuendum est. Sed in leuioribus causis, pronior ad lenitatem esse debes; in grauioribus pœnis, seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.*

Marcia. l. 11. ff. de Pæn. Cic. 2. de Off. Sen. 2. de Ira. cap. 20.

II. Quod vt assequaris, videndum ne per iracundiam supplicia repræsentes: quia, *iratus ad pœnam qui accedit, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter Nimium, & Parum.* ——— *Maximum* autem *remedium iræ, est Mora*, inquit Seneca. Itaque, *quidquid voles quale sit, scire, tempori trade: nihil diligenter in fluctu cernitur.*

Sen. 2. de Ira. c. 28. Id. 3. c. 12.

 III. Vt

Sen.1.de Clem. III. Vt ne crebrò seueritatis edas exempla: quia enim, *videbis ea sæpè committi, quæ sæpè vindicantur.* Quid ita? quia *frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* Itaque, *vt fulmina paucorum periculo cadunt; omnium metu: sic animaduersiones magnarum potestatum terreant latiùs quàm noceant.*

Indidem. Id.

Cic.pro Cluent. Indidem. Senec.de Clem. IV. Et maximè, si tua causa agatur: tùm enim hoc agere debes, vt vel omninò conniueas; vel si admodum improbi, & continuæ malitiæ assueti, *vnius supplicio multorum improbitatem coërceas;* —— *vtq; pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat.* Neque id tantum: sed etiam, vt omnes existiment vindictam neutiquam probari tibi, *sed te tanquam inuitum, cum magno tormento ad castigandum venire.*

Suet.c.11. V. Id quod assequêris, si ipse suppliciis minùs intersis. Nam & C. Caligulæ vitio datum, quod *animaduersionibus pœnisque ad supplicium datorum cupidissimè interesset.* Verè enim Poëta:

Claud.Pane. Theod.

> *Qui fruitur pœna, ferus est, legumq; videtur*
> *Vindictam præstare sibi.*

Arist.5. Poli. VI. Denique, & illud considerandum, vt nocentes receptis, tralatitiisque suppliciis afficiantur. Vel Philosophus indicauit: *Oportere supplicia more patrio sumi.*

---

## EXEMPLA ET NOTÆ.

S*Eueritatem* in tempore adhibendam, nemo quisquam est, opinor, tam sine oculis qui non videat, cùm ea fundamentum sit, & basis omnium Imperiorum. Eam autem ob offensas quæ Principis personam respiciunt, quàm quæ ciuilem politiam lædunt, publicamque quietem interturbant, exerceri, idque meritò, volunt sapientes. Hujusmodi verò crimina sunt, quæ vltimâ pœna legibus vindicantur, quibus si Princeps ignoscit, nil certè aliud efficit, quàm quod delinquendi materiam incendit, etiam in eius ipsius personam. Siquidem permittit Deus sæpè, vt qui parcit nocentibus & improbis, ab iisdem quoque puniatur, & ipsimet vindicent injuriam illatam Reipub. (cujus nimirum maximè interest maleficia impunita non esse) per impunitatem sibi concessam in persona concedentis.

L.Ita vulneratus ff. ad l.Aquil v.P. Greg. 10. de Rep. c.11.

2.Reg. c.20. I. Iccircò dictum est ad ACHAZ Regem, qui Regi *Benadad*, quem necari jusserat Deus, pepercit, *Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* De talibus, seu iis qui sceleratos tolerant, D. AVGVSTINVS: *Quomodo Reges seruient Domino in timore, nisi ea quæ contra jussum Domini fiunt, religiosâ seueritate prohibendo atque plectendo?*

Ep.ad Bonif.

1.Reg.c.15. II. Hinc SAVL quoque regno priuatus judicio Dei, quod *Agag* regem, contra præceptum Dei, viuum conseruârat.

Isocrates. III. Et vt sacra omittamus, LACEDÆMONIOS, quòd in impios stupratores, qui filiabus Scedaci fucum fecerant, non adimaduerterunt, in ipso flagitii commissi loco victos esse, tradunt historiarum monumenta.

IV. Vt non immeritò TOTILAS Gothorum Rex roganti vt parceret cuidam qui virginem inceſtauerat, reſponderit: *Eiuſdem ingenij eſſe, delicto ſe obſtringere, & delictorum ſupplicia impedire: omninò autem, aut hunc pœnam dare, aut Gothorum Rempub. interire neceſſe eſſe.* *Car. Sigõ 19. de Occ Imper.*

V. Nec diſſimili ingenio fuit OTHO I. Rex Germanorum, cujus ſeueritatem in puniendo adultero verbis his commemorat Krantzius: *Quùm Rex expeditionem militarem crebriùs duceret per Italiam, procidit ad pedes ejus mulier querula, quòd vim paſſa eſſet ad ſtuprum, rogans juſtam legum vindictam. Quùm ille feſtinans educere polliceretur in reditum ſe juſtitiam facturum, ejulans mulier:* Quis tum, *inquit*, faciet te atrocis injuriæ iſtius memorem: *Tum ille ſuſpiciens in proximam Eccleſiam:* Hæc, *inquit*, erit teſtis inter me, & te, & in ſignum juſtæ vltionis. *Iuſſit igitur aduocari mulierem; quæ præueniens*, Seueriſſime Rex, *inquit*, vir de quo ſum olim queſta, nunc meus eſt maritus, peperitque ex eo, & injuriam aboleui. *Cui Rex:* Nunc ergo, *inquit*, & per Othonis barbam ſentiet dolabrum: *facto dicta præſtitit: nam virum cujus ſecuri percuti iuſſit.* *Lib. 3. Rer. germ. c. 12.*

VI. BALDVINVS VII. Comes Flandriæ, Petrum virum nobilem & Orſcampi Toparcham ob duos boues pauperculæ viduæ reclamanti abductos, re ad eum delatâ ſubitò arripi jubet, & atroci morte puniri, fortè lebes aquæ feruentis in medio Brugenſi foro erat monetario puniendo deſtinatus: in hunc ſine morâ hominem coniici iubet, ſic vt erat, ocreatum, veſtitum, gladio accinctum. Quid ais? ſic calidè, & an non temerè? Nihil. Nam inquiſitio præceſſerat, & culpæ conuictus per aliam cauſam euocatus pœnas ſicluit. *I. Lip. in Mon. & exempl. polit.*

VII. ALBERTVS Archidux Auſtriæ mitiſſimus alioqui Princeps Iuſtitiam ſæuire paſſus eſt in ſontum nocentiſſima capita: quos perdere erat clementia, & ſeruare fuiſſet crudelitas: hac enim quoſdam malos in ſcelere repreſſit, bonos innumeros ſubleuauit. *Io. Dillen. Pvneg.*

VIII. Et, quid multis opus eſt? cùm hiſtoricorum paginæ plenæ ſint eiuſmodi ſeueritatis exemplis, ſeueritatis inquam, à Principe in tempore exercendæ qui Remp. beatam & tranquillam eſſe volet. SOLONIS ſententia eſt Duabus rebus Remp. contineri, Si boni ad virtutem præmiis incitentur, mali autem pœnis coërceantur. A quâ mente ANTHISTENES cenſuit nullam eſſe maiorem Reipub. peſtem, quàm ſi boni à malis non diſcernantur, id eſt, ſi mali obſeruentur, boni negligantur. Nam & ciuium bonitas Remp. ſtabilire & improbitas conuellere ſolet. Imò cenſuit (& ſanè ex vero) Saluſtius, *Multo præſtare beneficij, quàm maleficij immemorem eſſe, bonus tantummodò ſegnior fit, vbi negligas: at malus, improbior.* Pulcrè Vates Germanus: *Apud. Plu.* *Ingurth.* *Günth. li. 1*

*——— Plus ſæpè nocet patientia Regis*
*Quam rigor: ille nocet paucis: hæc incitat omnes,*
*Dum ſe ferre ſuos ſperant impune reatus.*

IX. Atque hæc quidem ratio recto iudicii æquilibrio appenſa, tantùm valuit

apud

Ex Baro. Ann. Tom. 4. An. Chr. 390. apud THEODOSIVM Imperatorem , vt cædis in Præfectum militum commissæ per Thessalonicenses veniam Ambrosio aliisq; Præsulibus datam reuocaret; quippè qui videbat spe immunitatis subditos efferari, plurimaque scelera atrocissima multifariam ab his perpetrari. Nam quòd in Antiochenos, qui statuas ipsius, simul & Augustæ defunctæ, contumeliosè dejecerant, non animaduertisset, excitatos viderat Arianos, qui sumptis in audaciam ea indulgentia animis, Constantinopoli Arcadio Imperatoris filio, Magistratibusque contemptis in domum Episcopi insilierant, eamque furibunde concremârant, rursum indulgentiam Arianis datam, Catholicis quoque segetem & materiam dedisse grassandi in synagogam Judæorum, & in ædes Valentinianorum: * quod si Thessalonicensibus qui ad deterrima quæque animum adjecerant ignosceret, non dubiè actum fore de Imperii statu, quem nimia indulgentia euersum iri, ex anteactis aliorum erratis facilè præuidebat. Statuit itaque publicum delictum publica animaduersione exsequi. Rectè enim censebat pro arbitrio & ratione temporis debere Principem adhibere misericordiam & indulgentiam, atque rigorem temperare justitiæ; ab his verò tunc abstinendum, cùm rerum experientia constaret, ex ea subditos reddi contumeliosos, proteruos, atque ad delinquendum faciliores; adeò vt nisi mox legum seueritas aduigilet, & gladius potestatis occurrat nulla amplius futura sit securitas Magistratibus; periclitandamque mox salutem Imperatoris si impunè liceat populo leges proculcare, & conferto agmine appetere Magistratus. Quò magis Theodosii pietatem nedum prudentiam suspicere licet, qui cùm hæc omnia pro sui excusatione haberet, quæ aduersum D. Ambrosium redarguentem obtenderet, quibus justam vel apparentem saltem defensionem pararet, his tamen omnibus spretis atque contemptis, Dei Sacerdoti magis quàm sibi ipsi, sententiæque familiarium detulit atque paruit. Magni quidem hæc sunt ponderis, si æquo rectæ æstimationis libramento pensentur: vt non declinauerit os ejus ad verba malitiæ (vt Dauid ait) imò nec prætensæ justitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, sed absque controuersia à se iniquè admissum existimaret, quod sententia Dei sacerdotis ita esse decretum fuisset. Hactenus Baronius.

* Valentiniani. 30. colebant Deos: hi cũ Iudæis. Christianis monachis insultabant.

Psalm. 49.

Seueritas cũ modo adhibenda.

Cæterùm, maximoperè cauendum Principi, ne dum seueritatem vsurpat, in sæuitiam adulterinâ quadam affinitate prolabatur. Seueritas quidem, Regem plurimum addecet, majestatem quandam præstat, & dignitatem auget, redditque eum inter mortales quasi diuinũ aliquod Numen, quod homines non modò venerantur, verum etiam adorant. Sæuitia autem, Tyranni est, vt *quæ augeat inimicorum numerum tollendo*, nec vitium vllum tam tetrum, tãq; detestabile, tam inhumanum atque exitiosum est, quàm crudelitas, vt quod *plus timoris, quàm potentia addat*. Itaque *sic agere debes cum subjectis*, ait optimè quidam, *vt magis vereantur seueritatem tuam, quàm vt sæuitiam detestentur.* A quâ quidem seueritate haud temerè in sæuitiam deflectes, si pronior sis in mitiorem pœnam, & ad absoluendum, quàm condemnandum,

Sen. 1. de

Sallu. Iug. Columell.

nandum, relictoque nimio rigore, in clementiam potiùs propendeas: idque in leuioribus præsertim delictis, quibus mortis pœnam nunquam irrogabis.

Hoc genio erat mitissimus Cæsarum FERDINANDVS II. Imper. qui non ita pridem vitæ diem vltimum clausit. Hic Iustitiæ rigorem, Clementiæ suauitate semper temperauit. Vix vnquam latam in reos sententiam præteriit à se non imminutam aut mitigatam exceptis adulteris, aut incestuosis. Alias, modo genus commutauit supplicii, modò locum, modò tempus: aliquando partem pœnæ sustulit, aliquandò totam. Quod potuit vni tantùm personæ adscribi, noluit pluribus imputari. Notam lenitate miscenda familiis non inussit ex eo, quod aliquis ex iis, etiam læsæ Majestatis, reus est habitus. Nec parentum crimina filiis, nec filiorum parentibus; rursus, nec vnius fratris delicta alteri censuit nocumento esse debere aut probro. Cujusdam Rei, cui vita non poterat condonari, filios ita solatus est, vt diceret patris crimen illis fraudi non futurum; quin addidit se illis futurum parentis loco, si se gererent vt deceret. *P. Lamorman Idea Princip. Chri.*

Itaque illud Cassiodori valdè laudo *benigni esse Principis non tam delicta velle punire quàm tollere: ne aut acriter vindicando æstimetur nimius; aut leniter agendo putetur improuidus.* In quam sententiam pulchrè D. Gregorius: *Miscenda est lenitas cum seueritate, faciendumq; quoddam ex vtraq; temperamentum: vt neq; multâ asperitate exulcerentur subditi, neq nimiâ benignitate soluantur. Sit itaq; amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sauiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens.* Atque hanc quidē viri magni doctrinam iis maximè Principibus inculcādam velim, qui recèns ad Imperium euecti sunt. Nescio enim quo modo tunc alienentur animi subditorum vel mediocri Principis seueritate. Lento gradu & planè plumbeo, tunc ad eam procedendum; ne alioqui antiquam rerum faciem moresque jam adultos penitùs inuertere videatur. *Etenim mutatio quæ fit paulatim, efficit vt omnes naturæ*, inquit Xenophon, *mutationes ferat. Docet hoc Deus ipse qui paulatim nos deducit ex hyeme, ad vehementes æstus tolerandos; ab æstu, ad hyemem vehementem: quem imitantes, ad quod eundum est, aßuefacti antea, non difficulter imus.* In hoc turpiter errauit SERGIVS GALBA, qui simul atque Imperium est adeptus (quod rectè ex Tacito notauit Scipio Amiratus) facinorosorum hominum sanguine sibi cruentauit manus, & parcior quàm oportebat) præsertim post Neronem) donatiui spem militibus proferebat; haud multis post mensibus, non in cubiculo, non noctu, non veneno aliisve insidiis petitus, sed in ipsâ Vrbe Imperii capite, mediâ luce, manifestis armis à suis militibus, ab æmulo deteriore interfectus est. Considerentur Taciti verba hanc propositionem luculenter exprimentia: *Laudata olim & militari famâ celebrata seueritas, angebat coëspernantes veterem disciplinam, atque ita xiiij. annis à Nerone assuefactos, vt haud minùs eius vitia Principum amarent, quàm olim virtutes verebantur.* Si seueritas nimia effecit vt Imperatori GALBÆ à subditis, præduro alioqui Neronis Imperio assuetis, insidiæ struerentur, quantò magis par est Principem cauere, fugereque summam seueritatem, qui in alterius benigni & clementis Principis locum surrogatur?

*2. Var. ep. 16.*

*Li. 2. in Iob. c. 8.*

maximè nouo Principatu.

*L. 7. Cyri.*

*Li. 1. Hist.*

tur? Cautus hac in re TIBERIVS Cæsar, qui *Augusto* humanissimo Principi successit: nam etsi initio Principatus, non pauca essent, quæ in vrbe animaduersionem postularent, attamen *populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere*. Ideò alibi dicit: *Si quis legem sanciat, pœnas indicat* aduersus prævalida vitia, *etiam illi*, qui eorum expertes sunt, *Ciuitatem verti, splendidissimo cuique exilium parari, neminem criminis expertem clamitabunt*.

*Tac. ibid. Orat. ad Senatum 3. Ann.*

Sed & videndum, *ne quidquam in pœnis statuendis per iracundiam committatur*.

Pœnæ in iracundia nequaquam decernendæ.

I. In quâ cùm satis præceps sub initia Imperii esset AVGVSTVS Cæsar, hoc insigni scommate à *Mæcenate* intimo eius consiliario notatus fuit. *Cùm enim eo præsente Augustus pro tribunali sedens, multos esset morte damnaturus, idipsumq; fore præuideret Mæcenas, hæc verba in tabella, cùm per circumstantium coronam ad ipsum irrumpere, ac proximè assistere nequiret, scripsit* (Surge verò tandem carnifex) *eamq; tabellam, quasi aliud quid indicantem, in sinum Augusti proiecit. quâ lectâ, is statim surrexit, nemine morte multato. Neque verò huiusmodi res stomachum Cæsari mouit, sed impensius gauisus est, tam salubriter amici libertate corrigi.*

*Ex Dione lib. 55.*

II. Enimuerò, THEODOSIVS Imper. cum periculo suo percepisset, quantum Principibus damnosæ essent præcipites pœnæ, legem suasore D. Ambrosio tulit: *Ne quos Princeps vltimo affici supplicio iuberet ante trigesimum diem à sententia lata.* Quæ sanè constitutio, summam habet rationem. Siquidem ex dicto Senecæ:

*L. si vindicari. C. de Pœn. Hist. Trip. l. 9. c. 30. Baro. To. Ann. 2. de Ira. v. 23.*

*Potest pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari.*

Quin etiam non paucis ante eum seculis Senatusconsulto Tiberiano cautum legimus, *vt pœna damnatorum in decimum semper diem differretur*, vt Suetonius auctor est, in Tiber. cap. 75.

Fugienda hic celeritas & quando non.

Placita planè digna quæ Principibus offensis, communicentur. Breui siquidem intercapedine non rarò emollirentur, & sarctæ (vt sic dicam) menti restituerentur. Profuisset, opinor, si id factum potestati non nominandæ, quæ aliquot abhinc annis quendam adolescentem: quòd is in regia, ense stricto alterum inuasisset, è vestigio damnatum capite multauit. Sapienter Seneca:

*Agamē. act. 2.*

——— ——— *Da tempus, ac spatium tibi:*
*Quod ratio nequit sæpè sanauit mora.*

Vtique in tua causa.

Idque maximè in propria causa. Nam si nihil aliud,

*In. Hercul. Fur.*

——— ——— *scelera taxantur modo*
*Maiore nostra.*

At aliud etiam est, in quo hæc philautia offendat, nimirum quòd moræ vt plurimùm nescia sit, vrget (inquam) & impellit ad pœnitenda: proponit nobis citam vltionem, quam alioqui in aliis vix serotinam assumeremus. Quid ergò? an cunctatione semper vtendum? semper. extra quam in creperis rebus, & nouo Imperio: tum enim *securitati consulendum est iustâ vltione*. Atque ita Didonis præpropera seueritas excusatur apud Virgilium:

*Tac. 14. Annal.*

Res du-

*Res dura, & regni nouitas me talia cogunt* Æneid.1.
*Moliri, & latè fines custode tueri.*

Estne igitur tum aliquis in te hostili animo animatus? citò hunc exsequere. Estne aliquis, qui decessorem tuum violauit? vindictam sume, *quàm negligere tibi indecorum est, & periculosum.* Iust. lib. 1. Rectè Augustinus epist. 64. *Plurimum interest quo animo* & quo tempore *parcat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.*

Quin tertiam & quartam subiiciamus cautionem: quibus diximus *Principem restricta vti debere seueritate in puniendo.*

Pro hac sententia clarè & sapienter Seneca: *Vt fulmina paucorum periculo cadant, omnium metu: sic animaduersiones magnarum potestatum terreant latiùs, quàm noceant. Non enim minus Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Remißius Imperanti melius daretur. Natura contumax est humanus animus, & in contrarium atq; arduum nitens, sequiturq; faciliùs, quàm ducitur. Et vt generosi atq; nobiles equi, meliùs facili fræno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi: Plus itaq; hac via proficitur. Crudelitas minimè humanum malum est, indignumq; regio animo. Ferina ista rabies est sanguine gaudere, & abiecto homine in siluestre animal transire.* Qua de re plura qui volet, legat infra lib. 6. c. 9. I. de clem. c. 24.

*Sed & videndum, vt vindicta probari tibi non videatur.* Et specie non re tãtum ingrata tibi.

I. Quod quidem CLAVDIVM Cæsarem probè cauisse legimus, dum ignominiam quæ necessariò nonnullis Senatoribus inurenda erat tanquam aqua suffusa emollit, & velut inuitum se ad eam inferendam insigni commento indicat: *Famosos probris* (inquit Tacitus) *quoniam modò Senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex seueritate prisca rationem adhibuit; monendo, secum quisq; de se consultaret, peteretq; ius exuendi ordinis. Facilem eius rei veniam, & motos Senatu & excusatos simul propositurum; vt iudicium Censorem, ac pudor spontè cedentium permisti, ignominiam mollirent.* Tac. 11. Annal. Suet. c. 33.

II. Eodem quoque aspectu AVGVSTVS Cæsar, manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur (quod nonnisi confessi afficiebantur hac pœnâ) ita fertur interrogasse: *Certè patrem tuum non occidisti?* Acutum nempè Cæsaris dictum, ita sceleris conscium interrogantis, quasi fores illi aperiat ad negandum, vel potiùs euadendum. Sed an isthæc clementia?

III. Iam de VESPASIANO quid dicam? quem *neque cæde cuiusquam lætatum* scribunt, quin *iussit suppliciis illacrymauisse etiam, & ingemuisse.* Id. c. 15.

Denique dixi *oportere supplicia more patrio sumi.* Esto & vsitata.

I. Docuit hoc quondam idem AVGVSTVS, qui *Pollionem* acriter reprehendit, quòd seruum, qui vas crystallinum confregerat, iusserat, in viuarium demergi, murenarum pabulum futurum. Cùm duceretur, euadens lictorum manus ad Augusti pedes apud eundem Pollionem cænantis, se proiecit; supplicans vt alio genere mortis interiret; *Augustus*, causâ & genere mortis cognitis, solui seruum iussit. *Pollionis* verò & vasa omnia crystallina coram afferri iussa virgulâ confregit, Dio l. 54. Senec. 3. de Ira. c. 40.

fregit, & viuaria euertit. O factum bene meliùs, si Pollionem paulò maiori malo admonuisset.

Virgil. 8. Æn. II. Hacque etiam de causa MEZENTIVS apud Poëtam pessimè audijt, quòd mortua jungeret corpora viuis, *componens manibusq; manus, atque oribus ora.*

Lib. 3. de Rel. gest. Isacij Angeli. III. Ex quibus exemplis & documentis vides vsitata supplicia noxiis decernenda: sed vt etiam moderata sint, curandum, *Vult enim Prouidentia*, ait Choniates, *etiam in inimicissimorum supplicijs moderationem adhiberi, & semper in conspectu esse potestatis lubricum, & Imperij amissionem: ne, vt omnium rerum vicissitudo est, quemadmodum quisque tractarit cateros, ita & ipse diuino judicio ab alijs tractetur.*

In Hierone, sub finē Postremò, *Principem supplicijs non interesse debere* monui: & mecum Xenophon.

*Censeo viro Principi*, inquit, *sic agendum, vt si quis eget correctione, hunc alijs puniendum tradat. Caterùm, cùm præmia reddenda sunt his qui rem benè gesserunt, id per se ipse hoc faciat; Ita protinus fiet, ut in his quod gratiosum est, per Principem sit factum; quod verò contra per alios.*

---

## CAPVT VII.

### Modestia *præteriri non debet, maximum Principis decus, & ornamentum.*

Cic. ep. 1. ad Q. Frat. EA autem maximè pertinet ad conuenientiam morum; qui quidem sic moderati, compositique esse debent, vt summâ seueritate, summæ humanitati nihil detrahatur. Quippè, *nihil est tàm deforme, quam ad summum Imperium, etiam acerbitatem natura adjungere.* Hanc igitur cum illa temperet: & sciat, *in Principibus* Mode-

Cassiod. ep. 44. Var. 1. stiam ac *humilitatem esse gloriosam, vt in mediocribus odiosam esse jactantiam.* Gloriosam, inquam: quia *maximum argumentum est animi ab altiori venientis sede, si hæc, in quibus ver-*

Senec. ep. 22. *satur, humilia judicat & angusta.* Est hæc natura sideribus vt hoc segnius moueantur,

D. Chrys. in 1. cap. Matth. Hom. quò sunt in sublimiori sphæra: sic boni Principes, quò major est eorum auctoritas, eò se magis ad humilia circumagunt, securi magnitudinis suæ. Testor auream aurei illius Patris vocem: *Sublimium maxima gloria est, quàm maximè se submittere.* Vt rectè

C. 2. de off. præcipere videantur qui monent, *vt quantò quisq; major est, tantò se submissius gerat.* Ni

Senec. Troad. act. 2. facit, Parcas metuat. quia,

> *Violenta nemo imperia continuit diù,*
> *Moderata durant:*

Modestiam itaque in omni actione seruet, ac etiam præ se ferat.

Eccl. 4. Imprimisque, *vultu gestuq;*: qui intra orbitam decoris contineantur. *Ex visu* (inquit Siracides) *cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Audi virum

alterum

alterum diuinum: *Est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia: habitus enim mentis in* Tacit. 11.
*corporis statu cognoscitur.*—— *Sit igitur ore compositus.* Annal.

II. *In sermone*: qui ei grauis, & restrictus. Suggerit ille idem magnus Doctor: *Sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.* Et magnus ille morum Magister: *Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit: ita oratio pressa, non audax.* Quid quæris? *Hæc est regalis procul dubio virtus, celeriùs necessaria sentire, sed tardiùs in verba prorumpere.* Breui igitur, & cocto, vt sic dicam, sermone vtatur. Ambros. 1. offic. cap. 3. Senec. epist. 40. Cassiod. 10. var. 4.

III. Quinetiam *in cultu* modestia adsit: *sit præcipuus adstricti moris auctor, antiquo ipse cultu, victuq;.* Tacit. 3. An.

IV. Itidem dixerim de omni *externo apparatu*. Quid enim? an non *prudentis Principis est vita modestiâ magis, quàm potentiâ delectari?* Profectò. Ille enim *verè incrementis suis maior est,* ( inquit Symmachus ) *quem sublimitas parti honoris inclinat.* Ergò, Lib. 5. c. 15. Isocr. Paneg.

Μείζων ὅσῳ ἔσῃ, τόσῳ μετριώτερος ἴσθι:
*Quantò maior eris, tantò moderatior esto.* B. Anthelm. Episc. Saxonum in Monastithis.

V. Maximè in honoribus vsurpandis, nam *spreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit.* Liuius. 5.

---

## EXEMPLA CVM NOTIS.

I. Quorum signa mihi ducat THYMOLEON magnus laudatusque Dux, qui hoc nomine maximè prædicatur, quòd Dionysium Siciliа eiecerit, quòd in illustri gloria vixerit, quòd nihil vnquam neque insolens, neque gloriosum ex ore eius exierit. Is igitur, cùm suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quàm *se in eâ re maximas Dijs gratias agere atque habere, quod cùm Siciliam recreare constituissent, tùm se potissimùm Ducem esse voluissent.* Quotusquisque Christianus tàm demissè de se sentiat? aut tàm modestè vera de se prædicanti respondeat? Modestię in factis & dictis. Probus in Thymoleo.

II. Par modestiæ exemplum Regis AGESILAI. cùm enim ex Ægypto in patriam proficisci vellet, ac in portu Menelai morbo adeò graui, & letali correptus esset, vt propè mortalitatem expleret, suis seriò prohibuit, ne corporis sui imaginem, vel statuam in honorem eius erigerent: quia, *si quod præclarum facinus gessi*, inquit, *hoc erit monumentum mei: sin minùs, ne omnes quidem statuæ illustrabunt mei memoriam.* Plut. in Lacon. Xenophon Orat. de laud. Agesilai.

III. Quanti illud AVGVSTI Cæsaris? *Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium semper abhorruit. Cum spectante eo ludos, pronunciatum esset à mimo: O Dominum æquum, & bonum! & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent: statim manu vultuq; indecoras adulationes repreßit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto: Dominumq; se post hac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò, vel ioco passus est: atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Tranq. c. 53.

IV. TIBERIVS autem eiusdem Augusti priuignus, *Dominus appellatus à quodam*, simili modestiâ *denunciauit, ne se ampliùs contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem (sacras eius occupationes) & rursus, alium auctore eo Senatum se adijsse, verba mutare, & pro* auctore, *suasorem; pro* sacris, *laboriosas dicere coëgit.*

Id cap. 27.

V. Rursum eiusdem *Augusti* modestia nobis commemoranda: Quid minùs ambitiosum excogitari potest, quàm cùm ex Græciâ rediret, noctu Vrbem ingressus est, ne obuiam venire volentibus molestus esset? Et ne cui veri dissimile videatur, Tranquillum habeo super eo testem optimum: *Non temerè*, inquit, *Vrbe, Oppidove vllo egressus, aut quoquam ingressus est, nisi vespere, aut noctu: ne quem officij causa* inquietaret.* Hodie plerique Principes, sub facem primam ingrediuntur, sed quò maiori pompâ, quasi triumphantes, luminibus introducantur.

Zonaras. Cap. 53. *Ex m. s. ita lege.

VI. Inserit se tantis viris C. MARIVS, Reipub. Romanæ Consul celeberrimus. Quùm ei duplex triumphus decerneretur, noluit solus triumphare, sed gloriam suam cum collegâ *Catulo* partitus est; quanquam minùs dignus ille à populo Romano iudicaretur.

Plut.

VII. Verùm, Principum exemplis insistamus. VESPASIANVS igitur meritò cum cæteris conferendus, *adeò nihil ornamentorum extrinsecùs cupidè appetiuit, vt triumphi die fatigatus tarditate, & tadio pompæ, non reticuerit, meritò se plecti, qui triumphū quasi aut debitum maioribus suis, aut speratum vnquam sibi, tàm ineptè senex concupiisset. Ac ne Tribunitiam quidem potestatem, &* Patris patriæ *appellationem, nisi serò recepit.*

Tranq. c. 12.

VIII. Consimili, ne dicam maiori, modestiâ AVGVSTVS ille idem, de quo suprà, qui deferenti alioqui S.P.Q R. pecuniam ad imagines faciendas, nullam prorsus sibi, sed *Saluti publicæ, Concordiæ, Paci* posuit.

Dio lib. 54.

IX. Quid de illis Dynastis, Ducibus, & Prouinciarum Præfectis dicemus? qui statuas loricatas, habituque Vindicis sibi faciunt, nec eas *Religioni, Iustitiæ, Concordiæ, Paci, Saluti publicæ*, sed sibi velut earum auctoribus, & ideò immeritò, arroganterque inscribunt? qualem in nostro Belgio statuam vidimus, sed eò intolerabiliorem, quòd nobiles Prouinciæ, & Optimates, nimis superbè, & petulanter pessundaret. Quotus, sodès, quisque Ethnicorum, etiam optimè de hominum vita meritus, adeò altè, & stultè supercilium tollat? Non tu P. ATTICE, qui quamdiù in prouincia fuisti, *ne qua tibi statua poneretur, restitisti*: quamquam *absens* (quæ tua virtus erat) *prohibere non potuisti.* Non tu P. AFRICANE, qui statuas triumphali ornatu indutas, continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam, nequaquam admisisti, & penè *tantum in recusandis honoribus te gessisti, quantum gesseras in emerendis.* Non tu etiam FRONTINE, qui crebris sermonibus vsurpabas: *Impensam monumenti superuacaneam esse; memoriam nostram vtique duraturam, si virtute, & rectè factis mereamur.* Quod ipsum dum cogitatione perciperet Imper. NERVA, *omninò recusauit, ne sibi statuæ ex auro, & argento constituerentur*, id quod tamen eo æuo haud insolens erat. O viros igitur ab exacta modestia, & sapientia, si à luce Fidei recedamus, clarissimos! Et quis vos non admiretur, non suspiciat, non in cœlum laudibus tollat? nisi

Cornel: Nepos in vita Pomp. Att. Val. Max. li. 4. c. 1.

Dio Cassius.

Idem.

fortè maligni, & maculosi, quibus amicum est, nomen sibi ædificare statuis, & monumentis, non virtute, & laude rerum benè gestarum.

X. Ne quis tamen in antiquis illis Ethnicis modestiæ, moderationisque virtutem modò resedisse putet, en, præter sexcentos, D. LVDOVICVS Galliæ Rex, qui à suis quondam sciscitatus, quo titulo dignari, & honorari maximè cuperet, Regum vtpotè illorum, & Imperatorum exemplo, qui per eximiam quandam virtutem, vel excellentem victoriam cognomen quoddam sortiebantur; respondit magnificè, maiorem sibi victoriam obtigisse nullam, quàm in æde sacrâ de Poissi, cum sacro baptismatis lauacro ablutus humani generis hostem fugasset. Hoc cum ita sit maiori honore insigniri, & affici non posse, quàm si *Ludouicus de Poißi* nuncuparetur. Vox profectò Christiano, & sanctissimo Principe digna. *Gaguin.*

XI. Cui succedat IVLIANVS MEDICÆVS, qui auctore Iouio, ex tanto tempore locorumque interuallo reductus in Rempub. Florentinam, primùm non in Medicæas ædes, sed in Albicianam se contulit; deinde singulari humanitate, & modestiâ *Domini* & *Magnifici* nomen repudiauit, seque ciuem omnium æqualem atque omnium fratrem esse professus est. atque id quidem etiam prudentissime: quòd etiam tùm eius Principatus, nutantibus adhuc ciuium animis, haud dum stabilitus, & firmus esset. Quo exemplo si Principes hodierni æui à me moneantur, vt Principatu, & Imperio nouiter adepto, nouos sibi titulos minùs assumant, quin potiùs oblatos spernant fastidiantque, æqui & boni faciant: cùm Ethnicos ipsos id præstitisse, firmandæ saltem dominationis causa, comperiamus. *In viris illustribus.* Ambitiosi tituli initio Imperij repudiandi.

XII. Ita SCIPIO AFRICANVS cùm à militibus Hispanis REX acclamaretur, *sibi maximum nomen* IMPERATORIS *esse* iisdem respondit: REGIVM *nomen alibi magnum, Romæ intolerandum esse; si quid in hominis ingenio amplißimum ducerent, tacitè iudicarent, vocis vsurpatione abstinerent.* Ita M. ANTONINVS, cùm Rhodum insulam vi ac impressione expugnasset, & in ingressu passim salutaretur REX, ac DOMINVS, *Nec Rex sum*, inquit, *nec Dominus, sed Regis, ac Domini interfector.* Si hac modestiâ CÆSAR ille IVLIVS fuisset, nænon ex insidijs in Senatu tribus & viginti vulneribus confossus fuisset. Etenim nouos ille, & inauditos honores vsurpauit, *vt perpetuam Dictaturam, Præfecturam morum, cognomen Patris patriæ, statuam inter Reges, suggestum in Orchestra*, sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: quæ Tranquillus alijque latiùs prosequuntur. *Liu. lib. 27* *Plut.* *Sueton. c. 76.*

XIII. Atque vt ad nostros, id est Christianos, stilus noster redeat GREGORIVS cognomento MAGNVS vt superbiam retunderet *Ioannis* Patriarchæ Constantinopolitani, qui post Concilium in eâ Ciuitate extremis annis Pelagij decessoris sui celebratum, *Vniuersalem se Episcopum* inscribere ausus est, (quod nomen ad Episcopum Romanum tantummodò pertinebat) vbi acerrimè illum reprehendisset, quod turbatis atque in fœlicissimis Christianæ Reipub. temporibus, ipse, suique Sacerdotes (quibus cinere aspersis atque prostratis humanas deplorandi miserias onus incumbebat) in nouis titulis, nouisque nominibus ambien- *Io. Diac. c. 1.*

dis

dis occuparetur: ipse contra *Seruum seruorum Dei* sese primus appellauit: Quem quidem titulum summæ modestiæ, & admirationis plenum, nemo quisquam eorum, qui ab eo Ecclesiæ regimen adepti sunt, dedignatus est.

XIV. Iam verò CAROLVS V. Imperator tantum ab impotenti elatione seiunctus fuit, vt non tàm verbis, quàm factis singularem modestiam præ se semper tulerit. Nam & hoc non infrequenter iactasse legimus: *Quò quisque maior eò se submißiùs gerat.* Neque aliter sensit MAXIMILIANVS eius auus; ALPHONSVS item Arragoniæ Rex, aliíque permulti: quorum facta, modestiæ plena denarrarem, nisi longum mihi esset, & lectori forsitan tædiosum in re non obscurâ non necessarijs exemplis vti. Tantum dico, quamdiù viris Principibus inest modestia, tantisper coniunctam esse virtutem, atque in rebus gerendis fœlicitatem.

*Guil. Zenocarus lib. 4. Caroli.*

XV. Sed huic Augustissimæ familiæ inserendus sit FERDINANDVS II. Imper. à modestiâ commendatissimus, dignusque cui effusissimæ tribuantur laudes. Ille igitur anno à partu Virgineo 1627. In Ciuitate Pragensi corona redimitus, è solio pompam, quæ ipso iubente Bohemiæ corona delata est ELEONORÆ coniugi, ac FERDINANDO filio modò fœliciter regnante, rem visus est attentius contemplari, & expendere. Ad conclaue cùm è templo se tulisset; cuidam familiari de totâ eâ pompâ, hanc dixit sententiam: *Gloriam omnem Regiam, ac Cæsaream omninò videri sibi comœdiam, interfuisse cùm Academici iuuenes agerent in scena: interfuisse iam Coniugis ac Filij inaugurationi: vnum inter Scenicos Reges ac istos se reperire discrimen, nec plura: illos horas aliquot, hos aliquot annos regnare: gloriam re non multum differre, non alicuius temporis diuturnitate.* Cùm videret nouos quotidie hostes insurgere, nouas suis coronis insidias quotidie strui, nouas machinas, vt è solio ipse deijceretur fieri: *Tantine*, inquit, *est diadema? ego verò si quem Deus meliorem Imperio decreuit præficere; paratus sum sponte sceptrum manu, diadema capite deponere.*

Postquam inauguratus Cæsar Græcium Francofurto aduenisset, dignam se protulit sententiam. *Se Francofurti Imperij coronam suscepisse, non vt suam, sed Dei gloriam augeret, & commodo publico prodesset, quin imò se in sui electionem consensurum non fuisse, nisi hunc finem præfixum habuisset.* Honores, quos populi Regibus exhibere solent cùm eos penè triumphantes in Vrbes ac Prouincias inducunt, vno hoc titulo probabat, sibique exhiberi patiebatur, quod eâ pompâ in populorum animis erga Reges excitetur veneratio, quæ facit vt Magistratui libenter subsint. Cæterùm, id quoque honoris genus ipse infra se habuit ac aliquandò recusauit. Moderationis huius vltimum argumentum reliquit paulò antè quàm moreretur. Reuertentem ex comitijs Ratisbonâ, ciuitas Vienna, totaque Austria solenniori apparatu excipere decreuerat, & in promptu erant omnia; cùm ille consuetâ modestiâ iussit, vt ne Proceres veniret in occursum, quod facere & quidem splendide constituerant, sed eius aduentum in palatio, in quo salutaturus illos erat, præstolarentur. Ne tamen aut illi aut ciues officia sua despici putarent, *Seruent*, inquit, *hæc Romanorum Regi breui adfuturo.*

*Anno 1637.*

XVI. O quàm

XVI. O quàm dissimilis CAROLVS ille Burgundiæ Dux cognomento AVDAX; quippe, qui post multas magnasque victorias tandem ferocior euasit, magnosque secundis rebus spiritus sumpsit, sibi persuadens (auctor Philip. Cominæus) omnem quâ perfruebatur fœlicitatem, à suo pendere ingenio, & virtute; quâ ex re ferocior in dies euadebat; vnde factum, vt puniuerit illum Deus (inquit) mentis cœcitate: Nam post tot tantasque res, tota Europa præclarè gestas, tandem in obsidione Nancæanâ manum cũ Lotharingo viribus longè superiore cõferens, miserrime fuso fugatoque copioso exercitu cum multis alijs interemptus, & posteà denudatus in magno cadauerum numero, cùm ipse non noscitaretur, repertus est. Sic qui paulò ante Leodienses captâ ciuitate longe florentissimâ, & incendio impiè deleta, vita fortunisque priuârat, à Deo iustæ vindictæ, non tàm fortunis, quàm vitâ spoliatur. Quàm igitur vere Sapiens! *Ante ruinam exaltatur cor hominis.* Ita, ita: & docent exempla non tàm priscæ, quàm hodiernæ tempestatis. Vt prudenter moneat Prudentius Poëta Christianus:

*Lib. 7. Cõment.*

*Prouerb. 16.*

*In Psycom. superb. & Hum.*

*Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum;*
*Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.*
*Disce supercilium deponere: disce cauere*
*Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris*
*Peruulgata viget nostri sententia Christi,*
*Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.*

Concludo ergò Clementiam, Modestiamque à Principe circumspectò semper, & vbique in factis seruandam: *an non etiam in vultu, ac gestu?* — *Modestia in vultu, gestúque.*

I. Certè ab hac maximè re prædicatur GERMANICVS apud Romanos, *qui visu & auditu iuxta venerabilis erat.* — *Tacit. 11. Annal.*

II. Itidem TITVS VESPASIANVS: de quo Tacitus: *Augebat famam ipsius, Titi ingenium, quantæcunque fortunæ capax, decor oris cum quadam maiestate.* — *Idem 4. Ann.*

III. At LVDOVICVS SFORTIA patrum memoriâ, compositis adeò erat moribus, *vt à rudibus rusticanisq́ᵹ, qui eum nunquam vidissent, pari inter multos cultu, & sæpè sine comitatu vti omnium Princeps atque Imperator salutaretur.* — *Paul. Iouius.*

*Etiam in sermone.* Vt is grauis, & restrictus sit, quippe, quòd sermonis breuitas maximè Principem commendet, & deceat. — Et in sermone.

I. Hinc Tacitus de GALBA: *Imperatoriâ breuitate,* inquit, *adoptari à se Pisonem pronunciat.* — *1. Hist.*

II. Hæc breuitas dicendi PISISTRATO Athenienſi suffragata est, ad promerendam ciuium gratiam; ex qua quidem imperium assequutus dicitur. — *F. Patrit. ex Plut.*

III. MENELAVS etiam dicendo dulcem fuisse tradit Homerus, sed pauca eum loquentem inducit. — *Indidem.*

IV. Atque inter encomia THEODORICI Regis Gothorum, illud etiam refertur, quod *intromissis gentium legationibus, audiebat plurima, respondebat pauca.* — *Sid. Apollin. lib. 1. epist. 2.*

*Lib. 1. de Elocut.* Breuitas certe dicendi, pro laude habetur in Regibus, Principibusque, & ijs omnibus, qui alijs præsunt, maximisque rebus occupati sunt. Causa apud Demetrium Phalereum hæc: *Nam præcepta, & iussiones, quæ Principi conueniunt, breuibus verbis formantur; preces autem quæ humilioribus, verbosæ, & longæ esse debent.*

Ac postremò in externo apparatu, comitatu, & cultu seruanda. Denique, *in omni alio externo cultu:* veluti *ingressu, comitatu, victu, habitu.*

I. TRAIANVS Imper. si Plinio fides, *ita domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiæ principalis: nullus præcursorum tumultus detineret: nemo perturbabatur, nemo submouebatur* (à lictoribus) *tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus, vt plerumque aliena turba* (Senatoris alicuius diuitis, vel Magistratus) *subsistere Principem cogeret. Ipsius quidem officium* (ipsi comitantes) *tàm modicum tam temperatum, vt antiquus, aliquisque magnus Consul sub bono Principe incedere videretur.* *Paneg.* O pulchra vel in admirationem! & vbi, sodes, eiusmodi modestia hoc nostro æuo?

*Epist. 1.* II. CICERONIS etiam ad Q Fratrem, eòdem spectans monitum: *Sit lictor mansues: & tuæ lenitatis apparitor: maioraq; præferant fasces illi, ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis.*

*Bruson. lib. 1. Stobæ in serm.* III. DIO. SYRACVSANVS quoque non mediocribus modestiæ notis insignitus erat. Post cùm enim potitus esset rerum, nec mensam, nec vestem mutauit, sed eodem habitu victuque contentus, quo vtebatur, quando in Academia cum Platone & condiscipulis versaretur, Platonis monitum sequutus, ad eum huncin modum scribentis: Eum existimare oportere se ab omnibus probari, si à viris solùm qui in Academiâ versantur, probaretur; quando illi non fortunam, non victoriam, non audaciam admirarentur, sed virum qui in magnâ rerum amplitudine per honestatem, temperantiam, modestiam, Iustitiamque prosperâ fortunâ vti sciret.

*Bruson. lib. 3. c. 13.* IV. Non supprimenda denique ALEX. SEVERI modestia. Is cum humili vestitu contentus sæpenumerò incederet, ob idque identidem ab Aulicis suis reprehenderetur, respondit. *Imperatoriam maiestatem constare virtute, non corporis cultu.*

V. Sed quia Eminentissimi Cardinales inter Principes meritò annumerantur, vnius Cardinalis moderatio nobis producenda, quæ non tàm Principibus quàm modernis Cardinalibus perpetuo sit exemplo. Is erit CAROLVS BORROMEVS, à sanctitate vitæ admirandus, qui etsi fortunæ bonis abundè cumulatus esset, nihilò magis tamen insolentior factus est, quinimò singulari semper in omni victu vestituque moderatione vsus est. nam præter exteriorem purpuram, nihil exquisiti, nihil serici adhibuit, sed interiores vestes ex simplici panno & telâ: quin etiam cubicularis amictus ex panno erat cinericio, rudi, & crasso; quam ipsam vestem quatuordecim totis annis nunquam mutauit. *Lib. de Card. dig. & off.* An igitur vilis ille amictus eius celebritati offecit? Nequaquam, si Hieronymo Plato credimus. nam (vt inquit ad Flaminium fratrem Cardinalem) qui hæc speciosa habeant, multi sunt; neque id virtutis est, sed copiarum, quæ etiam in insipientem cadere possunt, & sæpè cadunt, at verò illa spernere, sapientiæ est, ideoque admirationem

potiùs

potius & commendationem parit. Quare hoc positum sit, debere Cardinalem in victu & in omni cultu atque apparatu, tùm suo, tùm suorum, non modò non transilire modestiæ fines, sed potiùs intra fines sese continere, vt inquiebat idem Flaminius Cardinalis. In quo finem facio Capiti de Modestiâ.

---

## CAPVT VIII.

### *Modestiæ finitima est* Facilitas.

HÆC dicitur beneuolentia quædam, ac dexteritas erga omnes homines permista, quàm Græci φιλανθρωπίαν elegãti verbo appellant. Eam aliàs *Humanitatem*, aut *Ciuilitatem* rectè possis nuncupare: nisi potiùs eius comites velis esse. Et virtus est in Principe omnium gratissima, ad ineundam scilicet gratiam, beneuolentiamque seruandam. Nihil enim iucundius his, qui reguntur, esse potest, si *Lib. 8. de Regno.* Francisco Patritio credimus, quàm cùm intelligunt, aures illius qui regnat, eis patere, nec querelis eorum clausas esse. Ideoque *Laudabile* semper fuit, *Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione causari.* *Auson. Paneg. Gratia.* Quo quidem nomine, Traianus Plinio sic prædicatur: *Nulla in audiendo*, inquit, *difficultas, nulla in respondendo mora: audiuntur statim, dimittuntur statim.* *In Paneg.*

Dixi autem *Beneuolentiam permistam*, siue *promiscuam*: vt *nulla sit distantia personarum & paruum, æquè audiant atque magnum.* *Deutero. ca. 1.* Non enim nobilibus solùm & Optimatibus, aut alijs præcipuæ notæ viris aures dandæ, nisi & plebeculæ. Siquidem vt verè Tragædiographus Græcus inquit:

*Magnus paruus sæpè iungitur:*
*Sæpè à paruis magnorum res*
*Confirmantur.* *Sopocles Aiace.*

Benè igitur Isocrates monet: Γίνȣ πρὸς τὸς πλησιάζοντας ὁμιλητικὸς, ἀλλὰ μὴ σεμνός. τῶ μὲν γὰρ τὸν ὑπεροπτικὸν ὄγκον μόλις ἂν οἱ δȣ̃λοι καρτερήσαιεν: τῶ δὲ τὸ ὁμιλητικὸν τρόπον ἅπαντες ἡδέως ὑποφέρȣσιν: *Comis erga eos esto, qui te conueniunt, non superbus. Nam fastidium & arrogantiam, vel serui dominorum ægrè ferunt; comitas verò grata & iucunda est omnibus.* *Parenesi πρὸς Δημον.* Et Philosophus noster: *Esto*, inquit, *sermone affabilis, accessuq; facilis; vultu qui maximè populos demeretur, amabilis; æquis desiderijs propensus, nec iniquis acerbus.* *Senec. 1. de Glemen.* Menti semper inhæreat illud Titi: *Non oportere à sermone Principis quemquam tristem discedere.* *Sueto.*

Ad summam: quod Q. Ciceroni Marcus frater suggerit, hoc tibi, ô Princeps, dictum & commendatum esto: *Facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solicitudinem, non modò vllo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua, & cubiculo exclusam tuo, toto denique in Imperio nihil acerbum esse,* *Epist. 1. ad Q. Frat.*

*nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis.* Etenim hac *comitate atque suauitate morum, omnes facillimè adamantinis tibi vinculis obligabis.* Benè idem M. Tullius: *Difficile dictu est, quantoperè conciliet animos hominum comitas affabilitasq; sermonis.* Moderata tamen sit. amari quidem illa solet; grauitas, laudari etiam & coli. Vilis, qui nimiùm ciuilis.

*Gregor. li. 9.*

*Lib. 2. de off.*

## EXEMPLA NOTÆ, MONITA.

*Fr. Patrit. 7. de Regno.*

I. DIsquirenti mihi eos Principes, qui à facilitate & comitate maximè dilaudantur, occurrit imprimis è Græcis MILTIADES Cimonis filius; cuius grauitas tanta humanitati atque comitati coniuncta fuit, nemo vt esset tam humilis, & abiectæ fortunæ, cui non ad eum perfacilis semper pateret aditus; quâ ex re omnium mortalium gratiam assequebatur.

*Plut. Apoph.*

II. ARTAXERXES autem Cyri frater cognomento MEMOR, non solùm seipsum affabilem præbuit adire volentibus, verùm vxorem quoque iussit sublatis plagulis vehi, vt ijs, qui eam conuentam vellent, etiam in itinere; libera pateret copia adeundi.

*Xenophon in eius vita.*

III. AGESILAVS Lacedæmoniorum Dux *semper vt spectaretur efficiebat: quippè existimabat ei qui turpiter viueret, tenebras conuenire, & honestæ vitæ plus ornamenti lucem afferre. Idemq; impensè gaudebat, cùm celerrimè desiderijs adeuntium satisfactum esse cerneret.*

*Tranquil. ca. 53. Plin. 8. cap. 5. Tacit. 1. Annal.*

IV. Atque vt è Græcia Romam veniam, AVGVSTVS Cæsar *promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tantâ comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem.* Prorsus salsè, si veterem morem spectes. Idem AVGVSTVS *ciuile etiam rebatur misceri quandoque voluptatibus vulgi.*

*Ex eod. Tranquil. c. 8.*

V. AVGVSTO subnectam TITVM, amorem illum, pro illo æuo, ac delicias generis humani. Hunc legimus, *ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in Thermis suis admissâ plebe lauisse.*

*Id. cap. 24.*

VI. Quid in Patre eius VESPASIANO? is tametsi morbo affectus, haud tamen eò minùs muneribus Imperatorijs fungebatur: adeò *vt etiam legationes audiret cubans.* cumque ei repentè aluus, vsque ad defectionem solueretur: *Imperatorem,* ait, *stantem mori oportere:* Fidemque dicto fecit. nam, *dum consurgit ac nititur, inter manus subleuantium exstinctus est.* Quâ in re insolitam legatis exhibuit ciuilitatem, parque animi robur ostendit.

*Dio Cass.*

VII. Istud de TRAIANO: Amicis incusantibus quod parùm memor Imperatoriæ Maiestatis, nimiùm omnibus expositus esset, respondit: *Talem præstabo me Imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus:* Quod certè re ipsâ edocuit. Siquidem tantâ facilitate, & patientiâ Subditorum desideria excipiebat, vt finem sermoni suus cuique pudor faceret, non Principis morositas, rigor, ac superbia.

Sed contemplemur illum Plinij penicillo depictum: *Liberum est*, inquit, *ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, praeterire. Ambulas inter nos, nos quasi contingas: & copiâ tui, non vt imputes facis. Haret lateri tuo quisquis accessit, finemq; sermoni suus cuiq; pudor, non tua superbia facit.* Paneg. O nouam, & raram inter potentes facilitatem! sciebat magnus Princeps Comitatem virtutem esse regiam, esseque ad instar magnetis, quo multitudinis animi attrahuntur.

VIII. Nec subticendus eius successor HADRIANVS: qui in colloquiis humillimorũ mirè affabilis, & comis erat, eosque detestari solebat, qui hanc facilitatis, & humanitatis voluptatem ipsi inuiderent, hoc colore quod dicerent, Principis Maiestatem vbique obseruandam. Itaque *salutabatur quasi vnus de Senatoribus patente velo, admissionalibus remotis, aut solis ijs qui ministri ad fores fuerant.*

IX. At, Dii boni! quanta, quamque assidua diligentia fuit in audiendo M. ANTONINVS PIVS? Fr. Patrit. 9. de Regno adeò promiscuus erat eius adit⁹, vt nõ fortuna, non inopia, nõ deformitas, aut ætas, quempiam excluderet. Comitijs autem indefessè ad noctem vsque semper aderat, nec ante è Curia discedebat, quàm Senatus dimitteretur, dixissetque Consul: *Nihil amplius vos moramur Patres Conscripti.*

X. PERTINAX, quasi minimè Pertinax communem se affatu, conuiuio, incessu præbebat. Aur. Vict.

XI. Denique tantis se viris inserit POMPEIVS ille MAGNVS: de quo amicus ejus & collega Cicero: Pro l. Manilia. *Iam verò, ita faciles aditus ad eum priuatorum, tàm libera querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur, vt is qui dignitate Principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.*

XII. GRATIANVS plurimùm in hoc laudabatur quòd faciles interpellantibus præberet aditus, nec de occasione causaretur: imò vbi postulata aut querimonias postulassent, cunctatum num quid præterea vellent.

XIII. Non inuideamus laudi recentiorum. FRANCISCVS I. Galliæ Rex, Annal. Gall. ita comitate atque affabilitate claruit, vt domi forisque *Deliciæ generis humani*, vt Titus ille Rom. Cæsar, passim nuncuparetur.

XIV. Quid in RVDOLPHO etiam I. Is cùm à Stipatoribus pauperiores arceri Zenoc. videret, *per Deum*, exclamauit, *finite eos ad me venire: non enim sum ad Imperium vocatus, vt in arculâ includar.* Nec rarò etiam sententiam hanc vsurpabat: *Seuerum & immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem & placabilem nunquam.*

XV. Superiori quidem ætate CAROLVS V. Imp. eiusdem stirpis ab eadem Guil. Zenocar. li. 3. virtute sese maximè commendabilem reddidit. Quippè qui in cognoscendis hominum, Ciuitatum, Prouinciarum, & Imperiorum tàm huius, quàm noui orbis querimonijs & lamentis solertem admodum & diligentem se præstitit: quinimò, sic receptæ apud eum expostulationes omnium, ita liberæ vbique querelæ, & liberi omnium aditus, vt nemo quisquam de alterius prauitate, iniurijs, contumelijs, rapinis, iniustisvè iudicijs frustra quereretur.

XVI. Ex eadem Austriacâ familia maximè emicuit FERDINANDVS II. Imp.

non ita pridem vitâ functus, cuius facilitatem & humanitatem sic solitus fuit suspicere inclytus & Serenissimus Elector Coloniensis Episcopus & Princeps noster, vt primo aditu mortalium corda raperet, timidos erigeret, perturbatos tranquillaret, solaretur afflictos, nullum denique à se tristem abire pateretur.

XVII. CONSTANTINVS Imperator, vt hos ætate præcessit, ita etiam ciuilitate facilitateque longè superauit. Is nedum fores suas cunctis patulas esse voluit, verumetiam ad Officiales, Præsidesque suos liberi itidem vt essent aditus, sancitâ lege procurauit: *Non fit*, inquit, *venale Iudicu velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa Præsidis cum pretio. Æquè aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur.*

*L.1.C.Th. de Rect. prouinc.*

XVIII. AMBROSIVM, denique Mediolanensium Præsulem nectamus, vt de eo capiant exemplum sacri Principes. Is igitur cùm præter munia Ecclesiastica indefesso labore peragerct, vtpotè litigantes audiret, causas iudicaret, & assumptus plerumque arbiter componeret, in omnibus ita se paratum exhibuit, vt nemini ad eum aditus esset aliquando interclusus, nullius ostii velum (mirum dictu) esset oppansum; nec qui ad eum duceret, esset alicuius à cubiculariis officium requirendum: testatur id quidem D. Augustinus, hominis admiratus in audiendis omnibus tolerantiam, & vt Paulinus in illius vitâ.

*Baro. To. 4. Annal. An. 375.*

*Confess. 6. cap. 3.*

XIX. Iure igitur laudantur tales. Atque ideò ab ineunte ætate meritò à prudentibus præceptoribus instituuntur Principes, vti faciles ciuilesque se vulgo exhibeant in adeundo: propterea quòd hac re, non postremum Principis officium implent, vtpotè quo & amantur plurimùm à subditis, & obseruantur. Id quod benè obseruauit ABSALON filius Dauidis Regis Hebræi; de quo sacer codex scribit, quod cùm ille Patris regnum affectaret, manè staret iuxta introitum portæ in viâ, & quibus negocium erat cum Rege, humanissimis verbis alloqueretur, seque eis auxilio fore promitteret, vt facile, iustumque iudicium consequerentur.

Signent Principum filij.

*2. Reg. 15.*

Notent interim affabilitatem consistere, aut in vultu, aut alloquio, aut verbis, quando scilicet facta benignitatem, humanitatemque animi tantum declarant. In vultu quidem erit, si placidus, si iucundus, si venustus, minimeque austerus, aut tetricus sit, quod quàm fieri facilè possit, nemo dubitat: cùm hilaritatem sæpè vel maximè tristes fingamus, tristitiamvè hilares, vultu se ad voluntatis arbitrium continuò permouente; in alloquio, item ac verbis, dum sermo ad quemque habetur, auditurvè benignè quis loquens, petens, orans, rogansve quicquam: si mansuetis ac dulcibus id verbis, grauibus tamen atque compositis fiat: quod etiam facilè fieri posse quiuis intelligat; nisi & in verbis austeritatem tetricam malit, quam vetustatem iucundam. Deus bone! quam natus exhibere facilitatem hanc FERDINANDVS II. Imp. de quo paulò antè meminimus? quippè qui loquentes plures persæpè horas audiebat, non solùm sine nausea, aut tædio, sed sereno vultu, ac planè renidẽte. Nõ raro negociis expeditis, pro quib9 fuerat cõpellatus, familiariore sermone solitus fuit homines alloqui, de rerum suarum conditione, de patriâ, de prolibus

denique

denique sciscitari. Dixisses parentem cum filio, aut fratrem cum fratre agere, tantâ Cæsar cum subdito agebat humanitate.

XX. Vt mirandum minimè sit, si qui difficiles, & morosi sunt, ex facili in odium suorum incidant, & contemptum. Quemadmodum de DEMETR o legimus, qui quod adeuntes se, aut eorum libellos supplices respueret, seditionis causam præbuit: vnde factum est posteà, vt ipse regno exueretur, si Plutarch. credimus. Abstractio & morositas odij causa.

XXI. De PAVSANIA Thucidides: *Aditu difficilem se præbebat*, inquit, *& iracundia adeò graui in omnes pariter vtebatur, vt nullus posset accedere. Quamobrem etiam potissimùm socij ad Athenienſium partes transierunt.* *Lib. 1.*

XXII. Venerunt aliquando Lacedæmonii ad LYGDAMIN Tyrannum Legatione fungentes: sed cùm ille variis causationibus frequenter distulisset colloquendi copiam, tandem post omnes excusationes, dictum est parùm illum esse firmâ valetudine. Legati respondêrunt: Per Iouem, non venimus huc cum illo luctaturi, sed collocuturi. Bellè taxarunt barbari regis fastum, & delicias, qui friuola de causa res maximè serias, aut omitteret, aut fastidiret. *Plut. in apoph.*

XXIII. Hoc etiam animi vitio notatus fuit C. CALIGVLA, cuius insolentiam & morositatem acriter reprehendit ac detestatur Philo Iudæus: quippè qui ad illum ab Alexandrinis legatus, vix in conspectũ venire iussus, nedum ad colloquium admissus fuit, quemadmodum de se ipse testatur idem ille Philo Iudæus in lib. de legatione ad Caium. *Philo Iud. de leg.*

XXIV. De CAROLO VIII. notat Guicciardinus, quòd is erat alienus à laboribus lubensque indulgeret genio, neq; beneuolè exciperet desideria suorum, curamque publicæ rei Aulicis suis committebat, quorum auaritiæ partim causa, partim ob imperitiam, omnia sursum deorsumque vertebantur: neque enim nobilitas eo quo erat pretio habebatur, neque alii ad sacram Regis audientiam admittebantur, quâ ex re in inuidiam omnium vocabatur. *Lib. 2.* *9. Comment.*

XXV. Facessat igitur morositas, facessat contumacia: magè ad humanitatem, ciuilitatemque animum suum referat Princeps, Veluti CAROLVS BVRGVNDIÆ, cognomento AVDAX, in quo non paruam fuisse facilitatem, (quâ perlibenter iuxta atq; humaniter subditorum desideria, ac libellos supplices excipiebat) tametsi lentæ alioqui esset naturæ, narrat ocularis testis Philip. Cominæus: quemadmodum etiam in *Francisco Magno Etruriæ Duce III.* notat Quintil. Mandosius, & de *Philippo II.* Hispan. Rege refert alicubi Mart. Nauarrus.

XXVI. HENRICVS autem III. Galliæ Rex, anno 1579. disertè palàm edicto fecit, quoties à grauioribus Reipub. negotiis otium sibi superesset, præsto se fore in audiendis subditorum postulationibus, O bonum institutum, & cæteris Principibus imitandum! *Solet enim dexteritas* (ait Gregoras) *atque benignitas morum in altiore dignitatis gradu facilè omnium animos sibi reddere obnoxios: quemadmodum verno* *18. Cod. Hen. III.*

*tempore*

[*Li.6. vbi de Andronic.*] *tempore ſplendidi flores prætereuntium oculos in ſe conuertunt. Hoc illud eſt Indorum ſapientum præceptum: Principem, quò natura ſublimior ſit, eò humaniorem ſi ſe præbuerit inferioribus, cariſsimum populo futurum.* Notetur inſigne Græci ſcriptoris δικαιωτήριον: quo nihil verius: cùm tanta ſit vis humanitatis, vt culpatiſſimæ etiam vitæ hominem gratum, & amabilem aliis præſtet.

XXVII. At nec id ſatis eſſe reor, niſi domi etiam caueant, ne aditus eorum ab Admiſſionalibus aulicis venundetur, id quod eſt peculiare Principibus Turcarum: adeò, vt ſine muneribus, eorum ianua nequaquam pateat alienigenis. Sed heu miſeriam! etiam Aulis Principum Chriſtianorum tantùm non omnibus error hic inuenitur, adeoque tales fumi venditores, quales olim fuere famoſi illi aulici *Vetronius Thurinus*, & *Zoticus*, quorum alter ALEXANDRI SEVERI, alter HELIOGABALI gratiam ſimulatè, & incaſsùm vendebat, quâ arte ingentes ſibi diuitias vterque comparauit. Sed Deus faciat, vt à Principibus noſtris eâdem pœnâ [*Lamprid. in Alex.*] admoneantur horum imitatores, quâ multatus *Thurinus* fuit ab Alexandro Seuero, Principe alioqui Ethnico: quippè quem, detectâ ejus inexplebili auaritiâ, & fraude ad ſtipitem alligari juſſit, & fumo appoſito, quem è ſtipulis, & lignis humidis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente: *fumo ponitur, qui fumum vendidit.* Medeantur huic malo Principes: malo quidem, quod ita inualuit in ipſo orbe Chriſtiano, vt non putent Aulam tam ſanctam, & benè moratam, quin alcùm ſe iam in illam penetrarit. Quid enim receptius illa formula? *Nihil tranſeat.* ô peſtes, peſtes Principum & Rerumpublicarum! Pellant à ſe, pellant tales miniſtros. Etenim: *qui non vetat peccare cum poßit, iubet*: ait ille. Memores ſint illius Agapeti, viri pietate, & eruditione conſpicui: *Facilis aditu ſis* (inquit) *indigentibus, ob vim ſupernæ illius poteſtatis: atque aperias aures his, qui à paupertate obſidentur, vt inuenias Dei auditum adapertum. Quales enim erga noſtros fuerimus conſeruos, talem circa nos reperiemus Dominum.*

[Non illā quæ in Iudiciarijs fit intelligo. *Epiſt. Paren. ad Iuſtin. Imp.*]

Enimverò, non poſſum non amplecti animum illius Principis, qui iam moriturus filium Imperii ſucceſſorem ad eandem fermè ſententiam cohortabatur, amplius ſubiiciens, barbarorum eſſe, qui, vt maieſtatem ſeruent, populi conſpectum vitant. Tu contra, inquit, fores patulas habe, magiſque pauperi quàm ditiori, vt qui tuo fauore magis indigus ſit. Quæ tamen ſic temperanda ſciant ſubditi, vt non temerè minimiſvè de cauſis adeundum Principem ſuum putent: tentent priùs num amicorum', vel miniſtrorum operâ rectè poſtulatâ expediri queant. Nam quemadmodum nauis Salamania, non propter minimos vſus (vt ſcribit Plutar.) educebatur, ſed modò ad Principes excipiendos, ſimileſque ſolemnitates: ſic Athenienſium Reſpublica Themiſtoclis illius opera non niſi in ſummis difficultatibus, & cauſis illuſtribus, neque propter minimas quaſque res vti ſolebat. Non quòd maximos viros, cùm opus eſt, rerum etiam mediocrium functio dedeceat; ſed quia dum in rebus minutis curandis tempus diſperditur, eæ quæ maioris momenti ſunt, per incuriam negliguntur (vt pluſculis exemplis hæc illuſtrat Amiratus) præterquam quòd dum reculis, minoribuſque negotiis crebrò interturbatur

[Moderata eſto Principi facilitas. *In Themi. Vid. Philonē de Principe c.5.*]

batur Princeps, auctoritas eius minuitur, id quod sequenti Capite, Deo dante, ostendetur. *Dis. Disc. 5*

## CAPVT IX.

### *Modestiam tamen atq; Facilitatem hactenus commenmendarim, ne non negligatur* Auctoritas, *&, vera Principis atque Imperij destina,* Majestas.

MAIESTATEM describo, vt si reuerenda quædam, & singularis amplitudo, Principum personis diuinitùs impressa. sine quâ Respub. diù stare non potest: *Maiestas* enim & *Auctoritas Imperantis fulcrum Regnorum & Salutis tutela est.* *Curt.* AVTORITAS ista consurgit ex tali amplitudine diuinitùs innata per moderatam seueritatem, virtutem, subditorum in Principem affectum, & inclinationem. *Cic. pro. L. Manil.* Datur igitur à Deo: cùm *eam præstare à seipso nemo possit.* ——— ——— ——— *& est salus, & custodia Principatus:* *Q. Curt. lib. 8.* Quippè per quam subditi magis in officio continentur, quàm viribus: *cùm nihil potestas Regum valeat, nisi priùs valeat Auctoritas, quæ in nouis cœptis,* id est, initio Principatus *validissima est.* *Idem li. 6.* Hæc autem maximè comparatur, ac retinetur virtute, vt dixi; sed magis ciuili atque politicâ: quæ imprimis hîc monet Principem, *vt in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur.* *Callistr. l. 19. ff. de Off. Præs.* Nam, *continuus aspectus,* vt & assiduus aditus, *minùs verendos magnos homines ipsâ satietate facit.* *Liu. li. 35.* Præclarè vir sanctimonia, & doctrina clarus: *Dum nimia seruatur humilitas, regendi frangitur auctoritas.* *D. Aug. c. quando 86. dist.* Græcus ille rectè: *Principi vtilissimus factus.* Moderare, & vide; *ne aut facilitas Auctoritatem aut seueritas amorem diminuat.* *Philo Iud. cōt. Flacc.* Igitur esto I. *Ne frequenti aditu, patiaris imminui Auctoritatem.* *Tac. Agri.*

II. Ne potentia tua alteri cedat. *Quamdiù enim vtrimque æqualia omnia sunt, amicitia valet; vbi autem alter alterum excellit, ibi inferior liuore & inuidiâ tangitur, odioq; superiorem prosequitur: ita accidit, vt cum alter indignatur se inferiorem, alter se præstantiâ ex pristinâ amicitia ad inimicitias & bella deueniatur.* *Dio. Cass. lib. 39.*

III. Vt præ te feras aliquam σεμνότητα grauitatem cum humanitate, & morum facilitate coniunctam: nempè, *vt non acerbus, sed augustus appareas, ita vt qui obuij fiunt, non metuant te, sed magis vereantur:* *Arist. 5. Poli.* Non ego, Rabanus explicatè monet: *Qui præsunt populis,* inquit, *si volunt firmum esse solium, hilaritate semper, & gratia vultus plenos exhibeant, ne per arrogantiam rigidi plebu odium incurrant.* *In Glos. Prou. 25.*

IV. Vt summa pacis, & belli abs Te pendeat; doceasq; (maxime nouo Principatu) *vnum esse Reipub. corpus, atq; vnius animo regendum.* *Tac. 1. An.* Itaque *sis solus arbiter rerum, iure, ac nomine Regio.* *Idem li. 2.*

In Agric. 4. Hist. Arist. 5. Pol. cap. 11. V. Quod quadãtenus assequeris, si neminẽ iuxta tuæ dignitatis fastigium colloces: cùm semper *periculosum sit, priuati hominis nomen supra*, imò & iuxta *Principis attolli.* Quod si quis iam altùm consistat, potentiam (*manente tamen in speciem amicitiâ*) minuas, sed ἐκ προσαγωγῆς, sensim & paulatim, vt non temerè animaduertatur.

Val. Max. lib. 5. c. 4. Curt. li. 3. Val. li. 2. c. 10. Lips. 4. pol. Liu. li. 5. 7. Comm. VI. Faciunt etiam ad Auctoritatem conciliandam, Pietas, & Prouidentia. Nã illa vulgò gratissima est: *Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multũ, Pietas verò etiam amoris meretur plurimũ*: mouetque opinionem, vt Principes *nihil sine diuina ope aggredi videatur.* Hæc autem, *animis quoq; hominum illabitur admirationis prætexta velata*: si nihil aut suscipit, aut agit, nisi lentè & circumspectè, id est, fæliciter. Plerumq; enim, *omnia summa ratione gesta, etiam Fortuna sequitur.* Ergò & Auctoritas: nam contemptus à lapsu: *Res aduersæ Auctoritatem Imperatorum imminuunt*, ait Cæsar.

Curt. li. 4. VII. Faciunt deniq; & Innata quædam, vt *formæ dignitas*, quæ non parùm auget Principis Auctoritatem; vt contra, deformitas minuit. *Etiam barbaris hominibus*, inquit ille, *in corporum maiestate veneratio est: magnorumq; operum non alios capaces putãt, quàm quos eximia specie natura donare dignata est.* Ambr. 1. Off. c. 19. Attamen, *non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus: non pretiosis adiutus vestimentis, sed communibus, vt honestati, vel necessitati nihil desit; nihil accedat nitori.*

Ad *auctoritatem* etiam & potentiam facit *Annonæ procuratio.* Vnde Augustus Cæsar Annonæ Procurator fuit, decreuitq; vt quotannis duo Prætorii, qui ante quinquennium Magistratum gessissent, frumento diuidendo constituerentur.

---

## EXEMPLA ET NOTÆ.

INter varias causas, quæ Principis eleuant *Maiestatem & Auctoritatem*, meritò annumeratur immoderata facilitas atque familiaritas: quippè quæ fenestram aperiant (quod omnes experimur) hominibus ad contemptum: Nam vt ille ait: Claudia.

——— ——— *Minuit præsentia famam*:

L. 19. ff. de Off. Præs. Vereque Callistratus scribit, *ex conuersatione æquali, contemptionem dignitatis nasci.* Itaque videndum diligenter, ne adeò vsque magna sit facilitas, & quibusuis prompta familiaritas, vt iniuria factum eatur *Maiestati*: cùm ea sit extrema, & sacra, quod aiunt in rebus creperis Principis anchora.

Val. Max. lib. 2. c. 10. I. Testor C. MARIVM, quem in profundum vltimarum miseriarum abiectum, ex ipso vitæ discrimine beneficio Maiestatis emersisse scribunt. *Missus enim ad eum occidendum in priuata domo Minturnis clausum seruus publicus, natione Cimber; & senem, & inermem, & squalore obsitum, strictum gladium tenens aggredi non sustinuit: sed claritate viri occæcatus, abiecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit.*

Tac. an. 1. II. Scimus etiam D. AVGVSTVM vultu & aspectu Actiacas legiones exterruisse.

Lib. 31. III. De PHILOPÆMENE Iustinus: *Sed dum suos in prælium reuocat, in transitu*

*fossa*

*fossa equo præcipitatus à multitudine hostium oppressus est. quem iacentem Messenij, seu metu virtutis, vel verecundia dignitatis, interficere ausi non fuerunt.*

IV. Quid in IVLIO CÆSARE? quid in OCTAVIANO? an non ille pari maiestate seditionem exercitus verbo compescuit, *Quirites*, pro *Militibus* appellando? hîc verò vultu & aspectu Actiacas legiones exterruit? *Legito Suet. Iul. c. 10. Tac. 1. Annal.*

V. Sic VALENTINIANVS Imp. cùm ex more concionem esset habiturus ad milites, oborto tumultu, eorum scilicet qui indignè ferebant ipsum profectum ad culmen Imperii, elatâ tunc ipse prosperè dextrâ (vt ait Ammianus) plenâ fiduciâ seditiosos ac pertinaces increpans, ex insperato compescuit. *Ex Guicc. 1. Histor.*

VI. Quid de FERDINANDO II. (vt veteres omittam) Arragoniæ Rege dicam? Is cùm Neapoli exiens ad declinandum sinistri temporis pro regni sui salute furorem, cum paucis Ænariam insulam enauigasset, illumque arcis Præfectus ingratè & infideliter solùm recipere in arcem vellet, & comitibus ingressum abnueret: ipse solus introductus, in Præfectum tantâ ferociâ & magnanimitate irruit, vt solo aspectu, soloque maiestatis suæ merito, tàm præfectum ipsum, quàm omnes qui aderant, exterruerit, arcemque in suam potestatem cum præsidio redegerit.

VII. SCANDERBERGVS omitti non debuit, clarus militiæ Dux, quem tantâ fuisse scribunt auctoritate nedum apud suos, sed & Turcas apud, contra quos strenuè bellum gerebat, vt eo iam mortuo in fugam se pluries contulerint, conspecto eminùs Scanderbergi exercitu, cui eum viuum etiam interesse existimabant. *Boter. li. 1. della riput. del Prensipe.*

VIII. Prioribus seculis excellens quoque fuit, in OLONE Nouargiæ Rege majestas, quam verbis his signat Albertus Krantzius: Cruentum alioqui exercebat Imperium OLO, & tyrannicum magis, quam iustum præferebat dominatum; Paciscuntur cum *Starcutero* manu strenuo viro, vt Regem, qui in tyrannum degenerasset, tolleret è medio. Ille, vt erat monstrorum euictor, & domitor, arbitratus suæ inesse virtutis hominum generi salutem afferre, non dubitauit accepto pretio operam polliceri. Balneis Rex vtebatur, cùm illum *Starcuterus* adiret, parricidium meditatus. Suspiciens Rex, terruit venientem: ad fulgorem luminum eius etiam fortissimus *Starcuterus* subsistere non potuit, sed auersus abiuit. Hactenus Krantzius. *Lib. 1. Noruag.*

IX. DEMOSTHENEM Oratorum alioqui disertissimum, Philippi Regis maiestate ita perculsum ferunt, vt fandi facultate priuatus fuerit. Similem in modum *Zosimus* Iurisconsultus ad *Alexandrum Pontificem* pro Senensibus mandata enunciaturus, principio ita obticuit, vt nullum inde verbum potuerit pronunciare. Verùm, in tali euentu, solet Princeps magis hortari atque erigere nutantes istas imbellesque mentes, & blando aliquo alloquio interfari, vt coram beneuolo audiente dicere pergat, vel aliàs animosior reuertatur.

X. Eo exemplo, cùm *Legatus Turcicus* apud *Sigismund. I.* Poloniæ Regem Ma-

iestate plenum, obmutesceret, iubebat eum postridie bene ientatum redire existimans imbibisse illud:

*Fœcundi calices quem non fecêre disertum.*

XI. Superioribus annis notum est Tartarorum Regis Legatum in conspectu Cæsaris positum, obmutuisse: interrogatum deinde ab Interprete, quî ita hæsisset suauissimo coram Principe? respondisse, fulgore se fuisse victum quo Cæsaris Maiestas emicabat, vt in C. *Mario* Romano ante annotatum est.

Auctoritas vt retineatur. Retinenda itaq; (quoad eius fieri potest) & *Maiestas*, & *Auctoritas*, At, qui retinentur *Virtute*, & *Adfectu* vt dixi: etsi sint qui *Timore* magis velint eam retineri, vtpote re ad diuturnitatem Imperii & validiore & securiore. hîc enim cùm in potestate Imperantis exsistat; adfectus verò ab ipsis subditis (quorum mutabiles sunt animi & voluntates) pendeat, consequens est, vt Timor sit ad Auctoritatem Amore potentior. Ego verò ex vtroque Auctoritatem & nasci & retineri reor, accedente præsertim Virtute, vt dixi, quæ illis magis hic ancillatur (hoc corrupto præsertim seculo) quàm dominatur, vt ex sequentibus exemplis patebit.

I. Atque imprimis Ducis IOANNIS FRIDERICI, & LANDGRAVII, Principum Germanorum. Landgrauio inerant magnæ virtutes, vtique bellicæ (vt recte quidam Germanus animaduertit) vtpote, quibus comparara- sibi Auctoritatem præcipuorum militum & hominum studia: tamen longe superabatur adfectu & fauore hominum ab altero. Ita non tàm Virtus & Sapientia valent auctoritati conciliandæ & retinendæ, quàm amor, & adfectus, hoc est, animorum inclinatio, quam Deus conciliare pro sua prouidentia solet.

Sicubi autem flaccescat Auctoritas consultum est, vt erigatur animus ad veram Religionem, Pietatem, Iustitiam, cæterasque virtutes, ad ciuilem denique sapientiam, quæ Principes præmuniet, cum certis cautionibus aduersus contemptum hic subiiciendis, & in Aphorismis iam prænotatis.

Nimia familiaritas vitanda. Facit enim ad Auctoritatem *moderata quadam abstractio.*

I. Id quod non nesciuit PERICLES, qui licet anteà familiaris maxime & comis, tamen simul Rempub. attigit, ab omni cœtu amicorum & conuiuiis sese abiunxit, vitæ genere quodam subducto & plane mutato. Additq; Plutar. rationem: *Comitas enim facilè fastum omnem atterit, & familiari consuetudine, agrè custodias illud opinionis de te augustum.* Nec alio sensu Apuleius: *Parit conuersatio contemptum; raritas conciliat ipsa rebus admirationem.*

*In Pericle.*
*De Deo Socrat.*

*Lib. 1.*
*Xenoph. in Agesil. laudat.*

II. Hinc PERSÆ ab eadem causa à conspectu vulgi se remouebant, & rarissime copiam sui faciebant. Hoc à DEIOCE primo Rege tractum, videtur notare Herodotus ne videlicet familiaritate & frequentia vilesceret regia maiestas. Neque enim adire Regem vel alloqui sine eius iussu, & nisi per internuncium licebat, teste eodem Herodoto: idque etiam seruatum posterioribus Imperatoribus tradit Ammianus Marcellinus, lib. 14. colligiturque ex libro Esther cap. 4.

*Cap. 10.*

III. Atque inde fit, vt nonnulli secessus & solitudinem quærant: *quasi maior è*

*longinquo reuerentia*, vt Tacitus ait. TIBERIVS *Cæsar integrâ ac valetudine prosperâ*, inquit Suetonius, *repentè secessit, seq; è medio quàm longissimè amouit. Dubium vxorisne tædio, an vt vitato assiduitatis fastidio, Auctoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret, siquando indiguisset sui Respublica.*

IV. Verùm, prudentiâ & arte quadam ciuili moderanda hæc sunt. *Miscenda* (inquit Seneca) *sunt ista, & alternanda, solitudo & frequentia.* Alioqui *scæuæ cogitationis indicium est secreto suo nimiùm satiari.* & verò, quid ineptius, quàm si Princeps locis solis perpetuò delitescat, & vmbraculis potiùs hortorum, quàm luce ciuium delectetur? Vt de REGE quodam INDIÆ nostrâ ætate non sine risu legimus, qui præter vxorem ac liberos alloquitur neminem, videturque à nemine; sed domesticus aliquis ex abditis locis arundine ori admota solet adeuntes conuenire, ne frequens sit in populi corona, nève omnibus aditu facilis sit, & expositus oculis, colloquijsve subditorum. Quis non talem Principem imperio indignum iudicet? Qui enim per se non nouit respondere, omniaque Principis munia suis committit, næ ille indignus est qui gubernet. Quâ ratione motus L. TORQVATVS, iam tertiùm Consul omnium consensu renunciatus, valetudinem oculorum excusauit, inquiens: *Indignum esse Rempub. & fortunas ciuium ei committi, qui alienis oculis vti cogeretur*: Nam qui non colloquuntur per seipsos, falluntur sæpè per interpretes seu delegatos, nec intelligunt necessitatem vrgentem, nec ambitiosorum factiones, nec oppressiones à magnatibus inflictas subditis, nec vlla illos capit libido adhibendi remedia malis quæ ignorant. Imò mille fraudibus fenestram aperiunt per ipsos interpretes, quos ceù dominandi socios assumunt. Nihil enim iniquius, nihil (vt sic dicam) mendaciloquius istis hominibus, aliud sæpissimè referentibus, quàm respondere-tur. Quâ super re merito querebatur F. AVRELIANVS Imp. apud Vopiscum: *Sed ego à patre meo audiui, Diocletianum Principem iam priuatum dixisse: Nihil esse difficilius quàm benè imperare. Colligunt se quatuor aut quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt; Dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit Iudices quos non oportet; amouet à Repub. quos debeat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Huic igitur malo vt plurimùm obnoxij sunt, qui secessus quærunt, & solitudine nimiopere delectantur; malo inquam, quo nullum deterius, vel principi, vel Reipub. accidere potest. Quod & sciuit ALEXANDER MAGNVS, dum diceret *Mori præstare, quam precariò imperare.* Ille enim precariò imperat, qui otio & solitudini mancipatus, paucis hominibus se committit, ijsque, velut Imperij socijs, penitus se suaque credit.

V. Talis quondam SERGIVS GALBA, cuius prauum morem Tranquilli verbis exprimam: *Regebatur*, inquit, *trium arbitrio, quos vnà & intra palatium habitantes, nec vnquam non adhærentes*, PÆDAGOGOS *vulgò vocabant*, &c. *His diuerso vitiorum genere grassantibus, adeò se abutendum permisit, & tradidit, vt vix sibiipsi constaret: modò remissior, ac negligentior, quàm conueniret Principi electo, atque illius ætatis.*

Nimia item abductio.
*Tacit. in agric.*
*Bo. 4. de Rep. c. 6.*
*Pot. Greg. lib. 8. c. 8.*
Et vicaria gubernatio.
*Liuius 26.*
*In Aurel.*
Precariò non imperandū.
*Cap. 14.*

Lib. 12. An. VI. Nec absimilis ante eum CLAVDIVS Cæsar, cuius tanta erat auctore Tacito in recessu stoliditas, vt nedum à mulieribus, (quarum præscripto *honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est, & quidem insciens plerumque & ignarus*) regi se pateretur, sed etiam libertos, quos rei familiari præfecerat, sibique & legibus adæquaret; quò factum est, vt ab omnibus contemptui haberetur.

Hist. VII. Talis insuper DOMITIANVS, qui vt scribit idem Tacitus, pleraque tantùm dicis causâ, vel amicis instigantibus audebat; *Vis autem omnis penes Mutianum.*

VIII. Nec dissimilis COMMODVS qui cùm ob inertiam vitæque mollitiem Perennio, Iuliano, alijsque, quos circa se habebat familiaribus, Imperij administrationem committeret, Rempub. malè affecit, ac pessumdedit, ipse verò odiosus omnibus factus est.

Lib. 3. de Gest. Franc. IX. Talis etiam THEODORICVS Galliæ Rex, de quo sic Gaguinus: *Per Theodorici incuriam atque socordiam res Francorum deterior facta est. Quippe cum Respub. cubicularijs regijs, & Præfecto Palatij liberè crederetur, Regi verò per inertiam mos inoleuerat nisi ad Kal. Maij palatium ingredi: moderationem omnem alijs permittere, ostendere se populo vno dumtaxat die: à quo salutatus & muneribus donatus, cùm & ipse reciproca populo dona exhibuisset, domum abire, eamq; toto anno incolere. In hoc tàm inerti otio Ebroinus occasionem nactus, opprimere & vexare complures cœpit, rem omnem in Theodoricum transferens. Vndè indignati proceres Theodoricum monasterio includunt.* Nota obsecro, quorsum euadat abdita hæc vita, aulicorum arbitrio moderata.

X. Denique, ne vlteriùs me dilatem, non prorsus dissimiles fuere SIGISMVNDVS Exarchus Austriæ; RICHARDVS Edouardi IV. filius Angliæ, CONRARDVS & CHILDERICVS Galliæ Reges, alijque recentioris æui Principes, quos non attinet commemorare, ne pudorem illorum videar suggillare.

Monitũ notandũ. Caueant igitur meo sensu Principes, ne nimioperè otium, & solitudinem prætextu Auctoritatis stabiliendæ affectent, quoniam tantum abest, vt eam stabiliant, quin potiùs minuant, ne dicam euertant, si vim præsertim Imperij penes aliquem aulicum potentem, & elatum cupiditate esse patiantur. Meminerint Taciti nostri monentis omnes magnates, *vt præstent se semper arbitros rerum, iure ac nomine Regio.* CYRIQ. Regis recordentur, qui quò Principes auctoritatem, & potentiam sibi pararent, partamque stabilirent, seriò eos monere solebat, vt suis subditis intrepidos, & gestu, & vultu sese præstarent, factisque egregijs ostenderent dignos se esse, qui Imperium obtinerent, Veluti ROMVLVS, qui teste Liuio, *cùm factis magnificus erat, tùm factorum ostentator haud modicus.* Sed quorum factorum? *Spolia*, inquit, *ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo gestans in Capitolium ascendit.* Egregiorum ergò facinorum ostentator, non quisquiliarum, quibus interdum plerique Principes non sine nominis, & auctoritatis iactura distinentur, vel exercentur: vti in TIBERIO Cæsare legitur, qui plus æquo Grammatistis indulgebat; & de NERONE, qui citharœdum magis, quàm Principem agebat. Sed nec

Lib. 1. Annal.

Apud. Xeno. lib. 6. Cyr.

Lib. 2.

caruit

caruit inuidiâ, & contemptu VALENTINIANVS in fingendis cerâ imaginibus, vt nec CHILDERICVS Galliæ Rex in pangendis versibus. Ita MICHAEL Ducæ filius Orientis Imper. Auctoritatis suæ iacturam fecit, dum litteris plus æquo sese inuoluens, alijs Reipub. regimen committeret. Sed quo tandem cumque studio Princeps delectetur, nunquam committat, vt præ eo, Reipub. curam vel fastidiat, aut negligat, vel eam Aulicis suis committat. Vnde peccant illi grauiter, qui quò minus operæ curæque sumant, sigillum suum, & signaturas in albis, de quibus Gunterus :

——————— (*Impresso plurima signo*
*Deprensa est vacuis apud illos pagina chartis* )

Ministris suis temerè concredunt: id quod immane quantum valet ad eleuandam Auctoritatem, vt taceam infinitos abusus fraudesque quæ inde enascuntur. Sigilli vsus non temere committẽdus aulicis, vt nec signaturæ in albis

I. Vidit quidem MARCVS CICERO, qui prudens admodùm *Q. Fratrem* Proconsulari imperio Asiam administrantem, per epistolam, Imperium auspicantibus semper ob oculos habendam, sic admonebat : *Sit annulus tuus*, inquit, *non vt vas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Aureum profectò, & dignum Tullio dogma. 1. ad Q. F.

II. Quòd sanè si imbibisset MAXIMVS Senator Romanus, minùs vxorem eius attrectasset *Valentinianus* Imperator, de quo Procopium imprudentiæ notandæ causa, audiamus: Erat *Maximo* vxor, vt formosissima, ita pudicissima : quâ Valentinianus amore captus cùm potiri cuperet, resque admodum ardua foret, rem iniquam excogitauit. *Maximum* iussit ad se in Palatium venire, quo cum talis colludens auro certo proposito, annulum eius victor nactus est. Hunc clam ad vxorem misit viri nomine, vt quamprimum signo perspecto in Palatium salutatum *Eudoxiam* Imperatricem veniat. Illa subitò paret: quam certi (quibus res nota, ac mandata erat) protinus in Aula excipientes, longè in gynæceum duxerunt: vbi *Valentinianus* occurrens, vim ei intulit. Illa post hæc mœsta domum regressa calamitatem fatumque suum deflere, virumque magnoperè detestari cœpit, vt qui occasionem huic rei ( nimiâ suâ temeritate, annuli sui siue sigilli datione) præbuit. *Lib. 1. Belli. VVandalici*

III. Quam technam per annulum *Maximo* intendit *Valentinianus*, eandem HANNIBAL Salapianis, Romanis societate iunctis, adstruit: Is enim *Marcelli* Romani Consulis interfecti annulum simul, & corpus adeptus, litteras illius nomine ad Salapianos (quos obsidione cinxerat) scripsit, & annulo signauit, ijs ipsis significans *Marcellum* nocte, quæ diem illum esset secutura, Salapiam venturum, simulatque monens, parati milites essent, qui in præsidio erant, si quâ operâ eorum opus esset, ratus hoc modo se sub nomine *Marcelli* in oppidum intromissum iri: quod & factum fuisset, nisi Salapiani anteà à *Crispino* interfecti Consulis Collega admoniti, huiusmodi dolum præcauissent. Is enim metuens, ne cui errore annuli interfecti consulis dolus necteretur, priusquam adulterinæ Hannibalis litteræ Sala- *Liuius lib. 7.*

piani

nianis redditæ fuissent, circa ciuitates proximas nuncios miserat, occisum Collegam esse, annuloque eius potitum hostem, & ne aliquibus litteris crederent nomine *Marcelli* compositis.

*Sub Annum 1560.* IV. Memini legisse in Annalibus Galliæ consimile propè stratagema, quod est eiusmodi. Erat Lutetiæ in Aula FRANCISCI Regis II, quidam nomine BONVALLIVS diuersorum in Regem meritorum gratiam, & mercedem expectans, quem & in honore, & vsu maximo habebat PRÆFECTVS ARCIS VERZOLICÆ Marchionatus Salucij. Eum per litteras impensè rogat PRÆFECTVS, vti eodem semper sit in se animo, velitque solutionem suarum pensionum iam diù dilatam sibi procurare, in quam rem diuersas, vt vocant, blancas manu suâ signatas mittebat, quarum vna in fraudem captionemque PRÆFECTI, ceù decipulo quodam egregiè vsus fuit. Nempè repleuit vacuum chirographum ficta epistola ad GVISIVM, tanquam iussu PRÆFECTI scripta, quâ ei significabat, pertæsum se iam esse istius Præfecturæ, optare se porrò cuidam amicorum id muneris dari; quare tantùm efficeret Regem apud, siue Guisiæ Ducem alterum à Rege, vt pro remuneratione, & pretio suorum in Rempub. meritorum hæc ei Præfectura impertiretur. GVISIVS dictum ac factum, ignorans tamen eius technas, Regem accersit, hominem â fide, meritisque & in Regem beneuolentiâ commendat: itaque voti illum compotem facit. Rebus probè expeditis, litteras à GVISIO ad PRÆFECTVM accipit, plenas amoris notis: quibus Guisius eum enixè rogabat, vti quàmocyssimè veniret ad se, habere enim negotia maioris momenti ei communicanda, ac interea temporis committeret arcis custodiam Præfecto militum BONVALLIO, amico intimo, atque vtriusque sanèquam beneuolo. Sed quid agit nobilis impostor? cogit aliquam manum militum, & cito gradu pergit versus arcem Verzolicam, quò priusquam adueniat, fallaciam aliam fabricatur: fingit per litteras amicorum officijs se retentum, nec sibi licitum fuisse, (etsi habenti litteras Guisij, magni ad eum momenti) vltrà progredi, se tamen venturum (cùm aliter nequiret) cum eo officio cis paucos dies. Castellanus inofficioso istiùs Vlyssis aduentu, minimè expectato, peregrè proficiscitur, nihil doli suspicans, cum bona militum præsidiariorum parte: quo intellecto BONVALLIVS de duabus arripit occasionem hanc, nullo sicque negotio ingreditur arcem, eaque potitur: quo facto Castellani Vxorem (cui litteras Guisij, atque adeò Regis ostendit) eijcit, vt qui suffectus esset in locum mariti, qui quidem re intellectâ, non tàm amici perfidiam quàm suam simplicitatem, qui tam temerè signaturam suam alteri credidisset, accusauit. Discant ergò alieno periculo Principes siue Magnates, non temerè chartas istas vacuas alijs committere.

*F. Marcel. de leg. lib. 2. Diss. 4.* V. Non negamus tamen, quin vsu sic exigente, liceat chartas istas albas legatis, aut præcipuæ notæ Aulicis dare. Nam de CAROLO AVDACE accepimus, dedisse suis ad LVDOVICVM Galliæ Regem legatis, mandatorum loco, chartam vacuam, subscriptam solo nomine CAROLI; nimirum vt quicquid illi pro foro præ-

ro præ-

ro præſenti, atque è re Principis fore intelligerent, liberè agerent, admitterentque veluti ſi ſpeciale, vt loquimur, mandatum accepiſſent. Eſt tamen Legati, vel Aulici peculiari apochâ fateri, vel Codici ſuo inſcribere ſe eas accepiſſe, & Principi ſuo referre in quæ negocia vſus fuerit.

Quemadmodũ nec ad ſcriptiones.

Aſt, nec temerè etiam ſubditorum libellis ſubſcribant, niſi omnibus rectè perlectis & probè conſideratis.

VI. In quo plurimum peccaſſe THEODOSIVM Imperatorem legimus: ſed hanc ei facilitatem inſigni & lepido commento correxit magnis prædita virtutibus *Pulcheria* ipſius ſoror. Hæc igitur cùm animaduerteret Imperatorem temerè ſuorum libellis ſubſcribere (incredibili enim erat hic Princeps in omnes beneuolentiâ) chirographum ei propoſuit, quo ab illo vxorem ipſius certo pretio mercabatur. Chirographo ſubſcribit de more Imperator, vim tamen eius ignorans: cui poſtridiè vxorem repoſcenti reddituram teſtatò negauit *Pulcheria*, producens, ceù in teſtem, inſtrumentum emptionale ab ipſo ſubſcriptum. Hac arte emendauit Imperatoris negligentiam, & improuidam libellorum ſubſcriptionem mulier ſupra ſexum excellens in omni virtute, & maximè ciuili. Notent hæc diligenter Principes: & deſidiam hîc vtique fugiant ac temeritatem: quod ea res haud mediocriter ipſorum imminuat auctoritatem: dum nimirum præmia, honores, dignitates, ſacerdotia, idque genus alia, ſine vllâ cognitione per eiuſmodi tabellas temere ſignatas diſtribuunt. Quod quàm ſit publicæ etiam rei damnoſum, quis tam infans eſt, qui non lectu, ſi non vſu didicerit? pluribus igitur exemplis non vtar: magè ſtylum & animum ad alia conuertam.

*Niceph. 14. c. 23. quem refert Baronius Tom. 6. Ann.*

Valent etiam ad Auctoritatẽ mores compoſiti: Sermonis breuitas, & maieſtas.

Age igitur, quid inſuper reſtat exemplis firmandum? Externa quædam, quæ non parum valent ad Auctoritatem; cuiuſmodi ſunt, *Morum grauitas*; *Sermonis breuitas*.

I. O quàm ſpectabilis ab vtraque fuit magnus ille PERICLES! quem *vultu penè ſemper ſerio fuiſſe* ſcribunt *nec ad riſum facili; inceſſu moderato; voce & ſermone ſedato.*

II. Inter encomia THEODORICI Gothorum Regis illud legitur, quod intromiſſis gentium legationibus *audiebat plurima, reſpondebat pauca.*

III. Idem in GERMANICO notat Tacitus: *Erat*, inquit, *Ore compoſitus*, & *Verbis magnificus*. Ideoque *augebat intuentium viſus, ipſius ſpecies.* Sed quid exemplis opus? cùm nemo quiſquam ignoret ad commendationem & auctoritatem plurimùm valere moderatam morum, neque non ſermonis grauitatem. Sciuit Philoſophus: *Viri*, inquit, *magnanimi vox grauis, & oratio conſtans, & ſedata.*

IV. Iure igitur culpatus PHILIPPVS, vltimus Macedonum Rex, quòd *dicacior naturâ eſſet, quàm Regem deceret, & ne inter ſeria quidem riſum temperaret.*

V. Cui vitio etiam obnoxius fuit CYRVS ille Perſarum, ſed hoc in primâ adoleſcentiâ: nam *annis cum corpore creſcentibus, tum & oratione vtebatur breuiore, & voce ſedatiore.* Non multa dicere, ſed paucis multa, laudem facundiæ habet.

VI. SCIPIO verò AFRICANVS, Legatis Hiſpanorum reſpondens, *Loquebatur*

*Plutar. li. Polit. ad Trata.*
*Sidon. Apoll. lib. 1. epiſt. 2.*
*2. Annal.*
*Lib. 4. Ethic. cap. 8.*
*Liuius lib. 30.*
*Xenophon. 1. Cyropæd. Lib. 7.*

Lib. 7. *ita elatæ ab ingenti virtutum suarum fiduciâ animo*, inquit Liuius, *vt nullum ferox verbum excideret, ingensq; omnibus quæ ageret, cùm maiestas inesset, tùm fides.*

Cap. 82. VII. Occurrit quoque Imperatoris MANVELIS PALÆOLOGI monitum ad filium Principem futurum lectu dignissimum: *Principibus*, inquit, *haud malè conueniunt grauitas atque magnificentia; sed miscenda semper tibi rigori, (qui inesse grauitati videtur) apta quædam suauitas; & seueritati, quæ magnificentiæ videtur inesse, grata quædam popularitas; vt his quoque rebus Imperio tuo decus concilies, & audientes dicto subditos in ijs habeas, quæ vt meritò optimè perspexeris, absque quo nihil vtilis rei fieri poterit.* Hactenus ille.

Et elegās formæ species. Denique, facit etiam ad Auctoritatem *Forma dignitas.*

1. Reg. 16. I. SAVL vt fuit reprobatus à Domino, *Dauid* eligitur, qui erat rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie.

Tacit. 2. Annal. II. Legimus etiam ARIOBAZANEM ob insignem corporis formam, & præclarum animum, apud Armenios Regem electum.

Suidas. III. ARISTOCRATES Rhodiorum Dux aspectu venerando & mirabili fuit. Quare Rhodij eum ex omnibus planè parem Imperio, & dignum Principatu iudicarunt.

In eius vita. IV. Erat SCIPIO, inquit Plutarchus, animo, alijsque virtutibus vehementer excellens: sed præstans etiam pulchritudine oris, ac totius corporis formâ conspicuus, lætâ atque hilari fronte, quæ plurimùm valent ad gratiam hominum conciliandam.

V. De SEVERO Spartianus: *Erat corporis venustate decorus.*

Lib. 2. Hist. VI. De TITO, Suetonius: *Forma*, inquit, *egregia*, *& cui non minùs auctoritatis esset, quàm gratia.* Et de eodem Tacitus: *Decor oris, cum quadam maiestate, & ingenium quantæcunque fortunæ capax.*

VII. Quid in CELSO tyranno? *Ea iustitia erat, & corporis magnitudine, vt dignus videretur Imperio.*

VIII. Ita OLO Danorum Rex adeò oris dignitate renidebat, *vt quod alij armis, ille oculis ageret in hostem*, inquit Krantzius.

IX. De STILICONE Claudianus:

*Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,*
*Prospera non fessis optantur flamina nautis,*
*Vt tuus aspectus populo;*

Vt contrà *Deformitas*, quæ Principis minuit Auctoritatem.

Auctoritatē eleuat deformitas. X. Quæ causa fuit, vt Romani coniurarent in NERONEM, fauore C. Pisonis, qui *facundiam*, teste Tacito, *exercebat, largitionem aduersus amicos, & ignotis quoque comi sermone & congressu.* Aderant etiam fortuita, *corpus procerum, decora facies.*

15. Annal. Sueton. c. 45. XI. Hinc IVL. CÆSAREM caluitij deformitatem iniquissimè tulisse legimus: quippè quàm obtrectatorum sæpè iocis obnoxiam expertus erat, ideoque & *deficientem capillum reuocare à vertice assueuerat: & ex omnibus decretis sibi à Senatu, populoq; honoribus, non alium aut recepit, aut vsurpauit libentiùs, quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ*, vt potè per quam capitis leuitatem contegebat. Certè,

Certè, satis constat vsu docente, oris & corporis deformitatem, suggillationibus vel infimorum hominum esse obnoxiam; vt contra elegantiam & formæ dignitatem, commendationis, & laudis tribuere plurimum, quasi nonnihil diuinitatis insit. De Dardanio pulchrè Poëta: 5. *Æneid.*

*——— ——— ——— Diuini signa decoris*
*Ardentesq; notate oculos: qui spiritus illi,*
*Qui vultus, vocisq; sonus, vel gressus eunti.*

Leuia hæc, inquiet aliquis, scio: sed, *ex quibus* ( accedentibus præsertim animi vitiis) *magnarum sæpè rerum motus oriuntur.* *Tacit.* 4. *Annal.*

XII. Dixi etiam ad auctoritatem pertinere, annonæ procurationem, edoctus *Claudij Cæsaris* exemplo, quem legimus arctiore quadam ob assiduas sterilitates annonâ, medio foro spretâ eius auctoritate detentum fuisse à turba, conuitijsque, ac simul fragminibus panis ita instratum, vt ægrè nec nisi postico euadere in palatium posset. neque tamen plebi iratus fuit: ac ne vnum quidem puniendum esse putauit, sed curam maiorem ad inuehendos etiam tempore hyberno commeatus adhibuit, negociatoribus certa lucra proponens suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset. *Suet.*

Atque hactenus de Principis AVCTORITATE: nunc de eius MAIESTATE dicendum.

---

## CAPVT X.

### *Quæ quidem* MAIESTAS *etiam comparatur, ac retinetur* POTENTIA: *quæ imprimis Principis* Censu, *atque* Vectigalibus *consideratur.*

*De quo plenius scribit Choppinus de Domanio Franc. & Pet. Greg. de Repub.*

CENSVM propriè intelligo principis patrimonium, siue, vt recepto vtar verbo, Domanium coronæ, vel Regni. *Vectigal* verò ἐν πλάτει pecuniam omnem, quæ à populo penditur, ad bellum, aut subsidium Principis, vel Reipub. De quo, quoniam frequentior est vsus in Repub. his præsertim temporibus, certum nobis est paucis disserere, & subtexere documenta quædam, sed vti hactenus; alienorum verborum filo. Atque equidè imprimis existimo non mediocriter esse ex vsu Reipub. si *Vectigalium* summa ratio habeatur: *cùm alioqui impossibile sit, sine ijs Rempub. conseruare.* ——— *Neque enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendijs, nec stipendia sine tributo haberi queunt.* Quies, inquit ille, gentium sine armis consistere nequit. Rectè. Quota enim quæque Ciuitas, aut Respub. eodem semper statu permanet? Annibalem audi: *Nulla magna Ciuitas diu quiescere potest. Si foris hostem* *Iustinian. Nouel. Cōstit.* 149 *Tacit.* 4. *Histor.* *Liuius li.* 10. *Dec.* 3

Galen. lib. de Temper. *hostem non habet, domi inueniet, vt praeualida corpora ab externis causis tuta videntur; sed suis ipsa viribus onerantur.* Et vt in corpore Physico, *quotidie aggregatur aliquid, quod* Polyb. lib. 6. in fin. *quandoque indiget curatione*: ita quoque Respub. vel Ciuitas gliscentibus vitijs sic aliquando corrumpitur, vt *remedio externo, vel interno curari debeat.* EXTERNO dico, quùm Deo sic permittente bellum infertur per *raptores alienae libertatis lupos.* Velleius lib. 2. INTERNO, quùm labantem Rempub. Potentiâ, ac Prudentiâ suâ firmat, ac sustentat Princeps. Qui quidem quò eiusmodi tela mutationum latere (vt aiunt) tecto Vlp. li. 1. §. in causa ff. de Quaestio. excipere possit, curam aerarij habeat necesse est, hoc est Tributorum, *in quibus esse Reipub. neruos nemini dubium est.* Laudo Ciceronem qui censuit. (ad Q. frat.) *Imperiũ sine vectigalibus retineri nullo modo posse.* Vetus dictum attende:

Imp. Leo. Nouel. 62.

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις:

*Argenteis hastis pugna, & omnia vinces.*

Tacit: 13. Annal. Senatores olim Romani *dissolutionem Imperij dicebant, si fructus, quibus Respub. sustineretur, diminuerentur.*

Cic. ad Q. Frat. Porrò, quando saepenumerò in *Vectigalibus* imponendis erratur, vel potiùs peccatur, cautio in his est adhibenda.

Tacit. 4. Annal. Ac I. videndum, ne grauia, ac intolerabilia sint, sed *modica, pro* copiâ scilicet, aut *angustia rerum*: quoniam quidem *à paucis accipit, qui nimium quaerit.* Crebra Cassiod. 4. Var. sint potiùs, quàm grauia.

Tac. 4. Ann. II. Prouideat Princeps, *ne Prouinciae* frequentibus, ac *nouis oneribus turbentur; & vt vetera, sine auaritia magistratuum*, seu Ministrorum *tolerentur.* Meminerit *multos* Tacit. 3. Hist. *Principes pecunijs acerbè conquirendis, plus inuidiae sibi, quàm virium addidisse.*

Basil. Imp. in Paran. III. *Pecuniae non ex oppressione, neque ex lacrymis subditorum corradantur.* Quin, *Aurum adulterinum existimet, quod cum subiectorum lacrymis collectum est.* Ego cum Caesare, *cuncta Imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna arbitror.*

Tiber. 11. Apud Baron. Ta. 7. IV. *Vt in ijs exigendis nullus tumultus accidat*; vel vt Iustinia. Imper. ait, *vt tributa publica*, per tot annos tolerata *sine querela inferantur.* Id quod ex facili assequePlin. pan. Nouell. 161. tur, si operam dederit, *vt ea Reipub. causâ imponere videatur. Nam si salutis ipsorum causâ colligi crediderint, magnas etiam Principi gratias agent, nedum indignè ferent.*

Arist. 5. polit. ca. 11. V. Qui etiam cauere debet, vt modestè, nec statim & ex asse, *sed paulatim per* Dio. lib. 52. *partes quod publicè ordinatum est dependi curet.*

Cic. 2. de offic. VI. Vt In tributionibus exsolutis, caetera subditis indemnitatem praestet. *Sit libera, nec sollicita rei suae cuique custodia*—— *Viuat miles cum prouincialibus iure ciuili, nec* Cassiod. 7. Var. epist. 4. *insolescat animus, qui se sentit armatum: quia clypeus exercitus tui, quietem debet praestare paganis.* Itaque, *non permittes milites esse possessoribus insolentes.*—— *Artium caeterarum parens ac nutrix Agricultura: quando benè agitur, cum ea omnes aliae artes vi-* Idem lib. 6. epist. 13. *gent.*

Xenophon in Decoriã. Olim cautum. At hodie, proh pudor! in quam incidimus disciplinam? qui gemitus exinanitorum rusticanorum? qui ploratus audiuntur?

*Vtinam*

*Vtinam modò nostra redirent*
*In mores tempora priscos!*

Boet. de Consol. Met. 5.

VII. Vt æqualiter Tributa imponantur. *Iustum enim est æquumq́; neminem horum, neq; priuatum hominem, neq; populum immunem esse: cùm ex æquo ad omnes vtilitas eorum, in quæ insumuntur, redeat.* Enimuerò, vbi inæqualitas, ibi liuor obrepit, & inuidia: adeò, *vt subditi pari dolore aliena commoda, ac suas iniurias metiantur.* Idcircò, meâ opinione, *Censores, Peræquatores, & Inspectores*, singulis cumplurimùm lustris statuendi, qui prædiis inspectis, & adæquatis, inuicem, onera probè moderentur. Nam & leuius solet esse malum, quod est cum multis commune:

Dio li. 52. Tac. 1. hist. De Censor. 7. latè Bo. 6. de Rep. c. 4. De Peræquat. v. tit. C. de Censi. l. 11.

*Ferre, quam sortem patiuntur omnes,*
*Nemo recusat.*

Sẽ. Troad.

VIII. Vt clerus immunis ab iis reddatur: *Fiscus* enim *bonorum Principum, non Sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augetur.*

Symm. de trad. Basil.

IX. Denique, vt pacis tempore extraordinaria Tributa (*necessitate armorum excusata*) remittantur. Siquidem mirum quantum *iuuat tum cernere ærarium silens, & quietum, non spoliarium ciuium, cruentarumq́; prædarum receptaculum.* Et maximè initio Principatus, tum quia *vt noui populi nobis assuescant, & nostrum iugum patiantur, sunt oneribus & tributis leuandi*: tum quia *nouum Imperium inchoantibus vtilis sit clementiæ fama.* Ergò tum,

Plin. Pane. Tac. 2. hist. Tac. li. 2. Annal.

*Impia continui cessent augmenta tributi,*
*Nec tua priuatis crescant æraria damnis.*

Claudia. 4. Hon.

Cæterum vt ab Exactoribus tibi caueas plurimum interest. *Quantæ* enim *audaciæ, quantæ temeritatis sint Publicanorum factiones, nemo est qui nesciat.* Propterea videndum ne Publica *nisi spectatissimo cuiq; mandentur*: Quod si fallant, amoueantur; nec id sine pœna publicationis, puta bonorum, vel simili, vt instar *spongiarum humentium exprimantur, postquam affatim biberunt.*

Vlp. l. Quã. ff. de Publ. Tac. 4. Annal. Vesp. apud Sueton.

Tandem *Ærario* constituto, boni erit Principis iuxtà ac prudentis, parcè purèque eo vti: *Quis enim, cùm videat te in re familiari summâ parsimoniâ vti, in publicâ liberalissimum esse, non vltrò velit aliquid conferre, cum tuas diuitias, suam securitatem, ac copiam esse iudicet?* Prouide igitur & *sumptibus eius adhibe modum.* Quippè *si malè exhaurias, per scelera supplendum erit.* Imitare *Antonium* illum *Pium* Imp. qui salaria ab otiosis, & inutilibus auferebat, *nihil stolidius esse*, inquiens, *imò crudelius nihil quàm si Rempublicam ij arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent.*

Dio in Orat. Macon lib. 8. Plin. Pane. Tacit. 2. Annal. Capit. in Anton.

Videbit etiam, ne bella temerè suscipiat, Augusti exemplo, qui *nulli vnquam genti sine iustis, & necessariis causis bellum intulit.* Et verò, quid aliud bella, quam ærariorum euerricula?

Suet. c. 31.

Denique, ne nihil hauriat in luxum, aut probra.

Abigat à se scurras, peregrinos, mimos, lenones, scorta, & eiusmodi *amicitiarum*, & virtutum *dehonestamenta*; quibus nihil quidquam vnquam largiatur.

Tac. 2. hist.

Arist.5. Polit. Plu. de vitio verec. Curt. li.8. Aristod.& Plato. In Solon.

*Qui hoc modo publicam rem administrabit, haud dubiè paterfamilias, non tyrannus esse videbitur, —— & inuidiam potentiæ semper comitem* vitabit & *Maiestatem, Principatus custodiam*, firmabit atque tuebitur.

Sed præter hanc colligendæ pecuniæ rationem, nonnulli negociationem, siue mercaturam proponunt. Vnde Plutarchus scribit, *Mercaturam comparandis diuitiis Regum amicitiis, ac barbarorum gentibus conciliandis pollêre plurimum.*

---

## EXEMPLA ET NOTÆ.

Latè Pet. Gred.3. de Rep. L.Vn. C.de Qu.l. 12.L.fin. C. de vect.

QVemadmodum duplex Principis Patrimonium, Publicum, & Priuatum: ita duplex Ærarium, Fisci, & priuati patrimonii; & vtrumque *Ærarium Principis* dictum; quod vtrumque ad illum, illiusque dispensationem pertineat. Est & *Ærarium*, quod maximè Tributis, & vectigalibus constat; quodque ad sacrum Principis patrimonium pertinet, & cuius præcipuè curam sustinere debet cùm sine eo non solùm non subuenire publicis necessitatibus, sed nihil quidquam quæ facienda sunt conficere possit. Vt è contrario, Fisco valente, nullo negotio rerum tumorem emendabit, iniuriasque temporum simul & hominum ex facili superabit. *Nam ita demùm cuiusq;* (inquit Thucydides) *ciuitatis libertas firmè retinetur, si adsit Potentia, quæ hostibus finitimisq; populis resistere posit.*

Li.4. Hist.

Dio li. 42.

I. I. CÆSAR duas esse res prædicabat, quibus quæreretur, conseruaretur, augeretur potentia, *Milites* nimirum, & *Pecuniam*; Nam & suppeditatione rerum necessariarum, exercitus contineri, & eam armis parari, atque alterutro deficiente, reliquum simul concidere.

Tac.13. Annal.

II. Ideò meritò NERONEM initio Principatus reprehenderunt Senatores, quòd ille cuncta vectigalium omitti iuberet, *dissolutionem Imperij docendo, si fructus, quibus Respub. sustineretur, diminuerentur.* Atque id quidem optimâ ratione: Namque cùm Imperium viribus, & armis retineatur, illaque sine pecunia Principes non consequantur, consequens est summam ærarii, quod partim Vectigalibus, & Intributionibus constituitur, rationem habendam esse.

Suet.c.49. Nouel.16. de Prouin. Præf.

III. Hinc AVGVSTVS Cæs. *vt perpetuò ac sine difficultate sumptus ad tuendos prosequendosq; milites, præsertim emeritos, suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit.* Idque admodum prudenti consilio. *Non enim aliter* (vtar verbis Iustiniani) *conseruare licet Rempub. nisi præstationes importentur in publicum: ex quibus & militares nutriuntur copiæ, vt resistatur hostibus, ac per agros, & vrbes agantur excubiæ. Perfruuntur item reliqui ordines attributis sibi salariis: reparantur quoque muri, & vrbes: denique omnia alia proueniunt, quæ communem subditorum vtilitatem concernunt.*

Æmil. Prob.

IV. Quare consulto consilio HANNIBAL, non solùm vetera vectigalia non aboleuit, verùmetiam noua addidit, atque adeò effecit *non modò, vt esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, verùmetiam, vt superesset, quæ in ærario poneretur.*

Ex omnibus autem cogendæ pecuniæ artibus, vel illa potissima est, quòd Prin-

Princeps eas in suâ Prouinciâ merces habeat, quibus ad se exterorum monetam attrahat. Vnde laudabili admodum instituto Galliæ Rex HENRICVS eius nominis IV. artē sericā paucis abhinc annis in nonnullas suæ ditionis Prouincias introduxit, cùm antea vermiculi in exteris ditionibus alerentur, quo quidem ex commercio dictu incredibile quantum commodi, & pecuniæ in illas Galliæ oras importetur. Sic IVSTINIANI tēporib⁹, quod Zonaras scribit, tela serica à Romanis texi cœpta, cùm antea à Persicis mercatoribus tantùm importarentur, nec Romani scirent fila illa esse vermium. Quò fit, vt Principi cauendum sit, ne prætextu exoticarum mercium, pecunia ad exteras gentes deferatur: de quo olim questus TIBERIVS *Cæsar*, quòd *lapidum causâ* (verba Taciti) *pecunia Romana ad exteras, aut hostiles gentes transferrentur.* Cùm itaque ex propriis mercibus, quæ incolarum industriâ constant, & exoticarum abstinentiâ ditiores euadant Prouinciæ, haud dubium est quin vberius vectigal, cùm vsus est, à Principe colligatur. *An. 1602.* *In eius vitâ.* *Li. 3. Ann.*

Verùm, quoniam multa est hac in re offensionum materia, certæ cautiones Reip. Moderatori sunt adhibendæ. *Atq; imprimis, vt ne grauia sint vectigalia.* Vectigalia imprimis ne grauia sunto.

I. In quo peccauit, & pessimè audiuit C. CALIGVLA, qui scribente Tranquillo; *vectigalia noua atq; inaudita primùm per publicanos; deinde quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunosq; Prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro edulijs, quæ tota Vrbe venirent, certum statumq; exigebatur.* &c. Quâ ex re, in quantam inuidiam adductus fuerit, satis testatum faciunt coniurationes in illum initæ, ex quibus impressione à coniuratis factâ, 30. vulneribus confectus ætate florenti interiit. *Cap. 40.*

II. De VESPASIANO refert Dio incredibilem fuisse pecuniarum exactorem nullo tributi genere omisso, *vt ne mendicis quidem pepercerit, ac de diuinis humanisq; rebus pecuniam conflarit. Multa enim vectigalia quæ iam solui desierant renouauit, auxitq; multa quæ Publicani obtinebant, idq; tàm in aliis Prouinciis, quàm in ipso solo Romano.* *Lib.*

III. BATTO Dalmaticis rebellantibus tractans cum *Tiberio* Romano de pace, interrogante Cæsare cur ita deficerent, & rebellarent Romanis: *Vos*, inquit, *in culpâ estis, qui ad vestros greges custodiendos, non canes Pastoresq; mittitis, sed lupos.* *Dio Halicar. lib. 5.*

IV. LICINIVS I. Cæsaris Libertus, quem Augustus Galliæ præfecerat, Gallis plurima damna aliis atq; aliis tributis intulit. Cùm enim solerent singulis mensibus à Gallis tributa conferri, ipse quatuordecim menses fecit, vt cumulatiùs ditesceret. At, cùm grauiter apud Augustum à Gallis eo nomine accusaretur, ac vitæ periculum sibi imminere non dubitaret, ea quæ diu cumulauerat, Augusto dedit, quò mortem deprecaretur. Hodie tales Licinii, vt prouidi tributorum archietectores, & Principibus suis fructuosi laudantur: nec intereà Principes intelligunt, rem suam illic vnciatim augeri; hîc verò libratim minui: immemores *satius esse oues tondere, quàm deglubere*, vt Tiberius Cæsar inquiebat. *Dio Cass.*

V. AHÆVM quoque Lydiæ regem, crebra ac grauia populis tributa imperasse legimus: in quibus exigendis sæuus, improbus, inexorabilis erat. Verùm, cùm

*Fr. Patri. li. de Regn. tit. 9.* cùm tantam iniuriam diuitius populi ferre nequirent, nocturnâ tessera inter se data, subito hominum concursu illum cum omni familiâ trucidauerunt, regiaque incensâ, eius cadauer vnco tractum in Pactolum flumen demerserunt.

*Idem ex Plut.* VI. Eiusmodi odium vt fugeret DARIVS Regis Xerxis pater, cùm tributa Præsides taxare iussisset, Principes Prouinciarum accersiuit, rogauitque nùm grauati essent: respondentibus illis, mediocriter se habere, statuit, vt dimidium soluerent, ne qua auaritiæ suspicio ei obiici posset.

*I. Capitol.* VII. Multò laudabilius M. ANTONINVS Imperator, cùm ei bello parando pecuniæ deficerent, vasa omnia aurea, argentea, crystallina & myrrhina, gemmasque etiam, quas multas in repositorio sanctiore *Adriani* repererat, cumque præcipua suppellectile mundoque coniugis, publicè vendidit, ne tributa imperando ciuitatibus aut prouinciis grauis videretur.

*Apud Xenophon.* VIII. Quare sapienter CYRVS Rex dicebat, opera regum & pastorum maximam habere affinitatem. Sicut enim ad pastorem pertinet curare, vt pecora habeat læta & succulenta; ita per est Regem ciues & subditos facere fœlices & opulentos, non quotidianis exactionibus infortunatos & inopes reddere; præsertim si loci ingenio tenues sint. *Tacit 4. Annal.* Ita quondam DRVSVS Frisiis (quorum solum tunc sterile erat) modicum tributum imperauit, pro angustia scilicet rerum, videlicet *in vsus militares coria boum.* verùm, Romanis postea grandiora tributa iubentibus, rebellarunt, adeò vt eorum iugum excusserint, non sine grandi Romanorum fraude.

*Cuspian.* IX. Quàm dissimili ingenio, ac iudicio fuit PLACILLA Imperatrix, cuius statua sub Theodosio Magno ob impositum vectigal nouum deiecta fuit?

*Io. Magn. li. 21. c. 19.* X. Quid de MARGARETHA illa Noruegiæ & Daniæ regina? Hæc enim à Sueuis victo *Alberto* in regnum assumpta, Suernas & Gothos grauissimis tributis exhausit, ita vt certam pecuniæ summam pro qualibet caudâ iumentorum exigeret; Florenum pro foco quolibet; marcham vnam Stocholmiensem à quolibet cõiugio, præter grauia alia tributa, quæ singulis septimanis & mensibus extorquebantur. Sed istæ excusatius quàm viri, dicet quispiam: quòd in genere rapacium mulier sit semper melior, vt ait regula aucupii.

*Krantz. l. 4. Vandal. c. 40.* XI. Gothorum mentione subiit animum memoria WANDALORVM. Illi bellis à Saxonibus subacti erant, & tantùm non ad orthodoxam nostram religionem adducti, cùm ecce iidem Saxones præproperè admodum grauissima imperant tributa: quæ res adeò gentem exterruit, vt Christianismi inde odium conciperent, & Saxonibus subesse morte grauius existimarent.

*Apud. Ta. 1. Annal.* XII. Prudentiori consilio vsus ROMANVS ille Ethnicus, qui Cappadocia subacta, atque in formam prouinciæ redacta, quædam ex regiis tributis diminuit, *quò* videlicet *mitius Romanum Imperium speraretur.*

*3. Reg. 12.* XIII. Missis istis, vnde defectio decem Tribuum Israël à ROBOAMO Salomonis filio, nisi à grauibus exactionibus & præduro Imperio?

XIV. Ly-

XIV. LVDOVICVS SFORTIA, vt ad recentiores descendamus, misso ad Genuenses Legato, qui magnam pecuniæ vim ab eis exigeret, eoque prandio ab aliquo Vrbis optimate opiparè excepto, fors tulit, vt ab accubatione epulari in hortis ambularet, & animaduersa herba illa, quæ Basilicus dicitur, ad Legatum inquit: Domine, herbam hanc leuiter tracta & olfac; cui morem gerens Legatus, suaueolentem herbam deprehendit: cui rursum Conuiuator: Herbam manu iam preme & odorare: cui etiam tum acquiescens, odorem admodum iniucundum, & insuauem eo afflari professus est; hîc rursum nobilis Legato: Domine, inquit, si Dux Ludouicus molli suæ potentiæ manu Vrbem hanc tractet, lætam & obsequentem inueniet; sin illam fortiter premat, ingratum rebellionis & impatientiæ odorem non dubiè percipiet. *Guicciard.*

XV. Hoc experimento didicit CAROLVS VI. Lutetiæ Parisiorum, de quo sic Gaguinus: Humilis (inquit) ex Parisianis plebecula, nouis quasi furiis acta, querebatur se vectigalium magnitudine premi. Itaque Præpositum mercatorum aggrediens ad concionem venire cogit, vbi vnus è plebe audentior vice multitudinis petit pensiones & vectigalia tolli, quod quandoquidem olim postulâssent, nec fuissent exauditi, adesse iam tempus, cùm satis illis factum esse oporteat. Concitatæ multitudini plerique sobriè obsistere cupientes, rati si in crastinum res differretur, compesci furorem posse in posteram diē negocium remittebant. Quod intelligēs quidam veteramentarius sutor, temerè exurgens: *Pompa*, inquit, *Aulicorum, & fastus, in humeros populi recidunt, & quæ ab illis in luxum profunduntur, damna nostra, & calamitates sunt.* quâ commotione factum est: Vt Regis mandato domum abire iussis, vectigalia tollerentur. *Lib. 9. Rerum Gall.*

XVI. Legimus quoque contributionum acerbitate Anglos Aquitaniæ, hæredes Alphonsi Neapoleos iacturam fecisse.

XVII. Recentioribus verò temporibus, anno videlicet 1547. magna quoq; seditio per Aquitaniam orta fuit propter salinas, & vectigalia à Rege imposita, rebellantibus in ipsum Burdegalensibus, qui furore magis, quàm irâ perciti Præfectum ipsum Regium trucidarant. Verùm manus illi regias vindices senserunt, dum Rex Connestablio & Aumalio ductoribus, magna militum manu Vrbem inuasit, seditionisque auctores partim capite multauit, partim ad triremes relegauit, & quod summum fuit, priuilegia & immunitates omnes abrogauit. denique, vt tanti facinoris noxam vniuersi expiarent, Connestablius singulos adegit, vt humum quâ tectus erat Præfectus, nullo instrumento, sed vnguibus digitisque ipsi reuellerent, ac post illa facibus manu accensis, toto clero comitati exhumato iam nouum & honorificum funus de integro facerent. *Annal. Gall.*

XVIII. Grauissimas etiam exactiones in Hollandiâ suasit potens quidam suo tempore, cùm diceret, *præstat grauare patriam, quam amittere*, sed qualem & quàm turpem vitæ catastrophem habuerit, habemus in recenti memoria.

XIX. Scimus etiam quantas seditionum superioribus annis procellas exci-

tarit in Hispaniâ Decima rerum venalium, quæ licet instar scatebræ auri quibusdam videretur, attamen ferri cudendis armis ciuilibus officinam potiùs fuisse, ætas nostra dicit. Sed desino: Satis enim est hactenus ex millenis hæc delibâsse, & Respublicas, Principesque monuisse, vt vectigalia imposituri discant alienis malis vitare eiusmodi calamitates memores prædictorum, aut his similium exemplorum. Sed quia pauci sunt, qui in his animum occupant, hinc fit, vt in eosdem errores plerique Principes, aut Respublicæ nostri temporis incidant; ac vt illi periculis immunes non fuere, ita nec erunt isti, saltem eorum animæ, quam ob rem caducam, id est pecuniam, malè posteà perdendam, committunt potestati tenebrarum.

XX. Quod quidem satis insinuauit Sanctus ille *Franciscus de Paula*, qui vt ostenderet (instinctu quidem diuino) quàm iniustæ sint istæ exactiones, monetam frangens coram FERDINANDO *Rege Neapolitano*, sanguinem elicuit, sic præter ordinem naturæ ostendens quanti facinoris sit apud Deum reus, qui intolerabiles in misello popello exigit contributiones. Si tamen necessitas ferat vt exigantur, subuentionis potiùs vocem, quam tributi appellet, vt apud Hispanos, Donatiui; in Angliâ, beneuolentiæ; apud Persas & Æthiopes, vt & priscos Germanos, spontaneæ collationis vt dulci vocabulo mitigetur asperitas rei.

Querela & monitium Philippi Cominæi.

XXI. Ergò, concludere mihi fas cum Cominæo: *Magna est quorundam Principum iniquitas* (aiebat Cominæus de sui æui Principibus) *qui nullâ necessitate coacti, pecuniam pro sua libidine imperant, & amplum alunt satellitium, vt miseram multitudinem in metu contineant, eamq; deindè pecuniam temerè, & voluptuariè profundunt, nullo cum Reipublicæ bono, & de quotidianis sumptibus nihil remittunt, & suos exhauriunt, & assentatorum stipati sunt turba. Sed est Deus, qui flagitium nullum sinit esse impunitum, & crudelitatem imprimis detestatur: qui tametsi non loquitur hominibus hodierno die, sicut priscis illis temporibus: tamen quæ sit sententia, & quid à nobis fieri velit, clarè perscriptum reliquit, ita quidem, vt nemo planè. qui modò sit sanæ mentis, & qui ad iustam aliquam peruenerit ætatem, excusandi sit habiturus locum.* Et post pauca: *Et vt ad institutum reuertar, nemo est omnium Principum, qui ius habeat, vel teruncium vnum exigendi à suis. præter constitutum annuũ censum, nisi populus assentiatur.* * Ita ille: & meâ quidem opinione illud ius exigendi nullo tempore

*Cum Clero & Nobilitate.*

præscribi potest, argumento c. Nullus Episcopus, 1. q. 1. aliisque rationibus, quas affert Innocentius, & alii in cap. Si diligenti, de præscript.

Æqualiter tributa imponantur.

*Cæterùm, vbi necessitas premit, vt æqualis sit Tributorum collatio diligenter videndum:* cùm inæqualitas Tributorum mirè sit rebellionibus obtentui.

I. Id quod probè animaduerterunt INDI, quos propterea Subditos æquali onere grauari scribit Alex. ab Alexandro: siquidem quartam fructuum partem (immane quidem dictu) Regibus quotannis pendere coguntur.

*Genial. dier. 4. cap. 10.*

II. Apud Romanos cùm Senatus ob *Hannibalis* bellum vidisset maximam ingruere pecuniæ remigumque necessitatem, legimus CONSVLES edixisse, vt priuati ex censu ordinibusque, sicut antea, remiges darent cum stipendio cibariisque:

ad quod

ad quod edictum tantus fremitus hominum, tantaque indignatio fuit, *vt magis dux, quàm materia seditioni deesset, dicebantq. se, vt dent quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi posse; bona sua venderent, in corpora quæ reliqua essent, sæuirent, ne vnde redimantur quidem, quidquam superesse.* Cumque in maximis difficultatibus consilium hæreret M. *Valerius Lauius*, alter Consulum Patribus suasit, si quid inferiori iniungendum esset, id prius in Senatores, Equitesque statuendum, sic fore, vt omnes obediant: ideò eos hortabatur, vt singuli Remp. iuuarent; effecitque vt annulos sibi quisq; & coniugi liberis, quæque ad Deorum cultum spectant, reseruarent: cæterùm, omne aurum, argentum, æs signatum ad Triumuiros mensarios extemplò deferrent, *nullo ante Senatusconsulto facto, vt voluntaria collatio, & certamen adiuuandæ Reipub. excitaret ad æmulandum animos omnium.* Super hæc autem narrat Liuius, tanto animo consen- *Lib.26.* sum, tantumque argenti, & auri collatum fuisse, *vt nec Triumuiri accipiendo, nec Scribæ referendo sufficerent; ita sine edicto, sine cohortatione magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio Respub. eguit.* Quo exemplo clarissimè confirmatur documentum in Aphorismis adductum, vt æqualiter Tributa indicantur.

III. Legimus apud FLORENTINOS temporibus Cosmi Medicæi, exorta bel- *Æneas Picolom. Cō. cap.51.* la ciuilia, ob pecuniarum exactiones, quæ tenuiores ciues magis, quàm opulentos vrgebant. *Cosmi* consilio, & iussu, quisque facultates suas in censum detulêre: quò factum dein, vt æqualitas vbique seruata fuerit. Prudens mehercule Cosmi consilium, à Censoribus Romanis haud dubiè mutuatum. *Censores* dicebantur, quia census agebant: siue (vt Festus ait) quod rem suam tanti æstimare solitus esset, quantum illi censuissent. De censu eiusque formâ, deque eius vtilitate, videndi qui de eo ex professo scripserunt; inter quos Carolus Sigonius lib. de antiquo iure ciuium Romanorum 1. cap. 14. & Bod. lib. 6. de Repub. cap. 1. Satis interim constat, nihil vtilius fuisse hoc inuento. Quoniam & numerum eorum, qui arma ferre possent, ostendit, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum sumptus sustinebantur, indicauit; & tributa, quæ quotannis pendebantur ad æqualitatem reduxit. Vnde paucæ admodum inueniuntur Resp. quibus census non placuerit. CHILDEBERTVM, vt veteres omittam, censum fortunarum in Galliâ egisse testatur Gregorius Turonensis. Eundem etiam nonnunquam vsurpari tùm à Venetis, tùm à Genuensibus, tùm ab aliis, apud quos inter cætera publica viget *Censorium munus*, vt scribit Bod. eodem cap. 1. Ac quidem, sano & optimo consilio: nam Census omnium politicorum calculo, res est saluberrima futuro magno Imperio.

Censores apud Romanos qui? deq. eorum instituto, & vtilitate.

*v. tit. Cod. de Censib. lib. 11. Lib. 9. c. 30.*

A quo tamen immunes esse deberent Ecclesiastici, cùm omni iure Vectigalibus, & tributis liberi sint. Nam ecce apud Romanos, tantùm abfuit, vt ipsi tributa persoluerent, vt potiùs sumptus acciperent ab ærario, vt Dionis. Halicar. testatur. Et verò, quidni id Christianus Princeps præstet (verbis vtar Baron.) quod Ægypti Sacerdotibus Pharao vbertim impendit? qui non solùm eis latifundia tradidit, quæ illis voluit perpetuò conseruata, sed ex horreis publicis statuta iisdem

*Li.2. hist. To. 4. An. an. Chr. 387. Genes. 4.*

cibaria ministrauit. Adeò, vt habeat Christianus Princeps, vnde erubescat ex Pharaone, si non id tantum quod ille idolorum Sacerdotibus impendebat, ipsi Christianæ legis Sacerdotibus non impertiat, sed ab aliis oblata vendicet sibi, vel redigat sub tributum. Sed D. Hieronymum super hac re differentem audite: *Nos*, inquit, *pro illius* (Dei) *honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à Vectigalibus immunes sumus: quòd scilicet immunes essent Sacerdotes, ac omnis Ecclesiasticus ordo à pensione tributi, Christi causa, cuius respectu Principes Christiani nullum illis de eâ re negocium exhiberent.*

*In Matth. cap. 17.*

Aurem tibi vello Christiane Princeps, aut quisquis es qui præes, cuius dicto magis credes, Hieronymine, an vnius pseudopolitici blateronis, omnia Principipibus tribuentis? Credibiléne sit huius impietatem, & inscitiam plus ponderis apud te esse, quàm summam illius pietatem & eruditionem cum pari scientiâ coniunctam? an quenquam tàm hebetis, & stolidi ingenii, vt cuius doctrina multis magnisque miraculis spectata, plurimis etiam eruditissimorum calculis confirmata, eum temerè fastidiat; inscitiam verò vnius pseudopolitici Hæresiarchæ infinitis facinoribus insignitam, ambabus, quod aiunt, vlnis excipiat? excute excute cœcitatem Cymmeriis tenebris circumseptam, & liquidæ veritatis succo mentem exerrantem aliquandò tandem imbue. Sed hæc obiter.

*Tributa pacis tẽpore minus vrgenda.*

Insuper, *pacis tempore extraordinaria tributa remittenda esse*, in Aphorismis ostendi: cæteroquin, ne subditi fidem exuant, & obsequium, periculum esse.

I. Vt accidit PLEBI ROMANÆ, quæ propter assidua tributa montem Auentinum insedit, à Patribusque recessit, ac Tribunis plebis, aliquaque sibi iura parauit. *Sall. 1. hist.*

*Dio Cass.* II. Prudenter ergò Q. METELLI NEPOS Prætor, *cùm Ciuitatem, & reliquam Italiam portoria, cateraq; eiusmodi noua Vectigalia offenderet, legem omnibus gratam tulit, vt ea tollerentur.*

*Suet. c. 10.* III. NERO sub initia Imperii non improbus Imperator, *neque liberalitatis, neque clementia, neque comitatis quidem exhibenda vllam occasionem omisit. grauiora vectigalia, aut aboleuit, aut minuit.*

*Capitol.* IV. Cuius imitatione M. ANTONINVS Imp. *oppidis quidem labentibus, auxilium tulit, sed tributa, vel Vectigalia, vbi necessitas non cogebat, remisit.*

V. Idem D. ADRIANVS & MARCVS, qui Vicesimam hæreditatum, quæ lege Iuliâ bellorum temporibus introducta fuerat, pace succedente è Repub. sustulerunt.

VI. De PERTINACE, Auctor eius vitæ: *Vectigalia quoque omnia, qua ad contrahendas pecunias tyranni excogitauerant in fluuiorum ripis, in vrbium portibus, perq; vias & itinera penitus remisit, atque in antiquam libertatem reuocauit.*

*Baro. To. 3 Annal. an. Chr. 312.* VII. CONSTANTINVS verò *Magnus*, posteaq̃ tyrannidẽ ab Orbe Christiano depulisset, tributa quoq; penitus relaxauit, vt constat ex eius elogio seu inscriptione hac, quæ in Hispaniâ legitur: IMP. CÆS. FLAVIVS CONSTANTINVS AVG. PACIS ET IVSTITIÆ CVLT. PVB. QVIETIS FVND. RELIGIONIS ET FIDEI AV-

CTOR

CTOR, REMISSO VBIQ. TRIBVTO FINITIM. PROVINC. ITER. RESTAVR FEC.

VIII. Ita IRENES Imperatrix mater *Constantini VI.* Vectigalia remisit, multasque iniustitias, quæ eorum gratiâ toto Imperio committebantur, penitiùs sustulit, & præcinit: *Cessauit tum inopum afflictio* (inquit Theodorus Studita) *& pauperum solitudo, non iam quo remedio mendicitatem depellant quærentium, sed vt præuaricationem, & quod desursum quodammodo, vt peccati fœtus irrupit, coactoribus persoluant. Non pendunt nunc via terra mariq; Vectigalia,* &c. *Epist. ad Irenē Augustam.*

IX. Et vt vetera omittam, HENRICVS. IV. Galliæ Rex nunquid pace non ita diu cum Hispano firmata, vectigalia extraordinaria subditis remisit? imò exemplo Iuliani Imper. reliqua omnia Vectigalium expunxit? Laudabilis herclè vox eius circumfertur: *Nous vous quittons ce que vous deuez du passé.* *Eius meminit P. Matth. lib. 1. Hist.*

Quinetiam pace cum Duce Sabaudiæ factâ, populis, quos in suam potestatem pactis conuentis recèns acceperat, tributa omnia condonauit, & quidem prudenter. Nam vt noui populi nouis assuescant Regibus; oneribus & tributis sunt leuandi, vt prudens ille Cornelius Tacitus scriptum reliquit. Deus faciat vt bello quod iam inter vtramque coronam recruduit extincto, grandia illa subditis imposita tributa tandem remittantur. *Annal. 2.*

Et verò, cùm cessat causa, propter quam sunt introducta, quidni eorum quoque fiat remissio? Legimus solemne illud esse Regum Galliæ iuramentum, vt concessis à populo tributis, disertè caueant ea se remissuros, vt primùm necessitas, ob quam imposita sunt, erit sublata. *Plin. pan. Dio. lib. 55. Bodin. 6. de Reb. c. 2.*

Difficillimum autem esse iudicare & interpretari necessitatem illam, eruditè docet Ioannes de Salas Theologus ac Iurisperitus insignis, & tandem concludit: Vnde sola incertitudo causæ & aliarum conditionum ad Iustitiam tributi requisitarum non satis est, vt cesset obligatio soluendi tributum, quia cognitio horum non pertinet ad personas omnes particulares: & Princeps qui habet prudentiam vniuersalem, multis iustis rationibus moueri potest, quæ non facilè possunt cæteris innotescere: Vnde dico dubium merè negatiuum per se nō satis esse ad excusandum à solutione tributi. Sæpè enim fundatur in solâ ignorantiâ rationum, vel cōditionum tributi, quæ Principi aut paucis potest esse cognita, & in dubio semper præsumitur pro Principe: qui tamen, si necessitas ob quam indictum est tributum cessat, tollere illud ex conscientiâ tenentur. Nam si ad Iustitiam tributi necessaria est causa, sequitur non posse plus durare tributum quàm causa, quâ cessante vtique debet cessare effectus c. cum cessante, de appell. Suarez lib. 5. de leg. c. 15. § 6. *Tract. 14. de leg. Disp. 15. Sect. 10.*

Quinetiam, si publicæ calamitates accidant, vel militū prædis vexata sit patria, peræque tollenda esse tributa, certè ad tempus, suggerunt historiarum monumēta. Neque tempore publicæ calamitatis, causatæ, vel à vi maiore

I. NERO sæuus licet & crudelis Cæsar, tributum Apaniensibus terræ motu conuulsis in quinquennium remisit. *Tac. 12. An.*

II. Sicante eum TIBERIVS Sardinianis propter asperrimam in eos luem, quantum ærario, & fisco pendebant, quinquennij etiam gratiam indulsit. *Id. 2. An.*

Cassiod. li. 3. epist. 12. III. Similiter THEODORICVS Rex Gothorum, Gallis tributa remisit, propter damna ab hostibus accepta.

Denique, si quæ etiam Vectigalia ab Tyrannis antè imposita fuerint, boni erit, & prudentis Principis ea tollere.

Herod. lib. 2. I. Sicut PERTINAX Imper. Vectigalia omnia quæ ad exquirendas pecunias Tyranni excogitauerant, in fluuiorum ripis ciuitatumque portis, per vias & itineta penitùs condonauit.

II. Ita IVLIANVM ciuitates tributis exhaustas, ac pænè desertas, mœnibusque orbatas suâ liberalitate erexisse, in pristinumque splendorem ex ærario collatâ pecuniâ restituisse apud Panegyricum scriptorem lego, his verbis: *Illud verò cuius miraculi est neminem vllum in tanto rerum paratu sensisse dispendium? In omnia pecuniam ab Imperatore depromi, & quoddam versâ vice prouincijs pendi tributum? Illinc ad vniuersos fluere diuitias, quo prius vndique confluebant? Vt in maximâ quæstione sit, à quo accipias Imperator, qui sic omnibus largiaris. Sed qui vitæ tuæ institutum rationemq; cognouerit facilè fontem copiæ huius inueniet. Maximum tibi præbet parsimonia tua Auguste, Vectigal, quidquid enim alij in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in vsus publicos reseruatur.* ô laudatam Principis mentem! & eò herclè laudabiliorem, quò quidquid publicè pendebatur, publicè ab eo expromebatur.

Mamert. Paneg.

Meritò ergò subiunxi, cauendum Principi à Quæstoribus, & Exactoribus Tributorum. Quorum fraudibus atque captionibus ex facili medebitur, si eorum numerum recidat. Nam quò pauciores erunt, hoc faciliùs eorum cupiditati occurret; aut certè, si quid detrimenti necessariò ferendum est, multò minùs à paucis sustinebit. Enimuerò vix credibile est, quàm inexplebilis sit eorum hominũ cupiditas, & auaritia. Nã si populus debeat pendere viginti, ob sumptus & expensas 50 aut 60. exigentur, nec sine maximis multorum subditorum lacrymis, & querelis: in quos proinde meritò inuehitur D. Laurentius Episc. Mediolanensis: *Quid est publicanus? nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Quid est publicanus? Prædo sine pudore, medicus exterminij: nonne immanior furibus est publicanus? fur namque vel timens furatur: hic autem delinquit confidenter. fur laqueos legis timet; hic quidquid fecerit, legem putat; lex furem deterret ab illicitis; hic ad iniquum malitiæ suæ compendium legem trahit.*

Occurrẽdũ fraudibus Exactorum.

Ex Polic. præsulis Salesbriensis. 6. c. 1.

Li. de Rep. 6. c. 2. I. Narrat Ioannes Bod. se Comitijs apud Tectosages interfuisse anno 1556. in quibus supplicatum HENRICO II. Galliæ Regi. vt istas hirudines, & Ærarij depeculatores ab eâ prouinciâ amoueret. Nam obstrictâ fide pollicebantur, se ad diem præscriptum Vectigalia soluturos, & in eam Regni partem, quam Regia Maiestas designaret, integra fide, ne obolo quidem desiderato, suis sumptibus delaturos: sicque fore, vt Rex maioribus expensis parceret, debitum aurum reciperet, & Tectosages ab ea molestia, ac miseria eximeret, quas à plurimis Coactoribus, & Ærarijs sustinebant. Regi æquam & rationi consentaneam rationem visam non tamen admissam, aut approbatam ob vana quædam argumenta, quæ ij, quorum rapinæ damno futura erat eiusmodi concessio, & quidam ex Regis intimis,

timis, qui illis suffragabantur, attulere. Si Rex paruisset consultorum consilio mirum quantum sibi, & Reipub consuluisset. Ita enim plurimum commodi consequutus fuisset, & inexplebilem Quæstorum auaritiam sustulisset.

II. Id tamen nuper factum ab HENRICO IV. Galliæ Rege. Namque pace totâ Galliâ firmata, nihil prius initio Imperij habuit, quàm toto regno recidere magnum numerum Coactorum, & Quæstorum Ærarij, prioribus Regibus non tàm necessitate, quàm temporum conditione, & consuetudine toleratum. Quin hoc amplius, (ne quid deinceps molimenti à prauis pecuniæ publicæ administratoribus in æraria strueretur) Cameram rationariam, vt loquimur constituit, quam Cameram Regalem nominari voluit, eamque componi viris integerrimis, spectatissimisque, ijsque lectis è Curiæ conscriptis, qui in abusus, & captiones Quæstorum inquirerent, animaduerterentque. Imitentur alij Principes: prudenter enim facient, si ab hac censura, vt ille, Principatum auspicentur. *Anno 1610 Augusti 15*

III. De LONDINENSIBVS scriptum nobis reliquit Frossardus, cùm tempore *Richardi*, *Regis* Edoardi F. inexplebilem Coactorum auaritiam ampliùs sustinere nequirent subditi, in eos insurrexisse qui fisco abuterentur inscio Rege, & ignaro. Iussis itaque reddere rationes, summa deprehensa fuit perfidia, rapacitasque: quò factum, vt plerique omnes capite minuerentur. *Lib. 3. Reg. Gall.*

IV. Reges etiam Galliæ vltimo affecisse supplicio scelestæ fidei Exactores Galliæ Annales testantur. Testis *Ludouicus Philippi F.* qui Dominum de Marignij, quòd sequiùs se in administratione muneris sui gessisset, in furcam egit; Testis quoque *Carolus VII.* qui peculatus crimine conuictum Dominum de Cyac sacco insui, & in amnem mergi iussit: in cuius locum cùm suffectus fuisset Camus de Beaulieû, immemor supplicij sui decessoris, nihilo seciùs fraudulenter se in munere suo administrans, non ita diù post ab eodem Rege iussus est necari. Enimuerò, si hanc seueritatem exercerent Principes hodierni æui, non dubiè non essent tàm multi perfidi Coactores, & pecuniæ publicæ auersores, quorum technæ palàm augentur indulgentiâ, in maximam subditorum, ac Principum fraudem, & captionem.

Postremò, dispensationem Ærarij posuimus, vt ea nempè *restricta sit, & parca.* *Ærario quatenus vtẽdum: laudanda parcimonia.*

I. SEPTIMIVS SEVERVS exemplo hîc tibi esto, qui *publicis opibus adeò parcè, & moderatè vsus fuit, vt Ciuitatem Romanam longè ditißimam, rebusq; omnibus necessarijs refertam reliquerit.*

II. Quidni etiam ALEXANDRVM intuendum & imitandum proponam? quem aurum & argentum rarò cuiquam nisi militi diuisisse legimus: *Nefas esse*, dicens, *vt Dispensator publicus in delectationes suas, suorumvè conuerteret id, quod prouinciales dedissent.* *Lamprid.* *Idem.*

III. Denique, priori æuo COCCEVM NERVAM, *vt impendia quantum posset contraheret, sacrificia nõ pauca, ludos Circenses, atq; alia spectacula dissoluisse atq; sustulisse scimus.* *Ex Dio. Cas.*

IV. O quàm digni tales, qui in exemplum proponantur! non deterrimi tyranni,

ranni, qui *diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putant*, vt in Nerone annotatur, *quàm profusionem*. sed ecce, quò insaniæ monstrum hominis processerit: *Sordidos ac deparcos appellabat, quibus ratio impensarum constaret; prælautos, vereq́ magnanimos, qui abuterentur ac perderent.* Quis non iudicet insanas esse insanientis animi voces? ecquis enim nescius est, proximam profusionis comitem esse egestatem, hanc verò crudelitatem, rapinamque sequi solere? Quis, sodes, *Nerone* illo & *Caligulâ* prodigalior? quis vtroque crudelior? Alter enim, vicies millies (h.e. quinquaginta milliones Philippicorum siue Ducatonum Italicorum) immanibus largitionibus effudit: alter amplius tricies millies (h.e. septuaginta quinque milliones Philipp.) primo sui Principatus anno absumpsit. Exhaustus igitur atque egens, *ad rapinas conuertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.*

*Träquill.*

*Id. Calig 38.*

V. Quantò prudentior, & quem cæteri Principes imitentur, MAXIMILIANVS eius nominis I. Imperator? Is enim cùm consideraret, quantas Principi profusio soleret afferre calamitates, non temerè quidquam cuiquam, optimè nisi merito, largiebatur; illud identidem dictitans: *Tene mensuram & respice finem.* O Principem immortali laude prædicandum! & eò amplius, quò absimilior illis, qui & suam, & publicam pecuniam in vnius & alterius aulici sinum conijciunt, & bella temerè suscipiunt, quò per eam occasionem, nouam pecuniam, mox iterum perdendam, extorqueant. Meminerint Principes vocis illius Mæcenatis ad Augustũ Cæsarem: *Magnas opes non tàm quæri multa capiendo, quàm multa non perdendo.* Perduntur autem pecuniæ, cùm in ijs erogandis nullus modus constituitur, sed temerè in res non necessarias profunduntur.

*Laur. Peccst. in Symb. Imp.*

Denique, ad conflandas opes suprà proposui negociationem siue mercaturam.

Cõmercia rerum cõflandæ pecuniæ aptissima.

Quippè quod ex eâ incolæ locupletiores euadant, vt videmus in opulentissimis Ciuitatibus cùm prisci, tùm nostri æui. Vnde ipsos Principes per suos institores negociationem, tàm in Hispaniâ, quàm Italiâ exercere cernimus. Quod ipsum satis perspectum habent Venetiæ, Genua, Lugdunum, Augusta Vindelicorum, Hamburgum, Hispalis, Vlissipona, Londinum, Antuerpia, aliæque ditissimæ Ciuitates, cum quibus Principes, Duces, Marchiones per suos negotiantur, quarum etiam potentiâ maxima vis pecuniarum illis suppeditantur. Nec id quidem nouum; nam in sacro Codice legimus Salomonem Regem tertio quoque anno naues in Indias transmisisse; auri, argenti, eboris copiam inde reportasse. Quod si iniuria vel conditio temporum, aut personarum id non patiatur, vrgeatque tum auri sacra fames, nec illius sedandæ pro necessitatibus publicis remedium aliud detur, ad vnicam velut sacram anchoram Princeps refugiat, nempè vt vel donatiua imploret à plebe, vel ad mutuas pecunias ab illâ accipiendas sine vllo interesse, si fieri possit, animum adijciat. Quo consilio vsos fuisse Romanos secundo bello Punico scribit Boterus, lib. 6. vt & Henricum II. Galliæ Regem, tùm scilicet cùm vellet instaurare exercitum suum ad Sanctum Quintinum ab Hispanis fusum & fugatum. Nam conuocatis suis ordinibus per organum vocis Eminentissimi Cardinalis

dinalis Lotharingiæ vti ſibi conflaret mille perſonas quæ ſibi mutuo darent in vniuerſum mille ſcuta ſine vllo intereſſe: quod cùm ſine difficultate obtinuiſſet, collegit tricena millia aureorum, quæ ſumma ad inſtaurandum bellum mirificè illũ exacuit, atque ita populum mirum quantum intributionibus fatigatum, & ad reſtim redactum, ſine vllo pœnè ſenſu ſolatus eſt, & rei ſuæ promouendæ beneque gerendæ opportunam ſumpſit occaſionem: quod ipſum quoque præſtitêre Odardus III. Rex Angliæ, & Henricus VII. teſte eodem Botero.

Ad potentiam etiam pertinet, vt diligens agriculturæ ratio habeatur, in quo primi Rom. Reges excelluêre: & Dionyſius Rex Portugalliæ eam appellabat neruum Reipub. Vnde Imperatorem Leonem dicere ſolitum legimus, duas eſſe artes quæ florentem Rempub. redderent, Agriculturam ſcilicet, & Militiam, per illam enim milites nutriuntur, per hanc agricolæ ab omni vi & impreſſione proteguntur. Sed proh pudor! modò per milites agricultura omnis impeditur, & ruſtici fugere coguntur quò cerui cornua.

Commeatus quoque non negligendus, cui ſeruiendo & introducendo antiqui Mediolanenſes canalem produxerunt è Ticino & Adda: vt Sereniſsimi Duces Brabantiæ per canalem Antuerpiam vſq; vectores ducentem, ſed & alij alios.

Maneat ergo, Principis eſſe, potentiam ſuam augere per mercaturam, commeatus, & agriculturam: qui etiam prouidere debet ne aurum, vel argentum factum, vel infectum è ſuâ ditione ad exteras transferatur regiones, quod iam vſitatum in Gallijs & alibi videmus: & denique adſciſcere cuiuſuis generis mechanicos quorum induſtriâ omnis generis merces ad exteras Prouincias tranſportentur, vti Selimum I. Turcarum Imperatorem & plures in Italiâ Vrbes à commercijs rerum commendatas, veluti Venetias, & Florentiam, Genuam, aliasque factitaſſe notum eſt.

---

## CAPVT XI.

## *Mox etiam amicitiæ* Fœderibus *firmatur Potentia.*

CVM enim omnis Principatus vis maximè conſiſtat in facultate earum rerum, per quas iniuria & impreſſio ſuperioris Principis arceri poteſt, eæque res ſint & opes & arma, dubitari nequaquam poteſt, quin ad eam vim augendam & conſeruandam, plurimùm, præter ea quæ ſuperiori capite diximus, *Fœdera* conferant. Namque, quid eſt tàm validum, aut potens, quod amicorum copias ſimul iunctas, opes copulatas, manus ſociatas vincere, aut diſſoluere poſſit? Audi Athenienſem illum Oratorem: *Demoſth. Or. Philipp. 3.*

Πόλεως ἔγωγε πλεῖστον ἡγοῦμαι, συμμάχοις, πίστιν, εὔνοιαν:

 Vrbis

*Vrbis opes esse existimo, socios, fidem, beneuolentiam.*

Arist. Ethic. 8. Nec abludit Philosophus: *Vt quisque maximè opibus Principatu & potestate excellit, ita amicis maximè indiget.*

Virg. Æne. 2.

*Nam, glomerare manum bello, & concurrere in arcem*
*Cum socijs ardent animi: furor, iraq; mentem*
*Præcipitant.*

Arist. Rhet. c. vlt. Socios itaque parari suadeam. At, quales? Imprimis, *qui non mediocri valeant potentiâ, & in proximo habitent.* Cui enim vsui abs te diffiti, aut miseri & afflicti, nisi vt periclitantibus illis, tu etiam pericliteris? notum est illud Hadriani Imp. verbum: Spartian. *In caducum parietem non esse inclinandum.*

Lactan. de Orig. err. c. 4. Enimuerò *magna vanitas est aliquam ab ijs sperare tutelam, qui tueri seipsos non possunt.*

II. Vt non cum multis, sed paucis, ijsque potentibus societatem ineas. Nam, vt ex vero Philosophus scribit: Arist. Ethic. 8. c. 7. *Perfecta cum multis amicitia nemini intercedere potest.*

III. Vt illi eâdem politiæ formâ, & Religione viuant. Nec enim, Raban. *possunt esse inter eos iura pacis, inter quos est bellum fidei.* Et, per Deum immortalem, D. Amb. 3. Offic. *qui fieri potest, vt homini sit amicus, qui Deo fuerit infidus?*

Tacit. 4. Hist. IV. Videndum adhæc, vt non temerè cuiuis credas; caue sutelas: Scito, *Aperta odia armaq; palàm depelli, fraudem & dolum obscura, eoq; ineuitabilia.*

V. Insuper, vt paribus legibus & conditionibus fœdera concipiantur; quemadmodum Teucri cum Ænea, de quo Princeps Poëtarum:

Lib. 12. Ænei.

*Non ego cum Teucris Italos parere iubebo,*
*Nec mihi regna peto, paribus sed legibus ambæ*
*Inuictæ gentes æterna in fœdera mittam.*

Thucid. 3. Hist. Ratio clara: quòd *mutui metus æqualitas, societatem fidelem faciat firmamq; conseruet.*

Contra quàm si imparibus conditionibus, vtputa si iure Clientelæ (quod sæpiculè fit) in amicitiam potentioris venias: hic enim magnoperè timendum est, ne Dominum, quàm socium sis habiturus: quod tamen discrimen ex facili vitabis, si certis contra Patronum te munias cautionibus. Nimirum imprimis, vt in protectionis litteris *iura Maiestatis* abs te excipiantur: vt certis temporum interuallis fœdus sit definitum, non perpetuum: denique, vt Protectori arces, oppidavè suo milite munienda & occupanda minùs concedas. Nihil enim verius illo Bruti Liuius lib. 9. Trib. Pl. dicto: *Vnam esse tenuium aduersus potentiores securitatis cautionem, vt potentes si nocere velint, non possint.*

Sallust. 4. Hist. Verùm, quid si inter potentes vicinos, *qui neque vincere, neque vinci, sine tuo periculo possunt, dissidium sit?* Ardua herclè difficultas. Si enim secedis Liuius lib. 35. *sine gratiâ, sine dignitate præmium victori eris*; sin accedis, haud fermè etiam effugis. Tutius tamen istud. Nam, quod Liuij Aristhenes, *tanquam mediam, tutissimam consilij viam, vt quiescas, abstineasq; armis ostendit, ea verò non media, sed nulla via est.* Lib. 32. Siquidem, vt

Prætor

Prætor ille Samnitum apud eundem Historicum inquit: *Media via, neque amicos parat, neque amicos tollit.* Lib. 5.

Iunge igitur te alterutri: nimirum meliori, in caussa palàm dispari; in ambiguâ, fortiori, & verè hîc tibi dictum puta: ὁ μαινομένοις μὴ συμμαινόμενος τοὺς μαίνεται: *qui cum insanis non insanit, is insanit.* Nam etsi à tali aliquo periculum sit, tamen speciosum est *Æneæ magni dextrâ cadere.* Opportunitatem tamen priusquam quidquam facias, hic præstolare: tempus inquam, & locum. perpende, iuxta atque disceptantium conditionem, aliaque consimilia. Etenim, vt Tragicus Græcus inquit: Cleod. Paræ nigraph. u.

*Momentum haud exiguum confert.* Sophocles in Philoct.
*Rebus agendis oportunitas,*
*Consilia omnia superat.*

---

EXEMPLA, & NOTÆ.

I. QVàm necessaria sint rerum Moderatori fœdera, aliorumque Principum amicitiarum coniunctio, haud scio an quisquam omnium Principum, quos equidem legerim, æquè intellexerit atque CAROLVS V. sagacissimus & circumspectissimus Imperator. Quippè qui statim initio Imperij & ipso ætatis flore, totum se tradidit amicitiæ Regis Gallorum *Francisci* eius nominis I. qui tùm temporis recèns ad Imperium euectus erat. Hinc se ad *Angliæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Daniæ, Poloniæ Regum* amicitias & fœdera ineunda composuit. *Emanuëli* enim Lusitaniæ, secundisque nuptijs *Francisco* I. iam dicto Eleonoram; *Christierno* Daniæ, Norwagiæ, Sueciæ, Isabellam; *Ludouico* Pannoniæ, Bohemiæque Regi Mariam sorores suas matrimonio collocauit. *Ferdinando* autē fratri Annam prædicti Ludouici Regis sororem (quâ affinitate duo illa regna acquisiuit) sibi verò Isabellam Lusitaniæ Regis filiam despondit. Quibus affinitatibus & fœderibus ad tantum amplitudinis, & potentiæ tantum, euectus fuit, vt non solùm subditos in officio contineret, quod satis testatum faciunt crebræ in Hispanos, Belgas, & Germanos dimicationes; verumetiam vicinorum hostium & barbarorū impetus & conatus comprimeret frangeretque. Id quod clarè docet Gallicum, Italicum, Hetruscum, Saxonicum, Pannonicum, Bohemicum, Lybicum seu Thunetanum, Mexicanum, Africanum seu Algerense bellum, adeò inquam frangeret, & debilitaret, vt immanis ille Christiani nominis Hostis, tanquam Numen quoddam, vel naturæ miraculum Carolum & formidaret & reuereretur. Vide ergò quanto merito Patrocles Xenophontæus dixerit: *Oportere homines, dū maximè viribus florent, ea acquirere quæ illis quandoque vsui esse valeant, vt cùm necessitas ingruerit, paratum quò refugiant præsidium habeant.* Satagat itaque mihi Princeps, vt alios fœderibus atque affinitatibus, Lib. 6. Rer. Græcan.

tibus, maximè principio dominationis, sibi adiungat, atque in vsu suo habeat: conditionibus tamen & cautionibus pòst paulò dicendis.

Lib. 4. Fœderum formas tres esse.

De fœderibus dicturi, operæpretium est, nosse diuersas fœderum formas, priusquàm quæstiones quæ super materia hac enasci solent excutiantur. FOEDERVM itaque tres esse species, apud Liuium MENIPPVS Antiochi Legatus docet. Vna, cùm bello victis dicerentur leges. Altera, cùm pares bello æquo fœdere in pacem, atque amicitiam venirent. Tertia, cùm qui hostes nunquam fuissent, ad amicitiam sociali fœdere inter se iungendam coirent: eos neque dicere, neque accipere leges, id enim victoris & victi esse. Addunt alij quartam, quam NEVTRVM vocant: idque ab ijs fere coiri solet, qui inter medios hostium fines positi, & ab vtrisque tuti sunt. De posterioribus duabus hîc præcipuè sermo est: Ac vt ab tertia incipiamus, scribunt ciuilium rerum periti, illam contrahi, aut *Paribus conditionibus*; *aut Imparibus*. *Paribus*, cùm nec alter alterum superiorem agnoscit, nec alter alteri in honorum prærogatiua cedere tenetur: etiamsi alius alio plus minusvè ad auxilia mutua conferre promiserit. atque hoc fœdus ÆQVVM appellabant. *Imparibus* verò, cum alter alterum in pactis conuentis superiorem agnoscit, siue quòd prærogatiuam illi honoris, non tamen iure clientelæ tribuat, siue quòd se in illius tutelam tradere profitetur: & istud INIQVVM FOEDVS nuncupabant, tametsi isto genere populus liber esse non desinit, etiamsi alteri vel pensionem vel operas præstare pacto obstringatur: *quippè quòd alterius tantùm populi *maiestatem comiter conseruare teneatur*: nam & hostes eosdem & amicos habent, nullumque in alterum Imperium constituitur.

Liu. lib. 4.

*L. Non dubito §. liber autē ff. de Capt. & post lim. re. Meno. de arb. iud. 1. q. 100. n. 9. Roland. à Valle cōs 1. nu. 47. vol. 2. Gail. 2. obser. c. 54. Mart. Laudem. tract. de confœd. Princ. q. 56 Lib. 24

II. FOEDERIS ÆQVI exempla aceruatim producamus. Igitur ex eo genere est fœdus illud, quod *Reges Persarum* cū ciuitate Thebanorum sanciuerunt: illud quod *Hannibal* cum Locrensibus pepigit: de quo sic Liuius: *Locrensibus iussu Hannibalis data pax, vt liberi suis legibus viuerent, vrbs pariter & portus in potestate Locrensiū essent: Societas eo iure staret, vt Pœnus Locrensem, Locrensis Pœnum bello ac pace iuuaret.* Illud etiam quod non ita diù ictum est inter *Danicum* & *Holsaticum*: inter *Turcam*, & *Tartarum*: inter *Venetos*, *Florentinos*, & *Pontificem*: inter *Anglum* & *Gallum*: inter *Pontificem*, *Hispanum* & *Sabaudum*: denique inter *Gallum*, & *Heluetiorum pagos*; cū quibus *Galliæ Rex* sic societatem inijt, vt Reges arbitrio suo exercitum Heluetiorum ad Imperij Gallicani tutelam conscriberent; ac vicissim Heluetijs aduersus hostiles incursiones opem ferrent. Sed, quoniam ad regni tutelam frequentes exercitus ab Heluetijs acciri necesse erat, ne hostes Heluetios à Gallorum societate diuellerent, pensionem mille aureorum in singulas ciuitates libenter spoponderunt, ita enim obligatione ad antidora ad præstandam conuentis fidem obstringebantur: atque hoc est quod Xenophon voluit: *Socios beneficijs afficiendos, vt re exigente, prompti & beneuoli sint.* Ad extremum, ex eadem nota cum superioribus fuit fœdus illud quod inter Illustrissimum Cardinalem *Erardum à Marka*, Principem Eburonum, & *Philippum II.* Regem Catholicum, & vtriusque ditiones ictum est; quippè quo cauetur, si alicuius

Lib. 2. de dict. & fact. Socr.

Anno 1518

cuius

cuius Principis vel Reipub. impreßione alterutrius ſubditi, eorumvè agri inuadantur atque depopulentur, hic alter alteri ſuppetias ferre debeat, dum hoſtiles copiæ finibus fuerint propulſatæ. Sed hoc fœderis genus, ſi æquum maneat, minùs tamen latè patet, neque ad arma (vt loquuntur) extenditur offenſiua.

III. Iam de INIQVO FOEDERE (quod non pro iniuſto, ſed inæquali accipio) paucis eſt dicendum. illud iniiſſe legimus *Lucenſes*, *Parmenſes*, *Genuenſes*, *Florentinos*, dum in *Regis Hiſpaniæ* tutelam ac patrocinium ſe commiſerunt, promiſsâ ei quotannis ingenti penſione. Nam poſt calamitatem Papienſem Francis illatam, omnes Italiæ ciuitates patrocinium Regis Hiſp. magnâ vi pecuniarum mercari cœperunt. *Lucenſes* quidem decem aureorum millibus: *Senenſes*, quindecim millibus: *Dux Ferrarienſis* quinquaginta millibus: ſed hic quidem ſpecie mutui, cùm eſſet in clientelâ Francorum. Tametſi autem PATROCINIVM propriè appelletur, cùm tenues liberam & gratuitam potentiorum clientelam ſubeunt (merces enim officio non debetur) potentiores autem tenuium patrocinium aduerſus hoſtium iniurias ſuſcipiunt: nihilominus tamen nulla ferè patrocinia (vt ſcribit Auctor lib. de Rep.) gratis ſuſcipiuntur: quin interdum tenues inuitis ac recuſantibus patronis penſionem promittunt, vt obligatione neceſſaria quaſi mercede ſoluta, ad opem ferendam teneantur. Quod tamen, an contra decus & maieſtatem Principis ſit, meritò dubitari poteſt. Vndè, cum Saxoniæ Dux Ioannes Philippus Heſſorum Princeps, Mauritius item Philippi gener, & Albertus Iunior Marchio Brandeburgicus, Imperatoris Caroli V. ſeruitute premerentur, ad opes Henrici II. Francorum Regis aſpexerunt: Rex autem ſumma voluntate patrocinium Principum Imperiique Germanici tutelam ſuſcepit, & aduerſus Imperatorem, qui cùm antea concordiſſimè ſeſe geſſerat, ingentem exercitum conſcripſit: ac tantùm abfuit eo nomine pecunias acciperet, vt etiam Ducenta aureorum millia Germanicis Principibus, belli aduerſus Carolum gerendi cauſa magnificè largiretur. Patrocinium quid? *Leg. 1 ff. man. lati.* *Lib. 5. c. 6.*

Notandum tamen, periculoſum eſſe alterius Principis clientelam ſine iuſtiſſima cauſa ſuſcipere: cùm præcipua ſit bellorum omnium, vt idem Auctor ſcribit, materia, ex qua Ciuitatum & Imperiorum conuerſiones ac ſæpiſſimè euerſiones ſequantur. Nam ſubditi à ſuorum Principum fide, ac obedientia diſtracti ſeipſos, & ſua omnia potentiorum arbitrio committunt, vt eoſdem quos illi hoſtes habeant, & amicos, proque eorum dignitate & exiſtimatione neceſſe habeant, æquè ac pro ſeipſis propugnare, & eadem quæ illi pericula ac detrimenta ſubire; victoriarum tamen vtilitates nullas omninò adipiſci. Quod parùm vtique eſſet, niſi etiam inuenirentur, qui vbi ſemel vocati ſunt & admiſſi, haud facilè poſſunt expelli, imitati herinaceum, de quo fabulæ tradunt illum ſemel pluuioſo cœlo à ſerpente in anguſtum antrum admiſſum, ibi commodè ſuos aculeos explicaſſe & ſerpentem offendiſſe, ſerpentique reſpondiſſe, ſi manere nolit abire liceat. Periculoſum cõmittere ſe patrocinio alicuius.

Ita Pyrrhus Rex Epiri, cùm iterata Tarentinorum legatione, additis Samnitum *Iuſt. li. 18.*

tum, & Lucanorum precibus, & se ipsis auxilio aduersus Romanos indigentibus fatigaretur, non tàm supplicum precibus quàm spe inundendi Italiæ Imperii inductus, venturum se cum exercitu pollicebatur. Consimilem in modum Augustus Cæsar Vrbium quasdam Fœderatas patrocinii prætextu libertate priuauit, sibique subiecit, teste Sueto. Aug. c. 47. Denique Lamponium Ducem cum classe in Siciliam missum legimus, vt sub specie ferendi Catanensibus auxilii tentarent Siciliæ Imperium.

*Iust. lib. 4.*

II. Atque vt ad recentiora veniamus, in ipso Germaniæ sinu obuia habemus præ oculis clarissimarum Vrbium fata Cameraci, Tulli, Veroduni, quæ cùm in clientelam Regis Galliæ sese olim dedissent, posteà temporum variante periodo sub plausibili Aduocatiæ aut Protectionis titulo, ab Imperio auulsæ sunt.

*Chopp. de Domanio Franciæ.*

Prædictam tamen propositionem limitârim, nisi Respublicæ sint ita tenues, vt per se stare non possint, nec sese aduersus potentiorum iniurias tueri. Nam vt scribit Ioannes Boterus, *Imperiorum quædam sunt ampla & summa, quædam media, quædam verò infima, quæ cùm propulsandis hostium incursionibus non sufficiant, in sui securitatem necessariò sibi adsciscere debent defensores.* Quod itidem in Neutro fœdere obseruandum in Aphorismis diximus, cùm intermedii sunt impares viribus; tum enim tutius est alterutri se iungere.

*Li. de Illustrib. stat. & pol. li. 1. c. 2.*

Neutrũ fœdus quando inutile.

Nam superior & dignitate & potentiâ, Theramenis cothurnum induere, vt est in prouerbio, & à bellis vicinorum abstinere potest. Aliter atque cùm intermedii viribus sunt inferiores; hîc enim tutius est ad alterutram partem accedere. *Firmemus istud exemplis.*

*Dio li. 41.*

I. Et imprimis MASSILIENSIVM, qui cùm nec *Pompeium*, nec *Cæsarem* recepissent, atque responsum dedissent, *esse socios populi Romani, cæterùm in præsentia neq; curiosè inquirere, neque sufficere ad dignoscendum vtrius eorum causa sit iniusta: proinde si quis amici more ad se venire vellet, vtrumque se absque armis venientem accepturos; sin bello veniant, neutrum*, tandem nauali prælio ab Cæsarianis vincuntur.

*Lib. 4.*

II. Deinde OPTIMATVM MESSENIORVM, de quibus sic Polybius: *Habito*, inquit, *ad priuata commoda respectu, affectatiùs semper quàm decebat, animos ad pacem inclinabant. Quamobrem multas sæpè occasiones atque opportunitates temporum nacti, aliquando verè in pericula incidentes, eodem modò continuè labebantur: semperq; idem propositum seruandæ pacis habentes, in maxima sæpè discrimina patriam adducebant. Cuius rei causam hanc arbitror fuisse, quod cum duabus præcipuis Græciæ gentibus vicini essent, Arcadibus, ac Lacedæmoniis, quorum his semper inimici fuerant, illis fœdere amicitiaq; coniuncti, ac Lacedæmoniorum tamen se hostes apertè ostendebant, nec Arcadum amicos. Ex quo fiebat, vt cùm prædictæ ciuitates, vel inuicem vel aduersus alios bella agererent, Messenij pace fruerentur. Lacedæmoniis verò, pace cum cæteris facta in Messenios impetum facientibus, cùm neq; ipsi per se resistere illorum potentiæ valerent, neq; arcadum auxilio, quorum amicitiam conseruare nesciuerant, se tueri, vel seruire turpiter Lacedæmoniis cogebantur: vel vt seruitutem euitarent, cum coniugibus filiisq; patriam relinquere.*

III. Et

III. Et Patrũ memoriâ, FLORENTINI: qui cùm à Francorum societate disciuissent, neque Imperatorem sequerentur, neque itidem Angliæ vel Hispaniæ Reges in Francorum Regem sociatos, tandem potentiorum & victorum arbitrio parere coacti sunt. *Guicciar. lib. 11.*

IV. De Rege ALPHONSO, & SENENSIBVS exemplum nectatur. Hi cùm neutram partem quodam Italico bello sequuti essent, atque tandem vtraque factio agrum eorum depopulata esset, Rex tum suis dixit. Senensibus idem quod iis, qui mediam domus partem incolunt, accidisse; Incolæ enim eiusmodi, vt plurimùm ab inferioribus fumo, à superioribus lotio vexantur. *Panorm. lib. 4.*

Sic FERDINANDVS Rex Arragonum, vt astu *Petrum* Regem Nauarræ Imperio spoliaret, nihil priùs habuit, quàm vt illum à Francorum societate seiungeret, vt tandem ab omnibus desertus facilè opprimeretur. Itaque verum est illud Quintii apud Liuium: *Nam quod optimum esse dicunt, non interponi vos bello: nihil tam vanum, imò tam alienum rebus vestris est: quippe sine gratiâ, sine dignitate præmium victori eritis.* *Lib. 35.*

Pluribus hæc confirmarem exemplis, nisi Auctorem lib. de Rep. viderem id accuratè præstitisse, qui quidem post illa, notandam subiungit cautionem pro iis qui seiungi volunt: nempè vt si infirmiores sint isti, finitimorum Principum secessionis consensum accipiant: ita enim fiet, vt ipsi facilè Imperium suum sine victoris metu tueri valeant. Hac ratione *Lotharingi, Allobroges, Burgundi,* liberâ pace ac tranquillate floruerunt: quamdiu à bellis finitimorum Principum, & quidem eorum consensu, abstinuerunt. Ac cùm primùm Dux Allobrogum Hispanis se adiunxisset, Imperio ac potestate à Francis exutus est. Differt tamen distatque plurimum is, qui nec hostes habet, nec socios, ab eo qui vtrarum partium contendentium communis est amicus: hi enim longè sunt securiores aliis, & sese tueri possunt sine periculo victoris, & conditionibus pacis amicorum vel hostium, si qua ineantur, comprehenduntur, quod consilium Ciuitatibus maximè imperialibus conuenit. *Lib. 5. Rep. cap. vlt.* Cautelæ pro his, quibus placet fæcus Neutrum.

Multùm etiam interest, an hi qui seiungi volunt, vicini sint vtrisque dissidentibus, an etiam alterutri tantùm, priore euentu minùs periculosum erit, si fœdus Neutrum ineant, cautione antè data: altero, planè intutum est remotiori, etiam altero fortiori, se seiungere: quòd alter ex facili te opprimere possit, vt experimento didicit *Henricus* Rex Nauarræ vicinus Regi Arragonum, qui vt sese coniunxit *Ludouico XII.* Gallorum Regi, mox *Arragono* præda extitit. vt & *Carolus* Dux Allobrogum iungens se *Carolo V.* Imperatori bellum cum *Francisco* I. gerenti, cuius vt se inimicum declarauit, continuò ab eo bonis omnibus & ditionibus spoliatus est.

Addunt & alii aliam cautionē, quam tamen minùs probē: Nempe *societatem alterius palàm induere, ad alterū per occulta & fida magis inclinare* Ita Ætotos callide quondam fecisse Liuius scribit, *dum inuentum aduersus suos socios, publica tantū auctoritate dempta, ar-* *Tacitus lib. 12.*

Tac. l. 12. lib. 6. *pta, arma gerere permiserunt, & contrarias sæpè acies in vtraque parte Ætolica auxilia habuerunt.*

At enimuerò, danda est opera, vt claris aptisque verbis fœdera concipiantur, neque temerè paciscentibus credant: nonnulli enim pro suarum actionum fundamento fraudem, simulationemque *syncretismum* ponunt: vnde rectè Vegetius, *frequentius conuentionum pacisq́; simulatio credulis, quàm arma nocuerunt.* Attendamus quorum fidei nos credere debeamus, quibuscum ingeniis negotium habeamus: quod Abimelech in Abrahamo, Gen. 21. v. 22. Iudæi cum Romanis. 1. Machab. 8. Athenienses in Archiuis & Thebanis Cor. Hep. diligenter obseruarunt, dum fœdera cum illis inire vellent.

Religio spectanda in fœderibus; cū hæreticis non in eunda.

Porrò, dixi etiam *socios assumendos eiusdem Religionis*: tùm quia nequaquam licitum est cum Infidelibus, aut Hæreticis fœdus inire (quod vt sit intelligendum, paulò post ostendemus) tùm quia, vt antè dixi, societas talium fœderum haud diuturna est, utpotè minus fida. Nam vt Io. Salesberiensis Episcopus Carnot. inquit, *quomodo seruabit secundam, qui primam fidem irritam fecit?*

I. Quotusquisque nesciat quàm graui atrociq; pœnâ regnorum ipsorum, regentiumque interitu, fœdera populi sui Deus cum Palæstinis, cum decem tribubus, Syriis, Assyriis, Ægyptiis irrita fecerit? sed hæc sigillatim infrà deducentur, præmittamus primùm quod in Gallia occurrit exemplum.

Frod. Hist. Rhem. l. 4. cap. 5.

II. Carolum cognomento Simplicem Francorum Regem reprehendit *Fulco* Rhemensis Ecclesiæ Præsul, quod fœdus cum *Northmannis* ferre vellet. Premebatur Carolus, potentia *Odonis* Comitis Parisiensis, quocum varia bella gesserat, deque regno diù decertârat. Viribus ad extremum destituitur, nulla salutis spes allucet, nisi à *Northmannis*, qui tùm temporis Gallias, ac potiùs Christianismum fortiter debellabant. His se iungere certis conditionibus parat Carolus, vt ne ab *Odone* competitore regno exigatur. Quid intereà *Fulco*? assentitúrne prauo Regis consilio? Nequaquam, nisi acriter monet dehortaturq; ne faciat, verbis quidē memoratu dignis: *Quis*, inquit, *qui vobis sicut oportet fidelis est, non expauescat vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem, ac ruinam nominis Christiani pagana arma, ac fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat, vtrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola adoret. Nam, si vt ait Apostolus, bonos mores colloquia praua corrumpunt, quanto magis corrumpitur castitas animæ Christianæ inimicorum consiliis, & societate? Neque enim poterit non imitari, quod assiduè viderit, quin potiùs assuescet paulatim, quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus. Certè progenitores vestri Reges, deposito Gentilitio errore, diuino cultui sese humiliter subdiderunt, & à Deo semper auxilium expetierunt, propter quod & fœliciter regnauerunt, & Regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vbi è contra, nunc Deum relinquitis (dicam certè licet nolens, quia Deum relinquitis, cùm vos eius hostibus societatis) vndè, & meritò, prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem Israël similia facientem directa est*: Quia impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris, ideircò iram Domini merebaris, &c. *Et certè cùm deberetis malis præteritis terminum*

*num ponere. & rapinis, & deprædationibus pauperum renunciare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere: nunc ad maiorem iram Dei prouocandam his, qui Deū ignorant, & in suâ feritate confidunt, vos coniungitis. Credite mihi, quia sic agendo nunquam ad Regnum peruenietis, imò velociter disperdet vos Deus, quem sic irritatis.* Hactenus insignis, & cordatus ille Rhemensium Præsul, cuius doctrina cùm sit conformis traditioni sanctorum aliorum Patrum, planè idonea est quam in pretio habeant Principes Christiani.

III. Pari libertate cum eodem *Fulcone* Præsule vsus est, *Petrus Damiani*: *Si quis,* inquit, *honestus ac pudicissimus thalamis tuis inferre moliretur iniuriā, quis necessarius tuus, quis domesticus auderet illi familiaritate coniungi? Quis illorum præsumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergò homo cum aduersario Domini sui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto sublimitas tua illi communicare non timuit, qui sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, quasi per obscœni lenocinij stuprum violare præsumpsit? Dei quippè inimicus esse conuincitur qui eius inimico in amicitiæ sociatur.* Hæc ille. *Lib. 7. ep. 10. ad Gothifridum Ducem.*

Nihil facit ad rem, quod nonnullæ obstipæ mentes obiiciunt, Abraham sanxisse fœdus cum Abimelech: quia imprimis Abimelech non fuit infidelis, teste Ambrosio *lib. 1. de Abraham c. 7.* Et vt fuisset infidelis, nihil aliud, illo fœdere expressum fuit nisi, *ne noceas mihi, & posteris meis, stirpiq; meæ, sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduena.* Quibus verbis videt lector pactas fuisse potiùs inducias, quàm fœdus cum infidelibus.

Similis fuit pactio Iudæorum cum Spartiatis inita. Nam Spartiatæ diù ante bella Machabæorum vltrò Iudæis significauerant, *inuentum esse scriptum de Spartiatis & Iudæis, quod essent de genere Abraham*: quibus idcircò tanquam consanguineis bonorum suorum societatem benignè offerebant, quemadmodum libri Machabæorum docent.

Hanc ergò fraternitatis memoriam, ne fortè morâ temporis intercideret, Ionathas & posteà Simon renouauit, sed ita tamen vt expressè dicerent, se neque societate eorum, & amicitiâ, quâ præuenti fuerant, indiguisse, nec eorum operâ vti voluisse. videatur Sacer Codex lib. 1. Machabæorum. 5. 12. & 14. & quæ scribit D. Armacanus in Mart. Gall. lib. 2. cap. 33. vbi acutè refutat alias item obiectiones.

IV. Addam insuper adhuc vnum è sacris petitum exemplum, nempè de *Iuda* Machabæo, quem notat scriptura primum omnium societatem cum Romanis iniisse; at eundem primum etiam infœlici interitu pœnas dedisse. Nam eo ipso anno ac pænè mense, antequam vel legati Româ redijssent, ipse Iudas cum flore exercitus prostratus est, vnus fratrum interfectus, alii duo, Ionathas & Simon veluti exules, per desertum pulsi, tota Regio cum Vrbibus, & præsidiis in Demetrii potestatem tradita; *taliſq; facta tribulatio in Israël qualis non fuit ex die illa, quâ non est visus Propheta in Israel.* *1. Mach. 9.*

V. Recurramus ad profana. IOANNES PALÆOLOGVS Imp. Orientis, bellis conflictatus per plerosque Græciæ Principes, cum *Amurate I.* confœderatio-

nem iniit, qua ex re aditum ad ipsam Europam illi aperuit, simulque Græciæ toti cladem longè maximam importauit. Nam audaciâ Principum repressâ, Turcæ in Vrbium Græciæ præsidio remansêre, & insuper captus AMVRATES regionis amœnitate, oculos ad Europam adiecit, in quam se cum LX. hominum millibus penetrans Philippopolim, dein Adrianopolim, aliasque Vrbes loci ingenio munitissimas occupauit.

VI. Taceo MANVELEM PALÆOLOGVM eiusdem oræ Imperatorem, ALPHONSVM NEAPOLITANVM in bello contra *Carolum VIII.* Galliæ Regem, aliosque Principes Christianos, quos non attinet commemorare, ne successorum hæredumvè pudorem (si qui tamen supersunt) videar prouocare. Tantùm dico eiusmodi fœdera, neutiquam illis benè cessisse: & vt ab aduersariorum impetu sese defenderint, aliasque Vrbes fortè, vel arces infidelium istorum ope ab aduersariis occupârint, honesti tamen, & æqui rationem intuentibus (quæ Principibus semper attendenda) nihili hæc esse, præ infamia, quam ex eiusmodi barbarorum societate sibi accersiuêre.

Videat Lector, quibus malis implicuerint se & nonnulli tales, qui cùm præferant nomen Christiani, & si quid vlterius est, fœdere tamen se iungunt cùm hæreticis & Christiani nominis hostibus. hæccinè est politia Christiana? hæccinè prudentia? Christum negligi, eius religionem contemni, hæreticis adsistere quò vires alterius Catholici Principis succidantur, euertantur? Illius Regni profectò dolenda est fœlicitas, quæ secura esse non potest, nisi hæreticorum viribus fulciatur. *Quis non expauescat vos*, inquiebat FVLCO Archiepiscopus Rhemensis ad Carolum Simplicem *Dei inimicorum amicitiam velle, ac in cladem, & ruinam nominis Christiani, pagana arma, & fœdera suscipere detestanda? nihil enim distat vtrum quis paganis se societ, an abnegato Deo idola colat.*

Ep. 36. & 45. 52. 325. 342. Vix octo aut decem annis ante memoratum Fulconem, IOANNES VIII. Romanus Pontifex, cùm quidam Italiæ Principes rebus & commodis suis seruientes cum Saracenis fœdus percussissent, vt eorum viribus neglecto Ecclesiæ detrimento, res suas constabilirent, diuersis Epistolis ad eos exaratis fœdus illud tanquam grauissimum scelus execratus est. Vocat enim diuersis in locis, *impium, infandum fœdus, quod cum Saracenis pepigerant, profanum fœdus cum inimicis Dei, impium pactum, impium scelus, societatem ad perditionem animarum, immane profundum.* Insignia fœderis initi cum Dei & Ecclesiæ hostibus epitheta.

Denique, ante FVLCONEM & IOANNEM VIII. Pontificem Max. idem totius Ecclesiæ in aliis sanctis sensus fuit. Nam quadringentis annis antè, S. Chrysostomus, vel quisquis auctor Operis imperfecti in Matthæum, cùm Historiam, & fœdus Iosaphat cum Achab impio percurreret, *Vides*, inquit, *quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere. Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supra dicta historia de Asa: quòd verò nec dare, instruit nos hæc scriptura de Iosaphat. Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, vtiliores sibi existimans inimicos*

*micos Dei, quàm Deum, Qui autem dat auxilium inimicis Dei, aduersatur Deo: Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat.*

Ex quibus documentis & exemplis patet nequaquam licere si, ac ne quidem expedire Principi Catholico fœdus, & amicitiam inire cum infidelibus, vtpotè quod inuisa & intuta sit illorum societas, vt hactenus ostensum est.

Verùm, quia ab exemplis non est iudicandum, disquiramus an Iurisconsulti admittant ista fœdera. nam primùm quod mussitant nonnulli, dari causas ob quas reges fœdera cum infidelibus & hæreticis licitè contrahant, vtpotè si cum illis agant non vt hæreticis, sed quà Principibus, & si quod bellum gerant non esse aduersus religionem, illudque esse extra suam intentionem atque per accidens, id insulsum est. Sed quid ad eam obiectionem respondeant D. Armacanus in Mart. Gall. videat qui volet ipsum lib. 2. c. 13. & 14. vt & D. Fran. Zipæum in suo Hiatu. Itaque ad priorem quæstionem propositam nos accingamus, & quid Iurisconsulti respondeant videamus.

Prima opinio fuit Oldradi Iurisconsulti, scribens, si bellum fuerit iustum posse Principem auxilio infidelium vti, illosque ad sui defensionem vocare, quæ sententia fundatur in necessitate, siue necessaria sui defensione, ex l. 3. §. eum igitur ff. de vi, & vi arm. l. Vim vi ff. de Iust. & iure. Cùm enim aliter se tueri non potest, tùm illi licet, inquit, infidelium opem aduocare. Secunda fuit Antistitis Cuneri, & Molani Theologi Louaniensis, nimirum eo euentu licere fœdus cum infidelibus ferire, si illi dissiti sint, nec periculum sit, ne cæteri prauâ illorum religione contaminentur. Tertia fuit B. Antonini, qui ad hoc, vt Princeps infidelium suppetiis vti possit, tres requirit circumstantias. Prima, vt bellum, inquit, non vigeat cum infidelibus, aut actiue, aut passiuè. Secunda, vt adsit summa necessitas, eaque ineuitabilis. Tertia vt bellum sit iustum. Quartam circumstantiam addit Celsus Mansinus, nimirum, vt bellum non sit cum Principe nostræ legis. Hæ vbi concurrunt circumstantiæ, verum erit, inquit, licere Principi Christiano fœdus cum infidelibus pacisci. Id quod probari potest varijs sacræ paginæ testimonijs, quibus clarè docetur, Regibus illis, qui sub lege Moysis vixerunt, non fuisse à Deo interdictum, quò minùs cum infidelibus aduersus infideles belli societatem inirent, nisi eo in euentu quo fideles oppugnabantur. Hinc in libris Machabæorum legimus *Iudam* virum sanctum fœdus pepigisse cum populo Romano Iudaicæ alioqui Religionis exoso. Sic *Ionathas*, qui mortuo Iuda, populi illius Dux fuit cum Demetrio pepigit fœdus, & milites electos auxiliares ei misit. Ecce, viri isti sancti ad infidelium amicitiam se conferunt, fœdera ineunt, societatem contrahunt, nec in diuinam tamen reprehensionem incurrunt. quod contrà euenit, cùm aduersus fideles auxilia infidelium aduocantur: hîc enim acriter à Deo reprehensi fuere eiusmodi fœderum, & societatum auctores; vt suprà ostendimus.

*3. part. Sent. tit. 4. c. 2. §. 4.*

*Li. 6. de Iurib. Princ.*

*8. Matt. 1. Cap. 11.*

Nec officit Oldradi sententia, ratioque per eum adducta : quia leges humanæ non sunt attendendæ, cùm iuri diuino contrariæ sunt vt profectò sunt, in hoc articulo, vtque constat 2. Paral. 19. Deuteron. 7. Ios. 9. aliisque sacræ Scripturæ locis.

Non mouet quoque Molani, & Cuneri distinctio : quia nullis Scripturæ sacræ testimoniis comprobatur, & vt probaretur, liceretque cum infidelibus, vel hæreticis procul à nobis dissitis fœdera inire, neutiquam tamen expediret. Nam quid, quæso, iuuabit fœdus ferire cum dissita aliqua gente ? quî etiam fieri poterit, vt miles, qui suaptè ingenio parùm religiosus, optimam Religionem non excutiat, frequenti hæreticorum contubernio ? præterquàm quòd non tàm adiutores sunt isti, quàm proditores, fœdifragi, & perfidi, vt Basilisci Imperatoris exemplo docet Baronius, & nos abundè exemplis suprà ostendimus, docetq; multifariam Gallia, Germania & ipsum Belgium, è quo petamus exempla, quæ suppeditat D. Armacanus doctissimus Theologus in suo Marte Gallico.

*An. Tom.* *Li. 2. c. 26.*

*An. 1576.* I. Vix *Pacificationem Gandensem*, inquit, rebelles hæretici pacti fuerant, in qua religioni Catholicæ vtcumque cauebatur, cùm Monasteria in Monte S. Gertrudis, alijsque in locis, solo æquârunt.

*An. 1578.* II. *Gandaui*, vbi conceptæ Pacificationis leges, fugato Clero, templa, Monasteriaque fœdissimè spoliata, & plerique Pacificationis articuli pessumdati.

III. *Antuerpiæ* eodem an. 1578. PAX RELIGIONIS (quam nuncupabant) generaliter coaluerat, quâ libertas Catholici cultus, itemque Caluinistici publicè in Belgio sanciebatur, cum ecce eâ vsi Caluinistæ, multis in locis publicè suæ superstitionis apparatum protulerunt, ædesque sacras occupârunt. Vbi inualuerant, mox palàm Catholicos depresserunt.

*An. 1578.* IV. *Amorsfortia* oppidum exiguum, sed auitæ fidei tenacitate nobile, bis pacisci de Religione compulsa fuit; bis eos periuros, & fœdifragos experta. Primùm se dedidit Comiti Montensi, & illius præsidium accepit, eâ lege, *vt Catholica Religio sarta tecta conseruaretur, omnisq; iconomachia cessaret* : quod Præfectus, in editiori loco stans, publico iuramento, inuocato Spiritus Sancti Numine, iurauit. Sed ille ipse periurus cum suis, paulò pòst omnia templa superioribus annis ab Iconoclastarum impetu defensa, diripiunt, aras euertunt, & sacra profanis miscent. Iterum
*An. 1579.* septennio post dedita est Vltraiectensibus, acceptis conditionibus *de conseruandis priuilegijs, promissaq; liberaliter Catholicæ Religionis conseruatione.* Itaque medio in foro patibulum excitatum, ex quo pœnas luerent qui in Catholicos insolescerent. Nam sequenti die, contra pacta præcedentis, Senatum mutant ; Prætore officio submoto, alium surrogant, libertas Catholicæ Religionis in præsentem vsque diem exulat.

*An. 1571.* V. *Schonhouia* cùm à Comite de Marck obsidione premeretur, *Vitam, fortunas, Catholicæ Religionis liberum exercitium, Religiosorum locorum, personarumq; priuilegia in arce Lisueldiâ cum hoste pacta, deditionem fecit*, Ille periurus vndecimo Kalen. Nou. templa pro-

pla profanãs, Ecclesiasticam supellectilem diripiens, aras subuertens, Sacramenta sceleratis pedibus conculcans, omnem Catholicæ Religionis vsum exterminauit. Mox Religiosos Monasterij suburbani Canonicorum Regularium, alios vulneribus inflictis interemerunt, alios suspensos strangularunt, alium equinæ caudæ alligatum, raptatumque, deinde antennâ sursum, deorsumque immaniter tractum suffocârunt.

*Anno 578 5. vel vt alij 8. Ianuar.*

VI. *Amstelrodamum* quando in potestatem hostis Hisp. venit, ita Religioni antiquæ lege cauerat, vt nequidem concionibus Caluinistarum in Vrbe tota pateret locus, sed *vt his, qui aliâ essent Religione à Romana, facultas esset extra Vrbem cœtus habere, & concionari, mortuos suos loco designando sepelire.* Nihilominus mense Iunio sequente, tanta strages in ædes sacras, altaria, imagines, edita, & in sacra tot commissa sacrilegia, vt furori, & perfidiæ barbari palmam concederent. Ipsi Catholici tot scommatibus iniurijsque vexati, vt Vrbe cedere satius ducerent.

*Anno 1578 Iunio ineunte.*

*Anno 1577*

VII. *Harlemenses* hac inter cæteras se conditione tradiderunt, *Vt Ciues Catholicæ Religionis publicum vsum retinerent, Caluinistis vnam Ecclesiam habendis cœtibus, & Concionibus concederent.* Vtrimque pactum ab Antistite Harlemensi, & Orangio subscriptum est. vix anno elapso, festâ sanctissimi Sacramenti die in templum irruunt, Antistitem capiunt, Clerum pulsant, partem vulnerant, vnum occidunt; & tandem oppressum Catholicæ Religionis exercitium.

*Anno 1578*

VIII. Sed fortè nouæ Religionis musto in cordibus tunc feruenti vestigio illa infidelitatis & scelerum tribuenda est. Videamus igitur, quàm bellè sibi similes adoleuerint. *Neomagum*, cùm iam illa initia deferbuissent, in deditionis articulis, quos pepigerat, vnum obtinuerat, *Ne Ecclesiæ violarentur*, etsi negatâ Catholicæ Religionis libertate, Sed Kalendis Ianuarij designati ex Geldriæ Senatu viri, veterem Magistratum abdicant, Monachos fugant, Sanctorum effigies in forum productas per carnificem comburunt, Decanum, & Canonicos captos ad Ecclesiarum opes demonstrandas adigunt.

*Anno 1592*

IX. Decennio post, *Grauia* Francis adiutoribus expugnata, & duabus inter cæteras pactorum legibus tradita est. Quarta erat: *Quibuslibet, siue viris, siue fœminis, siue Ecclesiasticis, siue Laicis, qui Catholicam Religionem profitentur, licitum erit in oppido commorari, tranquilleq; viuere, sine iniuriarum, & exprobrationis metu. quibus, & Ecclesia concedetur, deuotioni eorum, baptismi, & matrimonij celebrandi causâ.* Quinta verò: *Omnes Monachi, & Religiosæ in Monasterijs suis permanebunt, si placuerit, suisq; fruentur bonis, ac reditibus.* Sed qui promissis manserint, euentus docuit. Plura videto apud eundem D. Armacanum.

*Anno 1592 20. Septē.*

X. Sed quid alienis & remotioribus vtor exemplis? Nunquid sæpissimè experimento didicimus quàm infida sint cum hæreticis pacta conuenta? Nunquid non Religiosos contra Pacificationem, vt loquimur, extorres reddunt, templa inuadunt, aras profanant, hostilia patrant, bonis fortunisque omnibus spoliant & priuant?

Sed redeo vnde diuerti, & ex his rationibus atque exemplis concludo *assumendos esse in fœderum societatem eos qui orthodoxâ fide prædıti sunt.*

Nec id tantùm: sed *vt paribus legibus fœdere copulentur*: *alioqui videndum, ne pro auxilio seruitus imponatur.*

I. Ita HISPANI potiti sunt Siciliâ & regno Neapolitano dum non æquis, & paribus conditionibus contra Gallos aduocantur. Nam Hispani oppressis incolis, & exclusis Gallis, regnum Neapolitanum & Siciliam sibi subiecerunt.

II. Ita & GALLIÆ Reges, cunctis notissimi historijs, conducti stipendijs contra *Normannos*, oppressis Regibus antiquæ stirpis Caroli Magni, inuaserunt regnum, illudq; posteà propagârunt in stirpem suam longâ serie ad hos vsq; Reges.

III. Denique LVDOVICVS SFORTIA, dum bellum gerit contra *Ioannem Sfortiam* suum nepotem, temerè aduocat Gallos contra Hispanos, qui à partibus sui nepotis stabant. Sed Galli potiti Ducatu Mediolanensi; Ludouicum postea in Galliam abductum, carceribus mancipârunt.

Maiestatis iura excipi debent iniquo in fœdere, quæ renouari debent nouo Principe.

Verùm, huic insidiarum incommodo (cui obnoxia sunt inæqualia fœdera) occurri solet, si *maiestatis iura* (quæ alioqui omissa intelliguntur) *in protectionis litteris excipiantur*. Quæ quidem litteræ, quò omnis soluti fœderis prætextus adimatur, à nouo Principe confirmandæ veniunt.

I. Atque hinc est quod METENSES mortuo *Henrico II.* Francorum Rege protectionis litteras à *Carolo* Henrici filio confirmari petiêrunt; non quidem vt ab hostibus tutiores essent, sed vt iure majestatis, ac libertate suâ vti frui liceret. Eademque ratione HELVETII nuper societatem, quâ pridem cum Gallis iuncti sunt, ab *Henrico IV.* Christianissimo Rege renouari curârunt: imò, vt veriùs loquar,

*Anno* 1602. Henricus ipse IV. eiusmodi fœderis renouationem ab Heluetijs postulauit, quam etiam obtinuit, non sine Principum æmulorum indignatione.

Secus summo iure. *Lib. 1. c. 6. a c. 1. de Probat. ibi DD. c. quia iuxta 16. q 1. Ias. l. 1. nu. 14. de Consti. Princ.*

Quanquam certè, si iuris scripti rationem intueamur, patrocinium non morte clientis, aut patroni soluitur, (vt non rectè sentit Bod.) sed in successores deriuatur, & (vt cum nostris loquar) perpetuatur. Siquidem publicæ conuentiones, quæ non nomine proprio sed Reipub. ineuntur, obligant, ex eoque contractu teneri Principem (cui tamen successione Principatus defertur) quem teneri, dicendum est, & fœderatos fœdere adstrictos manere.a

I. Hac ratione nuper *Henricus IV.* Galliæ Rex liberam Geneuæ restitutionem Sabaudo recusabat, quòd pacta decessorum suorum, qui in patrocinium ditionem illam susceperant, sarcta & tecta seruare teneretur.

*Anno* 1604. II. Hinc perpetuum illud fœdus, quod non ita diù initum est inter Ducem Brabantiæ, Hispaniæ, & Angliæ Reges, successores etiam eorum (etiamsi eo fœdere comprehensi minimè fuissent) obstrictos tenere rectè existimârunt.

*Dio Halicar. 3. & 4 de Antiquit Rom.*

III. Non igitur fuit legitima causa rebellandi *Veientibus* & *Fidenatibus* regnante TVLLO HOSTILIO; neque *Latinis*, regnante TARQVINIO PRISCO, qui post *Anci* obitum se religione fœderis solutos existimabant: neque *Hetruscis*, qui defuncto

functo TARQVINIO PRISCO, cuius Imperio se submiserant, nolebant amplius stare conditionibus fœderis. Et iure Romani *Perseo* bellum intulerunt, qui Legatis ipsorum, fœdus cum Philippo patre ictum, ad se nihil pertinere respondit. *Liu. li. 24.*

Deindè Insidiarum ansam defugimus si caueatur, vt *breui temporis interuallo patrocinium terminetur*: Nam si graue videatur, mutari; sin honestum, & vtile, poterit continuari. Fœdera iniqua breui tẽpore terminanda.

I. Hinc VALESIACO fœdere, quod ictum est inter Heluetiorum quinque pagos, & Valesios, postremo capite placuit, decimo quoque anno fœdus renouari. Item cùm octo ciuitates Heluetiorum societatem sempiternam coirent anno 1481. vno capite cautum est, quinto quoque anno vt renouaretur. *Bod. d. c. 6.*

Postremò cauendum dixi, *ne patronis Castella, vel Oppida præsidio militari munienda tradantur.* Nec concedenda Patronis opida vel arces proprio milite munienda.

I. In quo sibi probè cauerunt SCOTI anno 1559. cùm in Anglorum patrocinium venirent, ne Anglis arcem vllam in Scotia habere liceret, quin potiùs obsides Scotis darentur, quos renouare sexto quoque mense licitum esset.

Sed & illud obseruandum est in Impari seu Iniquo fœdere, vt *Protectionis litteræ claris & liquentibus verbis concipiantur*: cùm sæpè ex verbis obscuris, aut ambiguis, maxima periurio latebra præbeatur. Denique claris, & apertis verbis fœdera facienda.

I. Sic CAROLVS V. Imperator subtili solertiâ litteræ vnius discrimine vocis *Evvich*, negare se dixit, quæ affirmare putabatur, cùm se Principes Germanorum carceribus erepturum scripsisset. Germaniæ nobiles ita sibi cauerant, *sonder enige gefanknuss*, citra aliquem carcerem: Hispani, vt volunt nonnulli, mutatâ litterulâ efficiebant, *sonder evvige gefancknuss*, citrà perpetuum carcerem. *Zenoc.*

II. GEORGIVS autem CORNARIVS, Patritius Venetus, qui fœderis cum Rege *Francisco* percussi verba non poterat, sententiam, vt plerique autumant, malitiosâ iuris interpretatione corrupit: quia cùm ex fœdere auxilia vtriusque Imperij conseruandi causâ vicissim promissa fuissent, ac *Franciscus* de Prouincia Mediolanensi depulsus esset, negauit ille auxilium deberi, quasi fœdus ictum esset de retinenda ac tuenda possessione; non etiam de recuperanda, si amitteretur. *Bemb.*

III. Eiusmodi fuit calliditas eius, qui, cùm triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, noctu populabatur agros: quòd dierum essent pactæ, non noctium induciæ. *Cic. 1. de Off.*

IV. Denique, consimile fuit vaframentum Q. FABII LABEONIS, quem ferunt, cùm à Rege *Antiocho*, quem bello superauerat, ex fœdere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes secuisse, vt eum totâ classe priuaret. Cæterùm, huiusmodi solertia probis ac magnanimis Principibus fugienda. *Semper enim in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum.* *Val. Max. lib. 7. cap. 3* *Cic. 1. de Offi.*

Priusquam Caput de fœderibus claudam, lubet quærere, an fœdera inire possint

sint Subditi, cum aliquo Principe extero absque sui Superioris auctoritate? Hæc quæstio ita soluitur. Fœdera & pacta quæ ad bonum finem, & conseruationem salutis, & incolumitatis publicæ contrahuntur, licita sunt etiam sine Superiorum auctoritate. Minsingerus Cent. 6. obseru. 2. Farinac. pract. nu. 4. quæst. 113. Martinus Magerus de Aduocatia Romana, cap. 6. tit. Protectores eligere, & constituere quinam possint nu 197. pag. 214. vbi inquit, quod anno 1567. quidam Barones, & Comites Germaniæ propria auctoritate se confœderârunt, ob mutuam suam, suorumque defensionem, nec Imperatore, neque quouis alio contradicente, quod ipsum etiam extendit ad Ciuitates Imperiales, aliosque Imperij status immediatos, quibus etiam ante auream bullam ius habuisse ineundi fœdera, scribit Wesemb. consi. 48. nu. 23. part. 1. vbi ait licere Vniuersitati protectionem ab alio quàm Superiore quærere, etiamsi alioqui sit sub aliquo Episcopo, vt contra iniustam vim defendatur, licet non propterea Episcopus amittat Iurisdictionem suam; Magerus d. cap. 6. nu. 246. & 248. qui nihilominus nu. 296. contrariam tuetur sententiam, dicens nequaquam licitum esse subditis inscio, aut inuito Domino suo, in protectionem alterius potentioris se dare, quod probabilius est. Nam sicut Dominis non licet subditos inuitos alienare, ita permissum non est subditis alienorum auxilia quærere, ac Superiore inuito se tutelæ alterius committere, ex quo illi non mediocre inferatur præiudicium; Rol. à Valle, consi. 29. vol. 1. nu. 6 vbi tradit Ciuitates recognoscentes Superiorem, non posse aliquid statuere in præiudicium præeminentiæ, & potentiæ Superiorum. Hîc autem præiudicium Superioris in eo versatur, quod Proceres soleant pacisci annuam mercedem cum suis clientulis, ex quo fit, vt isti facilè facultatibus labantur, eorumque bona ex causa patrocinij alieni, exhauriri contingat, id quod summo præiudicio Dominis cedere potest. Sed hæc resolutio negatiua, non licere scilicet subditis inscio Superiore protectioni potentioris se dare, cessat, quoties subditi ob iustam, & necessariam causam alterius patrocinium implorare coguntur, quod fit primùm, si Magistratus Ordinarius eos deserat & defendere nolit, quia propter imminens periculum non solùm à communis iuris regulis receditur, sed etiam iuris prohibitiui, vt loquuntur Iurisconsulti, Iason ad l. de pupillo §. præterea ff. de noui oper. nuntiat. Gigas de crim. læsæ Majest. lib. 1. quæst. 56. quo in loco scribit subditos Imperatore, vel alio Superiore negligente eos defendere, alteri Domino potentiori se submittere posse, qui eos defendat, & vim hostium propulset; Felin. in cap. Cæterùm, de Iud. vbi ex illo textu infert, si aliqua Ciuitas subiecta Imperio molestias belli sustineat à potentioribus, & implorat auxilium Imperatoris, nec sit aliqua spes de auxilio per ipsum mittendo, tunc licitè, & absque metu periurij se posse alteri submittere, propter scilicet rogatam, nec habitam defensionem ab eo qui regere, ac tueri subditos ab iniurijs debet. Mager. nu. 345. citans quendam Thoming. consi. 13. nu. 45. qui per hanc limitationem excusat Albertum Teutonici

nici

nici ordinis Magistrum, quod omni auxilij spe destitutus Prussiæ Prouinciam, Regis Poloniæ potestati submiserit, & omnibus belli neruis seipsum etiam exhaustum in eiusdem Regis fidem, ac clientelam contulerit. Itaque negatiua ista assertio rectè limitatur, vt tunc illa locum habeat, quando subditi nullo modo expectant auxilium, & iustè metuunt Superiorem nolle, aut non posse eos defendere; eo enim casu licitum est subditis ad tutelam potentioris confugere, etiamsi non sit proximè superior, sed vicinus exterus, qui propter loci vicinitatem aut potentiam aliasvè rationes, meliùs præsenti malo occurrere, ac tueri clientes possit, Mager. d. cap. 6. nu. 347. & 348. pag. 226.

At in Imperio, scimus statutum esse, quòd Electores Principes ac Status Imperij sine consensu annuæ congregationis, vt habetur in pace Publica Imperij anno 1495. (cuius Cæsar caput est) nullum fœdus vel coniunctionem, præsertim cum exteris Potestatibus ferire debeant, quæ in præiudicium Imperij vergere queant. videat Lector, si volet, Franc. Zipæum Officialem & Archid. Antuerpien. in suo Hiatu obstructo lib. 3. cap. 14. qui pleniore manu istâ tractat. In dubio tamen istæ confœderationes semper præsumuntur illicitæ. Mynsing. Obser. Imp. Camer. Cent. VI. Obser 2. nu. 2. Verùm ad alia nunc transgrediamur.

---

## CAPVT XII.

*Cic. 1. de Offic.*

## *Iam* Fides *subijcienda: dictorum, conuentionumq; constantia, & veritas.*

NEMO est, opinor, tam obstipæ mentis, qui non videat **Fidem** præcipuum maximumque esse fulcrum, per quod stabilia, æternaque redduntur Imperia. Nam si quid est, quod communem vitæ societatem stabiliat, quod commerciorum inter homines vsum introducat, quod populos amicitiæ fœderibus inter se iungat, quod aditum magna capessentibus præstet, hoc certè facit Fides, *Sanctissimum* (vt ille ait) *humani pectoris bonum.* Iccirco Plato fidem vocat *fundamentum societatis humanæ, perfidiam verò eiusdem ruinam ac pestem.* Vt meritò veteres Romani *fidem in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. esse voluerint:* vt edîscerent homines eam, velut alterum quoddam *Numen, ac certissimum humanæ salutis pignus,* colendam esse. Quæ quidem tantò commendatior esse Principi debet, quantò cæteris dignitatis excellentiâ præstat: *Nihil enim est quod magis Principem deceat, quàm vt verbi sui fidem præstet.* Eapropter Regem suum Isocrates monet, *vt perpetuò in id studium incumbat, eamq; reuerentiam præ se ferat, vt verbi sui maior sit fides, quam aliorum iuramentis.* quod cape, in rebus honestis:

*Senec. epist. 89* *Dio. Halic. 2. Cic. 3. de Offic.* *Val. Max. 6. cap. 6.* *Imp. Leo No. Constit. 19.* *Orat. 2. ad Nicoclem.*

Senec. Herc. Oeætæo act. 2.

*Præstare fateor posse me tacitam fidem,*
*Si scelere careat: interdum scelus est fides.*

Vlp. L. 1. de Cõstit. pec. Cic. 3. de Off. lib. 3.

Fidem igitur & priuatim seruet, & publicè: *quoniam vtrobique graue est fidem fallere* grauius tamen publicè: siquidem, *nulla res vehementius Remp. continet, quàm fides.* Imò audet dicere Liuius: *nisi in fide stet Respub. opibus non staturam.*

Silius Ital. lib. 13.

*——— Qui frangere rerum*
*Gaudebit pacta ac tenues spes linquet Amici,*
*Non illi domus, aut coniux, aut vita manebit,*
*Nunquam expers luctus lacrymæq; , aget æquore semper*
*Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieq;*
*Despecta ac violata fides.*

Cic. 3. de offic.

a Qui fidẽ, de Trã sact. L. Iulianus. §. Offerri, de act. empt. L. Cùm proponas 2. ibi DD. C. de Transact. c. 3. c. Sicut vlt. in fin. de Iuretur.

Quocirca, etiam *hosti fides iusiurandi seruanda erit.* Quod intellectum habet, si hostis legitimus sit, isque fidem ipse præstet; quia aliàs fidem non seruari, non seruanda a, iuxta illud:

*Fallere fallentem, fraudemq; repellere fraude,*
*Exemploq; licet ludere quemque suo.*

Quamquam, si induciæ pactæ sint, indistinctè seruandam fidem, & fallere hîc fallentem nefas esse, cum nostris iudico b. Cùm enim induciæ ab eo nomen sumpserint (inquit Alciatus) quod in diem ducantur, hoc est differantur, interim à vindicta supersederi æquum est, cum lapsâ die vlcisci se possit: quod in pace non est, cùm sit perpetua.

b Ias. d. L. Cùm proponas. Alciat. ibid. nu. 40. Mant. Laud. d. Confœd. Princip. q. 16.

---

## EXEMPLA cum NOTIS.

SI fidei Romanorum, aliorumque illustrium virorum exempla, quæ non sine magna voluptate, parique admiratione lecta, collectaque ex historiarum monumentis, huc transferenda forent, vererer ne vna cum illis peluis producenda esset, delicatoris præsertim stomachi hominibus, quos minimo auocamento satietas tenet optimorum studiorum. Pauca igitur veterum exempla; recentium, nisi illustria proferemus.

A. Gellius noct. att. 3. c. 8.

I. Cùm PYRRHVS Rex in Italia esset, & vnam atque alteram pugnam prosperè pugnasset, satisque angerentur Romani, & pleraque Italia ad Regem desciuisset, tum *Nicias* quispiam Regis amicus ad *C. Fabritium* furtim venit ac præmium petiuit: & si de præmio conueniret, promisit *Regem* venenis necare, idque facilè esse factu, quoniam filij sui pocula in conuiuio *Regi* ministrarent. Eam rem *Fabritius* ad Consules scripsit. Consules Legatos ad Regem miserunt. Litteras autem, quas ad Regem *Pyrrhum* super ea causa dederunt, Cl. Quadrigarius scripsit, fuisse hoc exemplo:

CON-

CONSVLES ROMANI S. D. PYRRHO REGI.

*Nos pro tuis iniurijs continuo animo strenuè commoti, inimiciter tecum bellare studemus: Sed communis exempli & fidei visum est, vti te saluum velimus: vt esset, quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium à nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos negauimus velle, neve ob eam rem quicquam commodi expectaret, & simul visum est vt te certiorem faceremus; ne quid eiusmodi si accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum: & quod nobis non placet, pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu, nisi caueas, iacebis.* quod factum dilaudat Ambrosius eleganter: *Præclarum* (inquit) *reuera factum: vt qui virtutis certamen susceperant, nollent fraude vincere, Non enim in victoria honestatem ponebant, sed ipsam nisi honestate quæsitam, victoriam turpem pronunciabant.* Lib. 3. Off. cap. 14.

II. Tale prorsus exemplum Tacitus refert. Promittenti P. R. per litteras ADGANDESTRIO Chattorum Principi, *Arminij* mortem, si patrandæ neci venenum mitteretur: respondit Senatus: *non fraude, neque occultè, sed palàm atque armatum pop. Romanum hostes suos vlcisci.* Digna, quæ in ore regnantium hæreat sententia. Lib. 2. An.

III. P. verò SCIPIO AFRICANVS, insigni facto fidem asseruit, qui captâ naui, in qua illustrissimi Carthaginensium vehebantur, illique effugium quærentes confingerent, Legatos se ad eum venire, quanquam id falsò non ignoraret Scipio, maluit tamen missos illos facere, quàm famæ & fidei periculum incurrere. Liuius lib. 30. App. in Punic.

IV. SEXTVS denique POMPEIVS, vt in sua naui *Octauium* & *M. Antonium* susceperat, *Mena* libertus eius mox in aurem, si illos necaret, & non dubiè orbis terræ imperium adepturum; negauit se facturum Pompeius, ne fidem fefellisse violasseque diceretur. Dion. l. 49.

En eximia communis fidei exempla: non rara quidem & miranda, si Remp. illam spectes, quæ ex tantilla origine ad tantam amplitudinem prouecta est sanctissimæ fidei cultu.

V. Quidni memorem ATTILII REGVLI multis quidem voluminibus decantatam fidem? quem constat dirum supplicium maluisse in eorundem Carthaginensium manu subire, quàm fidem datam non reditu violare. A. Gellius 6. c. 4. Cic. 1. de off. Val. Max. 9. c. 2. D. august. 3. c. 15. de Ciu. Dei.

VI. Consimilem in modum IOANNES VALESIVS (vt ad nostros deflectam: Galliæ Rex, in prælio ab Anglis captus & fide de reuertendo datâ dimissus si minus pacta implerentur, cùm omnia præstare non posset quæ conuenerant, ad hostem redire maluit quam fidem violare, cùm tamen & ipse filium obsidem dedisset. ô verè masculum & æternâ laude dignissimum animum! Sciebat enim se nexu fidei & promissionis non liberatum, tametsi filium obsidem reliquisset. Cùm enim obsides instar sint fideiussorum, qui principali accedunt obligationi, quò magis aduersario cautum existat, non dubiè dicendum est, Belleferet. L. fideiuss. obligari ff. de fideiuss. Myns. §. 1. nu. 4. de fideiussor. in Instit.

 minùs

minùs illos tollere principalem obligationem; verùm suam principali adeò cohærere, vt sine ea consistere nequeat, quod obiter dictum esto.

VII. Nec in illo fidei gloria consedit, nisi in agnatos etiam deriuauit, & nominatim FRANCISCVM, Regem illum litterarum vindicem & instauratorem. Is igitur *Carolum V.* Imperatorem citatis equis, paucis quidem sociatum comitibus in Flandros rebellantes properantem, Lutetiæ, quâ decuit Regem munificentiâ & fide excepit. Varij tum inter vtrumque de pace agitanda sermones (grauissimis enim tum bellis alter ab altero diffidebat) deque donando Regis filio Ducatu Mediolanensi. Inter ea inaudit alicundè Cæsar, Regi à quibusdam suggeri, vt auiculam (quando maximè opportunum sit) caueâ inclusam retineat. Is vasa nihilominus colligit Rege vidente, atque adeò eo, & Principibus (qui illam fraudem in aurem illius identidem repetebant) benignè salutatis. Hic Rex ab Cæsaris discessu; *Absit*, inquit, *à nobis tàm turpis & fœda perfidiæ nota. Etiamsi fides toto orbe exulet, Regibus tamen tenendam esse, qui nullo metu, nullâ pœnâ, nisi virtutis & fidei reuerentiâ, vt eam præstent, cogi obstringiq; possunt.*

*Martin. Baal.* VIII. AMVRATHES Turcarum Imperator, cùm à filio instigaretur, ne Dibresium præsidium iuxta fidem datam per medium suum exercitum incolume ire permitteret, cùm tot mala ab ipso perpessus esset, filio nequaquam acquieuit, sed respondit, nullam inter mortales necessitatem maiorem quàm fidei seruandæ: quâ sublatâ, neque imperia, neque aliud quidquam permanere: & in claro Principe, qui magnarum rerum imperia spe & animo complexus est, alteram omninò esse debere, aut veram, aut simulatam fidem; vt hominum ingenia eo modo concilientur, alliciantur que: Perfidiam enim & feritatem destruere Regna, Vrbes, populos, ac postremò sibi ipsis non minùs quàm alijs iniquos esse. Deuinciendum potiùs beneficijs & liberalitate mortalium genus, qui fideles sibi homines futuros cupiunt, quàm crudelitate, atque odio, quibus nihil proficitur apud mortales; ita ille, & quadantenus benè.

*Plut. Lucan.* IX. Plura publicæ fidei exempla, ne Lectori fastidio sim, non producam; ad fidem in priuatis datam, animum & stylum conuertam. EVRYCRATIDES Anaxandridæ filius, percunctanti, cur Ephori per singulos dies de conuentis & contractibus ius dicerent? *Vt inter hostes etiam* (inquit) *mutuam fidem inueniamus*: Maiore discrimine pacta violantur in bellis: sed illic quoque violatur ab his, qui domi consuêrint fallere.

*Id. Plut.* X. *Parmenioni* quippiam suadenti ALEXANDRO, quod præter fidem ac decorum esset, magnificè respondit Alexander: *Facerem id quidem, si Parmenio essem, verùm Alexandro neutiquam licet.*

*Sueton. c. 42.* XI. Atque vt Græcis Romanos iungamus, AVGVSTVS Cæsar cùm à populo rogaretur, promissum vt sibi congiarium exsolueret, prorsus venustè, *Bonæ fidei se esse* respondit. Sciebat enim prudentissimus Imperatorum, excelsi nobilisque esse animi, ea promittere, quæ sis præstaturus. Nam, vt ille ait,

*Neoptolemus apud Sophoclē.*

*Pro-*

*Promissam temerasse fidem, exprobratio magna est.*

XII. Augustum excipiat THEODOSIVS Imperator, cuius tam certam fuisse beneficiorum promissionem ferunt, vt iam accepta viderentur, cùm sponderet: quia vota hominum, quod plerique factitant, non fallebat, aut fatigabat, nec muneribus adhibebat (vt Pacatus inquit) artem difficultatis, prudenter. beneficia enim illa lenta, tantùm non ingrata, teste Seneca: *Ingratum est*, inquit, *beneficium quod diù inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est. proximus est à negante, qui dubitauit, nullamq; meretur gratiam.* Paneg. Li.2.de Benef. c. 1.

XIII. Quid SIGISMVNDVS? Cùm veterano militi promissa exigenti, dixisset, *immoderata fuit, ô amice, petitio tua*: respondissetque miles, *Poteras negare cùm peterem, nunc autem sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non potes*, subiecit Imperator: *Si ex duobus alterum me facere oportet, rerum, quàm famæ iacturam subibo.* Egregiè magnificus Imperator, qui nec ignorabat turpem esse notam in Principe, fidem exuere, & promissa nihil pensi habere. Princeps enim vnum calamum, & vnam linguam habere debet. scriptum est: *Irrita non faciam, quæ de labijs meis processerunt.* Æn. Sylu. 2. de Reb. gest. Alphō. Psal. 88.

At quid si promissa iniqua sint, aut certè turpia? dicemusnè Principem his talibus obstringi? Excipio, si in re turpi interposita est

Nequaquam sanè. Deus siquidem in rebus pulcris, iustisque consensum adhibet, non turpium, inhonestarumque actionum sponsor accedit, vt rectè ex Dionys. Halicarnass. Fr. Patritius probat. Imò *nonnunquam est contra officium*, vt D. Ambrosius scribit *a fidem seruare*: quod & Cicero sensit *b*. a Lib. de Off. 1. b 3. de Off.

Ergò, *in malis promissis* (inquit Idorus *c*) *rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vouisti, ne facias: turpis est promissio, quæ scelere adimpletur.* 22. qu. 4. In malis.

I. Itaque longè iustiùs fecit DAVID, quod non stetit iuramento de perdendo *Nabal*, quàm *Herodes*, qui propter iusiurandum occidit virum sanctissimum. c q. 4. c. quod Dauid.

II. Hac ratione AGESILAVS Lacedæmoniorum Rex, cùm vrgeretur improbè à quodam, vt promissum præstaret, atque idem crebrò repeteret, quasi nefas esset negare: *Rectè sanè*, inquit Rex, *siquidem iustum est quod petis, faciam: sin minùs nequaquam faciam; non enim promisi, sed dixi.* Plut. in Laco.

III. Haud est absimile, quod de prudentissimo ALPHONSO Arragoniæ Rege narrant, qui res eius gestas monumentis consignârunt. Cùm quidam ei dixisset, decere Principem, non tantùm ea quæ verbis promisit præstare, sed & ea quæ vel nutu tantùm affirmauit, sapienter more suo: *Rectè sanè dicis*, inquit, *sed decet etiam petentes, vt ea tantùm à Principibus efflagitent, quæ sunt iusta, & honesta; sin minùs, satiùs est promissis non stare, quàm peccare in leges Iustitiæ.* Parnorm. lic. 3.

Itaque, extra hunc articulum, & quem alium infrà dicendum, sic statuimus, *fidem à Principe vbique & semper obseruandam: sed tum maximè in fœderibus.* Nam fœderatum In fœderibus fi-

ratum iniustè fallere, inhumanum & impium est; cùm fides sit præcipuum fundamentum omnium confœderationum, vt nemini non notum est.

*des maximè seruanda.*

*A Gellius.*

I. Vnde ROMANI fœdus feriebant, fœdatâ per sacrificium porcâ, hoc est, de saxo contusâ, cum imprecationibus, vt sic cæderentur, qui rupto fœdere à promissâ fide discederent, quod & Mantuana Musa edocet, cùm ait:

*Liu. li. 44.*

——— ——— *Et cæsa iungebant fœdera porca.*

II. PHILIPPVS Macedoniæ Rex tantùm fœderibus tribuit, vt suas cum Romanis pactiones singulis diebus bis in memoriam reuocari, atque adeò prælegi sibi curaret, Idemque institutum Macedonio Regno vtilissimum *Onesimus* Macedo, vir domi nobilis, vt *Perseus* filius prosequeretur, identidem hortabatur. Sed mente captus ille, quòd neque patrium morem retinuerit, & fidem præstantis hominis consilium reiecerit, regnum cum libertate, vitamque miserrimè pessumdedit.

*Bod. lib. 1. cap. 7.*

III. Eapropter haud immeritò superiori æuo, censoriâ quadam seueritate *Heluetios* CAROLVS V. Imperator reprehendit, quòd hi, cùm ab antiquo fœdere, quod cum Imperio Germanico & Heluetiorum ciuitatibus ictum est, caueretur, ne cum exteris Principibus societatem Heluetijs inire liceret, vt bellum intra fines Imperij Germanici gereretur, non dubitarent coniunctis cum Rege Gallorum Copijs, Germanorum agris vastitatem inferre: Meritò, inquam fuêre reprehensi, cùm iuramentum exactè, adque normam pacti conuenti in fœderibus seruandum sit. Aliud tamen dicendum esset, si à *Carolo* destituti fuissent Heluetij: *Non enim qui à sociis destituti, ad alios se conuertunt, hi fœdera frangunt; sed illi qui opem non ferunt sociis, quibuscum ante iurarunt*; vt rectè scriptum reliquit Thucydides lib. 1. Histor.

Fides an seruanda, si non legitimo hosti data?

Verùm, quid si non legitimo hosti, veluti Prædoni aut rebelli, fides data sit? Postpositis quæ à plerisq; Iurisconsultis afferuntur, existimo cum clariss. I.C. Balth. Ayala, *a* Principem nequaquam vt fidem seruet adstringi. *b* Ideoq; si prædonibus, inquit Cic. *c* pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus erit: ne si iuratus quidem id non feceris, Prædones enim communes sunt omnium hostes, nec cum ijs fides esse debet, nec iusiurandum commune. Et hinc est, quod latrones & prædones hostium vocabulo non contineri dicant Iureconsulti. *d* Vnde iura belli, captiuitatis, & postliminij, quæ hostibus tantùm conueniunt, *e* non possunt latronibus conuenire: *f* atque ideò capti à Latronibus & Piratis, omninò liberi permanent. *g* Nec mouet, quod quidam Iurisconsultus ait, *h* prædones ac latrones habere iuris naturalis & gentium communionem: *i* quoniam vt prudentissimè respondet idem Ayala, id verum est, si cum alio contrahant, quàm qui læsus est. Quamuis enim prædones sint respectu eius tantùm, cui rem abstulerunt, tamen prædones non sunt respectu eius, cum quo contraxerunt: quoniam bona fides in contractibus æstimanda est inter eos solùm qui contraxerunt, nihil ex-

a *Li. 1. de iur. & off. bell. c. 6.*
b *c. sicut 2. de iureiur.*
c *3. de Off.*
d *l. Hostes, de capt. & postl. reuers.*
e *l. Postl. d.t.*
f *d.l. Hostes.*
g *d.l. Postl. § Piratis l. qui à latron. de Test. Ayala d.c. 6. n. 6. & 7.* h *Hotom. in Illust. qq.* i *L. 31. deposit. l. Si pign. l. Si prædo de Rig. actio. l. Non à Iudice, de Iudic.*

trinse-

trinsecùs assumpto. *k* Quod autem de latronibus & prædonibus dictum est, idem etiam de rebellibus respondetur, qui pari ratione iusti hostes dici non possunt. Vide tamen Molanum Theologum Louaniensem, opusc. de fide Rebell. seruanda, cap. 4, & 5.

*k L. bona fides §. Incurrit. Depositi d l. Hostes.*

Porrò, tametsi Princeps pactis conuentis cum prædonibus, rebellibusque & eius farinæ hominibus minùs obstringatur, si tamen isti citra conuentionem, fidei se illius committant: humanius est hîc conniuere, & perinde atque si iusti hostes essent, fidem seruare.

*Ayala d. loco*

Verius enim seruari, si quidem fidei Principis sese vltrò commiserint:

I. Sic AVGVSTVS Cæsar, quum maximum præmium pronuntiasset ei qui *Crocotam* Latronum Principem ei exhiberet, *Crocotas* re intellectâ, AVGVSTVM adire, & promissum præmium petere non dubitauit, qui non modò Latroni veniam (ô fidem planè nouam) sed etiam impensum præmium, decies videlicet sestertiûm, *dari iussit.

*Dio li. 56.*

*25. millia Philip siue Ducatonum Ital.

II. Ab insigni quoque fide laudatus ALMENO Toleti Rex. Erant Ferdinando Primo Hispaniæ Regi filij tres, *Alphonsus*, *Garcias*, *Sanctius*: hic vt erat naturâ violentior, patre mortuo cœpit fratres exagitare, sic quidem vt Alphonsum monasterij septis occluderet. qui ibi non diù constitit, quin confugeret ad *Almenonem* parentis sui quondam amicum. Benignè recipitur: dumque illic est, accidit vt capilli eius (præsente quidem ipso Almenone) sic erigerentur, vt quamuis manu pressi non subsiderent. Id quod Mauri vates prodigij loco acceperunt, quasi ad Imperium Toletanum quandoque erigeretur. Regem itaque hortantur vt tollat eum è medio. At ille tantùm abfuit, vt sæuo eorum consilio acquiesceret, quin non multò pòst fratre *Sanctio* ex insidijs trucidato, Regno illum restitueret, viaticum donaret, seque illi itineris comitem aliquantò præberet. Egregium profectò in Principe Mauro & religionis diuersæ fidei exemplum; imò & Prouidentiæ diuinæ, quæ eius regni eum adire voluit hæreditatem, in quo paulò ante seruus quodammodò detinebatur. nam nouem vel circiter annis id euenit post eum bonis restitutus, mortuo tamen Almenone eiusque filio primogenito.

*An Hisp. An. 570.*

III. Denique, quod diximus, *fidem non servanti non esse servandam*, id intelligi debet in his quæ vnâ eademq; sponsione comprehensa sunt *a* & in promissionibus quarum alterius causâ facta est, *b* connexorum enim vnum idemque est iudicium: secùs verò in separatis, *c* Itaque si in bello cum perfido & fœdifrago hoste res sit, & qui semel, iterum, ac sæpius fidem fefellit, vicissim fidum fallere non licet, nisi per hostem stet, quò minùs conuentorum fides seruetur: alioqui perfidiam perfidiâ vlcisci semper turpissimum fuit. Quo nomine LVCVLLVS malè audiuit, qui Lusitanos, ruptis fœderibus bella gerentes, contra iusiurandi fidem dolo circumuentos, per summam immanitatem nullâ Romanæ dignitatis habitâ ratione omnes trucidauit. Ideoque benè Onosandro scriptum: *Etiam proditoribus fides & promissa ab Imperatore seruanda sunt, nec considerandum quales illi antea extiterunt, sed quales deinceps futuri sunt. vt postquam sibi hostium partes amplectentibus* gratiam

Fides non seruanti, nō seruāda, vt intelligatur.

*a Balt. Ayala d. c. 6. Alex. l. cùm propon. C. de pact.*

*b Alciat. d. l. cum proponas.*

*c L. qua religiosis, de Rei*

vin.c.inter ceteras.de Rescrip. gratiam haberi perspexerunt, animos ad ea beneficia conuertant suos. Quisq; enim proditori dat, munus accipit potiùs, quàm confert. Ideoq; prompta esse debet Imperatoris hac in re liberalitas: quippè de hostium prodita ciuitate iudex, aut arbiter non est, sed patriæ suæ Imperator. Super quâ re dicemus in Notis ad Onosandrum.

---

# CAPVT XIII.

## *Verùm, num igitur fas erit Principi quandoque* Fidem *violare? Id volunt nonnulli.*

Æmil. Lepidus apud Sall. frag. Heaut. Tac. 1. an. Arist. 5. Polit. AIVNT, siquidem, nec ciuilem eius administrationem alioqui firmam fore, nec aliter dignitatem, atque amplitudinem eius constare, nisi in loco, & tempore fraudes misceantur. Chremetem illum Terentianum pronis auribus excipiunt: *Non licet hominem esse sapè vt vult, si res non sinit.* Et illam Principis Historicorum rationem: *Necessitas interdum multa fieri iubet, bono magis exemplo quàm concesso iure.* Nam & plerumque *nihil gloriosum*, inquit ille, *nisi tutum*: nec quidquam tutum, nisi in fraudium scuto contegatur, *Nunquid* enim *fraudibus, atque dolis Principatus euertuntur*? Si ita, cur non liceat iisdem artibus retinere? quid est in rebus humanis vsquequaque fidum: vel potiùs, quid est quod non vsquequaq; sit infidum fallax fraudulentum? Vt non immeritò Comicus ille Græcus, si etiam superaret, exclamaret identidem:

Theogni.

Παύλοις τῶν πολλῶν πιςὸν ἔχουσι νόον:

*Paucis è multis fidus adest animus!*

Ita, ita: sed quantò minùs fidei Aulam incolentibus? Nam,

Ægisth. apud Senec. Agam. *Non intrat vnquam regium limen fides.*

Itaque, caue, inquiunt, Principem reprehendas, si *cum vulpe pariter vulpinetur*, si non vbique per Iustitiæ, ac honestatis callem, sed obliquæ fraudis quandoque tramitem ambulet. Desine: nam,

Parœmigraphus. Luc. lib. 8. Senec. Thyest.

*Sceptorum vis tota perit, si pendere iusta*
*Incipit.*
*Vbicunque tantùm honesta dominanti licent,*
*Precariò regnatur:*

Liu. li. 2. Claud. 2. Eutrop. Hoc præsertim tempore, quo *periculosum est in tot humanis erroribus, solâ innocentiâ viuere.* ——— ——— ———*Nunc qui fœdera rumpit,*
*Ditatur: qui seruat, eget.*

Lib. 8. Ep. 5. de Rep. Et verò, quid si etiam publicus vsus, salusque suadeat? Nonne cum Plinio iudicabis hîc, non esse fraudis decipere, sed prudentiæ? *Decipere*, inquit, *pro moribus temporum Prudentia est.* Ac disertè diuinus Plato scribit, *crebro mendacio, & fraude vti Imperan-*

*perantes debere ad commodum subditorum.* ——Itaque *necessarium est in paruis à Iustitiâ abire, qui saluam rem velit in magnis.* ——*Hæc sunt, quæ conturbant Principes in deliberatione nonnunquam, cùm id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, per magnum videtur.* Quòd si haud paruum foret illud, in quo æquitas violatur, in alia omnia discedunt, asseruntque rectè, *rationem bono consilio à Dijs immortalibus datam, in fraudem, malitiamq́; conuerti non licere.* Cic. 3. de Off. Plut. Idem 3. de Natura Deor.

Quocircà, maiores fraudes auerruncandas esse meritò censent; minutas, non negant interdum recipiendas, vsu sic suadente: Nam vt verè scriptum à Philosopho: Οὐδεμία μηχανὴ, τῷ νῦν κατιςῶτι ἐν δήμῳ, μὴ οὐκ ἀδικέειν τοὺς ἄρχοντας, ἢν καὶ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσιν: *Fieri non potest, quin etiam optimi Principes, nunc rerum status est, iniq; aliquid agant.* Cui adsidet Iasonis Thessalorum Tyranni sententia: *Quis magnis in rebus Iustitiæ se cultorem haberi vult, eum ius aliquando in paruis violare necesse est.* Et istud Machiauelli: *Qui se virum bonum omnibus partibus profiteri studet, eum certè inter tot non bonos periclitari necesse est.* Sed quàm rectè sint hæc dicta, capite sequenti ostendemus. Democr. Plut. Polit. Cap. 15.

---

## EXEMPLA.

I. QVi antiqui, & prisci æui historiarum monumenta studiosè excusserunt, non dubiè animaduerterunt aliquando, id quod non nemo mirabitur, olim minimè vitio datum fuisse, si quis fucum alij fecisset, & artificioso quodam vafRamento alterum circumuenisset: Nam ecce videmus apud Homerum, quosdam illustri & clarâ famâ, propter periurium celebratos fuisse; qualis fuit

*Autolicus ille, quo non præstantior alter*
*Et fraudare homines, & fallere Numina Diuûm.*

Et ne parum elegantem eam perfidiæ scientiam putaremus, adiungit Vates:

*Namq; suas illi dederat Cyllenius artes.*

II. Legimus etiam apud eundem Homerum, VLYSSEM auxilio *Palladis*, celando, & mentiendo, mentemque ad omnem malitiam & fraudem versando, diuinis laudibus ornatum fuisse. Nunquam certè Homerus *Vlyssem*, quem nobis ad effigiem perfectæ sapientiæ descripsit, his artibus præditum induxisset, nisi, vt vult ille, temporibus illis fuisset summæ laudi tributum, astutè fallere, & insidijs callidè circumuenire.

III. LYSANDER versutus & pleraque omnia fraudibus miscens, veritatem aiebat nihilo meliorem, quàm mendacium; sed vtriusque dignitatem & pretium vsui definiri. Plut. in Lys.

IV. Nam & dicunt isti, cùm humana societas sit, fueritque semper (ô dolendam proborum sortem!) fraudibus, atque dolis exposita, versarique in eâ cum candore, & sine noxâ, non sit humanæ potentiæ, quidni liceat vicissim dolis deludere,

 & vul-

& vulpinam pellẽ assumere vbi leonina nil potest? Docuit hoc vulpina illa mens Macchiauelli, quùm scripsit: *A quello, chi hà saputo meglio vsare la volpe, è meglio successo.* Quid ita? quia quemadmodum difficile est piscem, vt ARCHYTAS inquiebat, sine spinis inuenire, ita & hominem, qui non dolosum, spinosumque quiddam habeat, Hinc Vates.

*Ælian. 10. Var. c. 12.*

*Tu quicunq; es, qui sceptra tenes,*
*Licet omne tua vulgus in Aula,*
*Centum pariter limina pulset,*
*Cùm tot populis stipatus eas,*
*In tot populis vix vna fides.*
*Tenet auratum limen Erynnis.*
*Et cùm magna patuere fores,*
*Intrant fraudes, cautiq; doli,*
*Ferrumq; latens.*

*Senec. Her. Oet. 2 act. 2.*

IV. Permittunt igitur fraudes, dolos, insidias: sed tùm maximè, cùm publicus vsus, salusque suadet. *Plato & Xenophon* testes erunt, qui Magistratibus licere censent, dum subest publica necessitas, populum mendacijs, non aliter quàm pueros & ægrotos decipere, & circumuenire. Sic enim PERICLES populum Atheniensem Comœdiarum, ac ludorum illecebris, tùm etiam frumenti, ac pecuniarum in tenues diuisione permulcere solebat: & cùm feram illam popularem oculis, auribus, ventre, modisque omnibus cœpisset, edicta salutaria, quæ per famem, aut furorem exaudire non licuisset, promulgabat.

Veterib. quatenus fraudes permissæ.

*Quintil. 4. c. 2. & 12. cap. 1.*

V. Apud antiquissimos PERSARVM, magister erat (teste Xenophonte) qui pueros interdum doceret mentiri, decipere, calumniari, & fraudare; atque hoc fine, quod iustum esse dicerent, amicos quandoque fallere, propter maius videlicet bonum. egregia scilicet magistri doctrina.

*Lib. 1. Cyripad.*

VI. De PARTHIS dicit Iustinus: *Fides dictis, promißisq; nulla, nisi quatenus expedit.*

*Lib. 5.*

VII. CAMBYSES interrogatus quâ ratione superandi essent hostes? quacumque, inquit, arte, fraude, simulatione, fallacijs. an distinctiùs? inescandi blanditijs & affinitatibus alliciendi, inducijs placandi, mendacijs eludendi & intricandi, seditionibus diuidendi, rapinis extenuandi, insidijs an teuertendi, opprimendi, extinguendi. Cui CYRVS: ô qualem, me pater, virum esse iubes? Alia enim mihi puero lex, & disciplina præscripta est, pietatis, candoris, mansuetudinis, humanitatis. Sic est, inquit Cambyses, sed ea inter amicos & consanguineos valeat: nihil verò prætermittendum, quò deprimi expugnarique hostis possit. Barbari herclè doctrina hæc est: cùm nihil sit notius apud æquiores Ethnicos hosti fidem esse seruandam, nonæquè latronibus, pyratis, rebellibus, quod ostendit Cicero lib. de officijs, vt præcedenti capite diximus.

*Xenoph.*

VIII. Mendacia tamen in militia honestè toleranda esse nonnulli volunt,

*Plutar.*

vnde SERTORIVS insignis ille militiæ Dux, sæpè mendacijs milites suos circumscribebat, vbi mendacium vsui esse posset. Proindè litteras commentitias pro veris legebat, somnia simulabat, & falsas religiones comminiscebatur, vt militibus metum alicuius imminentis periculi demeret: quâ re plura notamus in Onosandro, cuius hæc verba: *Necessarium*, inquit, *interdum mendacium est: v.g. vociferari, vbi certamen extitit ingens, Dux debet*, Occubuit hostium Imperator, &c. *Commilitones enim duplo fortioribus animis, & promptioribus roborantur: contra hostium vires, strage suorum percepta, metu debilitate concidunt*, quâ de re scripsimus infrà in notis ad Onosandrum. *Strateg. Cap. 28.*

IX. Eiusdem notæ DARII dictum, relatum Herodoto: *quùm expedit mendacium dici, dicatur.* Atque illud CHARICLEÆ apud Stob. *Bonum mendacium, quùm iuuat mentientes, nec lædit audientes.* hæc Christianis alienissima sint. *Lib. 3.*

X. Et illud LYSANDRI: *Pueros tesseris, viros iuramentis oportere circumuenire.* maximè, vbi vtilitas hoc suadet. Hinc EVPHEMVS ille apertè scribit, *Principi nihil esse iniustum, quod fructuosum.* Ideoque CLEARCHVS Lacedæmonius, *ad ea, quæ semel concupisceret* (verba Xenophontis) *compendiosâ admodum viâ se peruenturum putabat, si denique quauis ratione falleret. Animi porrò simplicitatem, ac lenitatem, quasi lentitudinem quandam, & ignauiam esse existimabat.* *Plut. in Lacon. Thucyd. lib. 6.*

XI. Scæuis istis mentibus vnum MAHOMETEM inferamus, legimus eum dicere solitum, præstare fidem, mercatorum esse, non Principum: quòd illi à fide, isti ab armis pendeant, & viribus.

XII. Verùm, veteres illos falsitatis figulos omittamus, quibus ignoscendum est in caligine illa errorum, At in nostris, haud scio credibiléne sit, quod de FRIDERICO III. Sacri Romani Imperij Electore scribunt, eum crebris sermonibus illud vsurpasse solitum: *In fœderibus, seu inter confœderatos, illos esse loco, & conditione deteriore qui fœdera seruarent. Probanda quidem esse fœdera, sed væ illi, qui ea seruaret.* Cuiusmodi fuerit hic Princeps ignoro: bonis quidem illaudatus fuit, & planè consimilis ei, quem memorat damnatæ memoriæ Macchiauellus, qui vbique pacem prædicabat, vbique fidem crepabat, quarum tamen alterutram si seruasset, & potestatis suæ, & existimationis (vt ille autumat) iacturam fecisset. Opinioni istorum videtur assentiri Plato, dum Magistratui aut Principi clam Reipub. causâ licere fidem frangere, mentiri, peierare, non etiam priuato adstruit. Quâ opinione, quid turpius, absurdius, pernitiosius, esse potest? quod proximo Capite ostendemus. *Cap. 18. del Prencipe.*

* *
*

## CAPVT XIV.

### *Sed aliter alij, ac veriùs, ſentiunt:* & Fidem *negant, vllis ex cauſſis violandum, vllaq; ex parte labefactandam.*

NAM, per Deum immortalem, quid aliud eſt fidem fallere, quàm omnem pietatem, omnem religionem euertere? quàm naturæ legem, atque iura omnium gentium violare? quàm tollere è vita, vitæ ſocietatem? Ipſum Principem ſi ſpectes, quid eum minùs decet, quàm doli, fraudes, inſidiæ? quàm conſilia ſua non ad humanæ ſocietatis coniunctionem, ſed ad rem ſuam vafrè referre? Memorabilis eſt, & ſcita Ageſilai Regis ſententia, dicentis: *Regiæ dignitatis non aſtutiam, ſed bonitatis excellentiam conuenire.* Non credis illi? crede Sapientis effato: *Non decet Principem*, inquit, *labium mentiens.* Quid ita? quia *improbi hominis eſt mendacio fallere: quòd ædificare mendacium ſine demolitione veritatis nemo queat.* Etenim, *mendacium ſemper aut fallit, aut nocet.* ——— Itaque cum Iſocrate, *Quæ dicis aut recipis, te facturum, tanquam rem ſacram ſemper habeto.*

*Apud Xeneph.* *Prou. 17.* *Tertul. li. 2 adu. Marcio.* *Lact. Fir. c. 6. Inſtit.* *Ad Nicocl.*

Verùm, quid ſi bono publico fraudes comminiſcantur? dixi iam anteà, à nonnullis id excuſari; ſcæuo, niſi fallor, dogmate. Ecce tibi: *Dominus auerſatur omnem iniuſtitiam* Notate *omnem.* Nam apertè ſapiens ille Sirachides: *Ne velis mentiri omne mendacium*; etiam, vt inquit Auguſtinus, *pro Dei laude.* Quid hæremus? an non ipſa naturæ principia ſuggerunt, *Inter bonos benè agier oportère, ac ſine fraude?* Olim ab Heluetijs dictum: *Ita à patribus maioribusq; didiciſſe, vt magis virtute, quàm dolo contenderent.*

*Deut. 25.* *Eccleſ. 7.* *Epiſt. 8.* *C. 3. de off.* *Cæſ. lib. 1. de Bell. gall.*

Eapropter, ne quidem vtili contemplatione circumuenire licet: cùm nec vtile quidem dicendum ſit, quod ſit iniuſtum. *Hoc qui non didicerit* (ait Suadæ medulla) *bonus vir eſſe non poterit.*

*C. 3. de off.*

*Sophocl. in Trach.*

——— ——— *Veritatem itaque cole:*
*Mendacem enim vocari. in ingenuo homine*
*Turpis nota eſt.*

Et hocherclè fœdior in Principe, quò vitæ integritate, ac fide cæteris anteſtare debet; & cui iniuratò potius, quàm priuatis omnibus iuratis, fides adhibenda. atq; hoc adſpectu Thucydides: *Fraus cum omnibus fœda eſt, tùm verò ijs, qui maiori dignitate præditi ſunt, imò fœdior, quàm aperta violentia.* Quid ita? *quia vis iure potentiæ, quam fortuna dedit, infertur: fraus verò ab inſidiis iniuſti propoſiti graſſatur.* Adde, quod *animi degeneris ſit abjecti & plebei, inſidiis, fraudibus & dolis actiones ſuas inuoluere.*

*Li. 4. hiſt.* *Indidem.* *Philo de Princ. c. 7.*

Sed heu, miſeriam! *corrupti iam ſunt, & deprauati longo tempore plerique Principes ab au-*

*Iſocr. Orat. e Pace.*

*ab aulicis*, inquit Orator Græcus, *quorum omne artificium in decipiendo consumitur.* Apagite ô vos boni, apagite inquam, istos fallaces fidei funambulos:

——— ——— *Neu rumpite fœdera pacis,* *Silius lib. 2.*
*Nec regnis post ferte fidem.*

*Fateor difficilè esse in maxima licentia moderari sibi, quasiq; frenos imponere cupiditatibus.* *Herod. li. 1.* At, qui id conabitur, reque ipsâ præstabit, *erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit.* *Ecclesi. 31.*

---

## EXEMPLA.

I. VAria extant PYTHAGORÆ nobilissimi illius Philosophi dicta, sed nullum extat diuinius illo, quo dicebat, *Duo esse hominibus data longè pulcherrima: Veritatem amplecti, & alijs benefacere;* atque addebat, *vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse.* *Æliã. l. 12 Var. c. 59.*

II. Prisci ÆGYPTIORVM SACERDOTES, quò Principem suum, quem omnium optimum, atque æquissimum esse oportebat, monerent in omnibus semper Veritatis habendam rationem, saphirum, quæ Veritatis nomine nuncupatur, collo eius appendebant, vt istius gemmæ recordatione, Veritatis nunquam limites transilirent. At ego cum Æliano Iudicem aut Principem, non tàm in lapide sculptam, aut expressam veritatem circumferre, quàm in animo, menteque insitam & infixam habere velim. *Id. l. 14. c. 34.*

III. Quin etiam apud eosdem ÆGYPTIOS, periuri capitali pœnâ puniebantur, vt Diodorus Siculus auctor est: quando & pietatem in Deum violarent, & fidem inter homines tollerent; maximum alioqui vinculum societatis humanæ. *Lib. 1. c. 6.*

IV. Apud INDOS verò de periurio conuicti, manuum pedumque digitis extremis membris decurtabantur. *Alex. ab. Alex. Genial. dier. 6. c. 10.*

V. In nostris, suscipiendos hac in parte FERDINANDVS II. Aragoniæ rex; qui nihil vnquam quidquam tam detestabatur, quàm periurium, quàm fallaciam, non quidem vt cæteri formidine pœnæ, quâ liber erat, sed (vt Poëta inquit) virtutis amore, quam ita semper præ oculis habebat, vt crebris sermonibus iactaret, *malle se mori, quàm fœdari.* *Æn. Sylu. Panor. li. 1. de eius gest.*

VI. Cuius æmulus fuit magnus ille, & inclytus ALPHONSS Arrag. qui eum demùm Principem laudabat, cuius simplex verbum tantum ad fidem valeret, quantum priuatorum hominum iusiurandum. Sciebat enim non vulgarem Principis virtutem esse, manêre promissis, & facto præstare id, quod verbo semel promisit.

VII. Dicere, *fidem minùs esse seruandam, si vel priuata Principis, vel publica suadeat*

Nec fraudes recipiendæ, etiã suadente publicâ vtilitate.

*vtilitas*,hominis est in sole caligantis & vmbras pro corpore (vt Plato ait) apprehendentis. Quoniam quidem, (vt vel ipsis Ethnicis placuit) nulla vtilitas dicenda est, nisi sit cùm honestate virtuteque coniuncta. Vnde *Athenienses* lapidibus quendam obruerunt, qui consilium dabat, vt se darent Xerxi, propterea quod minus vtile erat, repugnante honestate. Similiter, consilium *Themistoclis* repudiarunt, qui posse incendi classem Lacedæmoniorum affirmabat: *Quod*(vt inquit Cicero) *cùm honestum non esset; id ne vtile quidem putarunt.*

L.3. de Off.

VIII. Quod facto comprobauit idem qui suprà Arragoniæ Rex ALPHONSVS; Cùm enim *Rogerius* Pallantiæ Comes, vir imprimis manu strenuus ei diceret, in animo sibi esse *Ioannem* Castellæ Regem ipsius hostem confodere, foreque id sibi, (si modò annuat) perfacile, præclarè respondit: *Non per scelus, sed virtute gloriam quærendam esse. Se enim non solùm pro Castellæ atque Hispaniæ dominatu, sed ne pro totius quidem orbis imperio adipiscendo, tàm crudele detestabileq; facinus permissurum.* Constitit sibi magnus Princeps, & pro præmio sicarius (animo certè) indignationem Principis reportauit.

Panor.2.

IX. Et ne aliorum Principum laudi inuideamus, RVDOLPHVS Imperator, cuidam ad se venienti, & promittenti, se *Ottacarum* Bohemiæ Regem, si præmium pronunciaret, occisurum, indignabundus respondit: *Etsi noster hostis est Ottacarus, minus tamen esse [illegible], vt prætergrediar fines Iustitiæ atque moderationis.* ô vocem Germano pectore dignam!

Reusner. clas.2. Symbol.

X. ALPHONSVS Arragonum Rex XI. cùm ex Africa victor in Ænariam insulam venisset, audissetque Antonium Picenum insignem simulandi artificem ob blasphemias & hyprocrysin à vermibus fœdè arrosum, miserrimè tandem vitam finijsse, ideò inquit, Deus tam exosos hypocritas castigat, quòd mortales perfidè fascinent, fallantque, nec finit vllius sceleris & perfidiæ amatores inultos manere.

XI. Verùm, vt per satyram punitæ perfidiæ exempla proferam, legimus ZENONEM perfidum ab Ariadnâ vxore viuum sepultum esse. ANASTASIVM, qui periuræ & parricidalis Ariadnæ scelere imperium adeptus erat, fulmine traiectum, perfidiæ pœnas dedisse. HERACLEONEM & vxorem eius MARTINAM à Constantino Heraclij filio vitâ, sed priùs ille naso, hæc linguâ abscissâ, priuatum. Quid multis? *Constans* Theodosium fratrem necauit, & in vltionem fraternæ necis ab Andrea, cui vni pænè fidebat, occiditur. Nemo nequior *Copronymo*, qui fidem nulli seruauit, sed ille exclamauit moriens, viuum se igni inexstinguibili traditum esse. *Leo Quartus* à suis familiaribus, *Armenius* à Michaële Balbo occisi sunt. *Andronicus, Isaacius, Alexius* periuri suorum perfidiâ occubuerunt. Quis igitur non dicat eos & se, & Rempublicam euertere, qui perfidiam & periuria patrant & docent? Quo enim modo commercia, bella, pax, vrbes, domus, stare possunt sine fide? Si fidem violare Princeps potest, quis eam illi seruare tenebitur? Hinc FERDINANDVS II. Imperator non ita pridem è viuis ereptus, artem illam

regnandi

regnandi per quam multorum error in fuco, & fallaciâ ponit, *Regnorum exitium* vocabat; detegi tandem fraudes, hoc est subtrahi fulcra, & regna corruere. Sæpè non sine stomacho miratus est, & questus, Principes reperiri qui dolo velint niti, aliudque verbis præferre, quã animo. Hoc enim nec Christianum esse neq; nobile; multò minus aut Regium, aut Cæsareum. Imbiberat Magnus Cæsar illud Thucydidis: *Fraus cùm omnibus fœda sit, tum maximè ijs qui maiori dignitate præditi sunt; imò fœdior quàm aperta violentia.* Quos etiam decet abstinere ab æquiuocis, (quod frequens hodiè vsu venit) *cùm veritatis*, vt vir divinus, inquit, *purus debeat esse sermo: neque debeant homines, duabus sellis*, vt Tullius inquiebat, *sedere.* Vnde tales Veritatis funambuli B. Iobus *Fabricatores mendacij* appellabat. *S. Bonau. Cap. 13.*

---

## CAPVT XV.

### *Etenim inexpiabile facinus est* Fidem *ac* Religionem *Iurisiurandi contemnere.*

SI enim verum est (vt vero verius est) quod mihi iam in ore Comicus Græcus: *Menãder.*

Αγ{ τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην:

*Adducit ad supplicia Numen improbos,*

Quotusquisque dubitauerit fraudulentos, atque perfidos (qui verè vltimam improbitatis lineam attingunt) pœnas quandoque grauibus exemplis luituros? Quod enim improbitatis genus tetrius excogitari potest, quàm periurium, & veriludificatio? Siquidem, qui veri contemptor est, fidemque temerè violat, non modò in Deum impius est, sed etiam totius humani iuris, & generis euersor est existimandus. Vnde rectè Philosophus censet, *Periurium, & diuinam vltionem, & humanam infamiam incurrere.* Quò fit, *vt impossibile sit*, inquit Demosthenes, *iniustum, periurum, & mendacem, potentiam firmam retinere.* *Rhet. c. 18. Olynt. 11.*

Enimuerò, *occultum, & insidiosum malum Perfidia, quæ tantum incommodi humano generi adfert, quantum salutis bona fides præstat.* Quin eò studiosius detestandum, quò magis occultum, & ineuitabile. Certum est enim, *aperta odia, armaq; palàm depelli: fraudem, & dolum obscura, eoq; ineuitabilia.* *Val. Max. 9. c. 6. Tacit. 4. Hist.*

Maneat ergò, graue, ac deterrimum scelus esse perfidiam: quod quidem *iustæ vindictæ Deus acriter*, vt dictum, *ex equi solet.* Sed, quæ potissimum pœna? Si fas est iudicium diuinum coniecturis indagare, comperio eodem iudicio euenire, vt qui alteri fallaciam intendit, is eadem non rarò pereat. Monet Hesiodus, *Tacit. ibid*

Οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει:
ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται αἷσπερ ὑπῆρξεν:

*Qua-*

*Qualia vir patrat, talis manet exitus illum,*
*Arte alium, quâ quis capiet, capietur eadem.*

Tacit. 4. Hist. Secunda animaduersio est, Orbitas: tales enim perfidiosi sobole, omniq́ue posteritate (*firma alioqui Imperij munimenta*) destituuntur. Prou. 10. Vidit Regius Vates, *Nomen impiorum*, inquit, *putrescet*: & magnus Ecclesiæ Doctor: D. Ambros. *Nulla hæreditas*, inquit, *peccatoris*. Crede Sirachidi, clarè asserenti: Ecclesiast. 10. *Cessare facit Deus memoriam eorum à terrâ*. Immò eorum delicta plerumque in posteros conuertit, si Euripidi fides:

Apud Plutar.

*Crimina sæpè luunt nati scelerata parentum.*

Et Principi Poëtarum.

Homer. Iliad. 8.

Οὐ μὲν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον αἷμά τε ἀρνῶν.
Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.
εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν:

Inituti fœdera sanguinē mutuum delibabant. Tacit. 12. Annal.

*At non irritum erit iurandum, & fœdera pacta*
*Sanguine, nec dextra quis credere suadebamur.*
*Nam quanquam Deus haud pœnas in tempore sumit,*
*At post sumet, & hi magno mihi crede rependent*
*Ipsi, atque vxores, & dulcia pignora nati.*

De Sera Nun. vind. Plutarchus assentitur: *Qui*, inquit, *ex sceleratâ natus est stirpe, hunc decet, quemadmodum in hæreditatis ære alieno, ita & in prauitatis succedere supplicio.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

NON multum operæ conteram in perquirendis exemplis, quibus fidei violatores grauissimis ostendam supplicijs diuinitùs plecti. Extant enim passim sane quàm multa, cùm in profanis historijs, tùm in sacris obuia legenti. Quare eximia modò, pro instituto nostro, eaque maximè recentia proferemus, quæ tamen nec omnia transcribam ne fortè lectoris animum reddam nimiâ vbertate fastidientem.

Ierem. 39. 2. Reg. 25. I. Vnum sit è sacris instar omnium de SEDECIA Rege, qui se suamq́ue stirpem ac Regnum euertit, quia fidem Chaldæo datam fefellit. Sic familia SAVL suspensa & exstincta est ob Gabaonitas, quibus licet fraudulentis Iosue fidem dederat & seruauerat, ab eo cæsos docet historia sacra.

Val. Max. li. 9. c. 6. II. Incipiamus à profanis, & primò à sexu dolis magis instructo. Prodeat ergo Tarpeiæ arcis Romanæ Præfecti filia, quæ perfidiæ suæ insignes, meritasq́ue pœnas sustinuit. Hæc enim cum Tatio Sabinorum Duce pepigit, si quæ in sinistris manibus Sabini gestabant, mercedis nomine sibi darentur, recepturum se-

cum

cum in arcem Sabinos: Erant autem his armillæ & annuli magno ex pondere auri. Tatius, arce occupatâ puellam præmium flagitantem, armis obrutam necauit: perindè quasi promissum (quod ea quoque læuis gestauerat) soluens. *Absit reprehensio*, inquit Valerius, *quia impia proditio celeri pœnâ vindicata est.*

III. SYLLA Dictator, triginta sesterria (hoc est, moneta Italica 750. Ducatones, Belgica totidem Pattacones) liberis hominibus; libertatem verò seruis dominos prodentibus mercedis nomine posuerat in singula capita eorum quos ipse proscripsisset. Ad extremum seruus quidã Domini caput ad Syllam detulit: qui pactam libertatem dedit, sed manumissum de rupe Tarpeïa præcipitem dari iussit. *Ex Plut.*

IV. Ita AVRELIANVS Imper. occidi passus est *Heraclamonem*, cuius alioqui beneficio Thyanam vrbem receperat. Addiditque Imperator: *Ego verò proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderent; neque enim mihi fidem seruare potuisset, qui patriæ non pepercit.* *Fl. Vopisc.*

V. Verùm, omissis veteribus ad nouitia veniamus. HISPANVS quidam PRÆSES cuiusdam oppidi Mediolanensis, cùm nobilem quẽdam captiuum teneret, coniuxque eius liberationem, oblatâ pro eo magnã pecuniâ, peteret, Hispanus hac conditione se ei redditurum maritum promisit, si priùs sui copiam sibi faceret. quod cùm obtinuisset, mulieri reddidit maritum, sed priùs interfectum. Quâ re delatâ ad *Gonzagam* summum Ducatus Mediolanensis Præfectum in Hispanum manus conijcit: cogitque eum ducere interfecti nobilis coniugem. Ductâ illâ, reque deliberatâ, Hispanum capitali supplicio affecit, & porrò omnes eius facultates mulieri attribuit. Talem perfidiæ mercedem à *Carolo* Burgundiæ Duce reportauit quidam Zelandiæ Præses, vt ostendam infrà Lib. 5. cap. 29.

VI. Si Germaniam petamus, occurret nobis ALBERTVS Brandeburgicus, qui cum bellis inter *Carolum V.* Imper. & *Gallos* sæuientibus perfidiam commissoriam patrasset, mordicante conscientiâ, veniam redeundi in Germaniam, atque inducias sui purgandi ab Ordinibus petit; verùm nequitiam eius ferre ampliùs non valente Nemesi, vitæ ipsius stamen inopinanter abscidit, egregio rerum humanarum inconstantiæ, & vltionis exemplo, cùm is, qui tot hominum armatorum millibus circumfusus nominis sui formidine omnia olim compleuerat, & Germaniam omnem ferè prædæ exposuerat, mox alternante vices fortunâ, à cunctis desertus, tametsi receptus in præsidium fidei Cæsaris, in extrema miseria hostibus ipsis despicabilis, vitam finiuit. *Thuanus 13. Hist.*

VII. Iam in Daniâ, nobilis ab hac perfidiæ nota CHRISTIERNVS II. Is enim procerum quorundam factione, Suecici Regni gubernacula cùm suscepisset, anno 1520. contra datam fidem sacrã synaxi firmatam, in regiâ Holmensi nonaginta quatuor proceres ad conuiuium euocatos capite multauit; corporaque inhumata toto triduo ante Prætorium iacentia, tandem extra Vrbem cremauit. Verùm, pro tàm nobili in suos perfidiâ, ac crudelitate, Suecica plebs Regno illum exterminauit. *Io. Magnus li. 4. Olaus 8. c. 39.*

*Bapt. Fulgos. 9.* VIII. Neque silentio inuoluendus LVDOVICVS Burgundiæ Rex: Is cùm in Italiam aduersus *Berengarium II.* Imper. descendisset, ab eo prælio superatus, & captus, magna Berengarij humanitate liberatus est; pacta tantùm lege, vt se viuo cum copijs in Italiam non reuerteretur. At LVDOVICVS flocci promissa faciens, in Italiam haud multò post, ingentibus munitus copijs redit. Verùm, ab eodem *Berengario* rursum superatus, & captus, quia se ipse fide priuarat, oculis à victore erutis, luminibus quoque priuatus est.

*Auentinus in Annal. Boior.* IX. Cæterùm, peruoluenti mihi iam historias paullò remotioris æui, occurrit vnus TASSILO Boiorum Rex, gener *Desiderij* Longobardorum Regis, quem insigni quoque perfidiæ nota suo tempore insignitum scribunt. Is igitur cùm aduersus *Carolum Magnum*, sinistrè & infœliciter pugnam pugnasset, tandem coactus est cum eodem *Carolo* pacem pacisci, quam non difficulter impetrauit. Verùm, non multò post *Tassilo* violatis pactis, & fœdere cum vicinis Hunnis & Aruaris inito, bellum vix sopitum renouauit. At, indignantibus & bellum fastidientibus subditis, destituitur, & fidei violatæ accusatus, *Carolo* traditur, legeque Salicâ, regni administratione submouetur. Regni ergò priuatione mulctatum cum filio Dedone, quò nouarum conspirationum occasiones omnes vtrique adimeret, in monasterium amandat, quod etiam non procul ab Heildeberga nomen *Laureati* retinet etiamnùm.

*Guicciard. lib. Bellaius 2.* X. Adijciam exemplum Patrum memoria celebre: CAROLVS BORBONIVS cùm à *Mediolanensibus* magnam pecuniæ vim pro militum stipendijs exegisset, eamque propter exactiones & continua bella numerare recusassent, tandem promittit *Mediolanensibus*, si sibi triginta aureorum millia in menstruum stipendium militi darent, ducturum se illicò extra vrbem & Prouinciam Mediolanensem exercitum; & quia ipsos huiusmodi promissis aliàs deceptos fuisse sciret, arctissimo iuramento se obstringit, simulque Deum orat, vt si fidem fallat, primus hostilium tormentorum globus sibi caput auferret. Hac spe immunitatis freti *Mediolanenses*, maxima cum difficultate (siquidem vniuersa ciuitas exhausta erat) pecuniam tandem corraserunt, & militibus stipendia persoluerunt. Verùm, nihilo mitiùs deinceps, quamuis ad egestatem extremam plerique redigerentur, ab exactoribus, ipsisque militibus (frustrà imploratâ fide Borbonij) tractati sunt. Hoc facto, paullò post *Borbonius* Cæsareanum exercitum ad Florentiam duxit, & cùm ab hoc conatu depulsus esset, ad Romam occupandam transmisit: vbi dum ipse acriter vrgens oppugnationem, antequàm nebula, siue fortuita, siue fatalis discuteretur, mœnia transcendere conatur, globo missili, incertum à suis, vel ab hoste, traiectus interijt. quod plurimi diuina vltione accidisse putant: quia fidem Mediolanensibus datam violasset.

Fraudes fraudibus consimilibus puniri. Iam igitur satis constat inexpiabiles eiusmodi fraudes esse, imò earum architectores diuinam, si seram, vltionem experiri. Sed videamus, nùm eodem fraudis genere (quod in Aphorismis docui) illos perire solitos, exemplis probari possit: vt

saltem.

saltem ex alijs discant impostores, quod colo alterius adaptarunt, sibi ipsis aliquando nendum esse.

I. Certè, vt multos omittamus, id accidisse legimus PRVSIÆ Regi Bithyniæ. *Iustin. 34.* Siquidem dum consilium capit interficiendi *Nicomedis* filium, isque ab ijs qui hoc facinus susceperant, admonitus esset vt crudelitatem patris caueret; occupauit non solùm regnum paternum, sed etiam ab eo pater, non minori scelere, quàm quo filium occidere cupiebat, interficitur.

II. Ac vt profanis sacra misceamus, AMAN ille notior scelere quàm virtute, *Esther c. 7.* nunquid sui exemplum præbuit, exituque suo docuit id quod adstruimus? Insignis extat eius tragœdia Sacris litteris prodita: vnde constat insignem impostorem patefactis calumnijs, quibus impetrauerat à Rege *Assuero* edictum de delendâ totâ Iudæorum gente, pœnas meritas debitasque Regi, vel potiùs vxori, persoluisse. Siquidem de eâ ipsâ furcâ, quam *Mardochæo* reginæ patruo erexerat, suspensus est. *Li. 5. Epist.* ac quidem meritò: *ius enim exigit*, inquit Cassiodorus, *sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis.*

III. Testis etiam immanis GOLIAT, qui à *Dauide* capite truncatus suo ipsius *1. Reg. c. 17.* gladio, quò populum Israëliticum tollere ac delere statuerat.

IV. Et, vt ad profana stylum & animum referamus, ex interfectoribus I. *Cæsaris* narrat Tranquillus, nonnullos eodem illo pugione, quo Cæsarem violarant, *Tranqu. c. vlt. & Dio lib. 48.* semet interemisse.

V. IVSTINIANVS IVNIOR, quo anno proditionem aduersus *Sergium* Papam molitur, eodem proditâ & exspoliatâ Armeniâ per suos, peramplus factus *Baron. Tō. 8. Ann. an. Chr. 693.* est aditus Barbaris ad inuadendum Imperium: sicque dum proditionem parat Ecclesiæ Imperator, proditionem ipse è suis perpessus est: & biennio post naso truncatus Chersonam relegatur, Leontio in eius locum suffecto.

VI. Sed memorabile imprimis est, quòd Cominæus refert de CARDINALE *Lib. 10. Comment.* BALVENSI, qui crudelitatis minister *Ludouico XI.* Regi Galliarum fuit. Excogitauerat enim is Cardinalis carceres horrendos, quos eius instinctu Rex parari iussit (ij hodieque Lutetiæ conspiciuntur) caueas nempè aliquot, partim ferreas, partim ligneas, ferreis lamellis coopertas, latitudine octo pedum, & altitudine paullò maiori quàm est statura hominis: Compedes etiam ferreas grauissimas fieri curauit, quibus custodiæ vincirentur. at quid accidit Architecto? In has tetras caueas Cardinalis ipse, & quidem in eam quæ primùm perfecta fuit, inclusus est, perque totos quatuordecim annos detentus. Nec absimile Regi ipsi accidit. Etsi enim carceres illos tetros pessus non esset, tamen ad eundem planè modum ipse quoque præ continuo pauore & suspicione spontaneis se vinculis mancipauit, inque maiori metu versabatur, quàm illi quos aliquandò captiuos detinuerat. Ita enim sese in arce quadam inclusit, & custodijs circumsepsit, vt (teste Cominæo oculato teste) nullus arctiori custodiâ coërceri potuisset.

 VII. Cla-

*Krantzius l. 2. VVandalia.* VII. Clarum etiam exemplum in LVDOVICO Aurelianensium Duce, qui tempore *Caroli VI.* eo non valente propter inualetudinem imperare, Vicarius Imperij habenas tenebat. Is quò *Ioannem* Burgundiæ ducem, qui se in tutela Regis præferendum contendebat, penitùs ab Reipub. administratione submoueret, eum ex insidijs deprehensum trucidat. at, quid eo factum? Vt hoc innotuit Regi adolescentulo, rationem ocyùs excogitat, quâ consimili eum fraude perimat. Iubet itaque per speciem belli Anglici Comitia indici Monstreoli, & fide datâ pronunciat cædis abolitionem. Renititur tamen initio Dux: nec conuenisset, nisi nutantem animum erexisset amicus subdolus quidam ab Rege missus: *Nihil te moueat*, inquit, *tuta sunt omnia: confide, & te mihi crede.* Cui Dux: *Equidem tibi fidem habeo, sed vide quibus confidas, ne fortè vnà mecum decipiare.* hic ille: *Vana isthæc est trepidatio: ego vitam tibi meam pro hoc periculo paciscor.* Credidit Dux: nisi suo malo. Nam vt in conspectum Regis venit, idem ille amicus ac potiùs inimicus, ensem distringit; caputque congeniculantis & salutantis magno impetu ferit. Ita fide violatâ perit, qui paullò ante perire fecerat *Aurelianum*.

*Guicciard. lib. 5.* VIII. Eodem vitæ exitu interijt CÆSAR DUX VALENTINVS, *Alexandri VI.* filius. Is enim cùm *Ascanium Cornettum* Cardinalem, aliosque simulatâ amicitiâ ad conuiuium inuitasset, vt illos venenatis poculis necaret, in plagas quas alijs tendebat, ipse incidit: iusto enim Dei iudicio effectum est, vt ministri à poculis, errore, venenatum vinum, non illis, quibus erat paratum, sed ipsi Duci patrique eius exhiberent, quo pater iam ætate prouectus, fractusque subitò extinctus est; ipse verò Dux adhuc iuuenis & ad vires veneni reprimendas fortior, adeò ægrotauit, vt adhibitis plurimis remedijs vix tandem longo post tempore conualuerit: Intereà tamen vindictam diuinam non effugit. nam creato nouo Pontifice, re eius paulatim inclinatâ, tandem prorsus concidit: deficiente enim ab eo totâ pænè Romaniâ ad *Consaluum* Neapolis Proregem tanquam ad asylum confugit, à quo captus atque in Hispaniam missus est, & cùm inde deceptis custodibus Nauarram se recepisset, ad summam tandem redactus paupertatem, in ignobilis arcis expugnatione inter gregarios milites vulneratus occubuit.

Altera pœna perfidorum, Orbitas. Agè, vt ab vna fraudis & perfidiæ pœna ad aliam transgrediamur, an non plerumque videmus orbitatem manere Principes fallaces atque perfidiosos? Id in Aphorismis ostendimus: iam exemplis illustremus.

*In Arcad.* I. PHILIPPVM Macedonem, Tragicum illum exitum habuisse, omnemque eius posteritatem deletam fuisse, quòd temerè pacta conuenta, fidemque datam hosti violaret, Pausanias existimat. Itaque eo interfecto, vnicus *Alexander magnus* successor relictus est, quo mortuo, Duces inter se Imperium diuiserunt.

*Diod. Sicul. lib. 6.* II. IASON auctor Argonauticæ expeditionis, violauit iusiurandum *Medeæ* datum, de perpetuo coniugio: & postquam decem annos cum ea vixisset, duxit Creontis Regis Corinthij filiam, Medeâ repudiatâ. Quo repudio offensa Medea, omnes liberos Iasonis isto decennio natos interficit, & cùm nuptias celebraret

braret *Iason*, noctu Creontis regiam inflammat, Creontemque regem cum filia sponsa exurit. Iason verò euasit, & præ dolore se post illa interfecit.

III. MAHOMETES II. Turcarum Imperator, mortuo *Amurathe* fratre suo, alium fratrem superstitem illicò interfici iussit, cuius parricidij pœnam persoluit *Baiazetes* secundus Mahometis filius, à Selymo filio suo, primùm bello lacessitus, deinde Constantinopoli pulsus, & tandem veneno necatus. *Iouius.*

IV. FRANCISCVS SFORTIA à Mediolanensibus Præfectus exercitui contra Venetos, Mediolanensium arma in ipsos conuertit, & obsesso atque ad ditionem coacto Mediolano, Dux Mediolanensis salutatus est: cuius filius *Ioannes Galeacius Sfortia*, à suis ciuibus in ipsa Ecclesia paternam perfidiam suo sanguine luit. *Sabell. Ennead. 7.*

---

## CAPVT XVI.

### *A Fide ad* Fortitudinem *atq;* Magnanimitatem *proximo deflexu transgredior.*

FORTITVDINEM cum Seneca appello, *virtutem pericula iusta contemnentem*, *aut scientiam periculorum repellendorũ, excipiendorum, prouocandorũ*: quam qui assequitur, *non modò cum summis viris comparari potest*, vt loquitur Cicero, *sed similis Deo habendus est.* —— *Non enim ex alieno pendet*, inquit Seneca, *nec fauorem fortunæ aut hominis expectat*: *domestica illi fœlicitas est* animus scilicet ad fortuita securus: timidis ista relinquenda sunt, Itaque *fortitudo contemptrix timendorum est, terribilia despicit, imò prouocat, frangit.* *2. de Benef. c. 24.* *T. i. 1. de off.* *Epist. 72.* *Idem. epist. 88.*

Dolenda certè humanæ mentis imbecillitas, quæ rebus prosperè fluentibus nimiopere attollitur; aduersis & contra nitentibus oppidò deiicitur. plerique enim *vt res dant sese, ita magni atque humiles sunt.* *Teren. Hecyr.*

Aliter atque *qui magno animo, atque forti est*: hic enim, *omnia quæ cadere in hominem possunt, despicit, & pro nihilo putat.* —— *fortis* siquidem *animi & constantis est*, *non perturbari rebus asperis*, *nec tumultuantem de gradu deiici, vt dicitur, sed præsentis animi vti consilio, nec à ratione discedere.* Itaque *non potestate mutatur*, *non extollitur prosperis, non tristibus mergitur.* *Cic. 3. de Fin.* *Id. 1. de off.* *Amb. ad Simpl.*

> ———— *Regium hoc ipsum reor,*
> *Aduersa capere; quoq; sit dubius magis*
> *Status, & cadentis imperij moles labat;*
> *Hoc stare certo pressius fixum gradu,*
> *Haud est virile, terga fortunæ dare.*

*Senec. Oedip. act. 1.*

Quid incassùm quereris, quid ingemiscis? quid inuictam *Fati* necessitatem refugis?

*Neoptol. apud Sophoclem.* Nam, ——— *quæ voluntate accidunt.*

*Deorum hominibus calamitates, ferre eas*

*Toleranter est necesse.*

*Senec. 3. Nat. qu.* *Hoc est* ( inquit Philosophus ) *præcipuum, posse læto animo aduersa tolerare : quidquid acciderit, si ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si scisses, omnia ex decreto Dei fieri.* *Serm. 3. ad FF. in eremo.* Rectè D. Augustinus : *Ille solus fortis est, quia non in se, sed in Domino fortis est.*

*Sen. ep. 91.* Itaque, ô Princeps, tuum est *supra omnia quæ contingunt, eminentem esse, imperturbatum, intrepidum, asperis blandisq; pariter inuictum.* Id etiam apertè monet diuus ille Saxonum Præsul,

*Antelm. in Monostichis.*

Οὐ τέρψιν ἀρόντων φέρειας, οὐ λύπην ἀνιώντων;

*Non læta, extollant animum, nec tristia frangant.*

Enimuerò magnanimus, teste Philosopho.

*Arist. Ethic. 4. c. 3.*

Οὔτε εὐτυχῶν, περιχαρής ἐστιν, οὔτε ἀτυχῶν περίλυπος:

*Nec fœlicitate effertur, nec aduersis nimium tristatur.*

Nam & multa quotidie accidunt, quæ formidolosa ac difficillima videntur, *Cas. 2 Ciu.* etsi reuera nō sint: & vt sint, *facilia tamen ex difficillimis animi magnitudo redigit.* Audi, *Polib. 3. hist.* & imbibe Polybianum istud dictum: *Qui in aliquem casum inciderit, si id animosè fortiterq; tulerit, plerumq; fortunam suam in melius mutat.*

*Sen. ep. 78.* Quamobrem, *hoc tene mordicus : aduersis non succumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tanquam quidquid potest facere, factura sit.* *Plot. Firmo apud Tac 2 hist.* Hoc inquam age, & cum viro magno cense, *fortes ac strenuos etiam contra fortunam insistere spei; timidos & ignauos ad desperationem formidine properare.* *L. Florus l. 4. c. 8.* Benè quispiam : *Magnæ indolis signum est, sperare semper.*

*Tac. 4. hist.* *Fortes & strenui contra fortunam insistunt spei*, præsertim rebus inclinatis : pulchrè Horat:

*Rebus angustis animosus atq;*

*Fortis appare, sapienter idem*

*Contrahas vento nimium secundo*

*Turgida vela.*

*Cic. 1. de Off.* Verumenimuerò cautio est, ne altus hic animus ad illicitas res excitetur: Etenim, *facillimè ad res iniustas, impellitur, vt quisque est altißimo animo gloriæque cupido.* *Auct. de quat. Virt.* Est enim quædam *mensura Magnanimitatis, quæ si vltra modum se extollat, faciet virum minacem, inflatum, turgidum, & inquietum, momentisq; omnibus supercilia erigentem.* nec id tantùm : sed etiam improbas illi spes proponet, *Cupiditatem*, inquam, & *Ambitionem.* *Cic. 1. de Off.* Verè enim Orator noster monet, *maximis animis,*

*splendidißimisq; ingenijs, plerumq; existere honoris,*

*imperij, potentiæ, gloriæ cupiditatem.*

# EXEMPLA.

I. ALEXANDER Macedonum animi magnitudine longè excellentissimus Rex, non dolis fallacijsque, quemadmodum *Philippus* pater, sed aperto Marte bellum administrabat. *Philippus* enim ex insidijs ac dolis omnia tractabat, & deceptis semper hostibus gaudebat; filius autem manifesto certamine eos superabat. Quò factum, vt filius præ patre laudatior, à magnanimitate passim laudibus efferatur. Est enim ignaui hominis decipere, vtpote quem vel timor compellit, vel futilis aliqua species in mendacium inducit. At magnanimus, verax est, & palàm amat, palamque odit, & decernit. *Pausan. in Arcad. referente Patrit. 7. de Regno.*

II. Sui generis fortitudinem magnanimitatem pandebant HELVETIORVM LEGATI ad Cæsarem, cùm dicerent, ita se à parentibus, maioribusque institutos fuisse, vt magis virtute, quàm dolo contenderent, aut insidijs niterentur. Vnde non solùm Heluetios, verumetiam Gallos omnes *Cæsar* laudat, quos affirmat esse homines apertos & minimè insidiosos, qui virtute, non dolo decernant. Exsecratur autem Afros, qui dolis & insidiis certant; non virtute, aut animi magnitudine. *Indidem.*

III. Sed fortis præcipuè animi & magni est, constanter & æquiter ferre extrema quæque, & fortunam nouercantem rectis æquisque oculis adspicere. LÆLIVM ob id habitum esse sapientem Cicero refert, quòd *omnia sua in se posita esse* diceret, *humanosque casus virtute inferiores* putaret. Et sanè, si Plutarcho credimus, virorum fortium est, animi statum in periculis, rectum & immobilem conseruare. *De Amicitia. De cupid. vit.*

IV. Vidit hoc & sensit magnus illi MITHRIDATES, qui cùm victus esset & captus ad Eunone Romanorum Duce, sui semper similis, & constans intrepidè in hæc verba prorupit: *Mithridates terra mariq; Romanis per tot annos quæsitus, sponte adsum: vtere vt voles, prole magni Achemenis, quod mihi solùm hostes non ademerunt.* *Tac. li. 12 Annal.*

V. Sed & ANTIGONVS Nacedonum Rex, qui cùm ad Regiam dignitatem recens ascendisset, idque grauatè ferret, stomachareturque populus ipse virtute & conscientiâ fretus, in populi conspectu diadema sceptrumque posuit; atque palàm monuit, vt si alium quempiam se regno digniorem inuenirent, ad eum ex arbitrio diadema sceptrumque deferrent. Quâ animi magnitudine atque fiduciâ, populi animum sic mouit, vt vltrò omnes ad capessendum denuò regnum hortarentur: quod ipse constanter renuit, nisi ante de seditionis auctoribus supplicium sumeretur. *Stob. serm. 47.*

VI. Atque vt à Græcis abeam, clarum legitur in PERTINACE Romanorum Imperatore fortitudinis exemplum: qui cùm ab amicis suis admoneretur, *Herod. lib. 2*

vt mili-

vt militum prætorianorum crudeles insidias, qui ipsum è via tollere conabantur, effugeret, populique auxilium imploraret, præclarè respondit, *Indecorum esse, ac illiberale, minimeq; dignum Imperatoriâ Maiestate, atque anteactâ vitâ, latebris, aut fuga sibi salutem quærere.*

Fulgos. 3. cap. 2. VII. Imperatoribus meritò iungendus OCTAVIVS Consul propter eandem animi fortitudinem, quam ciuili bello ostendit. Is igitur, cùm vrbi Romæ à Cinna, Marioque periculum immineret, ab amicis atque Aruspicibus suasus vt abiret, vocem Consulis dignam emisit: *Se, cũ Consulatũ gereret, patriam nisi cum vita relicturum.* Itaque cùm Consularem sellam consulatibus cum ornamentis conscendisset, quamquam tunc quoque essent qui fugâ sibi vt consuleret, hortarentur, optimo etiam equo ad fugam oblato, ipseque Censorinum à longè venientem videret, quem ad se perdendum missum esse sciebat, nunquam aut loco, aut vultu immutatus est, sed intrepidus, eodem loco manens, sæuiente Censorino, caput amisit.

sorm. VIII. Dandum quoque aliquid loci recentioribus. Magnus ille & inclytus ALPHONSVS Arragonum Rex, cùm quondam vidisset naufragos auxilium implorantes, suos adhortatus est, vt illicò subuenirent; qui dum pertimescerent periculum maris tàm horrendum, dicentes meliùs esse vnam, quàm vniuersas triremes perditum iri; Rex ipsemet soluit Prætoriam nauim: *Satius esse*, inquiens, *vnà cum socijs, viris fortissimis occumbere, quàm illos videre ante oculos extrema perpeti.*

IX. Sacra omitti non debent: Nunquid *Eleazar* Aholites vnus ex fortibus Dauid comitem se fugientibus dedit? nequaquam: sed ingenti terrore cæteris dilapsis solus præstitit, & percussit Philisthæos dum obrigesceret manus eius cum gladio, fecitque Dominus salutem magnam in die illâ, & populus qui fugerat reuersus est ad cæsorum spolia detrahenda.

Ita ELEAZARVS belluam subiuit, & perfosso ventre occidit, atque ita suo in triumpho sepultus est.

X. Ad prophana regredior: Idem ALPHONSVS qui supra cùm in Virgilio mortem *Didonis* sibi legi curasset, accidit fortè magnus terræmotus, quo perculsi, & plurimùm attoniti qui circa eum erant, *An par est*, inquit, *vos mirari terræmotum fieri in tantæ Reginæ morte?* quo ioculari verbo animos consternatos prorsus erexit.

XI. Verùm, quàm verè magnanimus fuerit FERDINANDVS Arragonius II. Neap. Rex, vel ex eo solo colligere est, quòd tametsi res eius bello attritæ, & tantùm non desperatæ essent, nunquam tamen ad honestissimas pacis conditiones, quæ illi à *Carolo VIII.* Francorum Rege proponebantur, dummodo Regis nomine se spoliare vellet, & iuribus suis renunciare, attendere voluit: quin fortiter, & viriliter omnia tolerando, vsque eò obdurauit, dum conuerso rerum statu, regnum auitum ingenti cum gloria armis recuperauit. Non cessit ille nouercanti fortunæ, sed fortiter restitit: probè gnarus, *infirmi ingenij esse lapsu aliquo summæ rei diffidere: cùm exiguis momentis subitò inclinantur omnia, quæ in bello geruntur.* Benè

Dioge-

Diogenes: Δεῖ ἀντιτιθέναι τύχῃ μὲν θάρσος. νόμῳ δὲ φύσιν, πάθει δὲ λόγοι: *Oportet quidem obijcere fortunæ confidentiam, naturam legi, perturbationem rationi.* Oporteret certè; sed vbi tales? cùm persæpè videamus maximis viris plerunque accidere, vt subito casu aliquo cadant animis, totique, eneruesiaceant: vt in HIERONE Syracusanorum Principe legimus, qui deuictis prælio Syracusanis, Messanam obsidentibus, *adeò timore perculsus fuit, vt non solùm incensis castris, atq; tentoriis per noctem Syracusas fugerit, verùm etiam munitissima quæq; loca, quæ in Messanorum regione sita erant, dereliquerit.* Et de quodam MAVRORVM REGE, qui cùm à *Ferdinando* Hispanorum regno pulsus esset, multas querelas, & lacrymas fudit tanto Rege indignas: qua re indignabunda Regina, ipsius nouerca: *Hui*, inquit, *licet tibi iam vt mulier lacrymari, postquam non vt vir cum Christianis depugnasti.* Eandemque ob causam à Cicerone Pompeius ille, alioqui Magnus reprehensus: GNEVS *autem noster (ô rem miseram, & incredibilem) vt totus iacet? non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Mitto iam fugam ab Vrbe turpissimam, timidissimas in oppidis conciones, ignorationem non solùm aduersarij, sed etiam suarum copiarum.*

*Apud Laert.*

Magni interdum viri, infesto aliquo casu, timore, & formidine ita percellũtur, vt animũ cũ hasta abijciunt.

*Li. 7. ep. ad Att. ep. 20.*

Sed ego, in aduersis duo hæc Principibus Christianis suaserim: Primùm, vt in pessimo rerum statu, ad Deum, veniam pro peccatis precaturi, confugiant: *qui enim salutem suam Deo committunt* (ait Iosephus) *præter opinionem è medijs emergunt periculis.* Alterum, vt amicis, quibus plurimùm tribuunt, patefaciant se totos, & animi vulnus, quo affliguntur, denudent: Nam vt Sophocles inquit:

Aduersorũ leuamẽ Deus, & amici.

*Ioseph. li. 2. Antiq. Iudai. 6.*

*In Aiace.*

> *Quiquis proprias aspicit oculis*
> *Ærumnas, nec habet partem in quam*
> *Transfundat mali,*
> *Magnos sustinet ille dolores.*

Plinio intellectum amico scribenti: *Mihi autem familiare est*, inquit, *omnes cogitationes meas, tecum communicare, ijsdemq; te, vel præceptis, vel exemplis monere, quibus ipse me moneo.* Et Diuo Ambrosio: *Solatium quippe vitæ huius est, vt habeas, cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participet, cui committas secretum pectoris, vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* Hanc itaque rationem ineat quisquis sapit, vt sicubi aliquo fortunæ ictu ad casum datur, non continuò mœstus fiat, vel videatur; id enim planè alienum est, imò indignum Principis Maiestate, malis nimirum cadere, pedemque referre, sed potiùs contrà nitatur, atque in malis istis euentibus confugiat ad magnum illum Æsculapium, vt sic loquar, Christum Dominum; atque inde, ad firmitudinem sese reuocet, amicorum allocutione. *O quàm bonum est* (inquit Seneca) *vbi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat, quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas; quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet.*

*Li. 1. ep. 24.*

*Li. 3. off. c. 16.*

*De Trãq. cap. 7.*

XI. Quantò laudabilior, imò securior ille, qui ne quidem vllius alloquio opus habet, sed animo forti, & constanti temporum iniurias sustinet, cogitatque *Cic. in ep.*

cum Oratorum maximo, *ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit à culpa?* Talis fuit M. ille ANTONINVS, re & cognomine PHILOSOPHVS, quem tantę tranquillitatis, & fortitudinis fuisse ferunt, vt mœrore, vel gaudio vultum nunquam mutarit. Hoc etiam ingenio fuit FRANCISCVS Galliæ Rex, vt Historici testantur, quippè qui sui simillimus semper fuerit, tametsi apud *Carolum V.* captiuus in Hispania detineretur. Quâ dote præditum etiam fuisse eundem *Carolum V.* tradunt, qui res eius gestas monumentis consignarunt. Nam res seu lætas, seu acerbas acciperet, vultu nunquam mutabatur; tanta erat oris, oculorumque & totius vultus Cæsarei constantia, & quasi perennis quædam serenitas.

Q. Capitol. Guicciar. Zenocar. l. 5. Caroli.

Neque id quidem mirum: nam is verâ & perfectâ fortitudine præditus erat: quæ in duabus rebus maximè cernitur, vt inquit Cicero: *Quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur, cùm persuasum sit nihil hominem, nisi quod honestum decorumq; sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportère, nulliq; neq; homini, neq; perturbationi animi, nec fortunæ succumbere: altera est res, vt, cùm ita sis affectus animo, vt suprà dixi, res geras magnas illas quidem, & maximè vtiles; sed vehementer arduas, plenasq; laborum, & periculorum, tum causæ vitæ, tum multarum aliarum rerum quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum splendor omnis, & amplitudo, addo etiam vtilitatem in posteriore, causa autem & ratio efficiens magnos viros, est in priore. In eo enim est illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. Id autem ipsum cernitur in duobus, si & solum id quod honestum sit, bonum iudices, & ab omni perturbatione liber sis.* Cui accedit Aristoteles, qui docet fortitudinem in duobus cerni: in periculorum susceptione, & laborum perpessione. Mihique ei qui verè fortis, & magnanimus esse volet quatuor hæc inesse oportère iudico. Primum est rerum omnium externarum contemptio: alterum, laborum pro virtute perpessio: Tertium periculorum, & arduarum rerum susceptio: Quartum, futuri meditationem. *Inexspectata enim plus aggrauant: nouitas adijcit calamitatibus pondus.* Optimè & ex vero vir diuinus: Minùs iacula feriunt quæ præuidentur: & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeū munimur.

Li. 3. Eth. ad. Nicom. Senec. epist. 91. D. Greg. Homil. 53.

Sed ne inuideamus sequiori sexui in fortitudinis dote. Agè, illustria quædam producamus exempla.

Fortitudo etiam in mulieribus.

XII. IOHANNAM LOTHARINGIAM eccè in medium produco, quæ nutantem Galliam fortitudine suâ erexit, & Aurelianensem vrbem Britannorum obsidione strenuè liberauit; MARIAM etiam PVTEOLANAM, VRSINAMQVE TAVRELLAM, & ORIETTAM AVRIAM, quæ fortiter, & magnificè in acie steterunt, hostes oppugnando, fugando, delendo. Vos etiam GERMANAS VIRAGINES, quę ad expeditionem Hyerosolymitanam magno cum animi robore profectæ estis. Quid de HIPSICRATEA, quæ prætergredi non debuit, Ponti Regina? quæ tonsis capillis, equo, & armis se assuefecit, quò faciliùs laboribus, & periculis viri (Mithridatis) interesset. Tène præteream, ô inclyta SEMIRAMIS Assyriorum Regina? facinus certè tuum non patitur. Cùm enim tibi nunciatum esset, Babylonem defecisse, tametsi circa capitis cultum occupata esses protinus tamen ad eam expugnandam, alterâ

V. Gagui. Maff. Fulgos. Val. Max. l. 4. 6.

altera parte crinium adhuc soluta, cucurristi, nec prius decorem capillorum in ordinem quàm tantam vrbem in potestatem redegisti? Eritnè igitur, qui factum, non dicam Assyriorum, sed veterum Britannorum reprehendat, qui tui similes nedum regno præfecère, verùmetiam bello? *Solitum enim quondam Britannis fœminarum ductu bellare*: sed profectò fœminarum, quæ tantâ virtute, & robore animi, plerisque huius æui viris militibus, ausim dicere Ducibus, pudendùm tamen dictu, præcellebat.

Attexui in extremo Aphorismorum, *Magnanimitatem moderatam esse debere.* Nō de nihilo: cùm plerumq; ad iniustas res impellantur, qui nimium sui pleni, gloriâ, & magnanimitate, plus quàm par est, efferuntur; imò eò inducuntur, vt Deum contemnant, Religionem fastidiant, leges negligant, bella vicinis temerè inferant. quod exemplis doceamus. Magnanimitas quatenus, probanda.

I. In Græciâ nonnemo inuentus est, qui Dianæ Ephesiæ Templum incendere vellet, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur: quod reuerà consilium exequutus fuisset, nisi quispiam id Ephesijs detexisset, qui prudenter edicto cauerunt, ne nomen teterrimi hominis in actâ referretur, nisi Theopompus magnæ vir facundiæ historijs suis illum comprehendisset.

II. IVLIVS CÆSAR, cùm oppidulum transiret ad Alpes situm, ac reuertere- *Suet.* tur in Gallias, dixit malle se in isto oppidulo esse primum, quàm Romæ secundum.

III. Quid Carolum Burgundum, cognomine AVDACEM vsque adeò ambitiosum, atque procliuem ad bellum vicinis inferendum reddidit, nisi alta quædam confidentia, & impotens magnanimitas, quæ moderationis, & modestiæ fines supergrediebatur? Philippus quidem Cominæus, intimus eius consiliorum *Lib. 4.* administer testatur, ad eum ambitionis, & gloriæ gradum peruenisse, vt ne Euro- *Comment.* pæ quidem dimidia pars mentem eius explere potuisset.

IV. Dissimili plane ingenio CAROLVS V. Imp. illius ex filia pronepos: vt *Zenocar.* qui nullam vnquam in hostes susciperet expeditionem, nisi pernecessaria eum cau- *l.5. Caroli.* sa ad id adigeret: emolumenti, lucrique spe omni neglectâ, & postpositâ: quin excepta vox eius magnifica, & magnæ moderationis plena: *Etiamsi*, inquit, „*expugnatum haberem vniuersum Regnum Gallicum, redderem illud Regi, dum illud exiguum, quod meum esse contendo, vt frui me patiatur.*

V. Quid si in eadem classe veteres illi religionis nostræ expertes referantur? *Cap. 21.* De AVGVSTO Cæsare Tranquillus scribit, *tantùm abfuisse à cupiditate quoquo modo Imperium, vel bellicam gloriam augendi, vt quorundam barbarorum Principes in æde Martis Vltoris iurare coëgerit, mansuros se in fide, & pace, quam peterent. Quâ virtutis, moderationisq; famâ Indos etiam, ac Scythas auditu modò cognitos pellexit ad amicitiam suam, populiq; Romani vltrò per Legatos petendam.*

Atque hactenus de Fortitudine, & Magnanimitate.

## CAPVT XVII.

### *Nec omittenda nobis* Beneficentia, *virtus nunquam satis Principi commendanda.*

Cic. 3. de Fin. — In vita Dion. — 86. Dist. ca. fratrem.

SIQVIDEM ex sententia Plutarchi, τὸ πλουτῶν τὸ πλουτίζειν βασιλικώτερον: *magis Regium ditare quam diuitias possidere.* Ratio clara, quòd qui *liberalitate vtuntur, Beneuolentiam sibi conciliant*, cuius tanta vis est ad regendum, vt sine ea clauus Imperij haud stare possit penes Regentem. Apertè Æmilius: *Nullum est Imperium tutum, nisi beneuolentiâ munitum.* Donabis igitur: sed modo adhibito *Rerum, & Personarum.*

Senec. 1. de Benef. c. 1. — 2. de Off. — Lib. 3. — Tac. 1. hist.

Nempè *Rerum*, vt perpendas quid, quare, & quomodo promittas, vel dones. *Beneficia* (ait verus Sapientiæ alumnus) *sine vllo delectu, magis projcimus, quàm damus*; & vt acutè ante eum Cicero dixit: *Benefacta malè locata, malefacta arbitror.* Hinc rectè Valerius dixit: *Liberalitatis duos esse fontes, verum Iudicium, & honestam Beneuolentiam.* ——*Falluntur* enim *quibus luxuria specie liberalitatis imponit.*

Ci. 1. de off.

Quid ergo donabis? Imprimis honesta: quippè, *nihil est liberale, quod non idem sit iustum.*

Lib. 1 de Benef. c. 11.

II. Apta conditionibus personarum: *Videamus* inquit Seneca, *quid oblatum maximè voluptati futurum sit, quid frequenter occursurum habenti, vt toties nobiscum, quoties cum illo sit.*

3. de Offic.

III. Non immodica. Nam plures inconsultâ largitione læduntur, quàm beneficio deuinciuntur.

De Offic. — De Ambr. in off. — D. Greg. epist. — Ta. 11. An. — Ci. 2. de off. — Ta. 2. An. — 3. de Offic. — Plin. Paneg. — Indidem.

Scitè Tullius: *Benignitate, benignitas tollitur.* Adde quod *non vult Dominus effundi opes, sed dispensari.*

Nam ecce, si omnia vni: *pluribus prodesse non poteris*; Si omnibus, nullus finis: quippè, *quam singuli exsatientur, Respub. deficiet*: præterquam quod, *alienis bonis manus afferre cogeris* immodicâ ista liberalitate. Testatur prudens Historicus: *Si ærarium ambitione exhauseris, per scelera supplendum erit.* Quo quid iniquius, vanius, nocentius? Iniquius inquam, quia, *qui alijs nocent, vt in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, vt si in suam rem aliena conuertant.* Vanius: nam *quid stultius est, quàm quod libenter facias, curare, vt id diutius facere non possis?* Cui accedit, quod gratiam beneficij nullam hinc feres: quoniam, *tùm demùm gratissima sunt accipientibus data, cùm sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum.*

Senec. 3. de Benef.

Omnibus enim confertur, quibus nihil adimitur. Dixi etiam nocentius: quia, *maiora odia consequêris eorum quibus ademeris, quàm fauores eorum, quibus dederis.*

IV. Sed

IV. Sed & *Personarum* ratio habeatur. Delectus enim quidam hîc habendus; nimirum, *vt maior & propensior sit liberalitas in calamitosos*. Plinius id indicauit: *Pauperibus vna educandi ratio, bonus Princeps.* *Cic. 2. de Off. Paneg.*

V. Mox, *Vt senibus plus largiaris, qui sibi labore non queunt victum quaerere.* *Ambros. 1. Offic. c. 30.*

VI. *Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egêre cognoscas.* *Indidem.*

VII. Ad hæc, vt benè meritis etiam promptiùs conferas: nam, *virtutum præmia tribui merentibus conuenit.* *L. fin. Cod. de Stat. & imag.*

VIII. Et qui mereri possunt: *his* quidem *exempla*; (*Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes*) *ihis* (etiam non petentibus) *præmia*: quæ tamen, vt prædixi, *ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda*. Nam *perdere multi sciunt, donare nesciunt.* *Plin. Paneg. Cassiod. 2. Var. Epist. 16.*

Quanquam sanè, quin nouo Imperio effusiùs dones, non abnuam, *vt hoc pacto populi possis desiderata gaudia continêre.* *Cic. 2. de off.*

Enimuerò, *nullam crediderim esse maiorem Principum fœlicitatem, quàm fecisse fœlicem.* *Tacit. 1. Hist.*

IX. Erga Ecclesias quoque haud esse coërcendas largitiones docet Imp. Iustinianus: *In Ecclesijs*, inquit, *dotandis optimam esse mensuram donatarum eis rerum immensitatem*: sed non postea, vti plerique, repetundarum? quia τὸ προςϑῆ τȣ̃ ἀφελῶν βασιλικώτερον: *Regalius est addere, quàm auferre.* *Cassiod. 3. Var. Pacat. Paneg. Plut. in Artax.*

---

## EXEMPLA, & in ijs NOTÆ.

I. EXaminanti mihi eorum Heroum vitas, quorum nomina ab insigni liberalitate clarorum virorum scriptis celebrantur, occurrit imprimis CYMON ille Atheniensium Princeps, quem vsque adeò liberalem, munificumque fuisse tradunt Græcorum scripta, vt cum pluribus in locis prædia rustica habe-ret, nunquam tamen in ijs custodem habere sustinuerit, ne quis impediretur, quominus rebus eius, quibus vellet, frueretur: semperque eum nummati pedissequi sequebantur, vt si quis eius ope indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo negare videretur: sciebat enim lentas donationes minus gratas, satiusque mox repulsam citò pati, quam spe diu, sæpè frustra lactari. *Æmil. Probus & Plut.*

II. Cui adsidet ex eadem gente DIONYSIVS Siculorum Rex, qui cùm ad filium ingressus conspexisset argenti cælati magnam vim, magnificam hanc extulit vocem: *Non est in te regius animus, qui his poculis & vasculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem amicum tibi feceris.* *Plut. in Apoph.*

III. Eodemque mentis proposito ALEXANDER MAGNVS interrogatus, quis optimus Principum esset, *qui*, inquit, *amicos donis retinet, & inimicos beneficijs amicos facit.* *Indidem.*

IV. IDEM etiam quondam inter Philosophos de fœlicitate disputantes, senten-

Senec. 4. de Benef. sententiam rogatus, dixit: *Nihil esse beatius, quàm multos sibi donis & muneribus obstringere.* Is enim maximè Dei immortalis, qui omnibus prospicit, naturam videtur attingere. Proindè eos qui munera Principum respuerent, puniendos esse censebat, vt qui illorum virtuti inuiderent. Vnde *Phocionem* Athenienſem virum integrum & grauem, litteris monuit, minimè se existimaturum illum sibi amicum fore, si deinceps munera sua repudiaret.

Plutar. & Ælianus 3 Var. c. 13. V. Quid de PTOLOMEO Lagi filio? hunc incredibili voluptate affici solitum ferunt, quùm amicos suos cerneret à se locupletatos esse, quin crebrò illud vsurpasse: τοῦ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν βασιλικώτερον: *Magis regium ditare, quàm diuitias possidere.* O quàm dissimilis illis Principibus, qui postquam aliquos ditarunt, per causam offensiunculæ, aut opum malè quæsitarum, inuolant in eorum facultates, quas omnes eripiunt etsi non omnes dederunt. Enimuerò, longè satius est, ne dare quidem diuitias, quàm eos quibus dederis spoliare.

Phauorin. Cramers. VI. Quid de ANAXILAO Rege eloquar? Is hoc vnum Regibus fœlicissimum euenire existimabat, quod à nemine vinci possent beneficijs: cùm nullum sit certius fœlicitatis argumentum, quàm posse quam plurimos fœlices facere.

Ex Plut. VII. Ad Alexandrum Magnum *Aristoteles*, inquiebat: *Vnum dicam, quod nunquam cessaui dicere: Auaritiæ fugam & liberalitatis gratiam Regum esse gloriam & regnorum firmamentum. atque hoc potissimum assequitur, si à rebus subditorum se abstineat.* additque: *In præceptis Hermogenis magni doctoris scriptum reperi, summam & veram bonitatem, claritatem intellectus ac signum perfectionis in Rege esse, abstinere à bonis subditorum; quod si secus egerit, citò regnum illius corruet.*

Tranquil. c. 8. VIII. Verùm, ne Græcorum prolixiore commemoratione, Romanos Principes pari laude priuemus, maximè à munificentiâ prædicatur IMP. TITVS. *Nam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritòq; laudatam vocem edidit: ô Amici, diem perdidi:* Vocem profectò magnificam & liberali Principe dignam.

Zonaras. IX. Sciscitanti AVRELIANO Rom. Imper. iam facto, quomodo imperandum esset, respondit vnus è proceribus: *Si Rempublicam rectè administrare volueris, auro & ferro te munitum esse oportet; ac ferro quidem contra hostes vti; tui verò obseruantes, auro remunerari.*

Dio. lib. 54 X. AVGVSTVS verò, vt hos ætate præcessit, & rebus gestis omnes superauit, ità beneficentiâ ac liberalitate cunctos antecessit: Mox enim Imperium adeptus, nihil se magis sibi gratulari dixit, quàm quod gradum illum iam conscendisset, vnde vniuersis benefaciendi facultas præstaretur, cum *illud amplitudinis certum sit testimonium, omnes beneficentiâ promereri.*

In liberalitate cauenda ostentatio. Cic. 1. de off. Sed enim obseruandum in hac liberalitatis caussâ, ne Princeps potiùs videri, quàm esse liberalis velit. *Videre enim licet plerosque*, inquit verè Cicero, *non tam natura liberales, quàm quadam gloriâ inductos, vt benefici videantur facere multa, quæ videntur magis proficisci ab ostentatione, quàm à voluntate.* Quâ in re hoc assequuntur, vt nedum libera-

ralitatis, verumetiam prudentiæ laude priuentur, exiguamque beneficij gratiam referant, vnicum alioqui huiusce regiæ virtutis pretium. Ast, nec illi probandi, qui *beneficijs suis commendationem ex difficultate captant, gratioresq. accipientibus honores arbitrantur, si priùs illos desperatio & tædium, & similis repulsæ mora, in notam quandam* [ignominiam & dedecus,] *pudoremq. vertunt*. Tangit hoc scitè Philosophus: *Plerisque*, inquit, *hoc vitium est ambitione prauâ differendi promissa, ne minor sit rogantium turba*. Caussa ergò huius dilationis duplex, quòd *beneficijs suis commendationem ex difficultate captant*; altera, vt commendationem afferat *rogantium turba*. Hos ceù malè benignos improbat Seneca: cùm *nihil æquè amarum sit*, inquit, *quàm diu pendere qui tardè fecit diu noluit*. Cauenda & dilatio. Plin. Paneg. Seneca lib. 2. de Benef. c. 5.

I. Hoc tamen genio PERTINACEM fuisse ferunt, qui *Christologus* vulgò dicebatur, idque quòd liberaliter omnia polliceretur, præstaret autem nihil. Tales certè plerique sunt hodiè, qui nimirum vel *Pertinacem* vel *Charetem* imitantes, vanis & politicis sponsionibus ministros atque subditos erigunt, ac eorum spes, nihil postea re adiuturi, verbis fouent. Cap. 1. Capitolinus.

II. Reiectis istis, placeat Magni viri monitum: *Sicut Sol preces, aut blandimenta non expectat, vt exoriatur, sed statim surgit & ab omnibus salutatur: sic tu nec plausus expecta, nec strepitus vel laudes vt benefacias, sed spontè benefac, & pariter ac Sol omnibus carus eris*. Epictetus apud. Stobæ. de Magistr.

III. Quod monitum excepisse videtur THEODOSIVS Imper. cuius tàm certa fuisse beneficia Pacatus scribit, *vt tùm accepta viderentur, quùm spponderet quia vota hominū minus fallebat, ne quidē fatigabat, neque adhibebat muneribus artem difficultatis*. In Paneg.

IV. Consimilis affectus MAXIMILIANI I. quem solitum dicere ferunt: *Caritatem non expectare preces hominis egentis, sed vbi necessitatem videt, ante preces opitulatur, & auxilium fert*. Dij faciant, vt hunc magni Principis sensum, non tam Principes, quàm qui circa eos sunt, æmulentur, vtpotè quorum beneficia plerumque lenta sunt; iniuriæ verò præcipites, vt verè Seneca scribit. Reusner. in Symb. Impp.

V. Cuius *Maximiliani I.* consanguineus FERDINANDVS II. recentis nostræ memoriæ Cæsar inclytus & inuictissimus eadem summâ beneficentiæ laude floruit. Constans est enim opinio vt refert R. P. Lamormainus, vix in Romano solio aliquem sedisse, beneficentiæ laude cum FERDINANDO comparandum. Si, quàm multa illius liberalitas in homines effudit, tam multa vellem hîc recensere, non eò magis scribendo excederem, quàm ille nonnullis visus sit excedere donando. Magni nominis vir inter Aulicos facetè solitus est dicere, optandum è capitalibus duobus vitijs Auaritiâ, & Irâ aliquid inesse FERDINANDO. Nimirum & patiens vltra fidem, & munificus præter modum visus est. Cùm nullum benefaciendi ac donandi finem fecerit, adhuc suo animo munificentiæ cupidissimo, non videtur planè satisfecisse. Lepidè iocatus aliquando, gratissimum sibi futurum dixit, si nouam copiosamque auri fodinam eius in terris Deus aperuisset, non sibi vt opes aggregaret; sed vt esset præ manibus, quantum alij peterent, quantum ipse optaret dare. Moderatio in hac re adhibenda.

VI. Hæret

VI. Hæret animus in inclytâ illâ Austriacorum familiâ. In quâ Archidux ALBERTVS non ita diu bonorum omnium luctu è viuis ereptus: cuius beneficentia & liberalitas maximè in egenos & Ecclesias emicuit. Satis enim constat quotannis centena floren. millia in templa & pauperes erogasse. Iam ædem B. Virginis sacram in Aspri colle à solo excitauit, numeratis vt mininùm trecentenis florenorum millibus, vtpotè allectus ingenti populorum deuotione illuc ob miracula frequentissima confluentium. Bruxellæ autem Cœnobium & templum erexit sub auspicijs Dei opt. max. ac Virgini Matri: quod quidem sanctimonialibus Carmelitanis additâ dote donauit. Ceterùm, eiusdem instituti Monachis qui ad instar Anachoritarum prisci æui in cellis suis parcè duriterque victitant, contemplationique rerum diuinarum vacant, amœnissimum locum, siue syluam Marlianam inter Mosam & Sambrum muro circumquaque cinctum donauit, in cuius etiam meditullio Monasterium omnibus numeris perfectum præter alias 20. cellas ab eo remotiores excitauit, censu etiam ad congruentem alimoniam attributo. Super hæc pro pio & votiuo donatiuo, chlamydem B. Mariæ Virgini Lauretanæ viginti aureorum millibus æstimatam dono dedit. Charta deficeret si alia munificentiæ exempla subtexerem. Solum addam miram in illo Principe liberalitatem notatam cum Ferdinando Cæsari II. patrueli suo (de quo paulò ante) inaugurato regna complura, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Archiducatum Austriæ, Ducatus, Marchionatus, Comitatus complures qui sibi iure hæreditario obuenerant lubens volensque donauit.

Sed quæ effusio in Principibus suspicitur, in alijs illaudatur: *Non enim ita liberalitatis fores sunt reserandæ, vt pateant omnibus*; non enim est arbor liberalis, cui omnes fructus ventus rapit; nec homo liberalis, cui vanitas omnia aufert.

*Apud. Æ-lianum.* I. *Malè pereas*, aiebat DEMOCRITVS, *quia Gratias virgines meretrices effecisti.* Iactabat hoc scomma in hominem malè liberalem, & multa temerè profundentem. Et sanè quis non sciat prodigalitate pleraque mala, tanquam ex fatali quodam Pandore cyatho, in Rempub. infundi?

*Sueton.* II. Quis NERONE, & CALIGVLA prodigalior? quis vtroque nequior? quis vtroque crudelior? alter *vicies millies* a immanibus suis largitionibus effudit; alter amplius *tricies millies* b primo sui Principatus anno absumpsit: eoque inopiæ *Caligulam* adegêre, vt coactus sit, *ad rapinas conuertere animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.*

a 50. *milliones Philippicū siue Ducaton. Ital.*
b 75. *millon.*

*Flau. Vopisc.* III. Longè saniore instituto AVRELIANVS Imper. qui amicos & consiliarios suos honestè ditabat, sed modicè vt paupertatis miserias effugerent, & diuitiarum invidiam patrimonij moderatione vitarent.

*Io. Mich. in Anat. corp. polit.* IV. Idcircò prudenter egregius ille Doctor THOMAS BRICOTVS facultatis Theologicæ Parisiensis quondam Decanus, cùm *Franciscum* I. Galliæ Regem solemni eius inauguratione dilaudaret à multiplici variaque naturæ dote,

tandem eius munificentiam virtutem regiam maximis laudibus efferens, dicebat eum instar D. Francisci (cuius nomen sortitus erat) quasi stigmata in manibus gerere, cùm manibus, velut ijs cerebratis, continere nil posset: multa namque subditis indulgebat, multa largiebatur, multa etiam, (sed in tempore) profundebat, atque ideò circumspectus ille Doctor è re natâ admonebat Regem; nequaquam expedire, ipsum manus semper vsquequaque habere perfossas & patulas, sed interdum opus esse cauas manus obstruere, suisque & donationibus, & expensis, & sumptibus modum adhibere: cæteroquin fore aliquando vt in suo regno multo plures in paupertatem adduceret, quam fecerat olim D. Franciscus in orbe Christiano; non quidem spontaneam, vt ille, sed inuoluntariam, & exosam. Magna itaque, multaque munera si dederis, inquiebat, multis inuidiæ occasionem dabis, & ambitioni fenestram aperies.

V. De ALEXANDRO Imper. Lampridius: ***Dies nunquam transijt, quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret; sed ita, vt ærarium non euerteret.*** Insignis herclè prudentia, quæ viribus ærarij liberalitatem metiebatur.

VI. Probamus itaque Moderationem, quam vulgò *Parcimoniam* nuncupamus: Hæc est virtus quæ rem parat, partam tuetur, auget, restaurat, modo licito, honesto, & bono fine. Hæc adeò placuit ALPHONSO Aragonum Regi vt Equiti prodigo, & importunè crebroque petenti, indignabundus responderet: *Me citiùs pauperem, quàm te diuitem effecero.* Tales in Aulis etiam hodiernorum Principum non rarò inueniuntur. *Panorm.*

Cùm ergò sæpè hæc effusio, non tàm vitio Principum, quàm improbis & callidis inhiantium desiderijs accidere soleat, operæ est, vt beneficiariorum nomina Rationario imperij siue Tabulis donationum mandentur; sancitâ lege, vt aliquid flagitaturi, ante exprimant, quid quantumque à Principe, vel decessore acceperint; ni fecerint, careant impetratis. Ita enim honores & donatiua commodè distribuet pro merito cuiusque. *Notent Principes.*

I. NERO, vt paullò ante dixi, immensas pecunias effuderat: sed *Galba* eius successor, cùm rei nummariæ indigus esset, singulos beneficiarios appellari iussit, decimâ parte liberalitatis apud quemque relicta: ***Iustissimum enim fuit,*** inquit Tacitus, ***hoc inde repeti vnde inopiæ caussa erat.*** *8. Histor.*

II. Et ante eum CLAVDIVS Cæsar, immensas donationes, quas nullo iure, aut caussa fecerit *Caligula*, retractauit. *Dio lib. 6.*

III. Similiter CAROLVS VI. Galliæ Rex, cùm plus iusto liberalissimus esset, & nulla profundendæ pecuniæ ratio illi inesset, tandem reddentibus rationibus fisci, & pecuniæ publicæ Quæstoribus, hæc verba (dissimulante quidem Carolo) margini notabant, *Nimis accepit, recuperetur.* *Gaguinus lib. 9.*

Adhæc, Personarum habendam rationem dixi: vt imprimis *propensior sit liberalitas in calamitosos,* vtique nulla sua culpa tales. *Liberalitas in pauperes procliuior esto.*

I. De TIBERIO Tacitus: TIBERIVS, ***Vt honestam innocentium paupertatem leuauit,*** *Annal.*

*uauit, ita prodigos, & ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam. Q. Vitellium mouit Senatu, aut cedere passus est.*

*In eius vita.* II. De NERVA Dio Cassius: *Quosdam*, inquit, *Senatorij ordinis delegit, qui agros emerent, eoq; egenis diuiderent. Pecuniæ autem inops factus, vestes primùm, & vasa aurea, argenteaq; atque pretiosam suppellectilē, seu propria, seu publica, & regia esset, auctioni subiecit.*

*Tranquill. c. 10. Tacit. 13. Annal.* III. Itidem NERO, lentæ alioqui, & sæuissimæ naturæ Princeps, sub initium Imperij, *neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ vllam occasionem omisit. Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena constituit.* Hæc liberalitas in Nerone reprehensa minùs fuit, sed quæ postea secuta fuit prodigalitas. Et nota, eum in nobilissimum quemque liberalitatem exercuisse, quod est arcanum dominationis regiæ dogma. *Arcanum dogma.* Nihil quippe gloriosius vtiliusque accidere Principi potest, quàm si in suâ ditione quamplurimos nobiles opibus florentes habeat. Et ideò qui præ cæteris sapuerunt Principes (vt rectè animaduertit Scipio Amiratus) omnem ad id adhibendam esse industriam existimârunt, vt antiquam nobilitatem in suo Principatu sartam tectam conseruarent; vtque matrimonia inirent, ne familiæ extinguerentur, curarunt; eorumque paupertatem adiuuerunt, non propter aliam caussam, nisi quia, quò illustrioribus imperant, eò sibi maiorem imperantes, gloriam vindicant.

*Li. 2. Annal.* IV. Laudatur ab hac re AVGVSTVS Cæsar: qui non solùm *Hortalum* Hortensij nepotem, vt vxorem duceret, hortatus est, verùm etiam pecuniam ei largitus est, *ne* (vt inquit Tacitus) *clarissima familia extingueretur.*

*Lib. 5.* V. Atque vt alios in hunc munificentiæ campum producam, MICHAEL PALÆOLOGVS Imperator Orientis, adeò sub initia Imperij beneficus fuit, vt suâ ætate omnes vniuersi orbis Principes liberalitate superârit: idque non aliam ob caussam, nisi (vt Gregoras scribit) facilè sibi Imperium redderet, subditorumque animos sibi conciliaret.

*L. Priuilegia 12. C. Sacros. Eccles.* VI. Quàm laudabilis vox illa Impp. VALENT. & MARCIANI: quâ testantur, *humanitatis suæ esse, egenis prospicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non desint.*

*Apud Baron. Tom. 3. Annal. ann. Chr. 325.* VII. CONSTANTINVS hîc non negligendus, cuius eximia in exteros, & pauperes munificentia non minus venustè, quàm verè ab Eusebio describitur: Exteris præterea, inquit, qui illum adibant, benignum, & liberalem se præbere: miseris etiam, & abiectis, qui in foro & plateis palàm mendicabant, non pecunias solùm & res ad victum necessarias, sed etiam decentem corporis vestitum subministrandū curare solebat. Illis quoque, qui prima ætatis tempora fœliciter traduxissent, & prosperè, post tamen graui vitæ factâ mutatione in res asperas, afflictasque incidissent, cautiora, vberioraque vitæ subsidia impartiri, & beneficia magnifica, animoque verè regio digna conferre. Quorum nonnullis agrorum donare possessiones, alios varijs dignitatis ornamentis cohonestare. Quos autem orbitas miserè afflictauit, eos patris curare loco: viduas mulieres omni spe destitutas recreare, propriaque ac suâ prouisione illis sedulò prospicere: eodem modo

puellas

puellas etiam parentibus orbas,& ab eorum auxilio desertas iam,viris sibi notis suppeditando,quæ illarum viris in nuptijs contrahendis essent necessariò conferendæ; & concludit hoc modo: *Quemadmodum Sol super terram oriens,omnes claros sui luminus radios affatim profundit; sic Constantinus simul cum Solis ortu in regijs adibus apparens,& tanquam cũ luminari illo cœlesti pariter illucescens,omnibus,quæ in ipsius aspectum prodibant,eximium singularis suæ probitatis splendorem,& claritatem exhibuit: neque quisquam rectè ad eum aduentauit, qui non aliquo bono petitus sit; neque eos spes bona frustrata est,qui ab eo aliquid expectarent auxilij.* Hæc ille.

VIII. Sed huius generis humanitas,maximè etiam Galliæ Regibus apparuit: & imprimis in ROBERTO Regis Capetis filio,à quo cæteri deinceps munificentiæ in pauperes exempla didicerunt. Is enim mille pauperes humanissimè semper fouit;eisque iumenta (quod sanè mirandum) præbuit,vt se quocunque iret consequerentur,ac pro se vota facerent. Quo factum est,vt tametsi noui Regis filius Regnum maximum adeptus esset,nemo tamen eo diutiùs,aut fœlicitate, aut tranquillitate maiore,imperarit. *Refert Bod. 6. de Rep. c. 1.*

IX. Neque D. LVDOVICVS prætermittendus,qui octo & viginti rerum humanarum,& diuinarum collegia suis opibus fundauit;tametsi centum & viginti pauperes haberet,qui se humanissimè consequebantur,& eodẽ,quo seipsum victu quotidie sustentaret; ac etiam diebus Quadragesimæ numerum duplicabat. Itaq; mirum videri non debet,si annos quatuor & quadraginta,summâ cum sui nominis gloriâ,imperârit; & ita imperârit,vt hostibus quidem formidolosus,charus amicis,veluti Deus subditis, & Sanctus omnibus haberetur. Hoc amplius, quod in summâ parte fœlicitatis Reges ponere consueuerunt omitti non debet,quòd quinque filios,quatuor filias,se moriente spirantes,ac regnum armis,& legibus longè florentissimum reliquit. Extremâ verò cohortatione filium regni successorem studiosissimè admonuit,vt Deum imprimis veneraretur,deinde egenos,ac tenues quantâ maximâ posset benignitate tractaret. *In ibidem.*

X. Quid de CAROLO V. Imper. dicam? Is etiam tunc adolescentulus subinde vno die crumenam depleuit septies. Dabantur autem illi vnâ vice quadraginta floreni. Quinimò etiam quandoque lacrymas fudit,quod omnibus aliena ope indigentibus dare non posset. Hinc iure merito Regum omnium ac Principum liberalissimus sui æui habitus fuit. *Surius.*

XI. Quid de STEPHANO Panoniæ Rege? Is non tantùm Romæ, Constantinopoli,& Hierosolymis,collegia templa, xenodochia exædificauit,amplisque censibus dotauit; verumetiam alios Reges ac Principes munificentiâ & singulari in pauperes humanitate superauit. Nam nonnunquam in turbam pauperum sese immittebat,stipemq; ipsis ipse Rex propriâ manu tribuebat ô rarum demissionis animi argumentum. *P. Drexelius de eleemosyna.*

XI. Ast,omittam necesse est compendij gratia, CAROLVM MAGNVM, LVDOVICVM V. Regem Scotorum, cui cognomentum *Pater pauperum* fuit,

Alexandrvm V. Gregorivm XIII. Sixtvm item V. & Pavlvm V. Pontifices Maximos: quorum illi vt super alios Pontifices munificentiâ in pauperes menuêre, idum magnâ pecuniarum vi passim Vrbe Româ ædes cùm amplissimas, tùm splendidissimas pauperibus excipiendis, & piè alendis comparârunt, ita hîc tantam sui præbuit ab hac pietate commendationem, vt de eo meritò dici potuerit, quod de se ipse quondam B. Iob. *Oculus eram cæcorum, & pes claudorum: pater eram pauperum, & mœrentium consolator.* Illum enim ille pedibus truncum dote honestâ sustentabat; illum cæcum & in quadriuijs sæpè frustrà clamitantem respectabat; illos infantes barbaris parentibus expositos humaniter lactabat; illum à puero immedicabili morbo confectum, suoque cadaueri incubantem erigebat, & sanabat. His munificentiæ notis claruit, Pater ille pauperum, & mœrentium consolator. Imitentur Principes, & auribus, menteque excipiant Agapeti viri sanctimonia clari, monitum: *Vestimentum veterascens est beneficentia amictus, & incorrupta stola est erga pauperes. Eum igitur oportet, qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare: amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur.* ô auream! ô gemmeam! dignamque quæ, non tam Principum vestibus intexatur, quàm mentibus eorum altè imprimatur. hac enim coccina, noxiæ conteguntur; Superi petuntur.

*Cap. 29.*

*Extat in eius Epist. Paran. ad Imper. Iustinia. apud. Barō.*

Sed & in benè meritos.

Verùm, priusquàm receptui canam, producendi in medium aliqui, qui doceant *Beneficentiam non in postremis erga benè meritos exercendam.*

I. Archilavs Macedonum Rex, cùm ab ipso poculum aureum postularet quidam inter cœnam, qui nihil ducebat honestum præterquam accipere, iussit ministro, vt id Euripi daret. Et hominem illum intuitus, *Tu quidem*, inquit, *dignus es qui poscas, nec accipias: hic verò dignus est, qui etiam non postulans accipiat.* pulchrè declarans, non ex pudoris arbitrio; sed ex iudicij delectu donationem ac largitionem esse faciendam.

*Plut. de Vitiosa verecundia.*

*Bruso ex. Cic. ad. Q. Frat. de Petit. Consul.*

II. Scitum est C. Cottæ apophtegma, quo dicebat, operam quidem suam sese polliceri solêre omnibus, sed impertiri ijs, apud quos optimè poni arbitrabatur. Sentiebat enim comitatis esse benignè polliceri: sed quoniam omnibus opera præstari ex æquo non potest, eligendos esse, quibus impertias.

*Polyd. l. 20.*

III. Apud Britannos scriptores legimus, Richardvm II. Anglorum Regem, liberalitate alioqui conspicuum, exosum suis redditum, inconsultâ liberalitate: ita enim odium ac maleuolentiam multorum sibi comparauit, vt de eo passim iactaretur, *Væ terræ, cuius Rex puer est.*

Personarum ergò attendēda conditio.

IV. Itaque considerandi sunt, qui beneficium petunt. Nec enim omnibus omnia, vel eadem conueniunt. Parciùs enim bene de re domesticâ constitutis; largiùs, calamitosis, restrictiùs importunis hominibus; vberiùs ijs, qui cùm benè de virtute & Repub. mereantur, nihil tamen nisi cū verecundiâ postulant, ac interdmu oblata recusant: quales ex amicis duos *Antigonus* Asiæ Rex habuisse dicitur; quorum nec alterius satietatem explere, nec alterum ad accipiendum inuitare poterat.

*Plut. in Demetrio.*

V. Bono

V. Bono igitur, & laudabili instituto Alex. Severvs Imper. singulorum nomina quibus quid præstitisset, descripta habebat. qui nihil, aut minimum petissent, appellabat, inquiens: *Quid est cur nihil petis? num me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.* Agnoscebat magnus Princeps rectè fungentibus officio se debitorem: Sed antequam quid cui donaret, personarum etiam merita considerabat; quod rarenter fit nostro æuo. *Lamprid.*

Insuper aduertendum est, vt præmia cuiusque conditioni maximè consentanea quærantur. Sunt enim nonnulli, quibus aliæ atq; aliæ dignitates conueniunt: alij quibus satisfactum itur munusculis argenti signati, vel celati: alij, qui non tàm præmiis quàm gratia fauoreque Principis fit satis, vt alloquio, vultu, gestu, præconio, matrimonio conciliando, & sexcentis aliis rebus, quæ cùm gratissimæ sunt, nunquam tamen Principis opes diminuunt. Carolus V. Imper. *Calabriæ Ducem* optimè de se meritum, quòd Imperium Hispanorum summa Ordinum consensione ad se dalatum repudiasset, carceribus liberauit, eique *Ferdinandi* aui locupletissimam viduam despondit. Ex quo matrimonio non modò libertas cum opibus maximis ad Ducem; Imperij securitas cum amicitiâ summâ vtriusque coniugis ad Carolũ; ad omnes Ordines incredibilis lætitia peruenit; sed etiam callido consilio Carolus fœminam matrimonij cupidissimam à peregrinorum Principum coniugio abduxit, ac sterilem vxorem senioque proximam Principi dedit, vt liberorum spe sublatâ, Neapolis, & Siciliæ Regno Caroli posteritas tutissimè frueretur. *Bod. 5. de Rep. c. 4.*

Ceterùm, attexui in extremo Aphorismorum *liberalitatis magnificentiam etiam in ædes sacras, & Antistites exercendam.* *Loca sacrificulis & sacrific. dandum.*

I. Hoc vel ipsis Ethnicis curæ fuisse docent historiæ. Nam Suetonius auctor est Augustum Cæsarem *ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas refecisse: easque & cæteras opulentissimis donis adornasse: vtpotè qui in cellam Capitolini Iouis XVI. millia pondo auri* (id est, nouemdecim auri dolia) *gemmasq; ac margaritas quingenties H. S.* (id est, decies centena millia circiter pattaconum siue ducatonum Ital.) *vna donatione contulisse.* *Cap. 39.*

II. Sed Principes illos in illâ errorum caligine versantes relinquamus, magis ad nostros animum stylumque conuertamus, inter quos paganis illis non cedere in vero Religionis cultu Ferdinandvm II. Imperatorem omnium sensu video, & quem iure dixerim Principum quot sunt, & fuerunt liberalissimum. Nam ecce Canonicorum Collegia plurima, & *Viennense* imprimis, nouis transcriptis opibus auxit: quatuor fundandis in *Boëmia* Episcopatibus dotem constituit. *Pragensem* Archiepiscopatum, quem Ferdinandvs I. instaurauit, hic *Secundus* annuis florenorum quatuor ac viginti millibus appositis locupletauit. Damna post Hussiticam Hæresim disseminatam, Clero in *Boëmia* illata, magnificâ largitione compensauit. *Strigonensem* in *Vngaria* Primatum, onere, quo viginti quotannis florenorum millia ad nouæ Arcis præsidium cogebatur pendere, liberauit. Eidem o-

lim à *Stephano* Rege Sanctimoniæ famâ illustri concessam, posteà temporum iniuriâ aliò deriuatam, quadragesimam octauam partem (*Bisetum* vocant) auri argentique quod ex Vngaricis fodinis eruitur, restituit. In *Austriâ* ipso sui regiminis exordio, Statui Ecclesiastico quadraginta florenorum millia Principi gubernanti quotannis iam pendi solita, sponte remisit Mortuo aliquo Episcopo, vel Prælato, tàm in *Vngariâ*, quam in *Austriâ*, antecedentes Reges, & Archiduces solebant mobilia relicta (quæ *Spolia* vocabantur) vsurpare, & de ijs ad libitum disponere; FERDINANDVS nihil horum attingere, sed successoribus Ecclesiasticis relinquere voluit. Vt omittam intereà impensas in templis reparandis, in Sacerdotibus alendis, in Clericis particularibus subleuandis, alijsque id genus quamplurimis, non beneuolo magis animo, quàm liberali factas. Iam Religiosis è familijs nulla est, quæ de Cæsaris in se amore non glorietur; nulla, quæ ei plurimum se debere non fateatur. Olim in suis Prouincijs receptas, vel antiquo splendori restituit si exciderant, vel florentes domicilijs auxit. Plures primus induxit in *Austriam*, ac *Boëmiam*, *Styriamque*, Clericos Regulares Sancti Pauli, Camaldulenses Sancti Francisci de Paula, Cænobitas Carmelitas Discalceatos Sextus vtriusque, Sancti Augustini reformatos Eremitas, Benedictinos è Monte Serrato ab Hispaniâ in Germaniam profectos, Seruos B. Virginis Congregationis Hibernicæ Franciscanos. His autem, alijsque, aut ex integro Cœnobia fundauit, aut ab alijs fundata splendide iuuit. Maxime autem coluit Patres Societis IESV, quos vtique varijs munificentijs lubens decorauit. Erexit enim ijs noua domicilia non pauciora, quàm decem: Domos professas duas, alteram *Viennæ*, alteram *Pragæ*: Domos probationis totidem, *Leobij* & *Viennæ* Collegia sex, Labacense in *Carmoliâ*, Clagenfurtense in *Carinthiâ*, *Goritiense*; in foro Iulio, *Puttenbergense*, & *Lithomericiense* in *Bohemiâ*, & in *Silesiâ*, Glogouiense, alia plurima, aut ab alijs iam fundata, & erecta, aut vt erigerentur adiuuit. Collegia & Academiæ institutæ, tam *Græcij* à parente Carolo, quàm *Pragæ* ab Auo FERDINANDO I. vectigalia censusque illarum annuos in duplum, aut etiam triplum auxit. Insigni subsidio iuuit *Passauiense*, quod Leopoldus Archidux Frater, *Lincensæ*, & *Brunensæ*, quæ MATTHIAS & RVDOLPHVS Cæsares fundauerant. Similiter in *Morauia Olomuciense*, *Iglauiense* & *Znoymense*, *Zagrabiense in Slauoniâ*, *Iaurinense in Vngaria*, *Fluminense in Istriâ Tengestinum ad mare Adriaticum*, in Superiori *Austria Stirense*, & in alijs regionibus alia. A Societate ipse, parentum, ac sua voluntate litteris & pietate institutus, suos fratres & filios ab eadem voluit institui. Sibi ac liberis omnibus, è Societate homines, à confessionibus, & concionibus qui darent operam, elegit, eosdem quotidie sibi, ac suis ad aras in aulâ voluit operari, eosdem deprecatores apud Deum accedere, cùm grauius aliquid immineret ad ipsos diuertit frequentissimè: familiarissimè cùm ijsdem sæpè pransus, ac cœnatus, nullam denique omisit eum Ordinem vel tuendi vel exornandi occasionem. Vulgò etiam iactatum est, FERDINANDO tangi oculos, & pupillam, cùm Societas tangeretur; non posse vllum Societatis hostem

Ferdin. II. Imp. mira in PP. Soc. IESV liberalitas, & defectus

Ferdin. II. in Societ. IESV affectus.

hostem censeri, qui FERDINANDI hostis non esset, qui FERDINANDO benè vellet, eum benè velle Societati. quæ quidem totidem verbis accepta refero R. P. Lamormaino in illius vita. Cæterùm liuidus sit qui volet, dicam cum Clemente VIII. Pontifice Max. Societatem IESV esse ingeniorum pietatis & prudentiæ Florem delibatum. His ergò, alijsque admirandis munificentiæ exemplis floruit FERDINANDVS II. Imp. qui filium modò fœliciter regnantem, huius aliarumque heroicarum virtutum reliquit successorem: ita vt iure illi conueniat istud Ecclesiast. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Sed iam ad alia transgrediamur.

---

## CAPVT XVIII.

### *Nunc prodeat in medium* Prudentia, *propria, & necessaria Principis virtus.*

EA est recta ratio lumen quoddam animo præferens, quid fugiendum, aut sequendum sit, sine vllo errore præscribens. *A prouidendo*, sic appellata: & *opus mentis* à Maximo Tyrio dicta. Vnde veteres Poëtæ, *Prudentiam* dicunt esse *Mineruam* illam, quam *de Iouis vertice natam*, non sine lepore fabulantur. Ostendunt enim à mente, quæ in nobis est diuina, manare, per quam omnia circumspicere debemus, & in omnes partes oculos intentos habere. Vt non immeritò eam voluerint optimam esse vitæ magistram, atque consiliorum omnium inuentricem, fœlicitatisque omnis procreatricem, & moderatricem. *Omnia enim ponderantur Prudentiâ, quæ est ars viuendi & bellandi vt medicamen valetudinis.* *Cic. 1. de Leg. Serm. Philos. 34. D. Ambr. 2. de Benef. c. 14.*

Itaque,

——— *Nihil homini prudentiâ*
*Contingere melius, aut potest magis vtile.* *Sophocles Electra.*

Sed quantò magis Principi, aut Rempub. gubernanti? Vt enim cætera animalia, neque rectè domari, aut regi possunt, sine aliquâ industriâ, & arte: sic rectè gerere Principatum, *sine hac viuendi arte*; valdè quidem difficile est; *cùm nullum animal morosius sit homine, vel maiori arte tractandum.* Nec vires hîc oppone. Etenim, *melior est Sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis.* Et vidit nescio quis Poëtarum: *Cic. 5. de Fin. Senec. 1. de Clement. Sap. 6.*

——— ——— ——— *Nec solis viribus æquum*
*Credere: sæpè acri potior Prudentia dextra.*

Nam & maximis interdum opibus, magnaque Principum potentia, qui hoc orbati sunt lumine, Respublicas quassari, ac funditùs deleri videmus; Prudentiâ verò, *Eccles. 1.*

nunquam.

nunquam non retineri, conſeruariq́ue. *Rex inſipiens perdet populum ſuum*, ait Syrachides, *& ciuitates inhabitabuntur per ſenſum prudentium.* -- *Poßide* igitur, quiſquis ſceptrum tenes *ſapientiam*, *quia auro melior eſt: & acquire prudentiam*, *quia pretioſior eſt argento.* -- *Cui enim maiore opus eſt prudentia, quàm qui tantis de rebus deliberat?*

*Prou.16.* *D. Chriſo. Orat.de Regno.*

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

*Orat.de Regno.*

I. OPortet Principes, inquit Iſocrates, non ſocordiæ, ignauiæq́ue eſſe deditos, ſed videre, ac circumſpicere, vt ſint alijs longè prudentiores. Quod ipſum ÆGYPTII rectè exiſtimârunt, dum in ſceptro regio oculum hieroglyphicis ſuis deſignârunt. Eò enim oſtendere volebant, in Principe maximè requiri Prudentiam, tanquam Reipublicæ vigilantem, & proſpicientem oculum. Quod enim acies videndi eſt in oculo, hoc Prudentia eſt in animo, teſte Sophocle:

Ὡς ὄψε ἐν ὀφθαλμῷ, δ' ὡς ἐν τῇ ψυχῇ.

Quomodo & Ariſtoteles Prudentiam, ὄμμα τὸ ψυχῆς, id eſt, *oculum animæ*, quia videt omnia, appellat: quippè quæ intellectum, & delectum rerum, quæ publicæ priuatimq́ue fugiendæ, aut appetendæ ſunt, continet.

*Plut.in Lato.*

II. TIMOTHEVS Cononis filius, non eum Ducem exoptauit Athenienſibus, qui culcitras exercitui deportaret, ſed qui veluti Argus Panoptes à fronte pariter, atque à tergo eſſet oculatus. Enimuerò quemadmodum cytharam male ſumitis, qui artis illius imperitus eſt, ita haud benè præeſt imperio, qui oculo prudentiæ priuatus eſt. Nam ex mente Comici:

*Menand.*

Ἀβουλία γὰρ πολλὰ βλάπτονται βροτοί:
*Damna hominibus dat multa imprudentia.*

Ijs præſertim, quibus regimen aliorum commiſſum eſt: non enim ſibi ſoli peccant, ſed plerumque, imò ſæpenumerò, multitudini, cui regendæ non tàm viribus, atque potentiâ, quàm prudentiâ opus eſt. Hinc *Fabio Maximo*, aliquando plus negotij cum ciuibus, quàm cum hoſtibus fuiſſe ſcribunt: adeò verum eſt, excellentibus ingenijs citiùs deeſſe artem, quâ ciues, & ſubditos regant, quàm quâ hoſtes ſuperent. *Videtis enim* (inquit Cicero) *quanta vis ſit temporum in Rep.ub. quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates, quid inſidiarum, quid vanitatis in vita ſit.*

*Lib. 2. Ep.*

III. Non magis Apollinis oraculum, quàm illud *Euripidis* verum eſt: *Vnicum conſilium rectum, magnam militum manum vincere.* Quippè non perinde refert, quàm numeroſum educas exercitum, ſed quàm cordati ſint exercituum duces. In bello ſiquidem plus habet momenti prudentia, ſolertiaq́ue, quàm vires conſilij expertes; quod & vidit eruditus ille Saxonum Præſul:

Εὖ φρο-

*Εὖ φρονέων θυμῷ κρείττων ἢ φέρτερος ὅπλοις:* B. Anthel. in Monostich.
*Vir prudens animo est melior, quàm fortis in armis.*

IV. Nec minùs illustre ANTISTHENIS istud: *Prudentiam tutißimum esse murum: quòd is nec collaberetur, nec proderetur.* Nulla quippè mœnia sunt, quin machinis, aut cuniculis, aut vt nihil horum sit, proditione capiantur. Prudentis autem decreta sunt inexpugnabilia. Laert. 6. cap. 1.

V. BION verò BORYSTHENITES dicebat, Prudentiam tantò cæteris virtutibus antecellere, quantò cæteris sensibus præstaret visus. Nam, vt oculi prælucent toti corpori, ita nulla est virtus absque Prudentiâ: in Principe præsertim, qui sine eâ cæcutiret in omnibus, sic quasi Cyclops ille Poëtarum, amisso oculo. Idem. 4. cap. 7.

VI. Quare non insciè RVDOLPHVS Imp. eius nominis I. frequenter illud symboli loco vsurpabat: *Regni prudentia custos.* quò monebat, sine prudentia nedùm Imperium infirmum esse, sed ferè nullum; immò citra eam nequicquam prodesse quantamcunque potentiam: Siquidem, vt Horatius inquit: Reusner. in Symb.

*Vis consilij expers, mole ruit sua;* Od. 3.

Et, vt vir ille diuinus inquit. B. Anthel. in Monosth.

*Σώματος ἀνδρὸς σθένος, πραπίδων περίεστι φρόνησις:*
*Corporis exsuperat vires prudentia mentis.*

VII. Ex eodem Genere FERDINANDVS II. quem legimus in rebus grauioribus constituendis, & potissimùm cum de vitâ alicuius ageretur, hanc tenuisse deliberandi methodum, primò mentem, animumque quauis perturbatione eximebat; tum Deum ipse studiosè consulebat, plurimosque, & maximè Religiosos adhibebat deprecatores, exinde alienum consilium prolixè, ac patienter exquirebat, & plerumque in eiusmodi rebus id constituebat, quod plures censuerant, solitus dicere *securius esse consiliarijs adhærere, etiamsi aliquando euentus fallat, quàm suo vnius iudicio regi.* Imbiberat haud dubiè magnus Cæsar illud Sapientis: Apud. P. Lamorm. Prou. 31.

*Ne sis sapiens apud temetipsum.*

Cæterùm, duo genera prudentiæ notantur: Quosdam enim esse, qui exactâ quadam calliditate sunt præditi, sed quæ sit iniqua, vt illi qui prudentes sunt in malo perficiendo: Alios verò esse, qui nouerunt proferre sermonem certis nixum rationibus, & firmum, enarrando alijs veritatem, ac solidè docendo.

De prudentia prioris generis loquitur Seruator generis humani: *Filij huius sæculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Luc. 17.

Prudentia ergò prior fugienda; altera amplectanda, non quod ista in consultationibus (quæ alioqui mater est bonorum successuum) semper respondeat optatis; cum in his concurrat & plurimùm nonnunquam valeat fortuna, quam Prouidentiam vocamus: sed arbitrio diuino Decreta consultationum magnanimiter sunt committenda. Hinc *Faustina* Augustæ sciscitanti quid Imperator *Aurelius*

ageret, si Cassio succumberet herbamque ei dare cogeretur, respondit ex conscientiâ anteactæ vitæ, Deos non tam sibi malè propitios, vt sinistrum potiùs deberet exspectare euentum, quàm fœlicem: de cætero tàm licere benè sperare, quam malè Magnæ indolis signum est sperare semper: contrà stultum est, in antecessum se infœlicitatis damnare.

---

## CAPVT XIX.

***Bifariàm autem* Prudentia *comparatur*: Vsu, & Memoria: *quorum alterum rerum Experimentis atque tractatione: alterum Historiarum cognitione, bonarumque artium peritia constat.***

Liu. li. 1. DVobus, inquam, his *Prudentia* constat; sine altero mutila, aut manca. Ac Peritia quidem Historiarum: quòd *illa omnis exempli documenta in illustri posita dent intueri: inde tibi, tuæque Reipub. quod imitêre capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quo aspectu verè Cassiodorus scribit, *Totius prudentiæ compendium in litteris contineri: Ibi enim prudens inuenit, vnde sapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quomodo subditos sub æqualitate componat.* Vt præclarè dixerit Dionysius: Ἱστορίαν ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας: *Historiam prudentiæ, & sapientiæ esse initium.* A quâ mente etiam Polybius scripsit: Ἀληθινωτάτην παιδείαν, καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν: *Verissimam disciplinam, exercitationemq; ad res ciuiles, Historiam esse.* & Romanus Historicus: *Magno vsui esse memoriam rerum gestarum.* Etenim, *vt adspectus à circumfuso aëre lumen accipit, sic animus ab historiarum, disciplinarumque liberalium cognitione.* Cauendum tamen Principi, ne nimiopere otio se litterarum detineat: *Quia nihil prodest cognitio, nisi & actio subsequatur.* Nam, *eruditio viam quidem probè Rempub. administrandi ostendit, sed si rebus ipsis gerendis exercearis, id consequêre, vt rem dextrè administres.* Vidit Polybius: *Optima,* inquit, *ad veram vitam institutio videtur esse Experientia: quæ fit ex commemoratione rerum ab aliis gestarum.* Vt non immeritò cùm Tullio dixerim: *Vsum omnium magistrorum præcepta superare.* Idem adstruit diuinus Plato: *Instructiores longè sunt ad operandum, qui periculis & rerum experientiâ quàm qui artis solum præceptis edocti sunt.*

Var. li. 8.
Apud Plutar.
Lib. 1. in prin.
Sallust. Iugur.
Diog. Laert. in Arist.
Lact. 6. c. 5.
Isocrat. ad Nicoclem.
Lib. 1.
1. de Orat.
Gord.

Eapropter ciuilis ista, & politica eruditio ex historiarum collecta monumentis, ad vsum, actionemq; ciuilem est transferenda. Cæteroquin,

Sophoc. Trag. *Non quod putas te scire scis, si vsus deest.*

Neque enim satis est, vt hoc addam, res ipsas in studiis intueri: opus est post illa experientia. Philosophus indicauit: τοῖς γὰρ ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι, προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας: *Nam quisquis in re ciuili intelligens haberi volet, opus ei experientia.* Si

Eth. 10. c. vlt.

tia. Siquidem, vt idem alibi scribit: *Experti certiùs, quod intendunt, consequuntur, quàm ij, qui rationem absq; experientiâ tenent.* Quid multis? quid est experientia humana, nisi memoria? quid autem libri & historiæ, nisi *lux veritatis, magistra vitæ*? 1. Metaph. Cicero.

Iraque, *& discas oportet, & quod didicisti, agendo confirmes.* Gemina ergò hæc sint, vnde Prudentia formetur: *Litterarum cognitio*, & *Experientia*: Nam quæ ex altera habetur colligitur, nedum debilis est, & manca, sed irrita, immò etiam in Principe miserrima. *Non* enim *sapientia est*, inquit vir diuinus *quæ quod sapit non exercet*. Magna itaque vis est ad persuadendum *Scientia*, & *Vsus*. Senec. epist. 95. S. Bernar.

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

I. VNde potiùs quàm ab CÆSARE AVGVSTO incipiam? qui non vt plerique per amœna historiarum, dicis tantùm, & temporis fallendi gratiâ versabatur, sed magno cum fructu *sectabatur præcepta, & exempla, publice vel priuatim salubria, eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum Prouinciarumq; Rectores, aut ad Vrbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.* Suet. c. 89.

II. Atque ante eum L. LVCVLLVS, vix dùm adolescentiam egressus, tantum breui tempore prudentiæ, libris historicis hausit, vt cùm peregrinus & rudis esset, rei militaris, non solùm in Asiam, cui per multos annos admirabili quadam laude præfuit, à Senatu missus sit, verum etiam bellum Mithridaticum, cui datus erat Imperator, fœliciter confecerit: adeò *vt non modò opinionem vicerit omnium, quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum.* Cic. 1. Acad.

III. Eum eodem in studio equutus POMPEIVS MAGNVS, Romani Imperij magnum decus, ex pueritiæ ipsius disciplinâ, quam legendis historiis collocauit, ad patris exercitum profectus, primùm Siciliam recuperauit; Achaia subacta, triumphali curru Romam (magnâ quidem rerum gestarum laude & gloriâ) euectus est; postea verò extincto bello ciuili, quo tanquam tempestate quadam cætera omnia concutiebantur, ex Asia, Armenia, Basernis, Paphlagonia, Cappadocia, Cicilia, Syria, cæterisque prouinciis magnificè triumphauit. Tantum itaque valet ad res præclarè gerendas, ex historiarum monumentis collecta prudentia. Plut. & Cic. pro L. Muren.

IV. Atque hæc quidem etiam causa fuit, vt ALEXANDER SEVERVS Imperator in maximâ rerum trepidatione, quoties impressiones faciendæ essent, peritos historiæ homines priùs consuleret, quàm rem gereret: ratus nimirum Imperator prudentissimus, eos de rebus benè præclareque gerendis rectè iudicare posse, qui omnium hominum mores, & consilia, etiam res malè beneque actas, cognitione atque memoriâ comprehendissent. Ac ipse quidem *Alexander* Lamprid.

post actus publicos, seu bellicos, seu ciuiles, lectioni græcæ operam maiorem dabat, *De Republicâ* libros Platonis legens; Latina cùm legeret, non alia magis legebat, quàm *de Officijs* Ciceronis, & *de Repub.* legebatque vitam Alexandri Magni, quem præcipuè imitatus est.

*Plutarch.*

V. SCIPIO autem AFRICANVS Xenophontem sic adamasse fertur, vt nunquam eum de manibus poneret, sed in castris etiam, interque tubarum classica, & armorum sonitus legeret.

*Id. Plut.*

VI. At ALEXANDER MAGNVS, cùm in Asiam profectus esset, Philisti historiam sumpsit, quam deinde expeditionum suarum comitem habuit: non contentus Homeri Iliade, quam alioqui cum pugione coniunctam, dormiens sub puluino collocatam habere solebat.

*G. Recht. in Apopht.*

VII. Sed omissis exemplis, quæ temporum lapsu obliuioni propiora sunt, recentia quædam subnectamus. FRIDERICVS DVX Saxoniæ Elector, vt referunt quidam Germani scriptores, adeò historiarum curæ habuit studium, vt Epitomem omnium historiarum, in quâ series esset omnium temporum, & Monarchiarum, componi sibi curârit: quam posteà ita in conspectu habuit, vt in grauissimis deliberationibus, sæpè inde exempla recitaret. Nec rarò dixit se non tantùm voluptatis caussa historias legere, sed sumere inde de multis rebus documenta: & cognitionem eorum necessariam esse, non modò Gubernatoribus, sed etiam cæteris hominibus omnibus.

VIII. Quid multis? SIGISMVNDVM Imp. Arriani historia apprimè delectatum fuisse scribunt, sed ALPHONSVM Arragonæ Regem in Q. Curtij scriptis diligenter volutatum, annalium scriptores prodiderunt. Denique CAROLVM V. Thucydidis lectioni, & Philippi Cominæi commentarijs operam impendisse asserunt, qui eius res gestas litteris consignarunt. Itaque quis eorum institutum non maximoperè laudet, & cæteris omnibus Principibus imitandum iudicet? præsertim, cùm non infructuosam illis fuisse eiusmodi lectionem ex heroïcis illorum pace, belloque gestis liquidò constet.

*In Proem. Biblic.*

IX. Verùm, consentaneum Diodori Siculi iudicium subijciamus: *Magnas, inquit, meritò gratias rerum Scriptoribus homines debent; qui suo labore plurimùm vitæ mortalium profuêre. Ostendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quidvè fugiendum. Nam qui multa experimenta rerum, varijs cum laboribus, periculisq; procul ipsi ab omni discrimine positi, gesta legimus nos admonent maximè quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum, tùm secundis, tùm aduersis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem: Pulchrum est enim ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram; & non tàm quid alij egerint quærere, sed quid optimè actum sit nobis proponere, ad imitandum. Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur: at hos tantò antecellit historia, quanto plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaque ad vitæ institutionem vtilissima Historia censenda est.* Nec tamen omnis historia: sed quæ, vt probè notat I. Lipsius præceptor meus, tres habeat notas has:

*In not. ad 1. lib. Polit.*

tas has: Veritatem, Explanationem, Iudicium: id est, quæ legitima historia est, & perfecta. Nec enim talem ego vnquam censuero, cui trium horum aliquod deest. Verùm, adeat ad eum qui volet, latiùs hæc diducentem, & super optimis Historicis opinantem. Inter Græcos melioris notæ scriptores, meritò ponit Thucydidem, Polybium, Plutarchum, Xenophontem, quibus addo Dionem propter crebras eius orationes, iisque salubria inspersa monita: Inter Latinos maximè Q. Curtium & Cæsaris Commentaria Principi commendanda. At è recentioribus, etiam atque etiam Philippi Cominæi scripta, omnium certè, nedum Principum manibus terenda. Delectus historiarum.

Concludamus ergò, ad prudentiam comparandam nihil æquè valere atque Historiarum cognitionem, quia Historia, vt hoc addam, Principi tanquam in speculo ad viuum exprimit, quomodo Deus Regibus regna concedat, auferat, quomodo bonos, pios, & humiles exaltat; malos & superbos deprimit. Historia declarat omnium regnorum, & rerum principia, media, cursum finem, interitum, & admirabiles conuersiones, quæ singula si Princeps cum suis caussis, & circumstantijs legendo sibi ob oculos statuat, habet in quo virtutem, pietatem & fortitudinem æmuletur; habet etiam horrenda exempla, quæ à vitijs retrahere possunt, ex historiâ sacrâ, & profanâ discit Princeps omnium Regum & sapientium mundi prudentiam, exterorum mores, & ingenia, vicinorum potentiam, suorum prædecessorum errores, & defectus. Historia hostiles dolos, manifestat, insidias exponit, consilia gratis communicat, vt quod imitetur, & fugiat legenti historias deesse non possit. Si Princeps multæ lectioni vacare nequeat, certè hoc agat, vt suarum Prouinciarum statum, vires, inclinationes perfectissimè cognoscat, & Sapientum relatione fideli sæpiùs vtatur. Hoc priscos Cæsares, Iulium, & Augustum obseruasse Suetonius auctor est, eosque Rationarium Romani Imperij appellitasse memoriæ prodidit. De quo Rationario scripsi suprà cap. 21.

Cæterum, ad *Vsum* dixi transferendam esse historiarum cognitionem. Meritò. Siquidem vsum exercitationemque desiderant excerpta ex historijs prudentiæ documenta. Aliter quis non cum Anaxippo indignetur; Lectio applicanda ad vsum.

*Vah, nunquid fingi potest portentosius illo,*
*Qui sophos in triuijs inflato mugit ab ore;* *Athenæ li. 13.*
*Rebus at in medijs stupet, ac velut inscius hæret?*

I. Benè TASSVS HERMONÆVS, interrogatus, quidnam in ciuili vitâ præ cæteris esset sapientiùs? *Experientia*: respondit, Nimirum quòd in negotijs ciuilibus praxis sit magistra rerum agendarum. Acies quidem ingenij eruditione acuitur, & expolitur; at vis agendi, multis experimentis, rerumque tractatione. *Stob.*

II. Hinc PHILOPOMENES, prudenter dicebat: *Doctrinam debere ad facta tendere, non otij, aut inutilis loquacitatis caussa vsurpari.* *Plut.*

Dd 3 III. Et

*Idem.* III. Et ſcitum eſt PAVLI ÆMILII apophthegma: Is cùm per loca prærupta irrupiſſet in Macedoniam, vidiſſetque inſtructam hoſtium aciem, exhortante Naſica, vt protinus inuaderet hoſtem: *Facerem*, inquit, *ſi tuæ eſſem ætatis: verùm multarum experientia rerum prohibet, ne ex itinere ſtatim cum inſtructa acie congrediar.*

*Id.* IV. ANTIGONVS autem interrogatus, quem è ſuæ ætatis Ducibus præſtantiſſimum iudicaret? *Pirrhum*, reſpondit, *ſi ſeneſceret.* Non ſimpliciter pronunciauit optimum: ſed optimum fore, ſi rerum experientiam ætas adiungeret. Neque enim magni momenti eſt eruditio, ſine vſus experientiæque adminiculo. Quin immò eruditio ſine experientia (vt ex vero ſcribit eruditiſſimus quidam Theologus) aliquando plus officit, quàm prodeſt; è contrario expertus aliquantò plus efficit quàm ſapiens ſine experientiâ.

*Ferus in c. 1. Eccleſiaſt.*

*Ex hiſtor. gallica P. Matth. lib. 3.* V. ideoque DVX ALBANVS multis niſi illaudatis in Belgio nominibus notus, ſcientiam aiebat nudâ tantùm lectione paratam, ſimilem eſſe lacu compluuio; quæ verò rerum vſu apiſcatur, aquis puris & limpidis. Satis ſcitè. Nam quorum mentes varijs rerum euentibus illuſtratæ ſunt, quidni perſpicaciores ſint ijs, quorum vita quietis, & vmbratilibus ſtudijs traducta fuit? Enimuerò, qui cæteris eruditione, & ſapientiâ præſtant, apertè fatentur ſuæ ſe prudentiæ, & ſolertiæ fiduciam, non tàm ab mutis, quod aiunt, magiſtris, quàm à viuis, id eſt, rerum experientiâ accepiſſe. Quo pacto autem lecta ad vſum, & experientiam transferantur, egregiè ex Chryſippo docet Plutarchus: *Oportet*, inquit, *quod eſt ex vſu, ex ijs, quæ confinia ſunt, & ſimilem habent ſpeciem, colligere. Nam quemadmodum idem pharmacum ad vnum morbum fugandum efficax, dum vim illius diſcunt medici, ad omnes finitimos illud transferunt, & accommodant: ſic ſententia communis, quæ vim ſuam in plura poteſt extendere, non eſt mox deſpicienda, ſed dum vni negotio propriè congruit, ad ſimilia nihilominus traducenda eſt, & proximè cognata. Eſtq; in hac occupatione exercenda maximè iuuentus, vt conſueſcat pro ingenij ſui acrimoniâ ad id quod eſt commune, ex proprio traducere, idq; compluribus experiri exemplis, ita vt in promptu illi fiat, celerrimè huius exercitij præſtare documenta.* Hæc ille.

Lecta quomodo in vſũ traducantur.

*Li. de Aud. poët.*

*P. Matth.* IV. Magnus ille Galliæ HENRICVS IV. paullò ante obitum ipſius tragicum, profitebatur ſe iam demùm callere quid Regnare eſſet: neque id aliundè didiciſſe, quàm ex Magno ſuo libro: id eſt Notis vt exiſtimo, ex quibus *Experientiam* nactus erat.

VII. Sic igitur ſtatuendum, finem ſtudij ciuilis eſſe actionem, non nudam illam rerum cognitionem, aut abditam, inanemque meditationem. Quâ ratione Princeps quidam noſtræ tempeſtatis non ineruditus, filium ſuum ſucceſſorem ſic admonebat: Debes, inquit, *voluptatem capere per lectionem, & cognitionem rerum honeſtarum: verùm cum duplici cautione hac: Vt imprimis nonniſi tempus illud impertias ſtudijs, quod à negotijs ciuilibus ſupereſt: tùm deinde, vt ſtudijs minùs incumbas, quò ſimplicem, ac nudam rerum cognitionem percipias, ſed vt idoneum te reddas muneri tuo exſequendo, reuocans ea in praxim, & vſum, quæ iam antè lectione didiceris. Nec quemadmodum Aſtrologi,*

qui hoc

*qui hoc fine modò student, vt stellarum motus, cursusq; qui sit, c*
post pauca : *Amplius hæc cognitio historiarum edocebit te, c*
*cum Legatis Principum, quæque cum ijs communices, etiam de n*
*nentibus. Cæterùm præ alijs antiquis historijs, maximè pro*
*Commentaria: tùm propter styli elegantiam, suauitatemq; tù*
*Etenim istius sententiæ semper fui, vt cæteris omnibus Ethnicis Im*
*tum Tribunis Cæsarem prætulerim, velut familiam ducentem in*
*rientia.* Hactenus ille; cuius exemplo, vt & *Augusti Cæsaris*
*Constantini VIII. Emanuelis Palæologi,* (qui omnes non priù
runt, quàm hæredi futuro Breuiarium quoddam ciuilis
alij vtinam Principes filijs suis insigniores quasdam politicas
præsunt, proprias, scriptis mandarent longe quidem essent, q
luntur, & prudentiores, & instructiores ad capessendam posteà

---

## CAPVT XX.

### *Æquè etiam Principibus proderunt* Peregrin *ad Prudentiam Vsu comparandam.*

NAMQVE ex *Peregrinationibus* ( vt auctor est Franciscus Patritius diunt, multa ediscunt, multaque oculis cernunt, quæ nulla discip que doctore vnquam perdiscere possent. Testis huius sententiæ locup rus, qui Vlyssem (quem Græcorum sapientissimum fecit) à diuturnâ l que peregrinatione præcipuè laudat, librumque suum talibus orditur.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον &c.

quod ita reddit Horatius:

*Dic mihi Musa virum captæ post tempora Troiæ;*
*Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.*

Quasi præferat Vlyssis errores, ac peregrinationem omnibus rebus, quas rat in decennali bello Troiano, in quo tot Reges, ac Principes militauerat tantâ diuersarum rerum varietate, tantaque mutatione fortunæ. Et merit præponit: neque imponit, si Cassiodoro credimus: *Interdum expedit,* inq *triam negligere, vt Sapientiam quis possit acquirere: Vlysses Ithacus nisi hoc fecisset, i proprijs forsan latuisset.* Enimuerò, si non aliud;

Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον:

*Moderationem peregrinatio docet.*

Vnde

uam ea quæ ad Sapientiam & Moderationem comparandam ... Peregrinationem non in postremis adiungit: *In terram, in... im pertransiet: bona enim, & mala in omnibus tentabit.*

... imum sit, aliquamdiu vt Princeps adolescens peregrinetur, si ... suo, publicò ve periculo possit: quòd peregrinatio præsens sit ... entiæ, vt ita dicam, instrumentum. Neque enim audiendus ... a:

*Fœlix qui propriis æuum transegit in agris,*
*Ipsa domus puerum quæ videt ipsa senem.*

...è: quia *prudentiores illi semper habiti sunt, qui multorum hominum conuersa... bantur eruditi.*

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

...riptum nobis reliquit Laërtius, ALEXANDRVM MACEDONEM, maximam terrarum Orbis partem peragrasse, hoc fine, vt ea omnia ediscceret, quæ ... optimam Regis disciplinam pertinerent. Proindè eum sæpè gloriari solitum a... nt, se plura oculis lustrasse, quàm alij Reges vnquam animo & cogitatione attingere valuissent.

II. CAMYBSES etiam Persarum Rex, multa ex diuturnâ peregrinatione perdidicit, quæ deindè Cyrum filium edocuit, vt præclarè refert Xenophon illis libris de puerili Cyri disciplinâ, siue verè, siue decorè scriptis.

III. Quid in PTOLEMÆO Rege Ægypti? is diutiùs peregrinatus fuisse dicitur, & ignotas quasdam regiones post eum peregrinantibus patefecisse. Primus enim omnium (vt Diodorus scribit) Æthiopiam ingressus est. Ante eum siquidem nemo Græcorum in Æthiopiam transmiserat; neque Ægypti montes quisquam ante eum transcenderat.

*Lib.4.*

IV. Vix credibile memoratu est, quantas regiones peragrarit SOSOOSIS, omnium Ægyptiorum Regum excellentissimus. Siquidem (si Francisco Patritio erudito viro credimus) Arabiam, Lybiam, Æthiopiam, & vniuersam Indiam ad Oceanum vsque peragrauit; & Scythiam ponè Tanaim fluuium qui Europam ab Asiâ disterminat, quibus in locis & Colonias deduxit, atque Obeliscos erexit, vt monumenta militiæ, atque peregrinationis suæ perpetuò figeret.

*3. de Regn.*

V. Eodem quoque laudis genere decoratur MYTHRIDATES Rex Ponti. Is etenim Asiam cum nonnullis amicis tacitus à regno profectus, nemine sciente, peruagatus est, omniumq; Vrbium situs ac regiones cognouit. Quo quidem peregrinandi studio effecit, vt omnium pœnè linguarum peritiam assecutus sit; adeò vt duabus & viginti diuersis nationibus, quibus imperabat, sua cuiq; lingua ius dicere solitus fuerit, & pro concione singulos sine interprete effari: quod quidem nisi omnes

*Plut. & Sabel. lib.10.*

mnes in eo Historici consentirent, alienum à vero videretur.

VI. Denique nunquid LYCVRGVS in Ægyptum, & Græciam profectus, iura didicit? nunquid PYTHAGORAS ad leges & litteras cognoscendas, cùm Persarum Magis vixit, atque inde Spartam contendit? Nunquid GERMANICVS Cæsar accensus cupiditate, veteres locos, & famâ celebres visendi Græciam, Thraciam, Asiam, ipsas denique Armenias peragrauit? Nunquid Prouincias internis certaminibus, ac magistratuum iniurijs fessas refouebat? *Strabo lib. 10. Alex. ab Ale. li. 1. 36* *Tacit. 2. Annal.*

Maneat igitur, perutiles esse iuuenibus peregrinationes; magnamque prudentiam, atque rerum experientiam afferre, potissimùm illis, qui alijs præfuturi sint. Præterquàm quòd per eas naturam finitimorum (quibuscum non rarò negocium est) meliùs norunt; quod non in leui prudentes Principes ponunt. Variant enim hominum ingenia, & *sunt tàm ciuitatum, quàm singulorum hominum mores. gentesq; aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ, in vinum, in Venerem aliæ proniores sunt.* Atque eo fine HADRIANVS Cæsar plurimas ciuitatum sociarum, atque tributariarum inuisit, & quas nullus, si probo scriptori credimus, ante se Imperatorum viderat. TRAIANVS denique *cognouit per decem stipendia mores gentium, regionum situs, oportunitates locorum, &c.* At superiori ætate, vt tandem desinam, nunquid CAROLVS V. Imp. iter nouies fecit in Germaniam, sexies in Hispaniam, in Italiam septies, in Belgium decies, in Galliam quater, in Angliam, atque etiam Africam semel atque iterum, postremò mare Mediterraneum octies, Oceanum verò tertiùm enauigauit, & quidem difficillimis temporibus? *Liuius lib. 45.* *Dio Cass.* *Plin. Pan.* *Zenocarus in vita Caroli.*

Sed quæ de peregrinatione dicuntur, sic capiant adolescentes, vt non satis sit, si villas, vrbes, prouincias, oculis aut pedibus vsurpent, verùm necesse est, vt earum situm attendant, gentium mores atque instituta artificiosè aduertant, earum societates & fœdera scrutentur: quot munitiones, arcesque habeat talis Prouincia, aditus ad eam faciles & difficiles, cuius genij sint incolæ, quâ militari disciplinâ vtantur, quibus rebus affluant, & contrà destituantur: tùm illustres Principum, maximè sibi parium, virtutes & vitia exactè consideret, quibus ministris, & quâ victus & cultus ratione vtantur, quâ politiæ formâ suis imperitent, quo affectu sint erga illum subditi, eius potentiam & robur exquirant, quæ pars Imperij tenuis sit & affecta; quæ si firma, quâ parte ex facili quati possit. Hæc enim cognitio cùm plurimis de caussis, tùm præcipuè pacis & belli temporibus maximè Principi conducit. Quamobrem VENETI diligentiùs quàm cæteræ aliæ nationes, vt refert Scip. Amiratus, externorum notitiam conquirentes, Oratoribus suis, quos ad maximos terrarum Principes mittunt, id oneris iniungunt, vt post legationem in Senatu referant omnia, quæ de moribus Principum, deque regnorum situ diuitijs, fertilitate, & hominum ad quos missi sunt, explorauerunt; quod tantâ facilitate perficiunt, vt sæpenumerò illis manifestiora, quàm incolis ea sint, quæ in quolibet terrarum angulo vsurpantur, atque geruntur. Ex hac peritiâ resultat, vt quemadmodum Princeps non debet ob magnitudinem alicuius Principis, si *Vsus Peregrinationis.* *Lib. 13. Diss. Discur. 9.*

ignauiæ deditus ſit, perterrefieri: ſic ex clade, aut declinatione præſtantiſſimi alterius Principis, animos capere non debeat: hic enim in ſalebroſa periculorum via lapſus reſurget; ille verò in paluſtri deliciarum ſtagno ſuffocatus, nunquam emergit. Multùm itaque refert genium, cum quo verſeris, Principis noſſe; vt & cætera quæ hactenus commemorata ſunt, multis varijsque experimentis didiciſſe. Nam alioqui, qui eiuſmodi obſeruationes neglectui habent, non tàm, meâ quidem opinione, peregrinantur, quàm vagantur, longeque aberrant à vero peregrinationis ſcopo, qui conſiſtit nedum in voluptate, quæ percipi ſolet variarum Vrbium, Gentium, Prouinciarum adſpectu, verumetiam vtilitate, quam haurimus ex ſupradictarum rerum, ijsque ſimilium indagatione, & conſideratione.

---

## CAPVT XXI.

### *Sed eæ maximè* Peregrinationes *ad Prudentiam valent, quæ in obeundis propriæ Ditionis Prouincijs ſuſcipiuntur.*

PRobe enim, ac prudenter Auctor prudentiſſimus monet, *Principibus adeunda ſæpiùs longinqua Imperij.* *Tacit. lib. 3. Annal.* Quid ita? quia pleniùs atque vberiùs de ſtatu rerum ſuarum cognoſcunt, & quantæ prouinciæ atque vires ſuæ ſint, oculis ipſi cernunt; *Multi enim ignorant vires ſuas, & dum ſe tàm magnos, quàm audiunt, credunt, attrahunt ſuperuacua, & in diſcrimen rerum omnium peruentura bella.* *Senec. 6. de Benef. cap. 30.*

Itaque, hoc imprimis Principibus ex *Peregrinatione* accedit commodi, vt facilè *Ratiocinarium Principatus* (ô rem admodum ſalutarem!) conſcribere ipſi poſſint, *Senec. 6. de Benef. cap. 30.* *Nam dum ignorant vires ſuas, & dum ſe tam, magnos, quàm audiunt, credant, attrahunt ſuperuacua, & in diſcrimen omnium prouentura bella.*

In hoc autem Imperij Rationario vires complectuntur; vel, vt dicit Tacitus *1. Annal.* *opes publicæ continentur, quantum Ciuium, Sociorumq; in armis, quot Claſſes, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceßitates, aut largitiones.* Atque hoc eſt noſſe Rempublicam. *Cic. lib. 3. de leg.* Nam *ſi quid habeas militum, quid valeas ærario, quos ſocios Reſpublica habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, quâ quiſque ſit lege, conditione, fœdere,* &c. ſciueris, nec domi, nec foris inuenias, qui tibi fraudi ſit. *Philo de Principe c. 3.* *Alijs itaque Regibus ſua ſint ſceptra, tibi verò ſceptrum ſit hic libellus, tua gloria, inuictus tuus honos & teſſera imperij tui laudatißimi.*

Mox, & ſubditorum naturam, quod in magnis & neceſſarijs habendum, exactiùs norit: Namque vt Poëta canit;

*Martialis.* *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.*

Præſertim initio adminiſtrationis: ita enim faciliùs cognoſces quorum opera in occaſionibus vti poſſis, Vnde rectè Plutarchus monet;

*Vir*

*Vir ciuilis, & Rempub. tractare incipiens, tamdiu ciuium moribus consentaneè viuet, & se ad eorum naturam accommodet, atque scitè consectetur ea, quibus populus soleat delectari, donec opinione virtutis, & fide iam comparatâ, auctoritati inniti possit.* Aureum profectò dogma: & maximè his imbibendum, qui clauum Imperij primò moderantur. *Plutar. li. Polit. ad Traia.*

Adhæc, occurret peregrinatione hac, auiditati Gubernatorum, quos bonis Prouincialium abuti, maximo Principis & Reipub. malo, sæpè videmus. Neque enim aliter horum artibus mederi potest. Etenim, *longinquitas negat probationum facultatem.* quod si præsentes quidam conscij, ij *adulantes, cuncta mollius interpretantur.* *Egesippus. Tacit. 2. Hist.*

Adde aliud ex alio malum, quòd Princeps in longinquo, ægrè seditiones sedabit, factiones, & odia difficulter exterminabit: *Senec. Oed.*

*Tutò mouetur, quidquid extremo in loco est*, ait verè Tragicus.

At, quid si domi etiam creperæ sint res, & inclinatæ? hic *non omittere caput rerum debet, neque se, remq; publicam in casum dare.* *Tacit. 2. Ann.*

Et vt cessent ista, efficiet sanè Princeps per eiusmodi peregrinationes, vt *cuncta meliùs ad decorem Imperij componat*: quod ipsum summæ ei curæ esse debet: *Respublica siquidem non est vnius ciuitatis cura, sed totius regni prouisa custodia.* *Idem 1. Hist. Cassio 9. var.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

I. BEnè sit Scriptoribus prisci æui, qui non modò ciuilia Principibus documenta reliquerunt, verum etiam exempla ad imitandum varia, plena manu proposuerunt. Tranquillus igitur Suetonius auctor est, AVGVSTVM *Cæsarem*, Prouincias, quæ Proconsulari imperio regebantur, persæpè adijsse: in eaque peregrinatione, *vrbium quasdam fœderatas, sed ad exitum licentiâ præcipites, libertate priuasse: alias aut ære alieno laborantes leuauisse, aut terræmotu subuersas denuò condidisse, aut merita erga populum Romanum allegantes, Latinitate vel Ciuitate donauisse. Non est prouincia* (inquit auctor) *excepta duntaxat Africa, & Sardinia, quam non adierit.* Patet causa, vt videret ipse, quo in statu res essent, neve fortassis Proconsules potestate sibi traditâ in Principis dedecus, & odium suum abuterentur, *Cap. 47.*

II. Cuius imitatione TIBERIVS, eius priuignus, & successor, cursim percensêre solebat numerum legionum, & quas prouincias tutarentur: Nempè ideò vt vires suas cognosceret ipse, non per Vicarios, vt plerumque fit nostrâ tempestate. Hoc quidem est præcipuum, & maximum vlcus omnium Rerumpub. quòd omnia pœnè per Vicarios administrantur, Principe intereà domi sedente. *Tacit. 4. Ann.*

III. Quid TRAIANVS Cæsar? *Cognouit per stipendia decem, mores gentium, regionum* *Plin. Paneg.*

*num situs, oportunitates locorum*, &c. Denique *velocißimi sideris* (solis) *more, omnia inuisere, omnia audire, & vndecunque inuocatii statim veluti Numen adesse, & aßistere solebat.*

*Plutar.* IV. Eodemque, & quidem laudabili instituto (vt Romanos omittamus) PERSARVM REGES omnes vniuersæ Ditionis suæ Prouincias frequenter obibant, lustrabantque, quò si quæ opem regiam desiderarent, eis Rex adesset, continuòque res componeret, & stabiliret. Errant enim toto cœlo, qui existimant, populi motus per internuncios cohiberi posse. Nam, vt Cornelius Tacitus verissimè ait, *ex dictantibus terrarum spatijs, consilia post res afferuntur.* Testes sunt pleræque regiones, quæ bellis ciuilibus & internis diù conflictatæ fuêre, in quas alioqui si initio bellorum & seditionum ciuilium commeasset legitimus earum Princeps, dubio procul rerum nouarum auctores ilicò, solo suo nutu, præsentiâque suâ compescuisset, & porrò Imperij potentiam aduersus alios, Principes gloriæ suæ æmulos firmasset, stabilijssetque. Vt enim Luna (aiebat Princeps quidam) præcipuè mouet inferiora, non quòd efficacior, sed quòd vicinior: ita multum habere momenti ad motus belli sedandos vicinitatem Regis. Prudens hac in parte TIBERIVS Cæsar, quem legimus, *Prouincias internis certaminibus fessas, suâ præsentiâ refouisse.* Annon eodem instituto CAROLVS V. maximus ille Cæsar multoties ex Hispanijs ad Flandros & Germanos aduolauit, vt internos populi motus, atque seditiones, vel penitùs tolleret, vel certè mitigaret? Dictum fortassis FERDINANDI Regis Castellæ, & Legionis imbiberat, *Principum internuncios instar oculorum Principum esse, sed væ illi Principi, cuius oculi sic caligant, vt aliorum oculis indigeat.*

*3. Hist.*

*Apud Tacit. Annal.*

Sed, & in hoc vsui erit peregrinatio, quòd *Rationarium Principatus* expeditiùs Principes conficere possint: cuius rei ratio tàm clara est, quàm multis exemplis testificata.

Peregrinatione, Imperij Rationariũ Principes facilè conficiunt.

I. AVGVSTVS Cæsar codice separato propriâ manu scripsit *Instrumentum*, siue, vt vulgus loquitur, *Statum rerum*, quò publicæ actiones, illustrium virorum nomina, reditus publici, &c. quasi per indicem continebantur: Veteres, *Breuiarium Imperij* nuncupabant. De eo sic Suetonius: *De tribus voluminibus, vno mandata de funere suo complexus est: altero Indicem rerum à se gestarum: tertio Breuiarium totius Imperij, quantum militum sub signis vbiq; esset, quantum pecuniæ in ærario* (ita occurrebat fraudibus Quæstorum) *& fiscis, & vectigalium residuis: adiecit & libertorum, seruorumq; nomina, à quibus ratio exigi posset.*

*Cap. vlt. Vide Dionem. l. 53.*

II. Atque hinc factum est, vt ALEXANDER SEVERVS milites suos, qui vbique essent, sciret: nempè quia in *cubiculo haberet Breuiarium, numerum complectens, & tempora militantium: semperq; cùm solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, vt esset ad omnia instructißimus.*

*Lampridius.*

III. Talem denique Codicem (vt prophanis sacra nectamus) ASSVERVM Regem confecisse sacra pagina testatur. Cùm enim (vt narratur libro Esther) noctem quandam præpotens Rex. Assuerus insomnem duceret, iussit sibi adferri

ferri

ferri historias, & annales priorum temporum: quæ cum illo præsente legerentur, ventumque esset ad illum locum, in quo scriptum erat, quomodo *Mardochæus* Iudæus insidias Eunuchorum Regem ASSVERVM iugulare cupientium, nunciasset, percunctatus Rex quid pro hac fide honoris & præmij *Mardochæus* consequutus esset, intellexissetque à ministris, nihil omninò mercedis accepisse; illum honorari, & omnibus regni proceribus præponi iussit, neque passus est tantum beneficium sine præmio relinqui: cuius beneficij haud dubiè immemor fuisset, nisi contulisset se ad Imperij sui *Rationarium*, siue vt sacra Scriptura appellat, *Annales*, qui memoriam illi renouârunt oblitterati beneficij, cuius remunerationem vt *Mardochæus* acciperet, plurimùm Regis intererat.

IV. Atque vt recentiora scrutemur, comperio CONSTANTINVM Leonis Imper. Constantinop. filium, *Rationarium* sui Imperij scripsisse, in quo fœdera, hostium vires, summa denique totius Imperij continebatur, quem librum Veneti nimio diligentiùs seruant, quàm Pici suum aurum. *Girald. hist. poet. dial. 5.*

V. Legimus etiam COSMVM MEDICEVM, Hetruriæ Magnum Ducem, eodem animi proposito codicem *Rationarium* Principatus sui diligentissimè fecisse: quem (vt scribit Annibal Scotus) *Franciscus* filius semper tenuit ac legit diligenter: exemplo omnium Principum, qui alijs succedunt; quemadmodum *Tiberius* fecit cum Breuiario *Augusti*. *In lib. 1. Annal. Tacit.*

VI. Idipsum etiam PHILIPPVM II. Hispaniarum Regem imitatum esse, plerique asserunt, quippè qui Indicem negotiorum publicorum, atque adeò omnium epistolarum, quæ de Præsidibus Prouinciarum, & Tribunis militum, & Legatis scriberentur, semper præ oculis habuerit.

VII. Idemque institutum seruauit AMVRATHES, Turcarum Dominus: eiusque *Breuiarium*, tanquam fœlicitatis suæ Palladium, asseruat hodiernus Imperator *Mahometes*, quippè in quo continetur summa omnium redituum, omnium sumptuum, omnium denique negotiorum, quæ quouis modo Imperium Turcicum concernunt. *Laz. Sorã. in Ottom.*

Non sinant igitur nostri æui Principes morem optimum, & laudatissimum Reipub. gubernandæ vsum suâ negligentiâ exolescere. Adeant ipsi sæpiùs longinqua Imperij: scribant quoque Principatus *Rationarium*, siue *Arcanum Librum*, in quo vires suos exploratas habeant, quantum militum in suis ditionibus legere, quantam pecuniæ vim ex suo censu cogere, quantam ex tributis quotannis conflare possint, qui sumptus militiæ faciendi, qui sago, quæ stipendia, donatiua, annua congiaria, subsidia militaria præstanda; qui sumptus in œconomiam, liberalitatem, munificentiam cùm in suos, tùm exteros, tùm in ludos publicos, & spectacula, idque genus sexcenta sint erogandi. Ita enim fiet, vt suam dum norint Rempub. potentiamque Principes, nedum ex facili pacatum, quibus propositi, sunt populum gubernent, verùmetiam eum aduersus hostium machinationes, excursiones, oppugnationes, cùm vsus fuerit, nullo negocio tueantur. *Monentur Principes, ne Rationarium imperij contemnant.*

Et vt obsistant fraudib. Gubernatorum.

Ampliùs dixi, *Principis peregrinatione, occurri fraudibus Gubernatorum.*

I. Si æuum Romanorum spectemus, nunquid VIPSANIVS LENAS damnatus fuit ob Sardiniam Prouinciam auarè habitam? nunquid CLODIVS QVINNALIS ob Italiam luxuriâ, sæuitiâque vexatam? nunquid VERRES ob Siciliam expilatam? Quid cæteros commemorem? & hi tales vbi Prouincialium spolijs, & sanguine sese expleuerint, *mutare tamen sciunt* (inquit verè Tacitus) *& exquirere nouos sinus, & varia prædandi vocabula.* ô quàm harum rerum periti *Verres*, id est, ciuium Expilatores nostri temporis! quorum tamen facinoribus ex facili Reges ac Principes suâ interdum præsentiâ obsistere possent. *Rex* enim *sedens in solio dissipat omne malum intuitu suo*, ait Sapiens. Sed quid? præsentium Dominorum oculi etiam fascinarentur fortasse, astu istorum Quæstorum; adeò sunt adulandi, aliosque circumscribendi periti. Plerumque tamen sagaciores Principes nubes submouerent, & nequitiam scitè detegerent istorum Neoclidum.

*Liu. Cic. & alij.* *4. Hist.* *Prou. 20.*

II. CAROLVS VI. Galliæ Rex, anno ætatis suæ primo, & vicesimo, Regni Prouincias longinquiores adiuit (inquit Frossardus) gratum id fore populo existimans, quem non aliâ ratione principio Gubernationis meliùs sibi conciliare potuisset. Ille igitur per Campaniam, Burgundiam, aliasque ditiones iter ingressus, tandem in Prouinciam & finitima loca peruenit. Ibi grauissimas querimonias audit de patruo suo *Berriæ Principe*, qui supra modum expilatis miserorum bonis, ad summam propè desperationem eos adegerat. Erat ibi vidêre quotidiè supplices libellos plurimorum de fraude, iniuriâ, vi, proscriptionibus, atque rapinis conquerentium. Regem vehementer commouit populi miseria: & ideò exempli statuendi causâ, quendam Berriæ Principis patrui sui *Quæstorem* ijs locis primùm, grauiter ab omnibus accusatum propter expilationes, viuum exuri præcepit, quantumuis intercedente per litteras, ac deprecante *Berrio*: quem postea Rex iter prosequens in comitatu suo adesse vetuit.

*Li. 3. Rer. Gall.*

III. Non discedamus à Gallia: HENRICVS IV. Galliæ Rex, cùm inaudiret Pictones varijs in locis agitare seditiones, quòd tributis ab Quæstoribus prægrauarentur, iter ad eos suscepit, moxque effecit, vt omnes animorum motus suâ præsentiâ extinguerentur penitus.

*Anno 1602.*

IV. Ne multis: Scimus prudentiores Europæ Principes hoc idem institutum diligenter tenère, atque posteris imitandum proponere. Vnde Rex quidam nostræ ætatis ad filium, ἐν τῷ αὐτοῦ δώρῳ βασιλικῷ: *Vt emendes*, inquit, *varia vitia, quæ in regno enasci solent, necesse est non solùm, vt animo comprehendas naturam tuorum ciuium, verùm etiam pernoscas tuarum Prouinciarum ingenium, atque conditionem. Idcircò valde optauerim, vt quotannis semel præcipuas vrbes, ac regiones singularum Prouinciarum accurate visites, in quibus aliquantisper consistas: Regna verò si plura Deus, vt spero, condonet tibi singulis, triennijs semel: neque intereà committas, vt negocia per alios expediantur; quin cognosce ipse tu, & excipe querelas, desideriaq; tuorum subditorum, quibus satisfacies de sententia consilij tui, quod quidem incolis patriæ compositum velim.* Saluberrimum monitum, & ex medullâ ciuilis prudentiæ desumptum.

Verùm,

Verùm priusquàm caput claudam, refricandum est, & exemplis confirmandum monitum in calce Aphorismorum notatum: *Nequaquam esse à Principe suscipiendas peregrinationes, cùm Imperium est in incerto.* Rebus dubijs abstinendum à peregrinatione.

I. WALDEMARVS Sueuiæ Rex, cùm Imperium sibi recens delatum aliquandiu tenuisset, peregrinationem suscepit, inquit Krantzius, in Terram Sanctam, rebus tamen Imperij non satis firmis, siue compositis. Idoneam nactus ipsius frater *Magnus* nomine, occasionem, regni iura occupat, inuenitque ocyùs (adeò est vulgus hominum ad nouas res pronum) qui se sectarentur, *Waldemarū* fastidientes magis idoneum qui teneret Ecclesiarum limina, quàm Regum obiret munia. Reuersus ex peregrinatione *Waldemarus*, cùm fratrem accepisse administrationem tantùm se absente putaret, facilè præsenti, & redeunti cessurum existimauit. Sed fallus est opinione. Nam *Magnus* occupato regno, inseparabilis incubuit. Ad arma respexit *Waldemarus*, contractis, quos in regno multos pro virtute, & modestiâ reliquerat, amicis. Et prælio commisso, cessêre qui *Waldemaro* fauebant: & eo pulso, *Magnus* semel inuasum regnum obtinuit, defenditque. Fugatus est itaque *Waldemarus* cum vxore, liberisque concedens in Daniam ad Regem *Ericum*. Si hoc fratri à fratre factum, quid expectabitis, à præpotentibus quibusdam Dynastis, ac etiam ambitiosis ministris siue subditis, qui odio plerumquè occulto, & plusquàm ciuili à vobis dissident? Enimuerò, quod in apibus Poëta cecinit, hoc mortalibus nonnunquam vsu venit: *Li.2. Sueuiæ c.24.*

*—— —— Rege incolumi, mens omnibus vna,*
*Amisso, rupêre fidem.*

Cogitate: & aliorum nocumenta, sint vobis documenta.

II. Optimè hîc sibi cauit AMVRATES Turcarum Imperator, vt qui Constantinopolim perpetuò insedit, adeoque gloriabatur (teste Arnoldo Clapmario) sedentem Constantinopoli, maiores se res gessisse, quàm vllum ex maioribus suis in ipsa acie: cuius rei haud alia causa fuit, quàm quòd Constantinopolis sedes erat Imperij, & plena Christianis hostibus, Turcico nomini infestissimis. *Lib.3. de Arcan. Imper.*

III. Ita CAROLVS V. Galliæ Rex, omnium suæ ætatis Principum prudentissimus, bellum cum Anglo per fratres gessit, ne rebus improsperè gestis, vt est fortuna belli absente Rege volubilis, Parisienses secessionem fortassis facerent, ac tamen Anglus dixisse fertur, cum nullo vnquam hoste sibi rem fuisse, qui minùs armaretur, & plus negocij sibi facesseret. Vnde & Macchiauellus meritò ipsorum etiam Gallorum imprudentiam perstringit, quòd Mediolanum deseruerint, vbi si aliquandiu pedem fixissent, non tam citò inde ab Hispanis pulsi, fugatique fuissent. Atque hactenus de Peregrinatione. *Frossard. l.1.*

* *
*

CAP.

## CAPVT XXII.

### *Cæterùm, quoniam incaſsùm recidunt peregrinationes, cæteraque quæ ad* Prudentiam *humanam ducunt, niſi* Sapientiæ *Duce regantur; idcircò exoranda illa eſt ab ipſa ſummi Dei* Sapientia.

QVANQVAM honeſtis diſciplinis, ab ſtudijs, alijsque rebus iam antè dictis, Principis poſſit animus ad humanam Prudentiam informari, atque inſtrui, attamen, niſi indiuiduam habeat comitem, atque ſociam diuinam Sapientiam, vana erit & infœlix vndecumque quæſita prudentia. Illam Orator Romanus definit *vt ſit diuinarum & humanarum rerum cauſarumq; quibus hæ res continentur ſcientia. cuius ſtudium qui vituperat haud ſanè intelligo quidnam ſit quod laudandum putet.* Hæc autem comparatur à Diuino Numine. *Sicut* enim *pecudes non à pecudibus, ſed à meliore ſe genere, vt paſtore homine, reguntur: ſic homines ab homine, ſine Duce Deo, peßimè gubernantur.*

*Lib.2.de Offic.*

*Plato 4. de leg.*

Etenim ille *dat mortalibus Sapientiam, & ex ore eius Prudentia, & Scientia.* —— *Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo; ipſe habet conſilium, & intelligentiam.* —— *Hinc virtutum omnium ſumitur manifeſta cognitio, hinc Sapientia veritatis ſapore conditur.* Quid multa? illa eſt, *qui dat Sapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam.* Summa,

*Prou.2.*
*Iob.12.*
*Caſſio.6. var.ep.19.*
*Dan.2.21.*

——— ——— ——— ——— *Plurima fœlix*
*Paullatim vitia, atque errores exuit omnes*
*Prima docens rectum Sapientia.*

*Iuuenal. Saty.13.*

*Nam principium, & cauſſa, & regula eſt humanæ fœlicitatis, cognitio præſtantißimarum rerum, & diuinarum.*

*Theages apud Stob. Sermo.*

Cùm igitur *Conſilium omne de cœlo ſit*, toto animo, & caſtiſſimis inuocanda es precibus, ô æterna Sapientia: *quia tu, qui corda noſtra regis, etiam quid debeamus ſentire, concedis.* Adſpira igitur conſilijs Principis noſtri, & prudentiam eius, lumine tuæ Sapientiæ illuſtra: *Si enim, ô Domine, volueris, ſpiritu intelligentiæ replebis Illum, & tanquam imbres, mittes eloquia Sapientiæ tuæ, & diriges conſilium eius, & diſciplinam.* —— Nam *cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.*

*D.Amb. de Sacrã.*
*Caſſio.7. var.ep.34.*
*Eccleſ.39.*
*Paral. 20. 17.*

Valeat autem ſcæua illa mens, quæ prudentiam, impudens, ſine Sapientiâ valêre contendit. Siquidem prudentia pendet ex præceptis, & principijs Sapientiæ, ſine quâ nec reliquæ virtutes, nedum Prudentia, conſtans, & perpetua eſſe poteſt. Quî ſit? cùm abſque propitio Numine, id eſt, ipſa Dei Sapientiâ, σοφὰ βουλεύματα πρὸς ἄσοφον τελευτῶσι πέρας: *ſana conſilia in finem inſanum deſinant.* Ex oraculo eſt,

*Macchia.*
*Niceph. Greg.li. 7.*

*nullum*

*nullum virum impium prudentem esse posse.* Nam, & Homerus ad Prudentiam retinendam Deos ipse exorandos præcipit, Stagir. in Ethicu.

——— ——— ———οἵτε δύνανται
Ἄφρονα ποιῆσαι, καὶ ἐπίφρονα περ μάλ᾽ ἐόντα,
——— ——— ———*qui possunt*
*Insipientem facere eum, qui vel prudentißimus fuerit.*

Denique, *cùm Diuina prouidentia consiliis & actionibus humanis non suffragatur, malo & infœlici exitu terminantur.* Niceph. Gregoras. lib. 7. Hist.

*Videmus ipsi quotidiè, manus iniicientibus fatis, hebetari sensus hominum, & obtundi:* idque nimiâ, vt plurimùm, humanæ prudentiæ fiduciâ: Etenim, *humana consilia castigantur, vbi se cœlestibus præferunt.*——*Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus suos.* Amm. Marcell. Val. Max. 1. c. 6. Prou. 16.

Submittenda itaque consilia nostra diuinis: Deusque *qui dat consilia magnifica, & recta,* ante omnem deliberationem cum Sapiente exorandus: Quoniam, *cogitationes mortalium timidæ, & incerta prouidentia nostra.* Senec. epist. 41. Sap. 9.

Ideò, rectè diuinus Plato censuit *Rempublicam sine diuini Numinis ope administrari non posse.*——Si ergò *delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite Sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Lib. 1. de leg. Sap. 6.

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

I. QVorum sit antesignanus iam dictus PLATO, Philosophorum quot sunt, quot erunt Coriphæus. Is igitur veridico, & tantùm nō Christiano ore dicebat, Rempublicam sine ope Numinis diuini gubernari non posse. quippè, inquit, sicut bestiæ, animantesque rationis expertes sui curam habere nequeunt, neque per se ipsæ regere possunt, sed ad illas moderandas hominis indigentiâ, & directione opus est, itâ homines ad fœlicitatem dirigi non possunt, nisi Deus moderetur, & quasi manu ducat. Sap. 6. 1. de leg.

II. Neque Plato tantùm, sed & reliqui ETHNICI, quamuis fidei lumine orbi, ipsum hoc intellexisse, probasseque videntur, dum templorum suorum ianuis, SAPIENTIAM, tanquam Nympham, vel Diuam quandam pulcherrimam appingebant, elogio hoc ei subscripto: *Vsus me genuit, peperit Memoria; Sophiam me vocant Græci, vos Sapientiam.* Polyb.

III. Benè sit CIVITATI nostræ LEODIENSI, quæ in antipagmentis domus Ciuicæ præscripsit:

*Stare diù nescit, quod non fulcitur ab alto,*
*Et discors in se regnum durabile non est.*

Quidni enim illud præferret symbolum? quidni cunctis legendum proponat? cùm sciant omnes incrementum illam haud aliundè accepisse, pacem stabilijsse, mala

multa deprecatam esse, quàm à diuino illo Numine, altissimo, inquam, optimorum consiliorum, & bonæ mentis Dotare, & Auctore. Nam, quæ Ciuitas armis vicinorum bellorum vndequaque diu circumsepta fuit, adeoque concussa, firmiter tamen in Catholicâ fide stetit, & tempestates aliorum tanquam ex securâ quadam speculâ vidit, doluitque. Fatendum certè est, & animo, & stylo gratandum, nisi hæc Diua nuperis tempestatibus nobis perpetim adstitisset, faxit porrò vt faueat, tantùm non staret Respub. quàm aliorum clades, & liuidorum consilia penè pessumdedêre.

*Ex Herod.* IV. Meritò ergò illam filio ad *Astyagem* proficiscenti CAMBYSES Persarum Rex, verbis quidem memoratu dignis proponit: *Hoc vnum,* inquit, *præcipuè commendo, idq; tanquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tuâ memoriâ perpetuò recondi cupio, Dei esto amicus; in eundem pius, nihilq; aggrediaris, nisi diuino Numine implorato. Imbecilla enim est, & hebes mortalium natura: nihil autem Dei sapientiam latet, omnia ex sententiâ ijs cedunt, quibus illa præstò est.*

*Xenoph. de adm. domest.* V. Præclarè apud Socratem CLEOBVLVS inquiebat, optimè facis quod me iubeas operam dare vt opus omne meum non sine Deo ordiar; quippè in huius potestate sunt tàm ea quæ in pace, quàm quæ in bello suscipiuntur.

*Plutar.* VI. Hinc SCIPIONEM cognomento AFRICANVM legimus, non ante ad negocia vel publica, vel priuata iuisse, quàm in cella Iouis Capitolini aliquandiu constitisset, vota Superis faciens pro Sapientiâ obtinendâ.

*Bapt. Fulg. lib. 1.* VII. Quid singulos commemorem? ROMANVS ipse SENATVS Diuam hanc semper tanti fecit, vt quotiescunque Senatum Magistratus coëgisset, id ipsum quod primò proponebatur, ad Religionem pertineret: nullaque quanquam grauior causa, vel quæ celeritatem requireret, huius morem anteuertebat; vt publicorum consiliorum, quemadmodum etiam aliarum rerum, diuino cultui primæ partes darentur.

*Niceph. li. 7. c. 43.* VIII. CONSTANTINVS autem Imperator (vt Ethnicos veteres omittam) qui fundamenta Religionis nostræ in Imperio Germanico iecit, quò palàm faceret, necessariam esse Imperanti sapientiam, imaginem suam sublatis in cœlum manibus, ad instar opem à Deo implorantis, nummis aureis imprimi mandauit.

*3. Reg. 3. 2. Paral. 1.* IX. Quis non sciat SALOMONEM, conceptis verbis à Deo sapientiam postulasse, velut vnicum Imperij, & imperantis firmamentum? Diuitias ille à Domino non postulauit, non inimicorum vindictam, non vitam prolixam, sed tantùm *Sapientiam*: quam sic Deus illi impertiuit cum diuitiis, quas non postulauit, vt nemo fuerit illi similis vnquàm, nec porrò futurus est.

*De Pastor. curap. 2. cap. 5.* X. Memorandum, & Principibus Christianis imitandum, quod in *Moyse* scribit B. Gregorius: *Moyses,* inquit, *crebrò tabernaculum intrat, & exit, & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotijs vrgetur; intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat, qui de rebus quoque dubijs semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum procul dubio Rectoribus præbens, vt cùm foris ambigunt*

*ambigunt quid disponant, ad mentem, quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca, Dominum consulant, &c.* Hactenus ille.

XI. IVDITH, vt sacris, & certioribus insistamus exemplis, cupiens liberare obsidione Ciuitatem Betuliæ, quàm cinxerat *Holofernes*, priusquam animum ad consilium tanti ponderis componat, opidanos rogat, vti Deum pro se orent: *Orate*, inquit, *vt Deus firmum faciat consilium suum.* *Iudith c.8*

XII. DAVID autem in domestico illo, & nefario bello, quod illi *Absalon* filius gerebat, Deum votis omnibus obsecrabat, ne consilia *Achitophel*, sui quondam Consiliarij, *Absalon* sequeretur: quòd *illius consilia, quæ dabat illis diebus*, eiusmodi erant, *quasi si quis consuleret Deum.* Vnde non mediocriter sibi ab illius ceu diuinis consilijs metuens, quò ijs obstare quadantenus posset, dixit *Chusi Archito*, vt sese *Absaloni* comitem, & consiliarium præberet, diceretque, *Seruus tuus sum, ô Rex sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus.* Et si petitioni eius Rex annueret, *consilia Achitophel dissiparet, & omne verbum quodcumque audiret in domo Regis* (Absalonis) *indicaret Sadoch, & Abiathar Sacerdotibus*, quorum quidem opera Chusi, exsequutus est mandata Dauidis. Nam cùm Absalon consilium Achitophel exquisiuisset super belli negocijs, suasissetque Achitophel, vt exercitum duodecim millium conscriberet, ad prosequendum Dauidem, quem procul dubio profligasset, si eius consilio Absalon paruisset; vocatus Chusi, iussusque sententiam dare, mox reclamauit, dicens: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice*: quod & placuit nedùm Absaloni, sed & omnibus viris Israël, *vt dissiparetur*, inquit Scriptura, *consilium Achitophel vtile*: qui videns suum consilium neglectum, & cunctis repudiatum, domum abijt, & suspendio vitam finiuit. Ecce quanti fecerit Dauid consilium eius, quem Sapientia diuina regi existimabat. Vide etiam quàm incerta, obscura, nocitura sint mortalium consilia, vbi ijs non allucet (vt certè non solet in rebus impijs) Sol ille diuinæ Sapientiæ. Nam dum Absalon parentem suum pessundare, & delere studet, datus in reprobum sensum, negligit consilia Achitophel, sequiturque consilia infidi consiliarij Chusi. *2.Reg.15. 16.& 17.*

XIII. Idem ille Deo carissimus DAVID, contra Goliat pugnaturus, nunquid Dominum priùs consulit, antequàm manus cum hoste conserat? ait enim: *Nunquid vadam, & percutiam Philistæum*: Vnde Ecclesiæ Doctor Augustinus: *Quis est consiliarius prudentior Christo? quærimus consilium? habemus copiam non sapientis, sed ipsius Sapientiæ, qui Christus est.* Is ergò, qui sic animatus erit, vt nihil aggredi sustineat, nisi ante diuinam opem, & gratiam petat, nihilque aliud expetat, nisi Dei voluntatem explêre, nunquam reuera deseret eum Dominus, quin lucem ei suam copiosè immittat, sine quâ, quamuis aliàs perspicax, & oculatus sis, rues tamen in multos errores, immò in omnes abyssus miseriarum. *Ergò dic à te*, inquit idem Augustinus, *tibi lumen non esse, & clama quod scriptum est: Lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas: à me enim non nisi tenebræ; Tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non à me mihi lumen exsistens, sed lumen non participans, nisi in te.* *De lapsum.* *De Verb. Do. in Matt. ser 8. in fine.*

2.Paral. 14. & 16. XIV. Cæterùm, vt ſacris porrò oſtendam exemplis incaſsùm ſine diuinâ illâ Sapientiâ homines laborare, ecce legimus in libris Paralipomenon ASAM Regem Iudæ, in Deum (cui mente integrâ adhærebat) magnâ fuiſſe pietate: quàm ſummam Religionem, Deum multorum annorum pace (conſtrictis veluti hoſtiũ manibus) compenſauiſſe, ſacra pagina refert. Cùm autem Æthiopum Rex *Zara*, coacto decies centenis millibus hominum exercitu, regni illius fines eſſet ingreſſus, *Aſa* ad Deum conuerſus, tantæ multitudini preces oppoſuit, neque fruſtrà. Nam Deo precationem exaudiente propitioque, territos, & fugientes Æthiopes paruâ militum manu ad internecionem deleuit, reportatis opimis ſpolijs, euerſisque eorum vrbibus: *quia* (vt habet textus) *Domino cadente contriti ſunt, & exercitu illius præliante.* At ceſſit tunc fœliciter hæc Aſæ regis expeditio: quia Deo fretus, in quo ſpem repoſuerat, cum aduerſario acie conflixit. Sed non fuit idem alterius euentus, quando poſthabito Deo ad humana conſilia confugit. Nam ecce mouerat bellum *Baaſà* Rex Iſraël percuſſo cùm *Benadàd* Rege Syriæ ſtrenuo, & potentiſſimo fœdere, eoque in breui ſocietatem aſcito. Extimuit *Aſa*, veritusque ne coniunctis duorum Regum copiis, ſolus exiguo exercitu reſiſtere non poſſet (oblitus interim, quàm paruâ manu Regem Æthiopiæ debellaſſet) de exploratâ diuini Numinis in ſe benignitate, ad euanidas politici ſtatus rationes confugit: cæpitque id conſilij, vt dirempta per aſtum Regis Syriæ *Benadàd* cum *Baaſà* Iſraëlis Rege ſocietate, illum in ſuas partes icto fœdere transferret. Quod vt faciliùs conſequeretur (quoniam ad permouendos Principum animos vtilitas, & quæſtus valent plurimùm) vim magnam auri, & argenti mittendam cenſuit. Cumque in tot ſumptus eius facultates ſatis non eſſent, in Templi theſauros manus iniecit. Allectus itaque hiſce donis & captus rex Syriæ, fracto cum Rege Iſraëlis antè pacto fœdere, reſciſſiſque amicitijs, in illum arma conuertit, Aſæ regi ſuccurrit, Aſæ inquam exultanti, quod (propulſato, quod exhorruerat, periculo) tàm fœliciter ab humanâ prudentiâ tractum conſilium ceſſiſſet, ab alienatione quadam diſtractis confœderatorum hoſtium animis, partâque noua ſocietate meliori quiete. At, quid accidit? Dominus qui cordâ intuetur, & in ſe ſpes noſtras vult reponi, *Hananiam* Prophetam ad Regem *Aſam* miſit, qui renunciaret; Eò quod non in Deo, ſed in Reges Syriæ infideli ſpem collocaſſet, ereptam ei è manibus ſummam victoriam, quam Domino concedente de Syriæ Rege reportaſſet: futurum enim, niſi fœdus cum eo inijſſet, vt Regi Iſraëlis ferens opem in Regem Aſam exercitum duceret, & fuſus profligatusque, non minùs vinceretur, quàm Rex Æthiopum, cuius exercitum nec robore, nec numero æquabat, ſubiunxitque Propheta: *Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Quæ verba Spiritus S. afflatu protulit, vt diſcamus (monente eruditiſſimo P. Petro Ribadeneira Societatis Ieſu Theologo) conſilium, quod

Notent hæc Principes.

ex Deo

ex Deo capitur, firmius, vtiliusque esse ijs omnibus consultationibus, quæ ab humanâ politici status ratione ducuntur. Neque enim fuit Regis Asæ culpa, quod aduersus hostem externa auxilia euocârit, (cùm, adhibita tamen Christiana prudentia, & possint, & debeant eiusmodi præsidia aliundè peti) sed quòd ad Idololatrâ, & Dei hoste subsidium postulauerit, illius viribus plusquàm Dei potentiæ fiderit, cum eo fœdus inierit, & ad eum in suas partes pertrahendum thesauris, quos profano Principi offerret, Templum Dei sanctum spoliauerit. *Lib. 1. Princ. Christ. aduer. Machiau.*

XV. Aliud exemplum, punitæ prudentiæ humanæ suppeditat nobis eadem sacra pagina. EPHRAIM hoc est decem tribus, neglectâ ope, & fiduciâ diuinâ, fœdus inijt cum Assyrijs, & Ægyptijs. *Iudicium ergò Domini*, ait Propheta, *cum Iuda, & visitabo super Iacob. Iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei.* Alia huius notæ exempla petat qui volet è cap. 11. suprà Tit. de fœderibus. *Oseæ 12.*

XVI. Pro huius memoriæ infinitis exemplis, vno tantùm contenti erimus. Principes nonnulli, quorum parco pudori, cùm funesta bella aduersus *Carolum V.* Hispaniarum Regem gererent, humanâ potiùs, quam diuinâ prudentiâ in consilium vocatâ, Turca fœdere sibi adiuncto cum instructissimâ perfidi hostis classe, maritimas oras *Carolo* parentes excursionibus infestarunt, admissos etiam in belli societatem Geramanos Principes (quos Protestantes vocant) in eundem magno conatu, & animis armârunt. Verùm, quis ex eius generis fœderibus fructus? Nullus præter dedecus, & publicam offension. Nam Turcica classis, exiguo admodum detrimento rebus Caroli illato, Tractum circa Tolonis Martij portum, in quo in hybernis egit, indignis modis, igni, ferroque depopulata est, viresque & portus istorum Principum explorauit, vt incidente occasione securiùs illos aggrediatur. Principes verò Germaniæ hæresi infecti, qui per summum nefas defecerant, bonis multati, & plurimis incommodis affecti, manus Imperatoris sui victrices, vindicesque senserunt.

XVII. Quid memorem clades, & neces, quas olim eò nomine sustinuerunt Imperatores HONORIVS, IVSTINIANVS II. IVLIANVS Comes, ARNOLPHVS Germaniæ Rex, IOHANNES Rex Hungariæ, alijque non pauci? quorum stragibus discere possumus, Dominum Deum acriter semper punire humanæ prudentiæ fiduciam, siue, vt nunc loquimur, *Status rationem*; & è contrario conatus, & consilia timentium se adiuuare, & promouere solêre, infinitis veterum exemplis colligi potest, veluti DAVIDIS, EZECHIÆ, IOSAPHAT, ASÆ, IOSIÆ; & recentiorum, veluti CONSTANTINI MAGNI, THEODOSII, CAROLI MAGNI, HVGONIS CAPETI, aliorumque permultorum, quorum secundi successus, tùm sacris, tùm profanis Scriptoribus, maximâ cum legentis admiratione passim celebrantur. *Vide Barō. pag. Epitom. 586.* *Vide D. Aug. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 24. & 25.*

Claudo caput istud insigni FERDINANDI II. Imper. non ita diu vita functi exemplo ac documento. Is quantoperè faceret non illam *Status rationem*, quam

quam totus iam suspicit Orbis, sed potiùs Dei gloriam & honorem atque salutem animarum, cuidam familiari super hac re fortè agenti, & gratulanti, quod in Rom. Regem eius filius electus esset, FERDINANDVS nempe III. hodie habenas Imperij fœliciter moderans respondit prorsus christianè: *Placêre sibi Ferdinandum filium esse in Romanorum Regem electum: non quia filium videret in Solio, sed quia in Solio virum videret, cui regula regnandi imperandiq; esset futura diuini honoris cura, & Catholicæ religionis propagandæ zelus, subditorum & patriæ salus. hæc esse veræ politicæ artis laudanda principia.*

---

## CAPVT XXIII.

### Amicorum *quoque, &* Consiliariorum Vsus, *ad rectam Reipub. administrationem, & Prudentiam referendus.*

Cyro. Pæd. lib. 8. SVADEOR Xenophontis dicto: *Non est aureum sceptrum, quod Regnum tuetur, sed amici fidi Regibus sunt tutissimum maximumq; sceptrum.* Etenim, qui clauum Imperij moderatur, cæterisque dominatur, quin maximam curarum molem sustineat, nequaquam dubitari potest. Fragm. *Multa*, inquit Sallustius, *curæ summo Imperio inest, multi ingentes labores.* Fragm. Ideò rectè *maiores nostri senserunt*, summæ huic potestati, *alios in curarum partem* adiungendos, tùm quòd *facilius munia Reipub. sociatis laboribus exsequetur*: Tacit. 1. Ann. tùm quòd *melior æstimabitur, quod solus omnia non præsumit*, melior autem? Indidem. immò & prudentior: quia

Cassio. 8. var. ep. 9.

Σοφοῖς ὁ μιλῶν καὐτος ἐκβήτῃ σοφός:

Menãder. *Sapiens eris sapientibus sæpè assidens.*

Lib. 1. Ciuili. Audi Iulium Cæsarem: *Consilio non minùs quàm gladio superare, est Imperatoris.*

Sallust. ad Cæsarem. de Rep. ord. Quod cùm ita sit, ô Princeps, quæ res circumvenire, aut debilitare te poterit, rebus omnibus ad prudentes relatis, deque ipsorum sententiâ trutinatis? Eccè tibi Historicus ille Romanus clarè asserit, *omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt.* Tacit. 1. Hist. Quod neque negauit Imperator Otho: *Quid? vos pulcherrimam*, inquit, *Vrbem hanc, domibus ac tectis & congestu lapidum stare creditis? Muta isthæc, & in anima intercidere ac reparari continuè possunt: Æternitas rerum, & mea cum vestrâ, salus, incolumitate* SENATVS Indidem. *firmatur.* Prorsus bene; Nam, *omne Consilijs robur: sine quibus, quamuis egregia, inualida sunt.*

Ecclesiast. 32. Quod contrà, si præfractus, tuique tantùm sensus: hîc enim, quis non videat proclive esse, vt δυώλυγιον aliquod κακὸν, vt cum Platone loquar, vltrò tibi accersas?

accersas? Ideòque rectè Siracides monet: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* & magnus ille Salomon: *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Et denique Tobias: *Consilium semper à Sapiente perquire:* —— *Dissipantur enim cogitationes vbi non est consilium: vbi verò plures sunt Consiliarij, confirmantur.* Quid quæris? veriloquium esse illud Tragici experientiâ discis, Prouer. 3. & 12. Cap. 4. Prouerb. 3.

*Rebus in arduis sapienti*
*Quid consilij capiat, sæpè est*
*Difficile.* Sapho. Philoct.

Cæcutimus enim circa nobis placita, & *in suo quisque negocio hebetior est, quàm in alieno:* Curt. li. 7.
*turbida enim sunt consilia eorum, qui sibi suadent.* Non negatque Onosander: Γνώμη γὰρ, ἡ μὲν ἀνεπηκούφητος μονουμένη, πλάζεται περὶ τὴν ἰδίαν αἵρεσιν, ἡ δὲ ὑπὸ τῶν πέλας ἐπιμαρτυρηθεῖσα πιστοῦται τὸ μὴ σχαλερόν: *Sententia etenim absque adstipulatore solitaria, molimine proprio facilè labitur, atque deerrat: quæ verò consultorum cautionibus comprobatur, tutò ipsa constituitur.* Straleg cap. 3.

Platonis etiam veriloquium est: *Amicis & fidis carêre viris, maius esse vitij signum, quàm aliud vllum esse possit; abundare autem amicis virtutis esse & prudentiæ indicium.* —— Itaque *non est regium inconsultè agere, sed consideratè & tardè.* Epist. 7. Nicetas 14.

Quamobrem, non tàm meis, quàm tot eruditorum calculis, auxiliarios amicos, & Consiliarios eligito, fidos, inquam, ministros, & eruditos viros; sed paucos, ad quos medijs negociorum procellis tutò decurras. Paucos, dico: *quia Regis consilium solos decet scire grauissimos.* Eruditos, quia: Cassiod. Epist.

Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα: Menand.

*Vir litteratus duplo acutius videt.*

Sed nec temerè legas, monente Seneca: *Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quàm tecum.* Epist. 3.

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

PErmulta quidem sunt sub manu exempla, quibus præscripti Sapientum virorum Aphorismi luculenter confirmari queunt, sed illustrioribus tantùm vtar, quæ primùm è sacris producentur, post illa profanis, ad extremum recentioribus. Age videamus.

I. Moysi, Duci populi Hebræorum, Consilij, & Leuamenti caussa Deus adiunxit lxx. viros seniores, & prudentiores, quos duceret ad ostium tabernaculi fœderis, vt cum illo sustinerent onus populi, ne ipse solus pondere negociorum obrueretur: quod quidem ideò in sacrâ relatum est paginâ, vt haberent, in- Num. 11.

quit

quit Philo Iudæus, quod imitarentur posterorum Principes. Neque enim vnus quantumuis alacris, fortisque corpore, & animo in tantâ mole negociorum, ac multitudine quotidie affluentium sufficere potest. Proinde assumendi Optimates selecti, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, Iustitiæ, pietatis incorrupti, & ante omnia, infensi superbiæ. Nam huiusmodi viri maximè idonei sunt, inquit, ad subleuandum ope suâ bonum, honestumque Principem. Quibus alludunt ea, quæ scribit B. Chrysostomus: *Licet, inquit, mirum in modum sapiens sis, & prospicias ea quæ oportet, attamen homo es, & Consiliario tibi opus est: & nonnunquam euenit, vt Sapiens non videat quod oportet, & minor, & hebetior clarè & cautè ea prospiciat. Sapiens ille Moyses, qui tanta miracula operatus est, non animaduertit rem, quam mortalium plerique considerant: socer autem eius, homo barbarus & obscurus, statim animaduertit. Itaque Consiliarijs omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint. Multa enim sunt, quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui & abiecti scire solent.* Hactenus Chrysostomus, quem velim audiri ab illis maximè, qui sui nimiopere pleni aliorum contemnunt monita, consiliaque, quò fit vt sæpenumerò malam Parcam ad se vocent, & attrahant, non aliter, vt Cæcias nubes.

*Li. de Creat. Princ.*

II. Testis HIERON Siciliæ Rex, quem solam hanc ob caussam interfectum fuisse ferunt, quod rectè monentium consilia contemneret, Senatus auctoritatem pessumdaret, leges quas vellet, pro sua libidine violaret.

*Liu. lib. 3.* Principũ pernicies contemptus Consiliorum.

III. Eodemque errore peccauit I. CÆSAR, vt qui non modò in Consulatu, sed etiam in Dictatura, nunquam Senatus consilio vteretur. Ac ne Senatui quidem vniuerso ad se venienti assurrexit: nimis arroganter, ac stultè id quidem, non quòd Cæsar naturâ, aut moribus superbus fuerit, sed cùm assurgere Senatui vellet, à *Cornelio Balbo* adulatore, consiliorumque omnium participe, quò minus id faceret, prohibitus est. At meminisse debuerat ROMVLVM Vrbis Conditorem, ac primum Romanorum Regem, ab ipsis Senatoribus, vt quidem fertur, occisum: ac TARQVINIVM Regem eiectum, quod vterque Senatum contempsisset, ac suo arbitratu omnia gereret. Quæ res non modò ijs quos dixi, sed etiam LVDOVICO XI. Gallorum Regi, qui nullâ de re Senatum consulebat, exitiosa fuit. Quâ re motus, ac pœnitentiâ ductus CAROLVM filium ita institui voluit, vt litteras nesciret, modò tamen tria illa verba teneret: *Nescit regnare, qui nescit dissimulare*; vt alienis potiùs consilijs quàm suis sapere, ac res gerere consuesceret. Existimabat enim multò satius esse, filium, plurium amicorum, quàm plures amicos, doctos & sapientes, singularem illius sententiam sequi, & rectè: Nam vt præclarè Princeps Poëtarum cecinit:

*Suet. c. 28. Bod. 3. c. 2. de Rep.*

*Liu. lib. 1. Florus 1. c. 1. & 7.*

*——— Maior adest, & plena duobus*
*Pectoris atque animi præstantia, copia rerum*
*Vberior, vis consilij præsentior omnis;*
*Dum nunc hinc, nunc ille aliquid, quod & vtile credat*

*Iliad.*

*Inuenit;*

*Inuenit; alter & alterius sæpè indiget vsu.*
*At qui solus erit, si fortè quid vtile rebus*
*Cogitet, inueniatq;, animo persæpè labanti*
*Deficit, & timidum fugit omnis consilij vis.*

IV. Hinc ASSVERVS Persarum rex, (vt redeam ad exempla) postquàm indignatus fuit quod Regina *Vasthi* ad solemne conuiuium venire recusasset, interrogauit Sapientes, *qui ex more regio*, inquit sacer Codex, *semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, cui sententiæ Regina Vasthi subiaceret, quæ Assueri Regis imperium facere noluisset*, &c. Historia tùm prolixa, tùm elegans, vnde colligitur maximi hunc Regem suorum consilia æstimasse. *Esther. c. 1.*

V. Sacris profana misceamus. MICIPSA Rex *Iugurtham* & filios suos sic sub exitu vitæ monuit: Non exercitus, neque thesauri præsidia Regni sunt, verùm amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. *Sallust. Iugur.*

VI. Cuius quidem moniti haud expertes fuêre Romani, & in his OCTAVIANVS Cæsar, quem scribunt, quòd institutum illud exactè seruasset, quatuor & quadraginta annis Rempub. in altissima pace gubernasse: nam præter alios intimos Consiliorum administros, *Mecænate*, & *Agrippa*, fidissimis amicis vsum esse, eosque beneficentiâ & muneribus amplissimis sui peramantes reddidisse Historici testantur. Postquam verò hi vitam cum morte commutassent, ipseque filiam *Iuliam* stupris famosam relegasset, cum solum in cubiculo stantem, ferunt ad memoriam illorum illacrymasse, eosque nomine vocasse, sæpe illud exclamando: *Horum mihi nihil accidisset, si aut Mecænas, aut Agrippa vixisset.* Tanti prudentissimus Principum faciebat horum amicitiam, à quorum demum obitu sentiebat, & ad secundas res & aduersas, nihil esse conuenientius fidorum amicorum consilio & alloquio. *Sueton.* *Senec. 6. de benef. c. 32.*

VII. Vt non mirum sit eundem *Octauianum* inter cetera mandata quæ Tiberio priuigno suo, & in Imperio successori moriens relinquebat, illud dedisse, vt multorum consilijs vteretur, Remp. non vni tantum crederet. *Diocass. li. 8.*

VIII. Quod contrà fecit impius NERO, qui *remoto omni pudore & metu, suo tantùm ingenio vtebatur.* *Tacit li. 5.*

IX. TITVS quoque VESPASIANVS idem sequutus institutum, *amicos elegit*, (verba sunt Suetonij) *quibus etiam post eum Principes, vt & sibi, & Reipub. necessarijs acquieuerunt.* *Cap. 7.*

X. Iungendus M. ANTONINVS Philosophus, qui consilijs semper adhibuit *Scæuolam, Metianum, Volusianum*, aliosque peritissimos I. C. & siquando solus in sententiâ aduersus eos esset, dicebat expedire potiùs, vt iuxta illorum, vtpotè plurium amicorum sententiam faceret, quàm vt tot Sapientes eius solius censuram & opinionem sequerentur. *Capitol. in.*

XI. Atque hinc factum est, vt Romanum Imperium ex tantillâ origine ad *Lib. de re rust.*

tantum amplitudinis processerit: id quod M. CATO etiam suâ ætate animaduertit, qui adagio iam tùm inualuisse scribit, *Romanum sedendo vincere*, hoc est, non aliâ magis ratione vincere, quàm quòd consilijs clarissimorum virorum, Senatusque, & Magistratuum prudentiâ, pro armis regeretur.

*Apud Annibalem Scotum Comment. in Tacit.* XII. Satis sit Veterum. Legi PAVLVM III. Pontificem Max. toto Pontificatus sui tempore, maiorem vllâ in re diligentiam nullam adhibuisse, quàm vt non solùm intimos sibi à consilijs asciisceret amicos, sed alios etiam multos passim sibi conciliaret, quorum aliquos honoribus, diuitijs nonnullos, omnes beneficentia sibi & posteris deuinciebat. Vt verè dici possit ex illius sapientissimi senis consilio, tanquam è fœcundissimo seminario per vniuersam Christianorum Rempub. exijsse innumeros & doctrinâ & virtutibus insignes viros, qui partim in S. R. E. Cardinalium numerum asciti, partim diuersis Ecclesijs suffecti, partim ad negotia S. Sedis cum potentissimis Principibus tractanda emissi, ac sequentibus temporibus omnes *Alexandro Farnesio* Card. suo nepoti, maximo fuerunt & in aduersis & prosperis rebus decori & ornamento. In quo quidem præclarus eximiusque Pontifex, *Traiani* optimi Imperatoris sequutus videtur exemplum, qui *siquid vspiam stirpis* (ita scribit Plinius) *antiquæ, siquid residuæ claritatis, hoc amplexabatur & refouebat, & in vsum Reipublicæ promebat.* Notent, & imitentur Principes, si quâ meis verbis fides, vtile istud institutum. *In Paneg.*

*Iacob. Geud. de Conf. Imp. 2. c. 2. & 5.* XIII. Quod quidem adeò vel *Turcis* ipsis arridet, vt haud alios Principis ministros assumant, adque publica munia euehant, nisi quos à pueritiâ sumptibus ipsi proprijs educarint, qui vbi adoleuerint, aulicam militiam Turcarum constituunt, vt Spachi, Spachioglani, atque Ianizzari, Solustri, Soluphthari, Vlufagi, Charipici: ex quibus tanquam ex Seminario quodam, depromuntur inde Sangiachi, Bassæ, & Vesiri, alijque.

*Bellofo. Theu.* XIV. MAVRITIVS Comes Andegauensis, inter cætera quæ fratri successori futuro, benè regnandi dedit documenta, illud non in postremis fuisse legitur, vt ante omnia, initio præsertim gubernationis, satageret amicos sibi parare; quòd isti pluris sint faciendi, quàm quantumlibet magnæ opes, & diuitiæ. Nam, & se totâ suâ vitâ omnem curam in eo posuisse, omnem cogitationem illuc conuertisse, illuc semper collineasse testabatur. quippè cui plures amici essent, huius domus nec inops & indiga, nec destituta dici queat.

XV. Respub. Veneta, cuius vires hactenus multis terrori fuit, ius facit omnibus Patricijs adeundi Senatum, modò annum 25. ætatis attigerint: nonnullis etiam singulari rogatione ante eam ætatem Curia patet, modò tamen sint annorum viginti: sunt verò in Concilio magno vt vocant, bis mille Senatores, vt notat P. Contzen lib. 7. polit. c. 6. sed in tali multitudine quî fides secretorum stabit? de quâ postea lib. 3. cap. 15.

XVI. Sit igitur verum, ad rectam Reipub. administrationem necessarios esse amicos. Illos tamen spectatæ prudentiæ, industriæ, probitatis: ex ijsque

seligat.

seligat nonnullos eximios, quos *Assistentes* liceat nuncupare, numero paucos, quos ab intimis, & secretis consilijs habeat, & ad quos negocia referat vrgentia, seu priuata, seu publica, vt de illorum sententiâ constituat, postquàm alijs etiam consilijs ea fuerint exposita & agitata. In hoc *Intimo Consilio*, Principum, Legatorum, Tribunorum, Imperatorum epistolæ resignentur: super ijs responsa concipiantur, & ijs, qui *à secretis* sunt, exaranda mandentur: præmia, dona, largitiones, hisque similia curentur: denique mandata, diplomata Principis inibi expediantur, & comprobentur. *Intimi* huius, seu *Sanctioris Consilij* inuentorem fuisse post Ætolos AVGVSTVM Cæsarem ferunt. Quippè, qui primùm è Senatu quindecim, mox viginti eximios Senatorum legit, *cum quibus* (verba Tranquilli) *de negocijs ad frequentem Senatum referendis ante tractaret.* Namque maximus ille Cæsarum *operæpretium existimabat, cum paucis priùs, & per ocium communicare, quàm de maximis rebus ad Senatum referre.* Augustum alij posteà Imperatores imitati sunt, inter quos Tiberius, Galba, Vespasianus, Traianus, Adrianus, M. Antoninus, Alexander Seuerus, de quo Lampridius scribit, eum nihil vnquam rei maioris decernere solitum fuisse, sine duodecim, aut, vt quibusdam placet, viginti I.C. in quibus Vlpianus refertur, & alij, qui id æui Principes erant Iurisprudentiæ. Atque hinc factum est, vt Imperator ille, immò & cæteri tàm fœliciter prosperèque Rempub. administrârint. Neque id quidem mirum. Nam, *qui Sapientum consilijs obtemperant, rem præclarè gerunt,* Sanè quod Anglia quadringentis his annis pace & bello, rem olim fœliciter gesserit, Imperium propagârit, hostes profligarit, id *Sanctiori*, seu *Intimo Consilio*, (quod quindecim personis eruditissimis iuxta ac nobilissimis constabat) imputandum est. Quippè quòd Reges nil ferè quicquam decernebant, nisi de eiusdem Consilij opinione atque sententia. Quâ in re imitati sunt non solùm antedictos Romanorum Imperatores, sed & Carthaginensium Democratiam, quæ vltra quadringentos Senatores *Consilium Arcanum*, seu intimum habebat, quod triginta eximijs Senatoribus constabat, si Liuio credimus sic scribenti: *Carthaginenses triginta Legatos, seniorum Principes ad pacem petendam mittunt: id erat Sanctius apud eos consilium, maximaq; ad regendum Senatum vis.* Nostra etiam ætate *Philippus II.* Rex Catholicus, antequam Hispanias, post contractum cum Henrici Regis Galliarum filia matrimonium, repeteret, Ducissæ Parmensi futuræ Gubernatrici Belgicarum Ditionum Sanctius, seu Arcanum constituit Consilium (præter Status & Financiarum, vt vocant) quod duodecim I.C. constare voluit, cuius Præses fuit D. Viglius, vir sane quàm prudens, & nostri studij magnum decus & ornamentum. Sed quid multis opus est? adeò vbique inoleuit hoc institutum, vt vel ipsi Turcæ tanquam Reipub. vtillimum recipiendum existimarint. Etenim apud eos tres solent esse Consiliarij intimi, qui ad Imperatorem omnia negotia deferunt, responsaque lata exsequuntur.

Verùm, præter *Arcanum Consilium*, SENATVM etiam habeat necesse est: quoniam

[Margin notes: De arcano Principis Cõsilio. — *Cap. 35.* — *Dio lib. 55.* — *Orat. de Pace.* — *Isocr.* — *Lib. 30.*]

De Senatu Principis.] niam ex mente Sapientis, *Salus populi, vbi multa consilia.* præterquàm quod confirmantur consilia Principum, cùm sentiunt multis prudentibus, fideliterque suadentibus idem videri. Vt sanè non sint audiendi sinistri quidam suasores, qui Principibus suggerunt, eiusmodi Conuentus & Consilia nequaquam ex vsu Principum esse: quòd eorum, si Dîs placet, imminuatur hanc ob rem auctoritas & potestas. Verùm, qui sic loquuntur, immane scelus faciunt, inquit Cominæus, grauissimeque dubio procul & Deum, & Rempub. offendunt. Nam eiusmodi voces solùm spectant ad priuatam vtilitatem eorum, qui nullo suo merito, vel virtute auctoritatem obtinent, qui ad nullam rem honestam idonei, clandestinis susurrationibus Principum aures demulcent, vt gratiam eblandiantur; qui Conuentus idcircò metuunt, ne ipsorum detegatur improbitas. Nam quod dicunt, eâ re imminui Regum potestatem, aut fœdissimè mentiuntur, aut turpissimè falluntur. Potest enim Rex, aut supremus Princeps (exceptis paucis casibus) leges & statuta condere, vno verbo, velle, aut iubere, etiam citra Ordinum consensum, aut Consilij. Nam & Edicta quæ inibi conduntur, non Ordinum aut Consilij, sed Regis auspicijs publicantur. Est enim Rex qui iubet, qui statuit: nota formula: *Par le Roy en son Conseil.* Et Theodosius Imper. ait, humanum esse edicta fieri consensu Senatorum: quâ voce *humanum*, ostendit, non tàm necessitatis esse, quàm humanitatis Senatorum auctoritatem interponi. Adde, quòd supremus Princeps, potest quandocumque lubet aduersari opinationi Senatus, quod interdum expedit firmandæ Dominationis caussa.

*Lib. 10. Comment.*

*Bod. Lib. 1. de Rep. c. 8. & lib. 3. 1.*

An autem Papa pro suâ summâ auctoritate & plenitudine, vt loquuntur, potestatis possit à suo Consistorio dissentire & in alia omnia ire, cùm non sit huius loci disputare & pleniore manu quæstionem hanc pertractârit Eminentissimus Cardinalis Palæotus, subsisto, lectoremque curiosum ad eum remitto.

*De sacri Consist. Consult. p. 1. q. 3. art. 3.*

Consilium etiam T*heologorum* adesse decet: propterea quod maxima cura Principis est curare suam, & subditorum fœlicitatem æternam, cuius viam & directionem optimè intelligunt Theologi. In hoc consilium Princeps, si liber esse velit in conscientiâ, referet quidquid in rebus fidei, Ecclesiæ, eiusque iurium, in controuersijs religionis suboritur, ne dormiente Principe, hæreses & errores introducantur. Deinde, grauissima & ambigua negotia, in quibus humana hæsitat prudentia, ex præscripto Dei Theologis decidenda proponet, vt in dubijs semper hoc, quod magis ad Dei gloriam faciat concludatur. Tertiò, ad hoc consilium vocabit etiam quæstiones de bello suscipiendo: quia cùm non omne bellum sit licitum, Theologorum est definire, an bellum sit iustum & necessarium ad Ecclesiæ Dei defensionem, & publicam iniuriam vlciscendam, aut auertendam. Quartò, si Princeps Christianus securè velit agere in rebus ærarijs, omnes nouas & insolitas exactiones, earumque causas examinandas huic consilio proponat. Discet enim, an, & quantum ab Ecclesiasticis & subditis exigere possit. Vtinam Reges ac Principes, & eorum Ministri

nistri ex sententia Sancti Hieronymi in omnibus actionibus suis audirent, ob oculos haberent, beneque considerarent, duas illas diuinæ sententiæ voces: *Ite* & *Venite*. Certè perniciosa pseudopoliticorum sophismatata non tam prona aure plerique audirent, neque falsam Status rationem ambabus, quod aiunt vlnis, exciperent. Sed quid? amandant plerique procul à se voces istas tanquam semper victuri essent quin abijciunt illas quo cerui cornua, vt dicitur; sed in decretorio illo die non inueniantur inter seruos Dei.

Denique priusquam huic capiti finem faciam, duo à Principe vtiliter notanda veniunt. *Primum*, vt caueant, ne qui in Consilium assumuntur, alteri Principi fidem addictam habeant: quales hodie sunt, quos vulgus *Pensionarios* appellat, quo hominum genere nihil letalius Principi contingere potest. & tamen (quæ miseria est huius æui) haud fermè est in Europa Principis consilium, quin in illo sint eius farinæ homines, illaqueati & irretiti aliorum Principum, præsertim vicinorum, corruptelâ. Prudens & sagax Princeps omnem mouebit lapidem, ne tales sibi adsistant, ne, inquam, circa se habeat istos aurifugas, & si quos deprehenderit, dignis ceù perfidos exemplis in eos animaduertat. *Alterum* est, vt Consilijs, cœtibusque publicis frequenter intersit. Nam vbi absens est, multa non rarò decernuntur cum magno suo, Reique publicæ detrimento. Atqui dicet quispiam, illud facilè vitari, si Decretum vel Senatusconsultum ei recitetur, aut ponderandum præbeatur. Negatur. Neque enim satis intelliget: núm ex vsu Reipub. sit, nisi ipse disceptationibus intersit (vt rectè censet Auctor de Repub.) qui si præsens esset, audiens diuersorum sententias, tale decretum aliquando vel repudiaret (vt callidè plerumque solebat Tiberius Cæsar, causa iam ante dicta) vel quippiam immutaret, prout diuersa Consiliariorum sententia postulare videretur. Sed & hoc accedit commodi, cùm Princeps consiliis interest, quod melius suorum cognoscit mentem atque genium, atque ita ex facili intelligere quibus vti fœliciter possit, quibus non: & quod caput est, excitat in illis vim ingenij, vt meliùs, & accuratiùs cuncta examinent, quando suæ eruditionis & animi eum testem ac iudicem præsentem vident. Tamen Turcarum Princeps, & Senatui, & consilijs suis intimis rariùs interesse consueuit, sed interiore ac proximo Senatus habendi loco, ferè semper consistit, aut consistere putatur fenestra, quam *Periculosam* nuncupant, sic affabrè facta, vt omnes omnium sententias audire, gestus etiam vniuscuiusque contemplari, nec tamen ipse videri possit. Deliberata autem in Consilio ei referuntur à Præside, qui *Bassa visir*, nuncupatur: nec temerè opinationi consilij sui refragatur, sed illam confirmat, laudatque, nisi quod nonnunquam, quando ei lubet, abrogat.

Duo à Principe signanda.

Finio, si addidero dictis documentis veriloquium istud doctissimi P. Conzten, summam censeri Principis prudentiam si certò sibi persuadeat, consilio se agere, hanc esse magnam prudentiæ partem, prudentiæ non fidere propriæ. Prudentia enim vera aliundè sibi præsidia quærit. Deus, quia omnia nouit & præuidet,

*Li. 7. Polit. cap. 13.*

det, consilio non eget, hominum sapientissimi aliena prudentia vti debent, quod adeò necessarium est, vt veteres Diuinæ maiestatis ignari, de Numine tamen aliquid suspicati, Iouem concilium diuûm cogere commenti sint, multò magis illi Regibus necessarium consilium duxerunt. Etenim si in rebus priuatis cùm dubia oriuntur, amicos quisque consulit, quantò magis in ipsa Repub. id necessarium est, vbi & maiora, & intricatiora negotia sunt? Neque putet Princeps se satis sibi sapere. Homo est, hoc est, multarum rerum ignarus, de multis non rectè instructus, affectus si temperat, nondum tamen exuit; Priuati multi Principem prudentia superant; vt igitur aliorum opera vtitur, minores magistratus facit, Proreges, Præsides, Legatos Prætores, Consules, ita quoque in hisce omnibus dirigendis alienam prudentiam adiungat suæ. Summæ Maiestatis est, non tàm exercitu semper esse, satellitij, & habitationis splendore gloriari, quàm clarissimorum virorum, sapientissimorumque prudentiam suam facere; Nulli Principes periêre, nisi qui prudentum consilia neglexêre.

Atque hactenus de consilio & consiliariis in genere, nunc ad illorum notas siue dotes animi corporis transgrediamur.



IOAN-

# IOANNIS A CHOKIER DE SVRLET,

## CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEODIENSIS CANONICI, ET VICARII GENERALIS, ABBATIS SECVLARIS ECCLESIÆ VISETENSIS.

# THESAVRI POLITICORVM APHORISMORVM

## LIBER TERTIVS.

*Quâ verò ex notâ* SENATORES, & CONSILIARII *intimi eligendi, videndum diligenter: cùm multum Principis intersit, assumi maximè idoneos. Tales autem erunt, si quà* INSITIS, *quà* QVÆSITIS BONIS, *muniti reperiantur.* INSITA *sunt* Ingenium, forma corporis. ACQVISITA, Artes, Disciplinæ, Virtutes. *De* INSITIS *primo videamus: atq; imprimis de* INGENIO: *quod quia varium in nobis* (non enim in omnes omnia conueniunt.) *Cic. pro Roscio.*

---

### CAPVT I.

*Eligatur quammaximè* rebus ciuilibus aptum; *idq; hactenus, ne prægrande sit, nisi medium, quod rectam quandam iudicij normam teneat.*



QVEMADMODVM non mediocris esset temeritatis, suo tantùm iudicio velle cuncta Reipub. negotia administrare, vt hactenus diximus, ita quoque summæ esset imprudentiæ, promiscuè, *Consiliarios* ad consultandum admittere, nulla habita donorum naturæ, & animi ra-

mi ratione. Natura enim suum cuique, ac genuinum quiddam ingenerauit: Deus inquam ipse

——— ——— ——— ———ὥστε δίδωσιν

Homer. Iliad. Ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἑκάστῳ:

——— ——— ———*qui nempè assignat*

*Ingeniis sua dona, vt visum est cumq; cuique.*

Eccles. 37. Ideoque benè Sirachides censuit: *Non omnia omnibus expedire.* Et Homeri sensu:

Iliad. Ἀλλ' ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα:

*Vnus consilijs, alter præstantior hasta.*

Lib. 1. de Fortit. Lib. de Scient. Diuinus autem Plato: *Quemlibet ad ea idoneum esse existimat in quibus saperet.* Et alibi, *arduum esse ac difficile* putabat, *hominem inuenire ingeniosum, qui non idem sit & iracundus & immodestus.*

Q. Curt. Apud Senec. de Tranc. vita. Fiat itaque *dilectus ingeniorum* consiliis aptiorum: qualia sunt mediocria, non prægrandia, siue acria illa & præacuta: quoniam eiusmodi ingenia minimè expediti consilij, *& nouandis, quàm gerendis rebus aptiora sunt.* præterquam quod (vt à Stagyrite notatum) rarenter inuenias *magnum ingenium sine mixturâ dementiæ.* Vt non immeritò dixerit Poëta:

Οὐδ' ἀτήμιον γνώμην ἐνεῖ τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν:

Eurip. *Mens quæ sapit nimium, non sine damno sapit.*

Thuc. li. 3. Ora. Cleo. Quamobrem, non tam acerrimi ingenij, quàm mediocris & probi iudicij eligantur, propterea quod, vt nonnemo notat, οἱ φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις: *hebetiores, vt plurimum, melius Rempublicam administrant, quàm acutiores.* scilicet, vt aptior est ascia, quæ aciem habet paullò obtusiorem, quàm acutissimam; ita is est ad res gerendas multò præstantior, cuius mens non ita sit subtilis, & acris. Sic fit, vt illæ mentes quas tantoperè miramur, inutiles plerumque Regibus nascantur, nec ad negociorum vsum aptentur.

---

## EXEMPLA.

Lib. 4. Dilectum ingeniorum consilijs aptiorum à Principe habendum, non vsus modò dictat, sed & ratio ipsa: quippè *natura hominum*, quod benè notauit Polybius, *non solùm corpora, verumetiam animos sui dissimiles finxit; vt sæpenumerò*

*vnus*

## EXEMPLA.

I. INter alias dotes SEIANI, sagacissimi illius aulici; *erat illi corpus laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in alios criminator, iuxtà adulatio & superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, eiusq; caussa modò largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia*, &c. Ecce *laborum erat tolerans*, &c. *industria & vigilantia.* *Tacit. 4. Ann.*

II. Eâdem prorsus dote præditum fuisse CATILINAM Princeps historicorum scribit: *Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris supra quàm cuiquam credibile, animus audax*, &c. *Sallust.*

III. MOECENAS, ille Augusti, vbi res vigiliam exigeret prorsus ex somnis. *Velleius li. 2.*

IV. Itaque præclarè Regum sapientissimus, perpendens quàm necessaria sit hæc Consiliarijs Principum nota, in Oraculis inquit; *Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit.* Nempè, quia propriè & verè hîc ei debetur honos: siquidem *omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* O fœlicem Principem, cui adsunt viri istius notæ! ô beatam Rempub. quæ talibus consilijs moderatur! *Salomon Prouerb. 22.* *Senec. Cõsol. ad Polyb.*

V. Seneca ipse de se: *Dormio minimùm, breuissimo somno vtor & quasi interiungo.* *Epist. 83.*

VI. Relicto Occidente Orientem petamus, PHILIPPVS Rex Macedonum, cùm in exercitu multo tempore dormisset, experrectus: *Tutò*, inquit, *dormiui, vigilauit enim Antipater.* Subindicans absque periculo interdum Principes dormitare, cùm fidos habent vigilantesque Præfectos, & Consiliarios. *Plut. Apophe.*

VII. Egregiè EPAMINONDAS, in publicâ ciuium lætitiâ rogatus cur mœnia obiret, respondit se sollicitum esse, vt ciuium lætitia posset esse secura. **l. quisquis C. ad l. Iul. Maiest.*

VIII. Quod igitur CYRVS ille apud eundem Xenophontem de Principe dicit, idem de Consiliarijs (qui pars sunt corporis eius,*) dictum esto: *Equidem arbitror*, inquit, *eum decère alijs anteire, non vita deside, & laborum experte, sed eo quod rebus prouideat, laboresq; lubenter subeat.*

IX. Talis erat, vt sexcentos alios omittam, AGAMEMNON ille Homericus: *Iliad. β.*

*Cæteri quidem apud naues Principes omnium Achiuorum*
*Dormiebant per noctes molli domiti somno;*
*Verùm, non Atridem Agamemnonem, Pastorem populorum,*
*Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.*

X. Erat LVDOVICO XI. Galliæ Regi à secretis, vir quidam non contemnendæ eruditionis, & miræ in agendis rebus dexteritatis, sed alioqui deses, & negligens, quo tandem nomine in offensam Regis incidit, adeò vt gerendi mune- *Corroz. in dict. Illust.*

ris facultate illum postea priuarit, nisi leui tamen de caussa, vt solent leuia quæque apud offensos esse irarum irritamenta. Cùm enim Rex fortè quippiam scripturus desideraret ab eo atramentarium, isque nec se habere respondisset, excandescens Rex petit ministro, qui adstabat, nùm haberet, scribendique porrò peritus esset; annuenti, illicò Rex Domini munus ei contulit quo exemplo moneri, docerique possunt alij, cæterique Curiales, ne segni, & remisso animo sint, sed strenuè & impigrè sese gerant in administrandâ prouinciâ sibi à Principe credita, ne illis quod isti eueniat, sicque breui temporis momento eius, ad quod maximis cum difficultatibus & impensis adspirârunt, iacturam cum existimationis dispendio patiantur.

XI. Suimet interdum præbere solent exemplum magni interdum Principes in isto indefatigabili studio. Nam de FERDINANDO II. sic loquitur Lamoran. Somno non amplius dedit quàm natura & necessitas exigeret. Certè horas non plures quàm septem naturæ tribuebat. Vltimis annis pituita ac grauioribus humoribus grauatus frequenter vel dormitabat, vel dormituriebat, sed ita cum somno luctabatur, vt plus à pugnâ cruciatus, quàm à somno commodi referret. Accidit, vt minister cubiculi, cui vesperè horam, quâ lumen inferret, & eum excitaret præscripserat, mediam horam adijceret, ratus Imperatori longiorem somnum esse necessarium. Improbauit factum, & vetuit, ne, aut ille, aut alius posthac simile quid auderet: *non esse somno dandum, quod negotijs debetur*: *hac indulgentiâ moueri sibi omnia, quæ agenda illo die dispo suerat.* Vltimis annis licet viribus longè imminutus esset, æquè tamen se laboribus tradidit ac iunior. Monitus non semel vt sibi temperaret à laboribus, libellosque minoris momenti alijs legendos traderet, magnificè respondit: *à Deo se positum in solio, vt laboraret, nec posse Principem valetudini parcere, qui bono publico consultum velit: malle se sibi deesse, quàm officio suo.* Si hoc magnus Cæsar, quantò magis quispiam Consiliarius? qui si Principis sui saluti vel Reipub. vigilat, etiam sibi, cùm illius corporis pars sit, attendit. nullam itaque vitæ partem quietam sibi esse sinat, nisi quàm breuis somnus sibi vindicat.

XII. Quid de FERDINANDO Bauaro eiusdem stemmatis, ac vtriusque Bauariæ Duce, cui hodie Leodiensium, & aliarum Prouinciarum habenæ commissæ sunt, dicam? cuius vigilantia & indefatigabilis labor in negotijs, assidua sollicitudo in tuendâ religione auitâ cum alijs Principibus Electoribus tanta est, vt ipsis noctibus non parcat, quas inter Imperij & suarum Prouinciarum curas sic indesinenter cum pietatis zelo diuidit, vt qui ab eius sunt consilio pares rebus gerendis, hoc est, indefatigabiles quoque omni tempore reddantur, nihil tam ponderosum ipsi accidat, quod animi magnitudine leue illis non fiat, & in censendo eâ libertate vtantur, vt quod verum syncerumque quodque bono publico cessurum est, ex animi sui sententiâ depromant: quod si qui muneribus suis ob ægritudinem fortè ab ipsâ assiduitate contractam perfungi nequeant, singularem illorum curam habet bonus Princeps, cuius illi sunt laborum consortes, adeò vt

verum

verum se ex asse Pastorem præstet; reputans sui muneris esse suorum necessitatibus ceù charitatis, & iustitiæ vinclo obstrictus, liberali manu succurrere. Vnde nec ad Consistorium vocari mandat quos morbo detentos audit: quo alioqui nomine conquestus olim Cicero fuit, quod vocatus ad Senatum æger, mulctatus esset. *Quid erat causæ*, inquit, *cur in Senatum hesterno die tam acerbè cogerer? solus ne aberam? an non sæpè minùs frequentes fuistis? an ea res agebatur, vt etiam ægrotos deferri oporteret?* Sed hoc obiter: in quo notes mulctam Consiliario siue Senatori indictam cuius absentia legitima non probabatur, & antequum exolueretur, pignora capiebantur: nec solùm si abfuisset Senator, verumetiam si tardiùs venisset, mulctam dependere cogebatur, vt ex Dione lib. 54. notat eminentiss. Card. Palæotus de S. Consistorij Consult. part. 5. quæst. 8. qua de re scripsi in face Historiarum.

*Philip. 1.*

---

## CAPVT IV.

# Formæ *etiam* dignitatem *non temerè pono.*

QVEMADMODVM enim, quod aspectu deforme est, atque turpe, id oculis ægrè est, alienatque plurimùm homines à se: ita è contrario quidquid est venustum & pulcrum, id per oculis gratum est, & volupe, animosque hominum tacita quadam illecebrâ in amorem sui allicit, inuitatque. Quod ipsum non nesciuit Imp. Vespasianus, quem solitum dicere Suetonius refert: *Nihil quidquam decore gratius.* Hinc est quod Græci sua lingua *pulcro* ex eo indiderint nomen, quod omnes ad se alliciat: dixerunt enim καλὸν, παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ: *Pulcrum à Calando, idest, vocando: quoniam omnes ad se vocat.* Et Theophrastus formam vocauit ἀπάτην σιωπῶσαν, *fraudem silentem*: quòd absque verbis persuadeat. Carneades verò, ἀδορυφόρητον βασιλείαν: *Regnum absque satellitio*: quòd formosi impetrent, quidquid volunt, nulla adhibita vi. Chrisippus denique τῆς ἀρετῆς ἄνθος *virtutis florem* pulchritudinem appellabat.

*In eius vita.* *Laert. lib. 5.*

Non contemnendum igitur Consiliarij ornamentum, forma corporis dignitati congruens, oris decus, & elegantia, quam propriè *Dignitatem* appellari Cicero testatur: *Venustatem*, inquit, *muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.* Enimuerò, qui naturâ deformes sunt, vel manci aut mutili, sæpissimè, vt Physici ac Medici censent, vitijs animi laborant. Vndè apud Panudem scriptum est: οἵα τοιάδε ἡ μορφὴ, καὶ ἡ ψυχή: *Qualis forma, talis & anima.* Quid ita? *quia corpori consentit anima, vt anima corpus.*

*1. de Offi.* *Galen. li. 2. de Temper. & l. 1. tom. 2. de Vsu part.* *In vita Æsopi.*

E diuerso, quibus natura pulchritudo corporis data est, his ingenium præ cæteris plerunquè valet, adque maximas quasque disciplinas idonei sunt. *Species*

*Cassius medicus Proble. 51.*

 *enim*

D. Ambros. 2. de Virgin. — Eumenius Paneg. ad Imper. Cōstantinum. — Lib. 54.

*enim corporis*, (inquit vir diuinus) *ſimulachrum eſt mentis, figuraq́; probitatis.* Teſtis quoque vir Magnus ad Imperatorem magnum: *Nec fruſtra doctiſsimi* (inquit) *viri dixerunt, Naturam ipſam, magnis mentibus digna corporum domicilia metari.* Apagè ergò corporum dehoneſtamenta, mutilos, inquam, iſtos Brothei filios: quos *Senatu Romano excluſos fuiſſe*, vel Auguſti edicto, ſcriptum nobis reliquit Dio. Itaque virtus in animo, pulchritudo in corpore, duæ Conſiliariorum dotes.

---

## EXEMPLA.

Daniel c. 1.

I. NABVCHODONOSOREM peruerſum alioqui, & ſacrum (vt Romanè loquar) Regem, memorat ſacra pagina iuſſiſſe Præpoſito ſuo Eunuchorum, vt introduceret filios Optimatium *decoros forma, & eruditos omni ſapientia*, qui poſſent ſtare in palatio Regis, atque inter hos Danielem *ob elegantiam vultus*, inter miniſtros Regios aſſumptum.

Muret. 3. var. c. 2.

II. XENOPHON in conuiuio, ait φύσει βασιλικόν τι τὸ κάλλος εἶναι: *Natura regale quiddam eſſe pulchritudinem.* Idcircò eam non tantùm Conſiliarijs Principum, ſed Principibus ipſis ſummo eſſe, (cum omine non contemnendo,) decori, & ornamento. Hinc *Æthiopes*, atque *Indi*, in eligendis Regibus, atque Magiſtratibus ſingularem pulchritudinis, ac formæ habuiſſe rationem non pauci ſcriptores referunt: quòd crederent, formæ dignitate, amorem, ac reuerentiam ſubditis inſtillari, hoſtibus verò metum incuti: vnde de Turno Poëta:

Eneid. 7.

*Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus*
*Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.*

III. Ariſtoteles interrogatus cur quæ culta & pulchra ſunt in amorem ſui pellicerent, reſpondit, cæci eam eſſe quæſtionem.

IV. ARCHIDAMVS Rex ſannâ & ludibrio exceptus, ac tantùm non Regno pulſus eſt, quòd coniuge deformi & puſilla captus fuiſſet, nempè quæ Regulos procreatura eſſet, non Reges.

Alex. ab Alex. l. 4.

V. Atque hinc factum eſt, vt MACROBII, qui Meroën Nili inſulam colunt, Principem, cui parerent, à formæ dignitate eligerent, nec vnquàm deformi viro obedire ſuſtinerent.

Polyb. lib. 1. Hiſt.

VI. HIERONEM quinetiam Syracuſani tumultuantes Ducem ſibi elegerunt, *admodum quidem adoleſcentem, ſed ita vniuerſis natura atque ingenij dotibus ornatum, vt nihil ipſi regium præter regnum deeſſe videretur.*

Tacit. 2. Ann.

VII. Et ne illis dumtaxat regionibus morem iſtum circumſcriptum fuiſſe putes, certum eſt, ARIOBARZANEM ob inſignem corporis formam, & præclarum animum, apud Armenios Regem electum.

VIII. XERXES Persarum Rex, cùm decies centena virorum millia suo in exercitu haberet, dicitur tamen omnes corporis magnitudine, ac specie superasse. *Herod. li. 7* *Plin. 4.*

IX. DEMETRIVS POLIORCETES, Antigoni Asiæ Regis filius, adeò formâ, & excellenti venustate faciei extitit, vt nemo plastes, aut pictor imaginem eius assequi posset. *Plut. in Demet.*

X. Atque apud Romanos, TITI ingenium quantumcunque fortunæ capax, & decor oris cum quadam maiestate, famam eius ad Imperium capessendum augebat. *Tac. 2. hist.*

XI. TRAIANVM, Cæsarum optimum, *Proceritas corporis, honor capitis & dignitas oris, longè lateq; Principem ostentabant.* *Plin. Paneg.*

XII. THEODOSII *Virtus meruit quidem imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit, vt oporteret illum Principem fieri; hæc vt deceret.* *Latin. Pacat. in Paneg.*

VIII. Quid de PVBLIO SCIPIONE dicam cui AFRICANO cognomen fuit? nunquid formæ dignitate, Barbaris etiam ipsis in Hispania, admirationi fuit? fuit sanè, si Patauino scriptori fides. *Lib. 3.*

XIV. Contra quàm ALEXANDER MAGNVS, qui despectus ab Regina Amazonum traditur, quòd non eam pulchritudinem in magno illo Rege reperisset, cuius ingentis rerum gestarum famæ rumore percita, ad ipsum venerat. *Bruson. ex Plut.*

XV. Priscis illis nouitium inseramus. Tanta species in magno SFORTIA notata est, vt vel à rusticanis, qui illum nunquam conspexissent, licet pari inter multos cultu, sæpeque sine comitatu, vti tamen omnium Princeps salutaretur. *Iouius.*

Maneat ergo formæ dignitatem minùs contemnendam: cùm corporis deformitas, vt sunt mores hominum, nedum despicatui habeatur, sed ciet etiam maledicentiam odio coniunctam.

XVI Ecce, *coniuratur in* NERONEM, *fauore* C. PISONIS, *qui facundiam* (inquit historicus noster *tuendis ciuibus exercebat, largitionem aduersus amicos, & ignotis quoque comi sermone, & congressu. aderant fortuita, corpus procerum, decora facies.* *Tacit. 15. Annal.*

XVII. Nihil igitur veriùs illo Curtij: *In corporum maiestate* (etiam in cunis quodammodo virtutum existentium) *veneratio inest: magnorumq; operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.* *Lib. 2.*

Contra, quos insigni deformitate natura notauit, rarò publicis muneribus idonei: quòd animorum quoque deformitate laborent. Deformes muneribus ciuilibus inepti.

I. Hinc BARTHOLOMÆVS CAPRANVS, insignis Mediolanensis Ecclesiæ Antistes, idcircò se ministros, forma præstantes quærere dicebat, quoniam corporis deformitas, animi & morum deformitatem indicaret. *Æneas Syl. lib. de reb. gest. Alphonsi.*

II. Quod Cicero in C. FANNIO CHÆREA animaduertit: *Faciem*, inquit, *conside-*

Orat. pro Roscio Comœde.

*consiaerate: nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa, olêre malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus, vsq; ad verticem summum (si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur? qui idcirco capite, & superciliis semper est rasis, ne vllum pilum boni viri habere dicatur.*

Orat. 2. in Iul. Niceph. 10. cap. 7.

III. Et D. GREGORIVS NAZIANZENVS in *Iuliano* Imperatore propter eius ceruicem inflexam, humeros subsultantes, oculos vagos, & furiosè intuentes, pedes instabiles, nares contractas, contumaciam, & contemptum spirantes, sermonem hærentem, & spiritu concisum, Romano Imperio magnum malum daturum, ominatus est.

Plut. & Appian.

IV. Quod multis opus est? M. CATO, cùm Legatos Po. Romani missis ad faciendam pacem Nicomedem inter & Prusiam, mutilos, ac corpore deridiculo conspexisset: *Mittit populus Rom:* inquit, *legationem, quæ nec caput, nec pedes habet.*

Procop. Cap. Hinc etenim 49. dist. Ad Fabiolam.

V. Certè satis constat, PERSAS ne luscum quidem ad Principatum admisisse, vt nec Romanos ad Senatum, nec ad Sacerdotium lex Mosaïca. Vnde D. Hieronym. *Præcipitur*, inquit, *Sacerdotibus, vt nullâ debilitate insignes sint, nec truncis auribus, læso oculo, simis naribus, claudo pede, cutis colore mutato, quæ omnia referuntur ad animi vitia.*

VI. Narrat in Decretalibus Ioannes Andreæ, quòd cùm Iacobus Castellio Iurisconsultus ad Bonifacium Pontificem à Borroniensibus missus super rebus grauissimis verba faceret, Pontificem (quòd homuncio pusillo esset corpore, ac fortè vt Zachæus ille Euangelicus) iussisse vt sese erigeret, cùm poplitem non flexisset. Quò factum, vt tacitè deriderent eum omnes. Ipse autem sibi excidens, turbatusque ilicò à capite ad calcem, ne hiscere quidem, nedum ea quæ conceperat proferre posset.

Non quin istæ regulæ sic certæ sint, vt non contrario euentu subuerti queant. Nam, & plusculis exemplis ostendi posset, naturam plerumque bonis internis ea supplere, quæ nouercali quadam malignitate externis negauit. vnde Poëta de seipse:

Ouid.

*Si mihi difficilis formam natura negauit,*
*Ingenio formæ damna rependo meæ.*

Plut.

Sic AGESILAVS Spartanorum Rex, corpore quidem deridiculo fuit, attamen sapientissimus ab omnibus habebatur. Ita

*Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.*

Philipp. Barthol. tratt. del conseglio Disc. 6.

I. FRIDERICVM memorant Imperatorem à venatione ad Ædiculam quandam sacram diuertisse, in quâ missam Presbyter faciebat, facie totâque corporis habitudine admodum deformis, vnde rapto in admirationem, Presbyter acto sacrificio, è re natâ Imperatori Dauidicum illud suggessit: *Non ipsi fecimus nos, sed tu Do-*

*tu Domine fecisti nos*. Quo dicto commotus Cæsar, experiri voluit quid hominis esset: vsus ergò eius opera, deprehenditque magnam in eo latuisse (etsi nullam exteriùs præseferret) prudentiam, atque incredibilem rebus in agendis dexteritatem: quarum quidem meritis sic ab illo dilectus fuit, vt Imperij Cancellarium, multis quidem id mirantibus, illum crearit.

II. AGESILAVM magni fecêre Athenienses exiguo quidem corpore & claudum pede, sed animo magnum, & eo non claudum. *Plut.*

III. In GALBA Romani non gibbosum corpus, sed rectum ingenium venerabantur. *Sueton.*

Itaque in tali euentu idoneos & rebus agendis aptos eligendos censeo: Alioqui, si continuò formæ dignitas spectanda esset, experiri possent nonnulli, quod olim Lacedæmonij, qui postquam claudum à sceptro cohibuissent, tandem didicerunt, meliùs esse Regem, quàm Regnum claudicare.

---

## CAPVT V.

### *Quinetiam* ætas *hîc consideranda: vt* Senes, *quàm iuuenes eligantur; qui tamen Virtute, Integritate, Prudentiâ præstent.*

CVM enim ad rectè consultandum, & diiudicandum necessaria sit, vt auctor est Philosophus, prudentia, & rerum vsus, hæc autem nonnisi longo tempore comparari possint, consequens est, senioribus has potius partes esse demandandas. *Nam*, vt optimè scriptum reliquit Oratorum prudentissimus, *experientia, & rerum multarum vsus senes erudit, atque efficit, vt quid expediat, acutiùs quam alij, prospiciant.* —— *Multa experiendo fiunt, quæ segnibus ardua videntur.* *Arist. 7. Polit. c. 9.* *Isocr. Ep. 6. ad Ias.* *Tacit. 15. Annal.*

Prudentia igitur in illis, sed & iudicij maturitas. Indicat Liuius: *Feruorem & audaciam ætatem quotidiè adferre; consilium autem in dies crescere, senescentibus vitiis, maturescente ætate.* Sed & honos, teste Iurisconsulto: *Semper in Ciuitate nostra senectus venerabilis fuit, namque maiores nostri eundem penè honorem senibus, quem Magistratibus tribuebant.* *Lib. 3.* *Callistr. l. Semper, de Iure immun.*

Itaquè, Senioribus potiùs consilia demandanda: senioribus inquam, non tam ætate, quàm moribus ac eruditione. Nam sæpè, *Lib. 3.*

*Πολιὰ χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως:* *Menand.*
*Cani si indices ætatis, aut prudentiæ.*

Vt iurè cum Comico dixerim: *Plaut. Triuũ vies. porrò 74. distinct.*

*Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.*

Propter-

*Tac.1.hist.* Propterea, non abnuo quin Iuuenes (*quorum ætas cupiditates adoleſcentiæ iam effugerit*) *Philipp.5.* interdum adſciſcantur. Nam, & M. Tullius ipſe iam ſenex, *ab excellenti eximiaq; vir-* *D. Ambr. in obitu Theod. Imp.* *tute progreſſum ætatis expectari non oportêre* ſcribit. Quia ita? *quia ibi perfecta eſt ætas, vbi eſt perfecta virtus.*

*Annal. 11.* Vnde *apud maiores*, inquit Cor. Tacitus *virtutis id præmium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus, ac nè* [illegible] *batur.*

Ceteroquin qui non tales, minùs admittendi: nec ad conſilia tantùm, ſed *Xenoph.* nec ad Reipub. munera. *Vt enim nouelli citharœdi*, ait exactæ ſapientiæ ſcriptor *multas citharas perdunt, ità cupidi iuuenes Remp. vt plurimum euertunt.*

*Tacit. lib. 3. hiſt.* Propterea rectè Politicorum Coryphæus monebat, *Mobiles adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam non extollendos.* Vnde Innocentius Papa: *C. de quib. diſt. 20.* *Seniores prouinciæ congrega, & eos interroga: facilius namque inuenitur quod à pluribus ſenioribus quæritur.*

Apage igitur iuuentutem; vel ab hac cauſa, quia illâ κακῶν ἀπαθὴν, malorum inexperta.

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

*Plutar.* I. QVorum è magno aceruo imprimis LYCVRGVS occurrit, qui Lacedæmonijs leges ſcripſit. Is enim omnium primùm apud eos inſtituit, vt octo & viginti Seniores, ſemper Principibus Laconum adſiſterent: quod Conſilium γερουσίαν nuncupauit.

*Liu. in Dio. Halic. 2.* II. ROMVLVS autem primus Romani Imperij conditor, in conſilium Reipubl. ſeniores populi elegit: indeque *Patres*, ob reuerentiam, & *Senatores* ob ætatem dicti, qui & Senatui dedêre nomen.

*Tacit. 4. Annal.* III. Succedente tempore, Romæ in Augurum Collegio dicendarum ſententiarum ratio erat, vt maiores natu anteponerentur, teſte Cicerone: *In Collegio*, inquit, *noſtro, vt quiſq; ætate antecellit, ita ſententiæ Principatum tenet, neq; ſolùm honore antecedentibus, ſed ijs etiam qui cum Imperio ſunt maiores natu Augures anteponuntur.*

*Plin. ad Traian.* IV. TIBERIVS Cæſar Senatum monet ne *Germanici* filios Neronem & Druſum adhuc iuuenes in cunis honorum ad ſuperbiam extollant: eſſe enim huius ætatis animos aliàs ad ſimilia & vitia pronos.

V. Hinc cautum erat olim, ne quis Magiſtratum acciperet, néve eſſet in Senatu, minor annorum triginta.

*Num. 11.* VI. Ac ne multis Paganorum exemplis inſiſtamus, quis neſciat, MOYSI Duci Deum præcepiſſe, vt ſeptuaginta ſeniores populi deligeret, conſilij, & leuamenti cauſa?

*vnus idemque homo, non modò in rebus diuersis, hîc quidem fortiter, illic segniter se gerat; sed in simillimis quoque rebus modò inauditam celeritatem, aliàs incredibilem ignauiam ostendat: & aliquando quidem fortissimus, nonnunquam verò timidissimus videatur. Quippè multos in venationibus cernimus aduersus veras audacissimos esse, quos si ad arma hostesq́; transtuleris, ignaui so cordesque apparebunt. In rebus verò bellicis plerique singulari certamine acerrimi sunt, qui in acie nullius pretij,* &c. Quibus Polybij verbis clarè efficitur, Principem ex multis, diuersisque ingenijs, aptissima quæque eligere debere.

I. Quemadmodum TIBERIVM Cæsarem sagaciori curâ fecisse legimus, qui adminiſtros consiliorum eligeret, *pares negotijs, non qui supra essent.* *Tac. Annal. 6.*

II. CICERONEM ipsum non pœnituisse quod hebetior naturâ esset Cælius Rhodiginus auctor est. *Lib. 17. Var. c. 5.*

III. Ita *Poppæum Sabinum* idem ille TIBERIVS è multis elegit, rebusque gerendis præfecit, si Tacito credimus, de eo sic scribenti: *Fine anni Poppæus Sabinus concessit vita, modicus originis, Principum amicitia, Consulatum ac triumphale decus adeptus, maximisq́; Prouincijs per quatuor & viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotijs, neque supra erat.* *Tacit. 6. Annal. Ibid.*

IV. Ac ne longius quàm par est prouehar, eundem, AVGVSTVM illius vitricum amicorum ingenia solicitè examinasse, idem Tacitus auctor est: *Nam Lepidum dixit capacem Imperij, sed aspernantem: Gallum Asinium, auidum, & minorem; L. Arruncium, non indignum, &, si casus daretur, ausurum.* *Lib. 1. Annal.*

V. In recentioribus eminet LVDOVICVS XI. Galliarum Rex, quem exactissimè semper ingenia hominum examinasse, Philippus Cominæus eius familiaris testatur. *Li. 3. Comment.*

VI. CAROLVM etiam V. magnum fuisse virtutis & ingeniorum æstimatorem Historici tradunt; hincque factum, vt persapiens ei consilium, nullique alteri conferendum obtigerit. *Zenoc. l. 3.*

VII. De ALBERTO Belgarum Principe illud certò circunfertur in electione Ministrorum nunquam dedisse operam, nisi antę Sacrificio Missæ, & sæpè Communione consilium Numinis inuitasset, atque ita factum est vt rarissimè indignus aliquis aut ineptus ei obrepserit, & pro oraculo ore ipsius aliquando exceptum: *Nunquam se scopo electionis aberrasse, nisi falsò ab ijs impulsum, quorum fidem non suspectârat.* *Lamprid.*

VIII. Enimverò, laudabile institutum SEVERI Imp. cui erat consuetudo, vt si de iure aut de negotijs tractaret, solos doctos & disertos, si verò de re militari, milites senes benemeritos & experientia claros, ac locorum, bellorum, ac castrorum peritos adhiberet. *Lamprid.*

Horum igitur imitatione Principes, vbi aliquos in consilium assumpturi sunt, eorum ingenia, dotes animi & corporis maturè & solicitè examinent, vt quibus maximè facultatibus aptiora deprehenderint, ad eas applicent, ne, quod est in

prouerbio, Cantherium in fossa. Etenim, vt præclare, sapienterque suo more, diuinus ille Vates canit: *Hom. Il. 13.*

*——— ——— ——— Vni non dat omnia Deus: verùm*
*Dotibus hos illis, alios his dotibus auget;*
*Nec ratione pari dispensat cuncta. Videsnè*
*Hunc belli præstare aliis virtute gerendi?*
*Illum magno animo per aperta pericula ferri*
*Indeuictum? alios veloci excellere cursu?*
*Nonnullos cythara neruis, atque arte canendi?*
*Diuersis ita diuersas dat Iupiter artes.*
*At quos consiliis voluit superare ferendis,*
*Mortales alios, & sana mente valêre;*
*Hi sunt præcipuè, qui possunt esse saluti*
*Vrbibus, & populis, rectè rebusq; gerendis.*

Esto igitur hæc prima cura: tametsi quidem Iudicij hæc res est; quò vt plurimùm carent illi Principes, quibus non competit maturior ætas. Ideòque videmus plerosque prima adolescentia complecti eos, qui sunt ipsorum affectibus magis accommodati, & cupiditatum administri, vt bene quondam notauit Cominæus. Verùm qui sapiunt, etiamsi Iudicio aliquando lapsi fuerint, emendare tamen postea, vbi paullùm ætate progressi fuerint, student errorem, & reipsa tùm considerant, vir viro quid præstet.

*Mediocritas in eligendis ingenijs spectanda.* Qui igitur legendi? *Ingenio*, vt in textu dixi, *Mediocri*, non etiam prægrandi & acuto. Quid ita? quòd magna ingenia, non aliter atque arbores pluribus quàm conueniat fructibus grauidæ, nimiâ vbertate luxuriant, vt diuinus ille Plato inquiebat. *Timæo.*

I. Periclem fœcundo quidem ingenio fuisse, magnamque in oratoriâ suâ facultate auctoritatem in Repub. *Attica* consequutum esse legimus: attamen pestem eundem, pernitiemque patriæ fuisse non nescit qui Plutarchum legit.

II. Democritvs quoque censuit ingeniosissimos quosq; furore corripi solitos, cuius rei causam qui volet legat apud Cæl. Rhodig lib. 17. Var. c. 5.

*I. Lips. in not. ad 3. Polit.* III. Quid acutius Machiavello? at parùm bonus, aut fœlix ille *Cæsaris Borgiæ* Consiliarius, quidquid excuset se, & fatum accuset.

*Idem.* IV. Clementi VII. Pontifici miram ingenij vim omnes tribuunt, sed in actionibus, consilijsque quàm infœlix, Roma scit, & nunc etiam dolet.

V. In populis etiam ipsis idem euenit, vt ij qui ceteris ingenio præstant, rerum nouandarum perpetuâ cupiditate ferantur. Vt de Atheniensibus, Megarensibus, Syracusanis, Florentinis, Genuensibus, proditum est: tunc enim se quisque Imperio dignum iudicat, ac sibi sapere plus satis quisque videtur, nec nisi difficillimè recta præcipientibus cedit. Si verò genus hominum ingenij acumine minùs præstat, morem gerit, & in consilijs capiendis, faciliùs acquiescit, quàm quos argumen- *Bod. de Repub. c. 1.*

gumentorum multitudine, ac differendi subtilitate superare est necesse: ex quo peruicacia sapientibus consilijs inimica consequitur, rerumque publicarum variæ conuersiones. Nam ecce Athenienses centum paullò minus annis quinquies, Florentini septies statum Reipub. commutârunt quod nec Venetis multis sæculis accidit: nec Heluetijs, quos ingenio minùs valêre constat.

VI. Causæ autem, quamobrem præacuta ingenia, præter iam dictas, minùs admittenda, sunt istæ: Imprimis, quòd expediti non sint consilij, vt antè in aphorismis notaui. nam præ multiplici inuentione, & rationum copia plerumque natant, & ægrè expediunt aliquid, cui insistant. II. quòd eiusmodi ingenia obsequij sæpissimè ignara sint. III. quòd semper perturbationibus agitentur, moueant semper aliquid, & nec quieta, quieta sinunt. IV. quòd ea sibi proponunt, quæ non sunt, non erunt; & mentem consiliaque aduersarij æstimant à subtili suâ mente. V. quòd in consilio, aliorum sententijs haud libenter acquiescunt, vnde peruicacia optimorum consiliorum inimica. Ideò apertè CLEON Atheniensium Dux dicebat, *imperitiores homines si cum peritioribus conferantur, Rempub. plerumque melius administrare. nam isti quidem, & legibus sapientiores videri, & in publicis consultationibus sententiam semper obtinere volunt, quasi in alijs maioribus rebus ingenij sui vim ostentare non possint, atque propterea plerunque se & Rempub. euertunt.*

*V. Lips. in not. Polit.*

Prægrandia ingenia cur repudianda.

*Apud Thucyd. lib. 3. Hist.*

Quod patet exemplo Achitophel, qui cùm Consiliarius esset Absalonis, plurimumque apud ipsum, ipsiusque Consiliarios auctoritate valeret, adeò ægrè tulit consilio suo reliquos Senatores non assensisse, sibique alium prælatum fuisse, vt statim relicto Absalone se in patriam contulerit, sibique ipsi turpiter mortem consciuerit.

*2. Reg. 17.*

Maneat ergò prægrandia illa, & elata ingenia minùs consilijs apta, sed nec illa, quæ munus illud ambiunt & prensant. HENRICVM IV. Galliæ Regem cuidam Legationem ambienti, qui tamen & aliàs (licet non pro voto) ablegatus fuerat, subridendo dixisse ferunt: *Inauspicatus est medicus, qui enecando discit mederi, nimiaq; constat experientia, quæ perdendo conatur prodesse.*

Multò minùs, qui reluctante Minerua assumuntur. haud enim satis fœliciter succedit, quod à nolente extorquetur, iuxta illud Plautinum;

*Stultitia est venatum ducere inuitos canes.*

Esto ergò hæc prima in Consiliario dos attendenda, ne nimium acri ingenio sit, at potiùs qui ingenij acumine minùs præstet, quique rebus gerendis aptus sit:

*Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis,*
*Naturæ sequitur semina quisque suæ.*

# CAPVT II.

## *Sit deinde flexibile, & in dißimulationem sui compositum.*

*Senec.*

NAM, vt exerciti & scientissimi gubernatoris est, omni se ventorum mutationi accommodare, sic prouidi consiliarij est, aptare se tempori, omnique hominum genio sese præparare, ideoque rectè Philosophus, *Sapientem non semper ire vno gradu, sed vna viâ; nec se in aliquibus mutare, sed potiùs aptare.* Adeò non damnata sententia, vt iam verbum nullum verius, ac crebrius isto:

*Teren. Hecy. 4. sc. 3.*

——— ——— ———*Isthûc est sapere,*
*Qui, vbicumque opus sit, animum poßis flectere.*

*Iuuen. Sat. 3.*

Ita, Ita: ——— ——— ———*melior, qui semper, & omni*
*Nocte, dieq; potest alienum sumere vultum.*

*Cic. de P. Consul. Sallu. in Cati.*

Quippè *in tot tantasque hominum vitijs, magnæ artis est vitare insidias, esse vnum accommodatum ad tantam morum, sermonum, ac voluntatum varietatem.* Ideoque hodie probatur (at malo more) qui *magis vultum, quàm ingenium bonum habeat.*

*Cic. 2. de Offi. Id. li. 1. ep. pen. Id. lib. 10. epist. Onoz. trateg. c. 3.*

An ergò *simulatio, dißimulatioque* recipienda, *quæ ex omni vitâ tollenda est?* Equidem in publicis modò caussis admiserim: in quibus *non semper idem dicere, sed idem semper spectare debemus.* Scilicet, quis non videt, *vt ad effectum consiliorum suorum veniant, multa simulare illos debere inuitos, & dißimulare cum dolore?* Enimuerò, *vtile est in vtramq; partem, quando vsus venit, eloqui posse, vultumq; fingere, vt res quæq; postulare videtur.* Verbo id expressit Tragicus:

*Senec. Med.*

——— ——— ———*Tempori aptari decet.*

*Ad Att. 12 epist. 50.*

Et maximus Oratorum: *Temporibus parêre omnes politici præcipiunt.*

*Pro Planc. Apud Lac. Diuin. Instit. lib. 3. cap. 15. Arist. 1. Rhet.*

Ad tempus igitur simulationē aptam sumant, quæ dextrè *frontem aperiat, mentem tegat.* Optimè noster Seneca: *Faciet Sapiens etiam, quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit, & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtetur agendæ rei causâ.* Quod intellige virtute & conscientiâ semper saluâ. Huc etiam pertinet Consiliarium haud temerè credere debere; nam εὐλαβεῖς μὴ ἢ φυλακτικοὺς ἀλλὰ πιστευτικοὺς ῥᾴδιον γὰρ πάντας λαθεῖν: *qui facile credunt, nec sibi cauent, facilè deceptionibus obnexi sunt.*

EXEM-

## EXEMPLA & NOTÆ.

I. ALCIBIADEM Historici scribunt, tantâ fuisse animi facilitate, vt diuersis, contrarijsque moribus facile consuesceret; & veluti Polypus ad subiecti soli speciem, faciem coloremque mutaret: adeò, vt secundùm diuersos populos, apud quos diuersabatur, variaret & mores; planè ita, vt illic natus, educatusque videretur. Nam cùm in Lacedæmoniâ versaretur, grauis, & seuerus esse videbatur, manuque strenuus: In Ioniâ autem, iners, delicatus, ac mollis; voluptatibusque pro more gentis diffluebat. *Ælian. & Plut.*

II. Apud Romanos, CLAVDIVS Cæsar, *stultitiam quidem suam* (inquiente Suetonio) *non reticuit, simulatamq; à se ex industria sub Caio (quòd aliter euasurus, peruenturusq; ad susceptam stationem non fuerit) quibusdam orationibus testatus est.* *Cap. 38.*

III. Et lustris ante eum aliquot, TIBERIVS Cæsar, magnus herclè fuit dissimulationis magister, vt qui *nullam ex virtutibus suis magis, quàm Dissimulationem diligebat.* Hinc *verba eius* plerumque *obscura, suspensa,* nunc *perplexa,* nunc *in speciem recusantis composita.* *Tacit. 4. Ann.*

IV. HANNIBALIS etiam ingenium haud dissimile: vt quod ad res diuersissimas natum videretur, parendum scilicet, & imperandum, difficile vt discerneretur, vtrùm Imperatori, an exercitui carior esset. Neque *Asdrubal* alium quenquam sibi præficere malebat, vbi quid fortiter, & strenuè agendum erat: neque milites alio Duce plus confidebant, & audebant: plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat, nullo labore animus fatigari, aut corpus vinci poterat. *Liu. Dec. 3. lib. 1.*

V. M. autem CATO adeò versatili ingenio fuit, vt natum ad id vnum diceres, quodcunque ageret, seu, vt vtar Liuij verbis, *quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus videretur.* *Decad. 4. li. 1.*

VI. *L. etiam* SYLLÆ, *ad simulanda negotia* (inquiente Sallustio) *altitudo ingenij incredibilis fuit.* *Iugurth.*

VII. Meritòque versutum, & callidum factum SOLONIS celebrat Tullius, *qui, quò & tutior vita eius esset, & plus aliquantò Reipub. prodesset, furere se simulauit.* Quod & in DAVIDE Hebræorum Rege annotat Sacra Scriptura, & de Beato EPHRÆM Sozomenus. *Lib. 1. de Off. 1. Reg. 21. lib. 2. c. 15.*

VIII. *Quàm multa passus est* VLYSSES *in illo errore diuturno, cùm & mulieribus inseruiret, & in omni sermone omnibus affabilem, & iucundum se esse vellet? Domi verò, etiam contumelias seruorum, ancillarumq; pertulit, vt ad id aliquando, quod cupiebat, perueniret.* *Cic. 1. de Off.*

IX. Scimus etiam, B. ANSGARIVM (vt veteres omittam) primum illum Hamburgensium Archipræsulem, Legati munere in caussis Orthodoxæ fidei

dei fungentem apud *Ludouicum* Germaniæ Regem, plurimâ vsum esse dissimulatione, ne cuius amicitiam diuersis legationibus comparârat, contrarijs, & non obsequentibus moribus è vestigio, euerteret. *Fuit tamen onerosum viro sancto* (inquit Krantzius) *comessationibus diuturnis, pro more gentis interesse, coëgitq; se illud sustinere, ne Regem, & proceres contemptum, si abesset, interpretantes, à se alienaret.* Prudenter quidem: nec aliter decuit virum sanctum; vt enim homines erant, ita morem gessit. Nam *& Seruator, & Deus noster* (vtar verbis Gregoræ, & hoc libentiùs, ne quis me architectum simulationum putet) *nisi ad humanos affectus sese demisisset, & cum publicanis cibum cœpisset, & humanitatem præ se tulisset, & quatenus ratio sineret, omnium ingenijs sese accommodasset, haud facile, opinor, totas ciuitates ac populos ad amplectendas res vtiles, & salutares perduxisset.*

Lib. 1. Rer. Germ. c. 37.

Li. 3. Hist. Byzant.

X. Itaque scitum est illud P. Mimi,

*Etiam obliuisci quod sis, interdum expedit,*

rectèque monuit Horatius:

In Od.

*Misce stultitiam consilijs breuem,*
*Dulce est desipere in loco.*

Atque hoc est, quod voluit Domitivs *Celer* apud Tacitum: *Vtendum euentu.*

2. Annal.

Sapiens seruiet tempori: sed virtute salua.

Quæ equidem probo, si Pietas semper interna, & Virtus syncerè, retineantur. Itaque in externis, & ciuilibus, non abnuo quin personam aliam atque aliam sumere, aut deponere possint pro temporum, aut rerum conditione; imò hoc est in Rempub. peccare cum beneficio, vt Cicero aiebat, de quo etiam Paterculus: *Cicero insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem tamen laudandum censebat, quòd aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Eiusmodi fraudes, & simulationes iustæ, sanctæ, & Principum Consiliarijs vsurpandæ; prudentis enim est, ei scenæ, quæ in manibus est, dextrè & decorè sese accommodare.

Lib. 2. Epist.

XI. Hoc sensu, ni fallor Fridericvs III. Romanorum Imp. frequenter illud vsurpabat,

Pecens. in Symb.

*Nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

Vetus verbum, sed quod non omnes rectè imbibunt: cùm plerique simulatione vtantur; sed in Orcum mittenda, sed damnabili, sed execranda, qualem Principi suo proponit impius Machiauellus.

XII. Franciscvs verò Soderinvs Cardinalis, frequentibus sermonibus vsurpabat, nihil homini petenti excelsa, & præsertim in Aulæ fortuna versanti, vel vsu meliùs, vel expeditiùs esse, quàm duabus omnino sellis sedêre, vel vt ait ille, τὴν μεσογαμιὴν tenere, si absque certâ offensione fieri possit. quod memoriæ prodidit eruditus vir Arnoldus Clapmarius, de Arcanis Rerumpublicarum.

Lib. 1. cap. 7.

XIII. Ideò magnus ille Thomas Morvs in suâ Vtopiâ eos maximè laudat Consiliarios, qui mentem suam aptè, quum vsus postulat, circumagere solent,

Lib. 1. sub fi.

lent. Neque enim cauti & sagacis viri est, cum periculo velis remisque portum petere, quem commodâ velificatione assequi potest. Nec rursum prouidi est naucleri, commoto procellis, & tempestatibus mari, naufragium potiùs excipere & subire, quàm obliquis cursibus periculum deprecari. Sic est in Repub. sic in Consultationibus Principum, si radicitùs euelli non possint opiniones prauæ, nec receptis vsu vitijs mederi queas ex animi tui sententiâ, non ideò tamen deserenda Respub. & in tempestate nauis destituenda est quoniam ventos inhibere non possis. At nec insuetus & insolens sermo inculcandus, quem scias apud alios, diuersaque persuasos, pondus non habiturum: sed obliquo ductu conandum est, atque adnitendum, vt pro tuâ virili omnia tractes commodè, vt quod in bonum nequis vertere, efficias saltem, vt sit quàm minimè malum.

Atque hæc dicta sint in ciuilibus siue publicis & arcanis Principis rebus in quêis saluâ semper religione & virtute simulatione cum alijs vti potest Consiliarius. Quanquam minùs probem eos qui simulatè cum proprio Principe agunt, hisque verborum inuolucris vtuntur, vt aliorsum capi possint ipsorum censura. Tales certè improbi sunt: quibus affines, qui in priuatâ vitâ, eiusmodi sutelis ac dissimulationibus vtuntur. Nam vt veritatis simplex est oratio (ait Euripides) sic & amici mores simplices sint, synceri, fucoque carentes. Sicut in Comœdijs, aut Tragœdijs, qui aut Cæsarem, aut Pompeium repræsentant, eorum videri quam simillimi cupiunt, finitâ autem scœnâ, relictâque chlamide, ad gestus & vestitus proprios reuertuntur: sic Consiliarios & Legatos in publicis theatris, aut congressibus aptâ simulatione vti decet, & sui Principis, cuius personam referunt, par fuerit meminisse, sed posteâ haud grauatè simulationum integumenta ponere, & ad priuatam redire familiaritatem ac ingenuitatem.

Priuata vita expers esto Dissimulationis.

*Apud Plut. de Amic. & Adul. discr.*

Hoc ingenio AGRICOLAM fuisse, Corn. Tacitus refert. Nam *vbi conuentus* (eius verba) *ac iudicia poscerent, grauis, intentus, seuerus; vbi officio satisfactum, nulla vltrà potestatis persona.*

*In eius vita.*

Atque tales Æolidæ homines mihi probantur.

Cæterùm, dixi quoque nimiam credulitatem Consiliario fugiendam: multi enim sub amici persona fallunt, & eò facilius, quò quisque optimus est, Hinc sapientiæ medulla: *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos.* Diffidentiam tamen vbique non probem, Nam vt Hesiodus,

Credulitas Consiliario noxa.

Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

*Ipsa fides homines & diffidentia perdit,*

cùm nimirum sine modo: sic dixerim in *Dissimulatione*: quâ quidem in religione vti prorsus nefas: quod obiter dictum sit. Clarum in Eleazaro sene Hebræo exemplum & martyrium memoratu alioqui ipsis sacræ scripturæ verbis dignissimum: nisi ad alia festinaret stylus noster.

*Machab. 2. c. 6.*

CAP.

## CAPVT III.

### *Sed & sit* indefessum, *quòd nimirum facilè occupationibus non deteratur.*

Salluſt. Catil. CVI enim bono mollis aliquis animus, qui ex facili labore, atque ſudore debilitetur? qui rerum aſſiduitatem faſtidiat, vigilantiam extimeſcat? cùm demùm *vigilando, agendo, benè conſulendo, proſperè omnia cedant.*

Clarè aſſerit Comicus Græcus, quùm ait:

Antiphones. Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίγνεται:

*Parêre cuncta diligentiæ ſolent.*

Polyenus Stratag. 1. Ita, ita, Τὸ βούλεσθαι, vt alius quidam inquit, πονεῖν πάντων κρατεῖν πέφυκεν: *Voluntas ad laborem propenſa, cuncta vincere ſolet, ac ſuperare.* Vidit hoc, & ſcripſit Imperator ille ad virum ſanctimoniâ clarum: *Aſsidua cura Reip. moleſta eſt ijs qui negligentius in ea verſantur; at, qui diligentiâ & induſtriâ vtuntur, æqui ſunt, mea quidem ſententia, & prudentes, omninoque ad omnia idonei.——Aliud eſt quietis tempus; hoc ærumnis deputatum eſt atque ſudoribus.*

Iulian. Epi. 12. ad Baſil. D. Chryſ. in 2. Ep. ad Tim.

Tacit. 16. Annal. Ergò eligantur prompti, & alacres animo, qui diu, noctuque conſilio, & ceterâ, *ſe vigilantes, ac pares negotijs oſtendant.* vel ab hac cauſsâ quod οἱ πόνοι ὄψον τοῖς ἀγαθοῖς: *labores ſint obſonia ſtrenuis.* vel iſtâ, quòd *ſuadêre Principi quid oporteat, multi ſit laboris.* Idcircò Homerus ſcripſit:

Xenophon Cyrop. 7. Tacit. 1. Hiſt. Iliad.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε:

*Haud oportet noctem integram dormire Conſiliarium virum,*
*Cui populi ſunt commiſsi, & tot curæ ſunt.*

D. Ambr. lib. 2. off. c. 17. *Quod enim ſpecimen induſtriæ, quem fructum laboris edere poteſt, quam recipere animo curam ac ſolicitudinem, qui ſe torpori dederit, atque ignauiæ?* Enimuerò, malè res ſe habet, quâ in Repub. *negotium eſt Principis, & otium Senatoris.*

Sidonius ep. 13. lib. 2. *Sicut omnium artium in ſuo quoque opere inuenitur mater inſtantia: ita nouerca eruditionis atque conſilijs eſt negligentia.*

Anaclet. P. cap. nihil. Diſt. 83. Veriloquium eſt: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit.* Imbibite Conſiliarij.

*Salomon. Prouerb. 22.*

EXEM-

VII. Sanè, si ROBOAMVS Rex, senum consilium sequutus esset, Regnum stabilijsset, quòd propè perdidit, & euertit consilio iuniorum. *3. Reg 12.*

VIII. Consimilem ob causam LVDOVICVS XI. Galliæ Rex pœnè Regno excidit, vt ipsemet Carolo filio moriturus aperuit: quem proindè summoperè adhortatus est, vt quos relinquebat senes Consiliarios in consilium adhiberet: Nam quòd relictis sibi à patre, Imperij initio non credidisset, ferè in ruinam, exorto Principum bello (quod *Commune bonum* vulgus vocabat) lapsus esset. *Vide Comin. in Comment.*

IX. FRANCISCVS verò I. quòd posthabitis senioribus, Admirallij (qui tùm iuuenis erat) acquieuisset consilio, fusus fugatusque ad Ticinum fuit, immò & ipse captus ab Cæsareanis. *Mamb. Roseo p. 3 l. 2 dell' hist. del Mondo.*

X. Hinc diuini Platonis præcepto cautum legimus vt præsentibus senioribus in publicis consessibus iuniores silerent: quod ita debitus tribueretur honos senectuti (quæ semper venerabilis habita fuit) pudorisque decus, quod maximum est adolescentiæ ornamentum, in iunioribus effulgeret. Quod quidem præceptum Romæ obseruatum fuisse scribit Plinius, dum refert *iuniores priùs consilij publici spectatores, quàm consortes extitisse.* *Lib. 4 de leg. L. semper de Iur. immunit. Lib. 8. ad Ariston.*

XI. Assumendi itaque senes. Ratio apud virum diuinum: *In antiquis (inquit) est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Pulchrè sanctissimus iuxtà, ac eruditissimus senex: *Omnes pœnè virtutes corporis mutantur in senibus*, inquit, *& crescente sola sapientia, decrescunt cætera.* Et alibi: *Senectus nos ab imprudentissimis Dæmonis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maiora consilia.* Vt meritò Sapiens ille Syrachides exclamet: *Quàm speciosum canitiei iudicium, & speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium!* prorsus verè. nam senibus compositum consilium maioris haud dubiè erit auctoritatis, quam adolescentibus concinnatũ, quos plerumque vulgus despicatui habet; quòd credat eos rerum experientiâ carêre, quâ senes pollent. Multi enim vt videmus, in suo vitæ decursu votis suis decepti fuêre, quam fortunæ varietatem nequaquam iuniores sunt experti. *Iob. 12. D. Hieron. Epist. 2. In Proem. in Amos. Eccles. 25.*

Apagè ergò mihi Suffenos istos iuuenes, quibus præter gloriæ, & potestatis cupiditatem, nihil inest experientiæ: præterquàm quòd ætate illa vix aliqua floreat auctoritas, magè insolentia, temeritas, inconstatia, libido, quibus vitijs & se, & Respub. non raro præcipites agunt. *Cum enim ad gubernacula*, inquit Cicero, *Reipub. temerarij, atque audaces homines accedant, maxima, & miserrima naufragia fiunt.* Quanquam non ita senibus Consilij fores reserendas autumo, vt eæ, penitus iuuenibus occludantur. Nam quid si virtute, morum integritate, scientiâ, & (quod tamen rarum sit) prudentia polleant? Videre enim licet plerosque iuuenes, *in quibus est senectus venerabilis morum, & cana prudentia.* Certè olim tales admissi, & nunc etiam, mea sententia, non tantùm ad consilia, sed etiam ciuilia munera (quod in textu tetigi) admittendi. *Apud maiores* (inquit Tacitus) *virtutis id præmium fuera, cunctisque ciuium si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur,* *De Senect. Iuuenes nunquam penitus à consilijs excludendi. D. Ambr. 2. off. Annal. 11.*

guebatur, quin prima iuuenta a *Consulatum, ac Dictaturas inirent.* Exemplis doceatur, sed confertim.

I. NERO imprimis Consulatum iniit, ætatis anno vicesimo b M. VAL. CORVINVS, tertio & vicesimo. c Iul. verò CÆSAR, annum agens septimum decimum, Flamen-dialis (summus in Vrbe honos) destinatus est d. Quid cæteros commemorem: Immò & militiæ præfecti iuuenes eligebantur. CN. enim POMPEIVS decimo octauo ætatis anno, nono decimo CÆSAR OCTAVIANVS ciuilia bella sustinuerunt e. SCIPIO verò AFRICANVS f, magna virtutis suæ fiducia, obiicienti populo, quòd iuuenis admodum ad honores prouectus esset, respondit: *Si vos ætatem meam honoribus vestris anteistis, & ego honores vestros virtute præcessi.* Quid quòd Imperium nonnulli tenerâ admodum ætate susceperint, & fœliciter retinuerint? Ecce ALEXANDER SEVERVS g puer adhuc, prouocante eximiâ eius indole, à Senatu *Cæsar* factus est. GORDIANVS h verò Imperatoriâ dignitate insignitus est anno ætatis suæ vndecimo. OTHO denique III. qui MIRABILIS i dictus est propter sapientiam ætatem puerilem superantem, vix duodecim annos natus, Imperij habenas suscepit, & fœliciter administrauit. E Iureconsultis verò, nunquid CELSVS I. C. adolescens admodum ius ciuile interpretatus est k? *Neruas filius* l ætatis suæ 17. aut paullò maiore publicè de iure respondit? Ingenij itaque non ætatis ratio nonnunquam attendenda.

II. Facetum est, quod in VENETORVM LEGATIS legitur. Hi missi erant à Senatu ad Imper. *Fridericum*, iuuenes quidem illi, & tantùm non imberbes, quibus Imperator copiam sui facere recusauit. Caussam quærentibus, responsum, morem illum iam apud Imperatorem inualuisse, & Principibus omnibus innotuisse, vt non alij ad eum Legati mittantur, nisi natu grandes, non etiam iuuenes, barba adhuc carentes. Quâ re Legati auditâ, quempiam rogatum Cæsarem miserunt vt saltem eos admitteret ad colloquium, super re legationem non concernente. Annuit quidem, tametsi ægrè, Ingressi, sic eum affati sunt: Cæsarea Maiestas, si Respub. Veneta prudentiam & dexteritatem existimaret in barbis modò inueniri, hircos procul dubio duos ad Vestram maiestatem legatos misisset. Quo dicto (etsi tali concessu minùs digno) ostendere voluerunt, prudentiam non esse semper facie metiendam, & simul hanc sibi Prouinciam ab Senatu nequaquam esse cōmissam, quin priùs tentati essent, an decore, saluaque Vrbis Maiestate legationis personam sustinere possent. Vnde constat, tales non tàm iuuenes, quàm senes ingenij præstantiâ, virtutumque suarum meritis, esse existimandos, vt etiam scriptum reliquit Archidiaconus m: & proindè meritò, ac tuto ad consilia, & publica munera admittendos. Ideò in Repub. Persarum, *qui inter perfectæ ætatis viros sine reprehensione se gerebant, fiebant ex ordine seniorum*, teste Xenophonte. Verè itaque Poëta canit:

a *Minores 25. aut. 20. annis. l. 1. ff. de Off. Cons. l. quidam. ff de Re iud.*
b *Tacit. 12. Annal.*
c *Liu. l. 7.*
d *Suet. c. 1.*
e *Tac. 13. Annal.*
f *Liuius.*
g *Lampr.*
h *I. Capitol.*
i *Sigebert. in Chron.*
k *l. 91. §. de Verb. oblig.*
l *l. 1. §. 3. de Postul.*
*Bembus.*
m *in c. Esstote. 1. q. 1. in c. fundamenta. col. 4. de elect. in 6. l. 1. Cyropæd. Claudia. Paneg. Theod. In Theat.*

—— Nul-

——— ———*Nullas recipit prudentia metas.*

Et Plato ipse docet, *iuuentutem in re qualibet aptam esse ad capienda incrementa.*

III. Pulchrè ARCHIDAMVS iuuenis ad Lacedæmonios: *Si*, inquit, *exploratum esset seniores de omnibus rebus rectissimè iudicare; iuuenes autem vbique hallucinari, non immeritò nobis dicendæ sententiæ facultas adimeretur. Sed cùm annorum spatium ingenium quoque & diligentia faciant vt alij alios superemus, nonne vtriusq; ætatis periculum faciendum est, vt ex omnibus quæ dicta fuerint, vobis deligere liceat vtilissima?* Animosum profectò dictum. *Apud Isocrate.*

IV. Et vt profanis sacra nectamus, nunquid de Tobiâ legitur, quod cùm iunior esset nihil tamen puerile gessit in opere? Doctor autem Gentium ad Timotheum: *Nemo contemnat adolescentiam tuam*, ergò regiminis illi capaces quamuis ætate iuniores. *Tob.1. Tim.1.*

Quanquam non minima adhibenda diligentia, examinandis huiuscemodi ingenijs, ijsdemnè sint prædití moribus, quàm prima ipsi fronte adolescentes præ se ferunt. Siquidem hodie obtinet, quod olim facetè aiebat *Socrates*: Si quis in theatro coriarios surgere iuberet, ij soli surrecturi essent: similiter si fabros, ærarios, textores, aut alios generatim. At verò, si prudentes, aut iustos, hîc omnes exsurgerent, & nullus esset, qui non prudentem ageret, aut iustum. Adeò vita humana hoc morbo laborat, vt cùm bona hominum pars stulta sit, sapere tamen sibi omnes videantur. Itaque satius est in dubio, natu grandiores anteferre. *Viget quippè ratio, affectibus vnà cum corpore tabescentibus*, inquit Plutarchus. atque ideò maior præsumitur in eis prudentia *a*, maior probitas, scientia, morum grauitas, maiorque experientia. Atque hinc est, vt senes non ita facilè decipiantur, vt iuuenes. Nam, cùm isti rarò aduersis casibus tentati fuerint, facilè consilijs ijs adhærent, quæ magis magnifica, quàm secura sunt, parum interim de futuris cogitantes; at illi, quòd fortunam crebrò nouercantem, votisque suis contrariam senserunt, secura & vtilia magis sequuntur consilia, quàm plausibilia, & magnifica. Ipsum quod expendentes olim *Athenienses*, populo solebant in concilium super Reipub. negocijs conuocato, seniores, hoc est, ij, qui quinquaginta annos nati erant, præconis voce, è turbâ seuocare, quò ipsi consulerent, quid vtile Reipub. videretur. plerique à quadragesimo, ad sexagesimum vsque ætatis annum huic muneri idoneos censuerunt quòd mediâ illâ ætate homines memoriâ, & iudicio valeant, nec ijs animi perturbationibus infestentur, quibus adsolent iuniores, vel natu grandiores.

*Stob. sermon. 23.*

*Plutarch. lib. de Virt. morum.*

*a 59. Dist. c. Si officia. 84. dist. c. Porro, 12. qu. 1. cap. 1. 35. q 6. c. consang. Probatque latè Tiraquel. tract. de Iure Primogen. in Proem. num. 89. Menoch. l. 6. de Præsumpt. cap. 48.*

Sed, vt iuuenes suprà non exclusos volui à Consilijs Principum, quibus tamen suffragatur eruditio, & virtus: ita nec hîc continuò valere iusserim sexagenarios, quasi deponte, vt antiquitùs receptum erat deijciendos. Nam & multos prisci, & huius æui senes, immò ætate iam deuexâ, animo planè vegeto fuisse scimus, nonnullosque recenset, ac dilaudat insignis ille I C. Menochius. Et verò,

*Festus in voce Sexagenarios: v. meam facē hist c. 1.*

*Lib.6.de rasumpt. cap.46.* cùm recta consultatio non tàm procedat ab ætate, quàm bono, & sano iudicio, ac prudentiâ, quâ quisque præditus esse debet qui alijs consilia instillat, non tàm ætatis, quàm earum, quas iam dixi, consideratione rerum, ea metienda est. Quinimmò, vt veteres palàm facerent, Consultationem potiùs ab animi dexteritate, quàm corporis viribus considerandum, Mercurij imaginem in speciem viri senis effingebant, manibus, pedibusque truncatam, membris modò pansis: quo indicabant, parum ad consultandum prodesse eas partes, quæ exteriorem functionem habent, dummodò vigeant mens, & ratio, quæ plerumque magis in senibus, quàm in alijs vigent, teste Platone: *Non florescit*, inquit, *virtus animi, nisi virtus corporis deflorescat.* *In Timeo.* Vnde Italis inualuit prouerbium, *Che male stà la stalla, doue il bue vecchio non tosse, & che quando il cane vecchio abbaia, egli consiglia: perche se vuoi buon consiglio, domandalo al vecchio.*

*Lib. An. sen. sit geren. Resp.* Hinc apud Athenienses cùm quid erat de rebus publicis deliberandum morem fuisse scribit Plutarchus, vt Præco clarâ voce eos conuocaret qui non minores quinquaginta annis essent, quod scilicet consilia senum hastas verò iuuenum esse iudicarent. Satis dictum de ætate Consiliariorum.

---

## CAPVT VI.

### *Deniq;* Indigenæ *potiùs, quàm exteri habeantur.*

*Arist.5. Polit. c.3.* CVR ita? quia *omnis dissimilitudo, dissidium facere videtur.* Atque maxima solet esse dissimilitudo diuersas inter nationes, quarum vt diuersa est lingua, ita & *Cic ep.1. ad Q. Frat.* diuersi sunt mores, diuersaque studia: Nam, *quæ naturâ diuersa sunt difficile est vt voluntate coniungantur.* *Thucyd.l.5 Hist.* Atque ita, *in tali morum atque animorum discordiâ*, inquit Thucidides, *factorum etiam diuersitas exsistit*: & alibi: *Consiliarij gente dispares nihil in commu-* *Lib.1.* *nem Reip. salutem consulunt, sed vel suo quisque commodo vacant, vel quod agendum pro communi salute est, absque maturâ deliberatione decernunt.* Neque id mirum; nam ex eiusmodi disparitate liuor nascitur & offensio, quæ subindè Principi perniciem, Ciui- *Ecclesi.11.* tatibus rebellionem parit. Vidit hoc eximium sapientiæ columen Syrachides, *Ad-* *Tac. Agric.* *mitte ad te alienigenam*, inquit *& subuertet te in turbine, & alienabit te à tuis proprijs.* *Sallu. ad Cæs.* Vtpotè cui tu ludus eris, & Respub. iocus. *Non fide, non affectu tenetur*; quin hoc tantùm aget, *vt quod commodum est, trahat ad se, rapiatq;*, & vndecunque *prædam in sinum suum conferat.*

Quid, quòd Exteri iuris publici, moris maiorum, rei deniq; publicæ sint ex- *Cic.2.de Or.* pertes? ac proindè consultationibus minimè idonei. nam, *ad consilium de Republica dandum, caput est nosse Rempublicam*; Ideò prudentissimus ille Mæcenas Augusto suadebat,

debat, in Senatum deligeret solos Romanos, *partim propter institutorum patria memoriam, partim, ne protinus immutare Reip. statum videretur.* Apud. Dion. l. 52.

De Menennio Liuius: *Placuit Oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, & quod indè oriundus erat, plebi charum.* Itaque Magnus ille Deus Vicario suo Generali sic mandat: *Eum constitues, quem Dominus elegerit de numero fratrum tuorum.* At hæc profanorum exemplis doceamus. Lib. 2. Deut. 17. 15.

## EXEMPLA & NOTÆ.

I. SCriptum nobis reliquit Plutarchus, LICVRGVM apud Lacedæmonas omnibus viribus, & legibus contendisse, ne peregrini & extranei in Vrbem admitterentur. Cuius imitatione Schytæ, Gamphasantes, Seres, & Indi, aduenas & peregrinos in Ciuitates suas nunquam admiserunt, si Diodoro Siculo credimus. Apud Romanos verò lege Petronia & Papiâ allophyli, seu alienigenæ omnes, circumscribebantur. Idque hanc potissimùm ob causam, quòd *diuersarum nationum ingenia difficulter conuenire queant*; quâ re seditiones, turbæ, res nouæ oriuntur, quod pluribus exemplis docet Aristoteles lib. Polit. 5. cap. 3. In Lycurg.

II. ALCIBIADES Dux Atheniensium, suadens populo bellum in Siciliam esse suscipiendum, hoc argumento vtebatur, *quòd illius insulæ Vrbes variæ aduenarum colluuiæ sint frequentes, & suum statum facilè mutant, & peregrinos aduenientes facilè recipiunt; atque hac de caussâ nullus ipsorum, tanquam pro patria sua, armis ad corpus suum protegendum necessarijs est instructus. Addo,* inquit, *quod non verisimile sit huiusmodi turbam, aut vnanimi consensu verba rectè monentium audire, aut communiter ad res gerendas se conuertere.* Thucid. li. 6. Hist.

III. Scitum fuit CYRI apud Xenoph. *Si quosdam tentabis Regni custodes* (& Consiliarios) *efficere, nusquam aliundè priùs incipe, quàm ab eo qui ex eodem loco natus est.* Lib. 8.

IV. Quod ipsum bene considerauit AVGVSTVS Cæs. qui pacatâ Repub. Romanâ, *magni existimauit syncerum, atque ab omni colluuione peregrini, ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum, & proinde Ciuitatem Romanam rarissimè dedit.* Sueto. c. 40.

V. Sed superioribus sæculis GVILIELMVS SICILIÆ Rex, quàm periculosum sit, posthabitis incolis, exteros ad consilium promouere, cum pessimo publico sensit. Quippè in quem insurrexerunt Neapolitani, atque Sicilienses, quòd non solùm præcipuos Magistratus, sed ipsum etiam Cancellariatus (vt vocant) officium Gallis detulisset: atque ideò, anno 1168. coniuratione communi Gallos omnes, qui cum eodem Cancellario erant in regno, derepentè trucidarunt. Belleforest. in Annal.

VI. Similem ob causam magnus ille IVLIVS CÆSAR, in inuidiam apud Romanos adductus est, quòd Gallos exteros in Senatum recepisset, adeò quod coniuratione in eum susceptâ, publicè decretum sit: *Bonum factum: Ne quis Senatori* Sueto. cap. 76. Idem. cap. 80.

*nouo Curiam monstrare velit*: & illa vulgò canebantur, *Gallos Cæsar in triumphum ducit; Iidem in Curiâ Galli braccas deposuerunt, latum clauum sumpserunt.*

*Q. Curt.* VII. ALEXANDER etiam pessimè audijt, & inuidiosus apud suos fuit, cùm aures suas Persis quibusdam, posthabitis indigenis, dare cæpit. Vt & CAROLVS Burgundiæ Dux, cùm *Campobachium* Neapolitanum primum arcanorum arbitrum assumpsit, teste Cominæo.

*Belleforest. in eius vita.* VIII. Quis nesciat in CAROLVM MAGNVM conspirationes conflatas ab Austrasiensibus, (qui nunc Lotharingi dicuntur, vnde ipse Carolus oriundus erat) quòd ipse indigenis neglectis, togâ, & bello exteris plurimùm vteretur?

*Idem in vita Caroli IX.* IX. Quid? An non CAROLVS cognomento SIMPLEX, & LOTHARIVS, eius ex filio nepos, eadem discrimina, immò maiora subierunt, quòd postpositis Francis, omnia Germanis crederent? Nam ille regni administratione ab indigenis submotus, carceribus vitam finiuit; hîc verò Imperium adeò infirmum filio reliquit, vt in eo desierit familia inclyti Principis *Caroli Magni.*

*In repe. c. Raynus. Verbo. Et vxorem, de Test. Vid. Io. de Selua tr. de Benef. p. 2. q. 23. n. 60.* X. Denique inter caussas, quamobrem in Galliâ, alijsque in locis promulgatæ sint Constitutiones, quibus exteri ab Episcopali arcentur dignitate, hanc affert noster Benedicti, ne viri extranei pandant secreta regni. Nec vana sit: cùm plerique Præsules habeant in diuersis Senatibus suam sessionem, sintque primarij interdum consiliorum arbitri, possentque iccircò exteris consultationes aperire.

*Baro. in Ann. Anno 830.* XI. Hinc etiam in Imperatorem LVDOVICVM conflatas insidias tradunt historiarum monumenta à filijs, & Principibus regni, quòd *Bernardum* quendam Comitem Hispanum in Aulam admisisset, Præfectumque cubiculi constituisset.

*Art. 8. Pacis. 22.* XII. Vt sanè consultissima ratione, apud nos Eburones trium communi Ordinum adsensu cautum sit edicto, vti Princeps non alijs consiliorum administris vtatur, quàm indigenis, quò nimirum meliùs, fideliusque eorum consilio publicam rem queat administrare.

Cur exteri ad Consiliū non assumendi. Et verò, quis non videat, vbi consilium exteris constat, non bonum tantùm publicum labi, & interire, sed etiam sensim internas Principum res, Mandrabuli (vt aiunt) more, immutari? Etenim, nulli procliuius dissidiorum faces præbent quàm alienigenæ, vt nostrâ ætate Belgium, superiori Dithmarsia, magno suo malo sensit, teste Krantzio) qui, vt suum nihil, & proprium peregrinâ in terrâ possident,

*Lib. 2. Belli Dithmar.* ita planissimè sciunt, se iacturam facere non posse, sed potiùs subortis certaminibus intestinis, & discordijs, ex qualibet rerum perturbatione, noto artificio, honores & diuitias immensas captare; quò, rebus quietis & tranquillis, adspirare nequaquam possent. Nam, vt anguillæ, nisi aqua agitata, & limo turbata, haud temerè capiuntur: ita, isti, nisi Reipub. statum interturbent consilijs suis, prædam in suos

in suos casses desideratam)pellicere non possunt. Vnde inter diuina maledicta quæ legem transgredientibus dabantur, legitur: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus cuius linguam intelligere non possis.* Accedit, quòd vbi populus suos Optimates consilijs Principis nec adhiberi cernit, mox credit eos, vel à Principe despici, vel pro mancipijs reputari, vel denique pro infidis haberi; prima opinio odium illis generat; secunda, libertatem illis proponit, & suggerit, vt alium Principem alicundè accersant; tertia animum illis præbet, quærendi qualemcunque coniurandi occasionem. Prudenti itaque consilio magnus ille Persarum Rex CYRVS iam moriturus, filium Principem monebat, vt si quos Regni Consiliarios (quos Regni *Concustodes* appellabat) post suum obitum adsciscéret, nusquam aliundè inciperet, quàm à suis conterraneis & ciuibus, quos semper alienigenis præferret: timendi enim exteri, ne aliorum Principum donis aut promissis peruertantur. *Apud Xen. li. 8. Cyri.*

Caueat ergò Princeps, ne Consilium exteris componat: Nam præter iam datas caussas, ferè moris patrij sunt expertes: & tamen, *est Senatori pernecessarium, nosse Rempub.* inquit Cicero, *idq; latè patet, quid habeat militum; quid valeat ærario; quos socios Resp. habeat; quos amicos; quos stipendiarios; qua quisque sit lege, conditione, fœdere; tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum*, &c. Quæ cùm ignorantur, haud dubium est, quid perniciosissimi lapsus, in consilijs dandis oriantur. *Lib. 2. de leg.*

Vnus tamē & alter possunt interdum assumi.

Quanquam non admodum negem; vnum, vel alterum, nisi fide, & probitate insigni spectatum adhiberi posse, pro temporum scilicet, & rerum occasione. Vide mihi TIBERIVM Cæsarem, a circumspectissimum Principem, *nunquid subinde res suas quibusdam etiam ignotis mandabat?* Auctor est etiam Pomponius, b HERMODORVM in Italiâ exulem, *auctorem fuisse legum xij. ferendarum*, quæ tamen vniuersam Rempub. Romanam reformabant. APOLLODORVM etiam CYZICENVM sæpissimè belli Ducem crearunt Athenienses, quamuis esset peregrinus: itemque HERACLIDEM CLAZOMENVM: *Cùm enim laude se dignos præstitissent*, inquit Ælianus, c *non iudicati sunt indigni, qui Atheniensium Imperium tractarent.* Patrum memoria CAROLVS V. Imper. Consilijs suis vtique adhibuit aliquot Italos, & Burgundos, & in his vnum *Granuellum.* In Gallia *Franciscus* I. & *Henricus* eius filius, operâ quoque Italorum fœliciter vsi fuère: ille namque *Triuultij* prudentia, ad Taurum flumen memorabilem de Heluetijs victoriam reportauit; hic verò *Petri Strotij Florentini* consilio, & virtute vsus, non paucis in Italia victorijs clarus exstitit. Haud ergò imprudenter fecerint Principes, immò nec plerunque inutiliter, si paucos exteros in Consilium adsumant, modò tamen negocia semper maioris momenti eis non committant; cùm alioqui ad contumeliam sint accepturi indigenæ, si præcipua munia continuò eis deferant.

a *Apud Tacit.* 4. *Annal.*
b *In l. 2. §. postea in fi. de orig. iur.*
c *Lib. 14. Var. Hist. c. 5.*

*Atque hactenus de* INSITIS BONIS, *quibus Consiliarij præditi esse debent: de* ACQVISITIS *porrò dicamus.*

CA-

## CAPVT VII.

### *Imprimis* Philosophiæ *cognitionem propono, maximè vitam & mores concernentis.*

1. de Orat. PHILOSOPHIAM in partes tres cum Cicerone distribuo: *In natura obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam, atque mores.* Quam equidem postremam, verè cum alijs *Philosophiam Moralem* appellauerim; cum *ea virtutis, & officij, & benè viuendi contineat disciplinam.* Seneca explicatè: *Huius vnum opus est, de diuinis, humanisq; verum inuenire: ab hac nunquam recedit iustitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum consertarum, & inter se cohærentium.* —— *Innumerabilia accidunt singulis horis quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est.*

Id. orat. in Pison. Epist. 90. Idē ep. 16.

Epist. 2. Optimè Plinius: *Nulla laudabilior Philosophiæ pars est, quàm agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere & exercere Iustitiam.*

Sint ergò Philosophiâ morali imbuti. An non & Naturali, siue etiam Rationali? Non æquè: sed leuiter modò tincti. Audi Principem illum Philosophorum: *Constantiam, fidem, animi sanitatem, ego aio veram Philosophiam esse, alias autem quascumque, & aliò tendentes sapientias, si Elegantias, & Argutias dixero, verè censeam appellasse.* Verè quidem: *Aliæ enim artes ad ingenium tota pertinent: hic animi negocium geritur.* —— *Non abhorreat tamen à publicis moribus; nec hoc agat, vt quicquid non facit, damnare videatur: Licet sapere sine pompa, sine inuidia.*

Plato epist. 10. Senec. epis. 7. Id. epist. 103.

Moribus ergò probi sint. Nam, vt verissimè Tragico scriptum,

—— —— —— *Improbam in mentem*
*Bona consilia non cadunt.*

Sophocles Oedipo. In legat. ad Caiū Cæs. *Solis bonis viris*, inquit Philo, *solet Deus bona suggerere consilia tum etiam maximè Reip. vtilia.*

Ambros. lib. 2. Offi. c. 12. *Quis in cœno*, ait vir diuinus, *fontem requirat? quis de turbidâ aquâ potum petat? quis vtilem iudicet caussæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? quomodo potes eum iudicare consilio superiorem, quem videas moribus inferiorem?* Enimuerò, *fieri non potest, vt qui probrosam, & voluptuariam vitam traducit, viro aliquid dignum vel consulat, vel agat.* Quocirca, *qui consilium dare volet, alienam à vitijs custodire debet prudentiam, quia nihil inquinatum incurrit in illam.*

Cæs. Augusl. Orat. in M. Anton. apud Dion. lib. 50. Ambros. lib. 2. Off cap. 12.

Æschines cont. Etsiph. Rectè: quia *fieri non potest, vt qui propria perperam administrat, alienis fidus, & constans inueniatur.*

Terent. Heaut.
*Nonne flagitium est te alijs consilium dare,*
*Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?*

EXEM-

## EXEMPLA & NOTÆ.

I. PEssimè audiuit ANT. HELIOGABALVS, vt auctor est Herodotus, & in indignationem Senatus, & militum contemptum incidit, quòd eò vecordiæ prouectus esset, vt plerosque Scenicorum & artificum, Reipub. consilijs, & rerum moderationi, seu gubernationi præficeret. *Lib. 5.*

II. Nec inuidia ante eum caruit I. CÆSAR, & C. CALIGVLA, quòd in Senatum introduxissent homines improbissimos & turpissimos, tametsi dicerent, eorum ope, & industriâ, in tuendâ suâ dignitate, vsos esse. *Sueton.*

III. VITELLIVS etiam Imp. scurris & histrionibus ac huiusmodi alijs amicitiarum dehonestamentis mirè gaudebat, teste Tacito. *Tacit. II. Hist.*

IV. Deterior, illo LICINVS IMP. qui nedum viros doctrinâ præstantes contemnebat, verumetiam Vrbe erigebat.

V. Et ante hos NERONEM, pessimis vsum Consiliarijs Xiphilinus testatur, à quibus hæc frequens audiebat. *Tu ne hoc non poteris? hoc times? ignoras te Cæsarem esse?* & talia adulatorum verba quibus & sese & Rempub. perdidit.

VI. Quorum quàm dissimillimi fuerint LACEDÆMONII, ex facto sequenti cognoscere licet. Improbus quidam & turpitudine vitæ, sed linguâ, & facundiâ nimium quantùm præstabilis, cùm in Consilio, quod de summâ Repub. Atheniensium habebatur, optimam sententiam dixisset; sententiam quidem laudarunt, sed eo eiecto, alteri cuidam inculpatis moribus dicendam (instante graui, & cordato viro) tribuerunt. Oratio autem viri istius hæc fuit: *Et quænam, Lacedæmonij, ratio, aut quæ tandem spes Vrbem hanc, & hanc Rempub. sanam, inexpugnabilemq; esse diutiùs posse, si huiuscemodi anteactâ vitâ hominibus consiliarijs vtemur? Quòd si proba ista, & honesta sententia est, quæso vos, non sinamus dehonestari turpissimi auctoris contagione.* Atque vbi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque Iustitiâ præter alios præstantem, qui sententiam, consensu petituque omnium, improbi illius viri diceret. Adeò in Repub. nihil honoris habendum putarunt his, qui turpiter, flagitiosèque viuerent; auctorem mutarunt, ne esset dedecori Reipublicæ; consilium non reiecerunt, ne ob priuatam ignominiam, publicam vtilitatem neglexisse viderentur. Hinc constat, Plinium iurè dixisse, *Multùm interesse, quid à quoque fiat; eadem enim factâ claritate, vel obscuritate facientium, aut tolluntur altissimè, aut humillimè depr:muntur.* Nihil certius: & videmus hoc non raro, si non semper, euenire, namque nequaquam valent ad persuadendum, nec voti compotes fiunt, qui facundiâ quidem valent, at vita interim sequiores sunt. Quid ita? quia opinio, & præiudicata probitatis existimatio, nerui sunt, & artus persuasionis. *A. Gellius li. 18. cap. 3. & Plut. in Polit.* *Lib. 6. epist. 24.*

VII. Enimuerò, FERDINANDVS II. Imper. qui ab annis pauculis cum

multorum luctu excessit è regione viuorum, solebat quidem adsciscere viros, qui & ingenij acumine, & rerum experientiâ laudarentur: sed maximè illos optabat qui in Dei cultu metuque excellerent. nam sine his præsidijs in irritum plerumque cadere humanas consultationes, quæ sine pietate & sapientiâ subsistere non possunt, quâ qui præditus est facilè *timorem Domini, & scientiam Dei inueniet*, vt habetur Prouerb. 2.

Eligantur itaque Consiliarij qui à meritis virtutum, & encomio pietatis spectati sunt, quique propriam rem domesticam (vt hoc addam) dextrè administrârunt; id quod *Leoni* Principi filio suggessit *Basilius* Imperator verbis his: *Consiliarijs vtere ijs qui rebus proprijs benè consuluerunt rectèq; eas administrarunt; non autem qui per imprudentiam malè. Nam, qui suis rebus malè prospexerit, nunquam benè alienis consulet.*

*Lib. 2. offi.*

*Auth. de Mandat. Princip.*

VIII. Præclarè igitur IVSTINIANVS: *Festinabis Consiliarium & quicumque fuerit circa te assumere virum optimum & purum vndique, & contentum ijs quæ à fisco dantur.*

*Orat. de pace.*

Cui assidet elegans illud *Isocratis* monitum: *Prima hæc emendanda est, ordinandaq; Reipub. ratio, si de publicis negotijs deliberaturi, eos in consilium adhibuerimus, quibus in priuatis rebus nullos anteponeremus.* Cuius rei *Socrates* rationem dat: *Cura namque rerum priuatarum, multitudine solùm à Reipub gubernatione differt; in cæteris verò similes sunt.*

*Apud. Xen in Memoral. Socra.*

Oeconomiam ergò in his attendat. Nam præter fœlicissimum rebus in omnibus successum, & hoc assequetur, quod subditi omnes optimè de ipso (quòd non in leui ponendum) opinabuntur. *Nam ex Senatoribus* (inquit Imper. Otho) *Principes noscuntur.* Prorsus verè. Vt enim origo fontium semel infecta, necesse est riuulos corruptos esse: sic consilio Principis deprauato, nedum ipsum, sed & cætera ad administrationem publicam vitiari, atque inquinari nemo non iudicabit. Quare, præclarè, & ex vero more suo Philippus Cominæus: *Nullum magis indicium bonæ mentis*, inquit, *Princeps potest ostendere, quàm vt adiungat sibi viros quibus familiariter vtatur, virtute, & famâ celebres. Nam omnes statim iudicabunt, eum talem esse, quales ij qui apud illum*: Additque noster Lipsius: Hoc fine vtile, non tantùm in consilio, sed etiam in contubernio quosdam habere *insignes tranquillitate vitæ, nullis Reipub. negotijs permixtos.* Nam aliena hæc fama, valde ad Principis famam. Ita *Alexandro* Callisthenem, Craterum Ptolemæum & Sisimachum: *Scipioni* Panætium, & Polybium: *Augusto* Areum, & Athenodorum: alijs alios adhæsisse scimus, priuatim magis ornamenta, quàm publicè adiumenta.

Principes ex Consiliarijs iudicantur.

*Quem refert I. Lips. in Not. ad 3. l. Polit.*

*Tacit. 4. Annal.*

*Quæst. 4. Analog.*

Sibi Ergò renuncient Principes, vt bonos, prudentes, peritos Consiliarios ac familiares Ministrosque assumant, non iuuenes, imperitos, inexpertos (vt vtar monito M. Becani) sicut habuit Roboam: non idololatras, aut hæreticos, sicut habuit Ochozias: non perfidos & infideles, qualis fuit Achitophel: Sed qui syncerè Catholici sint; qui periti, prudentes, experti, cordati; qui immunes ab auaritiâ, & adulatione, qui liberi à passionibus, & inordinatis affectibus; qui pacis, iustitiæ, patriæ amantes; qui religionis, & Ecclesiæ patroni: Denique, quibus vnicus scopus sit, vbique Dei honorem, & bonum publicum promo-

promouere. Procul verò facessant,& ob omnibus Regum,ac Principum aulis arceantur, qui palam quidem suam operam addicunt Principi Catholico,& ordinarium stipendium ab eo percipiunt,sed occultâ conspiratione de duplicato,vel triplicato paciscuntur cum alio Principe occulto hoste aut hæretico,vel infideli, eâ quidem conditione,vt quidquid apud Catholicos in secreto consilio decidetur,ei integrè aperiant, & de omnibus certiorem faciant. Non Consiliarij isti, sed proditores sunt: Et tamen tales non paucos esse,fama est. Nec *propterea excusabuntur Principes,cùm ad noxia statuenda* (inquit Card. Baronius) *ministrorum fallacijs inducuntur*: vult enim Coryphœus Historicorum priùs summâ indagine experiri, quos in partem curarum assumunt; ne idem illis contingat, quod Innocentio PP. III. de quo Car. Bellarm. lib. de Gemitu columbæ cap. 9. *Tom. 4. 383.*

## CAPVT VIII.

### *Philosophiæ proxima sit* legalis Scientia: *quâ pariter tinctus mihi sit Consiliarius.*

SIQVIDEM eâ facultate qui præditi sunt,non vt alij sæpè, quod affectuum impetus dictat,sed quod Religio,quod lex,quod verum ipsum postulat, Principi suadent: *Iustitiam namque ipsi colunt,& boni,& æqui notitiam profitentur,æquum ab iniquo separantes,licitum ab illicito discernentes.* *Vlpia l. 1. de Inst. & Iure.*

Quid quòd in consultationibus persæpè multa occurrunt,quæ sine horum operâ expediri nequaquam possunt? quis meliùs ciuium seditiones componet, quis æquiùs Reipub. leges statuet,quis legationes prudentiùs suscipiet,quàm Iuris legumque peritus? Vt meritò Cassiodorus edixerit, *Nihil dignius esse, si & Senatorio vestiatur honore togata professio.* Ideoque & Pomponius,Iurisconsultos *Principales viros* appellat. Et benè: hi enim nequaquam religionis,moderationis,fortitudinis,Iustitiæ,æquitatis, prudentiæ, (præcipuæ in ministris Principum dotes) expertes sunt. Itaque sit Consiliarius etiam in iure versatus. *3. Var. ep. 33.* *L. 2. de orig. iur.*

*——— ——— ——— Hic erit optimus,*
*Hic poterit cauère rectè, iura, qui, & leges tenet.* *Plaut. Epid.*

Verùm,decurramus ad exempla profana.

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

INter eos Principes,qui maximè in Consiliario Iurisprudentiam expostularunt, vnus fuit ALEXANDER Imper. quippè qui super alios, quos consilijs,& contubernio adhibuit, *Vlpianum* etiam nedum pro consiliario,sed & *pro tutore* *Lamprid.*

*habuit, primum repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpè à militum ira, obiectu purpuræ defendit; atque ideò summus Imperator fuit, quòd eius consilijs præcipuè Rempub. rexit.* Itaque idem Imperator eundem Præfectum Protorio, & parentem suum appellat; *a* & alibi *b* rescriptum suum sic orditur: *Secundum responsum Dom. Vlpiani Præfecti annonæ, Iurisconsulti, amici mei, ea quæ stipulata est*, &c. Et sanè, quod hic Imper. homo alienigena, Syrus, & adolescens Princeps, tàm benè fœliciterque Romanam administrârit Rempublicam, Iurisconsultis acceptum ferre debemus. Nam, & præter *Vlpianum*, quem modò dixi, habuit etiam *Iulium Paulum*, *Pomponium*, *Alphenum*, *Aphricanum*, *Martianum*, *Callistratum*, *Venuleium*, aliosque multos iuris professores, & discipulos splendidissimi illius *Papiniani*, qui iuris asylum dictus est; sine quibus nec legem vllam sanciuit, nec de vllâ re grauiore statuit: sed ita vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisque dixisset, dato spatio ad inquirendum & cogitandum, priusquàm dicerent, ne ex tempore de rebus grauioribus censêre cogerentur.

a L. 4. C. Locati.
b L. 4. C. de Cõtrah. & cõ. stip.
Lamprid.

II. Scimus quoque AVGVSTVM Cæsarem *Trebatio* Iurisconsulto vsum esse, *Cassio* VESPASIANVM, *Neratio* TRAIANVM, *Iuliano* HADRIANVM, *Scæuola* ANTONINVM, *Papiniano* SEPTIMIVM SEVERVM, qui quidem omnes, vt Iurisprudentiæ laude floruerunt, ita Principibus iam dictis, decori & ornamento, Rei verò publicæ, præsidio summo fuerunt.

c L. 1. §. proindè de Var. & extr. cog.

III. CATO MAIOR vt apud Romanos maneamus, sextúm & octogesimum annum agens, quamuis eloquentiæ gloriâ nitesceret, tamen intelligens ad Reip. administrationem, etiam Legum cognitionē oppidò necessariam, *id egit, vt iuris ciuilis quoque esset peritissimus.* O præclaram, & laudabilem canitiem, quam ab otio senili potuit abripere pelagus Iurisprudentiæ! Sed quis miretur? cùm res sanctissima sit Ciuilis sapientia *c* necessaria, laudabilisque; *d* honoris plena; *e* sacra Philosophia; vera, non simulata, *f* cuius finis vtilitas publica, & Reipub. procuratio. *g* Vnde Aduocatis olim tantùm præconij ab Impp. tributum, vt dicerent eos, *non minùs prouidere humano generi, quàm si prælijs atque vulneribus patriam, parentesque seruarent.* *h* Sed hoc ab Imperatoribus melioris notæ. Nam, qui sequioris, & probrosæ vitæ, hi vt plurimùm despicatui habuêre lumina hæc orbis terræ. Et sanè si memoria recolamus vetusta illa prodigia, *Caligulas* dico, *Claudios*, *Nerones*, *Galbas*, *Othones*, *Vitellios*, *Domitianos*, *Heliogabalos*, & *Commodos*, seu potiùs, Incommodos, videbimus non aliam ob causam Romani Imperij dignitatem, amplitudinemque impio scelere fœdasse, quàm quia minùs vsi sunt consilio Iurisconsultorum, sine quibus, (vt verè ait maximus Philosophorum) Ciuitas rectè gubernari non potest.

d L. laudabile C. de aduoc. diu. iud.
e arg. L. 6. C. de Postul.
f L. 1. §. de Iust. & iure.
g Proem. Inst. § fin. L. 1. in fi. C. Qui ætate se excus.
h L. 14. C. de Aduoc. diuer. iud.
Arist. 3. Polit. c. 8.

Verùm; ne quis aliorsum hæc capiat atque censeo, haud exigo in Consiliarijs apicem doctrinæ, hoc est, vt sint Coriphæi quidam, quique Artis suæ familiam ducant, sed qui modò ab alno (quod est in prouerbio) Iurisconsultorum artificia despectarint: Non inquam absolutos, sed mediocriter tinctos, & qui non tàm

Apud Pōpon. l. 2. de Orig. iur.

præ-

præſtent Iuriſprudentiâ, quàm Eloquentiâ, vt *Cœlius* ille *Antipater*, qui plus eloquentiæ, quàm ſcientiæ Iuris operam dabat.

---

## CAPVT IX.

# Eloquentia *etiam Conſiliario apprimè neceſſaria.*

CVM enim Conſiliarij ſit proprium, nedùm præclarè ſentire, ac prudenter intelligere, verùm etiam rectè quæ ſenſerit, & aptè ad perſuadendum enunciare, conſequitur hanc facultatem oppidò quàm ei neceſſariam. Hinc apud veteres, *quantò quiſque plus dicendo poterat, tantò plus apud Principes gratiæ, plus auctoritatis apud Patres, plus notitiæ, ac nominis apud plebem parabat.* Sciebant enim, *eleganti oratione capi auditores: quòd ornata oratio, vel lapidem mouere poßit.*

*Quinti. Dial. de Orat.*

*Epict. Arria. lib. 3.*

*Caſſiodor. 4. Var.*

Adſit itaque Conſiliario facundia: quâ non ſolùm aptè, & decorè mentem in Conſilio explicare, ſed etiam, cùm res poſtulabit, populos flectere, mulcêre, atque in ſententiam ſuam adducere poſſit. *Quantò enim facundior eſſe debet, qui ore Principis populos noſcitur admonere?* Verum enim eſt illud vetus verbum: *Lupum quidem auribus haud teneri poſſe; populum autem indè maximè duci oportêre.*

*Plutarch. lib. Polit. ad Tracã.*

*Quid enim præſtabilius videtur quàm poſſe dicendo tenére hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, vnde autem velit, deducere?*

*Cic. lib. 1. de Orat.*

Attamen cautio eſt,

τὴν τῆ λόγου μὲν δύναμιν οὐκ ἐπίφθονον,
ἤθει δὲ χρηστῷ, συγκεκραμένην ἔχειν: *Menãder.*

*Hic ne inuidenda polleat facundia,*
*Sed quæ probis ſit temperata moribus.*

*Non enim Rhetoricam ſuadendi opificem, ſed adiutricem debemus exiſtimare.* Itaquè, *viuidam, & incorruptam eloquentiam* quæro, *tuendis ciuibus aptam.*

*Plut. in Polit. Tacit. 13. Annal.*

Caco zelia etiam, ſiue affectatio vitanda. Etenim *Oratio (quæ vultus animi eſt) ſi fucata ſit, oſtendit illum quoque non eſſe ſyncerum, & habere aliquid ficti.* ——*Præſeferat ergò oratio veritatem, & ſimplicitatem ſententiarum grauitate temperatam.*

*Senec. ep. 115.*

*Plut. in Polit.*

Sit etiam accommodata populi moribus: *ſeruire enim tempori & ingenio populi prudentis eſt*: Notum illud iam dictum verbum; *populum auribus, non lupum tenendum eſſe.*

Eloquentiâ id fit, non ſtultiloquentiâ, non inani verborum profluentiâ, non præcipitata: nam *cogitare magis quid agendum quàm quid loquendum. Facile erit explicatis conſilijs accommodare rebus verba.*

*Liuius. li. 3.*

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

*Plut. & Val. Max.* I. *Cyneam* Oratorem PYRRHVS Epirotarum Rex, magno semper in honore habuit; & eo Oratore ad complures Ciuitates vsus est, qui eas adeò in *Pyrrhi* voluntatem pellexit, vt veram Euripidis sententiam esse ostenderet, qui ait:

Πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος,
Ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν:
*Cuncta sermo conficit,*
*Quacunque ferrum efficere posit hostium.*

Nam & *Pyrrhus* ipse dicere solebat, plus sibi Vrbium illius linguâ, quàm armis suis partum esse.

*Ex Æmilio Probo.* II. EPAMINONDAS Thebanus, cùm in Græciæ Concilio de Lacedæmoniorum tyrannide, & libidine dominandi, multa disseruisset, vsque adeò Græcorum animos commouit, vt à Lacedæmonijs deficerent, & Leuctricæ calamitatis otiosos spectatores se exhiberent, & ita priùs linguâ, quàm armis vicit Lacedæmonios.

*Plut. & Cic. in Bruto.* III. DEMOSTHENEM producamus celebratæ facundiæ virum: legimus, eo loquente, Græciam vniuersam, pacem & bella suscepisse, suscepta deposuisse, fœdera cum Regibus iunxisse, coniuncta dissoluisse. Quid amplius ab homine exigas si hæc à bonâ caussâ?

IV. Rex ille PYRRHVS se Imperij fines magis extendisse & firmasse ac plura oppida recuperasse gloriatur Cyneæ Oratoris facundo eloquio quàm cataphractorum operosâ manu.

*Lamprid. in Alexãd.* V. Neque silentio inuoluendus VLPIANVS I. C. quem scribunt adeò eloquentiæ gloriâ floruisse, vt solo linguæ, & purpuræ præsidio sæpè à militum irâ *Alexandrum Seuerum* Imp. cui à consilijs erat, strenuè defenderit.

*Lib. 8. c. 9.* VI. Ne multis, scimus armatam plebem, quæ Regibus exactis, nimiâ libertate secesserat à Patribus, P. VALERII breuem orationem in pristinam modestiam reduxisse. *Is namque populum,* teste Valerio, *nouâ & insolita libertate temerè gaudentem, oratione ad meliora & saniora consilia reuocatum Senatui subiecit: id est, Vrbem vrbi iunxit. Verbis ergò facundis, ira, consternatio, & arma cesserunt.* Quo facto fidem eius, quod Polybius dixit, fides præstitit: Vnicam orationem, tempestiuè à viro fide digno dictam, mortales sæpenumerò, non solùm à maximis malis auertere, verumetiam ad res optimas allicere, atque impellere. *Lib. 1.*

Eloquẽti. incorrupta. esto. Itaque meritò curandum dixi, vt Eloquentia probis sit moribus coniuncta. Sunt enim nonnulli, qui *eloquentiam,* (vt Cicero inquit) *à naturâ ad salutem hominum, & conseruationem datam, ad bonorum pestem, perniciemq; conuertunt.* *1. de Off.*

I. Ta-

I. Tales fuêre C. CARBO, & TIBERIVS GRACCHVS: quorum ille propter Tribunatum turbulentissimum; hic propter Agrariam legem, quam iunctis Patribus ferre contendebat, miserrimè interfectus est. Sed Suadam nostrum de ijs verba facientem audiamus: *Vtinam C. Carboni, & T. Graccho talis mens ad Remp. benè gerendam, quale ingenium ad benè dicendum fuit: profectò nemo his viris gloria præstitisset. C. quoque Gracchus Tr. Pl. concionibus Remp. vexat, motaq; grauissima seditione, acta sua tueri vult, neque abrogari patitur, duce Opimio Consule, seruis manu casus occubuit.* *Cic. de Orat.*

II. SOCRATES si Aristophani credimus, strophas illas docuit, quibus iuris specie, iniuriâ homines afficiuntur, nempè *malam causam dicendo bonam facere.*

III. Sanè hoc de talibus dici potest, quod de Græcis scripsit Q. Curtius, professionem bonarum artium malis moribus corruisse. Quod quidem profectò tolerabilius esset, nisi etiam vnà & Principes, & Principatus plerumque secum traherent præcipites, nec enim malè quidam, linguam nauis clauo assimilarunt, qui etsi ima & minima pars nauis sit, eam tamen vel mergit, vel deprimit. Quò fit, vt quò quisque plus dicendo potest, hoc maiorem Reip. perniciem importat, si semel, virtute, probitate, religione mentem exsuat. Is enim ad prodenda cautim consilia, ad seditiones ciendas, aliaque sexcenta mala aptior est; denique nullus erit eo ad persuadendum aptior, nullus adulandi peritior, nullus callidior ad mille technas captionesque.

Postremò & illud notandum, *Eloquentiam ad permulcendas imperitæ multitudinis aures adhibendam, non etiam in Consilio Principis admittendam.* *Quando eloquentiâ vtendum.*

Platonem testor: *Sermones, inquit, minimè componendi ad gratiam, sed ad id quod optimum est, non ad id quod iucundissimum, aut gratissimum.* Ratio apud Senecam: *Nam quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse, & simplex.* Benè itaque Ambrosius: *Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.* Vin' meum sensum? Sit venustas cum breuitate: vtraque cum verborum grauitate. Summa breuiloquum opto: quòd prolixitas auditoribus molesta sit, ijs, præsertim qui varijs curis, & negocijs distinentur. *In Gorgia. Epist. 40. Offic. 1. c. 22.*

I. Scitè & salsè ad hanc rem: COMICVS GRÆCVS *Nicostratus.*

Εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ, καὶ ταχέως λαλεῖν,
Ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον, αἱ χελιδόνες
Ἐλέγοντ' ἂν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.
*Si funditare verba multa iugiter,*
*Et celeriter, signum putas prudentiæ,*
*Prudentiores homine sunt hirundines.*

II. AGESILAVS Lacedæmoniorum Rex, cùm quidam eo nomine Rhetorem laudasset, quòd res specie exiguas magno verborum ornatu amplificare posset, *Plu. in Lacon.*

ſet, præclare dixit: *Ego ne ſutorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos calceos induεat.* Quò minus, inanem loquacitatem nullibi probandam eſſe.

III. ANTIGONVS verò Macedonum Rex, cuidam qui verbis ad perſuadendum phaleratis vtebatur, *Non ceſſabis*, inquit, *me compoſitæ rationis inſidijs, vt plebeculam ſolεs, attentare?*

*Plut. Apopht.*

IV. Enimuerò, in quotidianis ordinarijsque Concilij rebus, in quibus haud licet, præſertim cum ταυτολογία immorari, magis decorum eſt paucis multa complecti verbis quidem non phaleratis, nec de triuio collectis, non enim in iam dictis rebus aliquo verborum ornamento opus eſt. Itaque Ciceronis ſenſu dixerim: *Qui quod aut poſtulet tempus non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, cum quibus eſt, dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere incōcinnus, aut multus eſt, is Ineptus dicitur.* Dederim tamen, dicendi cultum ac flores licitè à Conſiliario vſurpari, vbi pondus negotij; tractandi ſubeſt, verbi cauſa, ſi plura grauioris curæ capita ſint tractanda, aut à legatione reuerſus geſta à ſe referre debeat, quæ neceſſitate vrgente fortè neglecta vel omiſſa, quæ pericula, quas difficultates, quæ officia exhibita, quæ neglecta, quod alloquium, quæ ſeſſio, quod reſponſum, qui reditus, & alia generis eiuſdem: tum enim non abnuo, quin liberum ei ſit fontes eloquentiæ aperire, vt auditores moneat, & in ſuam ſententiam adducat. Et in hoc etiam euentu abſtinere debet nedum ab omni affectato ſermonis nitore, vt prudenter notat Eminentiſſ. Card. Palæotus, ſed etiam ne adeò exactè, & exquiſitè, quæ dicenda ſunt contexere ſtudeat, ne quod ille dixit, ad perpendiculum oratio compoſita nimiumque lucernam olere videatur. Inſuperque ne vulgaria nimis, rudiaque verba, quæ potiùs ex imperitorum hominum ore prodire ſolent in Conſiſtorio Principis proferat: ſed purus quidam, ſimplex, clarus ac perſpicuus ſermo adhibeatur, qui prudentum virorum conſeſſui aptus eſſe iudicetur, denique videat ne etiam ſophiſticè loquatur contra doctrinam Sirachidis.

*De S. Conſiſt. Conſult. p. 5. q. 1. Plut. in Polit.*

*Eoclεſ. 37. 23.*

Itaque apagè mihi blaterones iſtos, *quibus eſt loquentiæ multum, ſapientiæ parum.* Eloquentiam tamen, atque adeò grandiloquentiam exegerim, cùm legationes ad exteros vel ſubditos ſuſcipiendæ vel referendæ ſunt, vt diximus. Cùm enim Legatus Maieſtatem ac dignitatem Principis ſui præſeferre debeat, neceſſe eſt vt eleganti & temperato, non oppidano vtatur dicendi genere. Vetus eſt & verum verbum, quo dicitur: *Quales Oratores videris, tales eos, à quibus miſſi fuerint, expecta.*

*Salluſt. apud A. Gell. 1. c. 15*

Aliàs legatorum conditiones qui volet legat opuſculum noſtrum de legato editum Coloniæ anno 1624. lubet enim nunc ad alia tranſgredi.

CAPVT

## CAPVT X.

# *Insuper*, Linguarum peritia.

LINGVARVM dico, horum imprimis populorum, quibus imperat Princeps. Mirum enim quantum hac re subditi afficiantur; contraque alienentur, ac offendantur, cùm vident non se intelligi ab his, nec intelligere, quibuscùm negotium habent. *Linguarum* enim *diuersitas* (inquit Augustinus) *hominem alienat ab homine.* nec mirum: cùm *in ijs linguis, quas non intelligimus surdi & inuisi hominibus simus, orianturq; ex ijs animorum simultates, vt* Gomesius Iurisconsultus inquit.

*De Essen. diui.* *Reg. Canc. Rom. de Idiom.*

Nec verò obtendat quis, Consiliarium mandata exsequi per Interpretem posse: siquidem quando per interpretem loquendum, vel audiendum est, haud fermè eueniet, vt res ex fide narrentur, vel auditæ benè explicentur: dum nimirum addendo quid, vel minuendo, à recto & vero orationis filo deflectitur. *Despice, ne sit parum prouidum, sperare ex alijs, quod tibi ipse non præstes.* Taceo, quòd quorum mentes sunt diuersis instructæ linguis, necesse sit eos plurima & vidisse, & legisse, & longâ experientia varios hominum mores didicisse. Atqui, *prudentiores illi semper habiti sunt, qui multorum hominum conuersationibus probantur eruditi.*

*Cic. 5. Tuscul. In Reg. de Idiom.* *Plin. lib. 2.* *Cassiod. epist. 39. Var.*

Sit ergò ista nota Consiliario Principis etiam necessaria, *vt sit varijs linguis instructus, & ornatus.*

*Niceph. Gregoras lib. 6.*

## EXEMPLA.

I. CVm CENSORIVS CATO, Pop. Romani nomine Legationem apud Athenienses obiret, quia græcè tunc ipse nesciebat, ea quæ habebat in mandatis, per interpretem exposuit. Ibi quòd ea, quæ paucissimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret, Athenienses orationum dissimilitudinem mirati, *Romanis sermonem in pectore, Atheniensibus in ore nasci* dixerunt. Tantùm enim à genuinâ ipsius auctoris mente cuiusuis interpretis orationem distare iudicarunt, quantùm inter cor & labra est interstitium. *Plut.*

II. LENTVLVS Consul, cum Pompero profectionem ad Parthum dissuaderet, imperitiam linguæ Parthicæ; vt ingens rebus impedimentum ei obiecit. *Idem Plut.*

III. PHILIPPVS Atabalidæ Cusciani Regis interpres datus, ad excipiendas illius responsiones super elogijs rei criminalis, de quâ accusabatur, in eum sensum sic interpretatus est, vt ocyssime capitis sententiam Rex reportârit.

*Barth. Philip. nel tratt. del Conseglio disc. 6.*

*Plut. in Apophth.* IV. Ideò THEMISTOCLES, vir totius Græciæ in rebus agendis acerrimus, & consilio capiendo dandoque callidissimus, cùm Athenis profugus ad Regem Persarum concessisset, animi sui sententiam priùs exponere noluit, quàm Persicam linguam didicisset; idque ideò, ne per interpretem Regi ea quæ sentiret, explicare cogeretur. Interpretes enim quædam interdum omittunt, quædam addunt, quædam aliter narrant, quædam implicant; præterquàm quod perdant orationis gratiam, ac venustatem.

*A. Gellius li. 17. c. 17.* V. Meritò igitur laudatur MITRIDATES, Ponti atque Bythiniæ Rex inclytus, quòd *duarum & viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit: earumq; omnium gentium viris, haud vnquàm per interpretem, loquutus est; sed vt quemque ab eo appellari vsus fuit, perindè lingua & oratione ipsius non minùs scitè, quàm si gentis eius esset, loquutus est.* Quare illum non iniuria Plinius suscipit, & admiratur, maximamque subditis vtilitatem indè accessisse ait, quòd nullum ex illis per interpretem, sed per seipsum audiuerit. *Natur. hist. li. 25. c. 2.*

*Plut. in Antonio.* VI. Eandem quoque laudem tribuunt CLEOPATRÆ, Ægypti Reginæ, quòd similiter multarum linguarum perita esset, atque per seipsam responsa daret Æthiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis, alijsque. Atqui hæc facultas rarior est inuentu in huius æui Principibus, ne dicam Consiliarijs. Abundè est, si calleant linguas earum ditionum, quibus Principes præsunt: quanquam Legati munere fungentibus necessariam esse linguæ eorum notitiam, ad quos mittuntur, in libris de Legationibus, ostendimus.

*Bonfin.* VII. Inter Christianos Principes floruit laude πολυγλωσσίας, CAROLVS MAGNVS, quem adeò linguarum cognitioni addictum fuisse legimus, vt suis quosque Legatos linguis audiret, atque adeò ipsos Græcos intelligeret, hisdemque græcè responderet.

*Auent. 5. Boior.* VIII. OTHO II. Imper. ab Saracenis & Græcis captus, cùm græcè loqueretur, pro Græco habitus euasit.

*Ant. Gevar.* IX. Denique satis constat *Bulla* aurea CAROLI IV. cautum esse, vt Electorum filij à primis statim annis Italicam, Latinam, & Illyricam siue Sclauonicam linguam addiscant, quò cum multis gentibus sermonem communicare possint.

X. Si ergò hæc nota Principibus commendationi est, quantò magis Consiliarijs, qui Principum veluti sunt organa, & instrumenta? Hinc TVRCÆ, tametsi à litteris alienissimi sint, cùm reapse videant linguarum cognitionem opidò necessariam esse, quot linguas quis callet, totidem viris æquiualere, immò præcellere vulgato verbo dictitant. Nec malè, cùm tutius sit committi vni, aut paucis arcana Imperij, quàm multis Legatis, & Consiliarijs necessariò regni arcana committere: & cui tutiùs hæc concredas, quàm vni, qui instar sit multorum. Hic aptè & decore Legationes suscipiet, simul & aliorum Principum excipiet: hic mores, instituta, conditiones vniuersas gentium iam ante cognouit: ad summam, fidem facit

facit multa se vidisse, multa vsu multarum rerum didicisse: quæ omnia maximi pendunt, qui studium & animum ad Ciuilium rerum cognitionem applicare intendunt. Nam satis compertum est vt Gomesius inquit, ad reg. Cancell. de Idromate, ex disparitate linguæ & dissonantiâ vocum nasci quasdam inter homines differentias ac animi simultates, quâ licet in Iudicibus temporalibus necessariæ videantur, in Rectoribus tamen animarum maximè sunt euitandæ: vbi enim de moribus corrigendis agitur, non libenter Italus Vltramontanum audit, nec Vltramontanus Italum, atque ita de singulis: rarò enim in persuasione morum alterius idioma delectat, quamuis non desint egregij viri qui etiam constanter affirment non ita rectè populos per externos magistratus, sicut per proprios ciues gubernari, quorum rationes latè refert Chassaneus in Catalogo Gloriæ mundi 21. p. in 12. consider.

## CAPVT XI.

### *Denique, Historiarum cognitio, Pietas, Probitas, in Consiliario attendenda.*

IS enim, qui diligens versatus est in historiarum lectione, verumque inde fructum desumere nôrit, haud dubiè in omnibus Reipub. negotijs exercitatus, *Lib. 1.* immò viua quodammodo exercitatio, & experientia censendus est. Indicat illa Polybij: *Verissimam disciplinam, exercitationemq; ad res ciuiles; Historiam esse.* A qua *Greg. Nazian. ad Nicob.* mente præclarè vir sanctimoniâ, doctrinâque clarissimus: *Præclarum est*, inquit, *mentem historiarum cognitione instructam, ac refertam habere. Historia enim conglobata quædam, & coaceruata Sapientia est, hominumq; multorum mens in vnum collecta.* Et verò, *Arist. 1.* quis non sciat, ad consultationem res gestas vtilissimas esse? *Siquidem vt plurimùm Rhet. c. 21.* *præteritis futura similia sunt.* Vnde verissimè Isocrates: *Si præteritorum memineris, de Orat. ad* *futuris etiam rectiùs deliberabis.* Quò respexit Seneca cùm dixit, *Consilium futuri ex Nicoclem.* *præterito venire.* *Epist. 83.*

Enimuerò, cæteris disciplinis, inquit Plinius, *tantò antecellit historia, quantò Li. 8. epist.* *plura exempla complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas.* *ad lacer.*

Sit itaque Consiliarius in historijs oppido exercitatus; ijs maximè, quæ de sui Principis decessoribus, eiusque hostibus, atque vicinis scriptæ sunt.

Atque hæ quidem sunt dotes, quibus Consiliarios Principis instructos esse velim. Quod si tales adipisci non poterit (vt est difficile) assumat pro rerum va- *Eccles. 38.* rietate, varios singulis, quas hactenus descripsi facultatibus præditos, Etenim *vnusquisque*, vt Syrachides inquit, *in arte sua sapiens est.* Vnde Iurisperitos, ad Iuris quæstiones enucleandas; Oratores, & Politicos, ad legatorum munus obeundum; *Plut. in* Theologos, ad ea quæ sacrorum sunt, siue Religionis: *Hoc modo enim negotia in Polit.*

*æquilibrio stabunt, neque existet æmulatio inter eos, qui diuersis subnixi virtutibus, & facultatibus, laudem quærunt.*

*De Monar. lib. 2. c. 14. & Ep. 150.* Non abnuo tamen quin viri sanctimoniâ conspicui, ac præsertim Theologi Consilijs Principum arcanis assumantur. testor Præsulem Blesensem: *Tunc salubriter*, inquit, *disponitur vita Regum, cùm Religiosorum hortamenta sectantur, & ducuntur consilio sapientum.* Vno verbo id expressit Sapiens Sirachides: *Cùm viro sancto assiduus esto.* *Ecclesiast. 37.*

*Vellei. li. 3.* Plures igitur ad plura peritos, suis quosque muneribus distinctos maturâ deliberatione adsciscat: quia *magna & multa negocia, magnis & multis egent adiutoribus.*

---

## EXEMPLA & NOTÆ

*Philostr. in Sophist.* I. DIONYSIVS MILESIVS Historicus, ob præclaras animi dotes, HADRIANO Principi tàm acceptus fuit, vt inter Satrapas, Equitesque præcipuæ notæ annumeratus, & mensæ, quæ præclaris, & spectabilibus tantùm viris patebat, particeps factus sit.

*In eius vita.* II. Imperator ALEXANDER SEVERVS, consilijs togæ, & militiæ litteratos adhibebat, teste Lampridio, & maximè eos, qui historiam norant: *Fuit illi*, inquit, *consuetudo, vt si de iure, aut de negotijs tractaret, solos doctos, & disertos adhiberet: si verò de re militari, milites veteres, & senes benè meritos, & locorum peritos, ac bellorum, & castrorum; & omnes litteratos, & maximè eos qui historiam norant: requirens, quid in talibus caussis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium Principes fecissent.* Prudens herclè Imperatoris consilium, quod à Platone sumpsisse videtur, qui aiebat, oportere consultorem ante omnia examinare, nùm ad eam rem curandam peritus esset, cuius gratia deliberatur. *In Laches.*

*Barth. Philip. tract. del Conseglio disc. 6.* III. Ideò CAROLVM V. Imper. solitum dicere accepimus, consilia, quæ procederent ab hominibus fidis, & eruditis, & gnaris earum rerum, de quibus consultatur, non posse non esse vtilia: quippè contra infidelitatem, & ignorantiam vtilem esse Fidem & Prudentiam; ideò Consiliarios, qui scientia, & experientia rei ad deliberandum propositæ instructi essent, facillimè consilium exprimere, & quid faciendum esset, commodè dijudicare. nam vulgari illo Philosophi verbo: Artificem reddit vsus promptum ars facilem, natura potentem. *Glo. in q. quam sit. de Electio. in 6.*

*Lib. 7. de Reg. instit.* IV. Itaque (vt in re clarâ multis parcam testimonijs) concludam cum Osorio, viro longè eruditissimo, admodùm expedire, vt *Principis consiliarij sint bonis artibus exculti, longo rerum vsu periti, in historijs diligentissimè versati: neque præsentia tantùm sagaciter odorantes, sed longè in posterum quid vtile Reipub futurum, sit coniectura prouidentes.* Rari quidem inuentu tales: sed sumendi, & habendi tamen ad negotia maio-

maioris ponderis expedienda, veluti in quibus deliberatur de bello indicendo, instruendo fœdere feriundo; motu interno, vel externo compescendo; scito aliquo sanciendo, & promulgando, deque sexcentis eiuscemodi rebus, sicut & de curâ religionis, quibus in rebus curæ pretium erit, Theologos etiam adsciscere, immo & viros spectabilis prudentiæ religiosos. Nec enim illis indecòrum, nec nostro & prisco æuo insolens aut inutile Principibus vel Reip. sic adesse: *Veri enim Dei ministri, vt vtar verbis Philonis, eo mentis acumine præstant, vt ne minimum quidem erratum pro leui habeant ob excellentiam eius Regis, qui ab ipsis colitur.* Hodierna & vetera exempla nimiò plura sunt.

Theologi Consilijs Principũ adhibendi.

*de Principe cap. 7.*

I. In istis eminet APHRAATES quidam Monachus, qui cùm audisset Arrianæ hæresis pestem in Ciuitate Antiochena grassari, relictâ solitudine, in vrbem properauit, vbi cùm in ipsum Imperatorem incidisset, rogatus, *ecquid Monachus in vrbe faceret?* respondit, *se venisse vt pro eius oraret Imperio, quod quidem quamdiu licuit, iuxta monasticum morem in eremo feci: at, sicut iuuencula aliqua in thalamo paternarum ædium sedens, statim vt audiret esse aliquos inferiùs, qui ignem submitterent si prudens & prouida esset, descendens huc atque illuc concursaret, vt flammam extingueret, sic tu, ô Imperator, in domum Dei, quæ est Ecclesia, hæresis flammam immittente, mearum partium esse iudicio, priuatæ contemplationis studijs relictis incendium hoc, si possim, opprimere.* Hæc illo dicente, interminatus est quidem, sed tacuit Valens Imperator. At vnus ex Consiliarijs duriusculè religioso respondens, pœnas diuinitius luit, quas fusiùs narrat Theodoretus.

*Theodoret. lib. 5.*

II. Deus immortalis! quàm dextrè Legationem obiuit S. Bernardus, pacemque conciliauit inter Imper. Lotharium & Conradum? Simonetta familiæ Augustinianæ inter Venetos & Franciscum Sfortia? Deus bone quali, quantâque dexteritate, & prudentiâ *Diuus* ille AMBROSIVS, Valentiniani Cæsaris rogatu, Legationem suscepit ad *Maximum* Galliæ Tyrannum! Bellum instruebat, parabatque in Italiam *Maximus*, vt post ipsum Occidentis Imperium confertis agminibus occuparet. Trepidat *Valentinianus* adolescens cum *Iustina* matre. Vnicum perfugium superesse in AMBROSIO Mediolanensium Præsule, cuius tamen vitæ paullò ante erant insidiati. Legationis suæ summam Ambrosius Maximo exposuit in eo consistere, vt cadauer *Gratiani* fratris Imperatoris ab eo occisi repetat, cùm tamen Ambrosius maximè satageret, & mentis aciem in eo solo intenderet, vt sibi notus esset, quâ bellum spectabat, Imperatoris animus. Hoc igitur agit: licetque multis simulationum inuolucris suam obtegeret voluntatem *Maximus*, acrioribus tamen repræhensionibus, criminationibusque in illum obiectis excandescens, non omninò contexit intima pectoris concepta, quin facilè ex verbis eius deprædendit pacis inuolucro bellum eum tegere, quâ de re per litteras certiorem Imp. facit. Verùm prudentem sancti viri admonitionem, & quasi diuinam prædicationem dum non aduertit, aut non magnificat Imperator, pœnè incautus opprimitur: siquidem *Domnino*, suo consiliorum administro, ad pacem firmiùs stabilien-

*V. Baron. tõ. 4. An. an. 387.*

 bilien-

biliendam misso, eoque officijs, & muneribus amplissimis à *Maximo* callidè quasi dementato, missa cum eo exercitus parte, quasi Valentiniano auxilio aduersus barbaros Pannonijs imminentes, clam & ipse subsequutus cum reliquo exercitu, improuisus in Italia ingenti cum Valentiniani terrore apparuit. Fuga itaque lapsus cum *Iustina* matre, Thessalonicam nauigat, quò & paullò post venit *Theodosius* Orientis Imperator, ibi coniunctis animis de indicendo bello *Maximo* deliberaturi. Quò magis licet ex ambarum legationum exemplis iudicare, & admirari, quàm præstent prudentia & consilio, instinctu diuini Spiritus Dei serui in obeundis magnis negotijs, illis qui prudentiâ tantùm innitentes sæculi, in grauissimas prolabuntur difficultates. Nam ecce *D. Ambrosius* spiritu consilij & fortitudinis, quò detegat strophas *Maximi*, magnis animis legatus in eum inuehitur: *Dominus* verò vanis deceptus illecebris, cladem secum in Italiam intulit. Quis autem primâ fronte factum vtriusque inspiciens, non Ambrosium inurbanum, illiberalemque eo modo tàm asperè, durèque agentem cum Maximo iudicasset; Dominum verò dexterrimum virum & in obeundis negotijs solertissimum? quippè qui arte suâ adeò sibi deuinxisset addixissetque Maximum Valentiniano, cum tot, tantisque ab eo muneribus donatus, & frequentatus officijs esset, atque auxiliares ab illo copias ad oppugnandos ingruentes barbaros, accepisset. Sed exitus declarauit, cuiusnam functio diuini dono consilij administrata fuerit.

III. Superiori æuo vt multos paucis complectar, scimus Io. Columnam Card. Legatum Gregorij IX. bellum aduersus Imper. Fridericum administrantis plurimas Vrbes & Ciuitates sub Marchionatu Anconæ existentes, in potestatem Cæsaris reduxisse. Taceo Andoinum de la Roche Abbatem Cluniacensem, Cardinalem Iulianum Cæsarinum Legatum Eugenij IV. Ioannem Caruail Legatum Calixti III. in Hungariâ, & Dalmatiâ. Franciscum Ximenes Franciscanum, Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum, Protegemque Hispaniæ, Georgium Martinellum religiosum Ordinis S. Pauli, Episcopum Veradinensem, & post illa Cardinalem, Herebertum, Turpinum Archiepiscopos Mediolanenses, Conrardum Archiepiscopum Treuirensem, eiusdemque nominis Conrardum Episcopum Herbipolensem, Othonem Frisingensem; Bernardum Padebornensem, Othonem Monasteriensem, Inclytum illum S. Bernardum, vt taceam Simonettam celeberrimum Augustinianæ familiæ alumnum, & non ita pridem. F. Bonauenturam eiusdem Ordinis Archimandritam, atque nouissimè Ioannem de Neyen eiusdem Ordinis magnæ prudentiæ & facundiæ virum, quos omnes constat togâ & sago validos & manu strenuos fuisse.

* *
*

CAPVT

## CAPVT XII.

# *Corollarij loco esto, vt Consiliarij sint rebus aduersis tentati, exerciti, probati.*

ATQVE idquidem duplici de caussa. Priore, *quòd difficile sit virtutes eum reue-* Cic. 4. ad Heren.
*reri, qui secunda semper fortuna sit vsus.* Altera, *quòd aduersitatis exercitatione pruden-* Boët. 2. de
*tes efficiamur.* Docet Pindarus: Consol. Pros. 8.

——— ὃ πονήσαις δὲ νόῳ In Olymp.
Καὶ προμάθειαν φέρει:
*Qui mente laborauit,*
*Prudentiam inde aufert.*

Nihil verius: παθήματα enim, sunt μαθήματα: quod Crœsus ille Rex testatur, Plato
cùm ait: τὰ δέ μου παθήματα, τὰ ἐόντα ἀχάριτα, μαθήματα γεγόνεν: *Mei casus etsi* Apud Herod. lib. 1.
*ingrati, mihi tamen extitere disciplinæ,* & admodum significanter Cato: *Aduersæ res,* in- Orat. p.
quit, *domant, & docent, quid opus sit facto; secundæ res lætitia transuersum trudere solent à* Rho. apud
*rectè consulendo, atque intelligendo.* Nec abludit Terror ille Populi Romani: *Non te-* Agell. 7. c. 1
*merò incerta casuum,* inquit, *reputat, quem fortuna nunquàm decepit.* Annibal. apud. Liu. lib. 10.

Accedit quod ex facili tales consternentur; contra, qui aduersis exercitati, sinistris casibus eriguntur, docente Seneca: *Quorum,* inquit, *anni per calamitates* Tacit. 1. Hist.
*transierunt, grauissima quæque forti & immobili constantia perferunt. Vnum habet assidua* Consol. ad
*infœlicitas boni, quod quos sæpè vexat, nouissimè indurat.* Heluiam.

Et sanè, quid ab illo exspectes, qui semper fortunam fauentem, nunquam nouercantem sensit, nisi mollia, leuia, parùm sana? *Non est quòd existimes* (inquit ve- Senec. ep.
ridicus Philosophus) *vllam mentem aptiorem esse, quàm quæ se multis experimentis, longâ* 69.
*ac frequenti rerum patientiâ domuit, quæ ad salutaria mitigatis affectibus venit.* Inde illi prudentia, inde constantia, inde animi magnitudo; & robur. Talis ille Cæcinna Annal. 1.
Taciti, *secundarum, ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus.* —— *Non est ar-* De Prou.
*bor solida, nec fortis* (inquit idem Seneca) *nisi in quam frequens ventus incursat,* c. 4.
*ipsa enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creuerunt.*

Eligatur itaquè *multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex præ-* Plin. 1. epist.
*teritis prouidêre.* Quidni? cùm *etiam quos iniuria inuisos faciunt gratiosos miseria* Val. Max.
*reddant.* lib. 5. c. 3.

EXEM-

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

Bruson. lib. 3.

I. QVorum agmen mihi ducat DEMETRIVS PHALEREVS, qui nihil sibi videri dicebat infœlicius eo, cui nihil in vitâ vnquàm accidisset aduersi: quod oporteat talem hominem, aut sibi ignotum esse, vt qui nunquam sui periculum fecerit; aut Dijs inuisum, vt quem præterierint velut ignauum, nec idoneum ad fortunæ conflictum.

Maxi. ser. 18.

II. Illucque collineabat primus Vrbis & Imperij Romani Princeps ROMVLVS, dum diceret, *Infœlicitatem hominibus maxime prodesse*: quòd nimirum in rebus aduersis doceamur de rebus antea nobis ignotis. Multi enim cum ratione futurâ præuidero non possunt; pati ende, rem intelligunt demùm.

Paul. Diac 6. hist.

III. GELIMER ille Rex Wandalorum in Africâ testis etiam esto, qui per *Bellisarium* captus, & ad *Iustinianum* perductus, cùm in Hippodromum peruenisset, & tàm Imperatorem in solio sedentem, quàm vtraque parte vulgus adstans vidisset, subridendo illud identidem exclamauit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* aperuit eius oculos afflicta fortuna; quos arridens, & prospera excœcauerat.

Eccl. 1.

Sallust.

IV. Gloriaur eo nomine de se MITHRIDATES: *Mihi fortuna multis ereptis rebus, vsum dedit benè suadendi.*

Sallust. 4. test.

V. Ab hac mente GALBA apud Romanos: *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseriæ tolerantur, fœlicitate corrumpimur.*

VI. Enimuerò qui nunquam aduersa fortuna agitati sunt, haud vnquam erunt recti Iudicij, & boni Consilij. Bonum enim consilium procedit ex imagine lætorum, & tristium, ab experientiâ, inquam, bonorum & malorum, quam sanè qui successus continuò fœlices habuerunt, consequi nequaquam potuerunt. Vndè fit, vt fortunati, qui nunquam experti fuêre incerta casuum, animo non prouideant pericula, neque attendant ad circunstantias temporum, rerum, personarum quæ occurrunt. Vt rectè dixerit Sirachides: *Qui non est expertus*, inquit, *pauca recognoscit*: Immò, & nec seipsum nouit, *Opus est enim ad notitiam sui, experimento; quid quisque possit, nisi tentando, non didicit.* Vt nauclerum bonum non reddit secundus, & fauens ventus: ita nec egregium Consiliarium vita pacata, nec vllis casibus agitata. Sanè qui vario fortunæ æstu exerciti sunt, tanquam in speculo propositis sibi variorum exemplorum imaginibus, vident, quæ vitanda, quæve amplectenda: *Vir enim in multis expertus cogitabit multa*, ait sapiens Hebræus.

Eccl. 34. Senec. de Prouid. c. 4. Ecclesiast. 34.

Ipsi Principes prudẽtiores rebus aduersis effi ciuntur.

Ex quibus efficio, Principibus pluris esse debere Consiliarios, variâ fortunâ agitatos quàm albæ fortunæ pullos: nam *& ipsi Principes, qui aliquando in aduersâ sorte & fortunâ, acutiores sunt, immò meliores, ac prudentiores.*

I. De

I. De CARACTACO Rege Britanniæ Tacitus: *Quem multa ambigua, multa prospera extulerant, vt cæteros Britannorum Imperatores præmineret.* *Annal.12.*

II. Nota est cunctis astutia VLYSSIS: & vnde illa, nisi à præduris Prouincijs, laboribusque, quos à nouercante fortunâ sustinuit?

III. HANNIBALEM quis nescit, longè prudentiorem effectum rebus contrà nitentibus & aduersis, quàm secundis & ad optatum fluentibus? gessit ille procul à domo in hostium terra, per annos tredecim vario Marte bellum, & quidem exercitu non tàm suorum ciuium, quàm ex colluuie barbararum gentium conflato, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra essent: & tamen, Romanum etsi potentissimum hostem plerumque à tergo haberet, ita se gessit, & continuit diuersa hæc ingenia, vt vinculo quasi vno copulatos, nulla inter ipsos, nec aduersus eum seditio ipso illo tempore exstiterit: cùm alioqui & pecunia sæpè in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent. Singularis, certè prudentia; quàm non aliundè hausit, quam à diuersis sinistrisque casibus, quibus variè conflictatus fuit in Romanos, Tarentinos, Allobrogos, & Hispanos expeditionibus. Vt non mirum sit si de seipse sic glorietur apud Liuium: *Me senem,* inquit, *ætas, & tam secundæ & aduersæ res ita erudierunt, vt rationem sequi, quàm Fortunam malim. Non temerè quoque incerta casuum reputat, quem Fortuna nunquam decepit. Ego humanæ infirmitatis memor, vim Fortunæ reputo, & omnia quæcumque agimus, subiecta esse mille casibus scio. Quòd si secundis rebus bonam quoque mentem Deus daret, non ea solùm quæ euenissent, sed ea etiam quæ euenire possent, reputaremus: satisq; ego documenti in omnes casus sum.* *Lib.10.*

V. Veteres omittamus. CAROLVS V. Galliarum Rex, mira sapientia fuit, atque adeò cognomen id etiam tulit: sed quem fortuna à teneris annis magis iactauit. Patrem enim suum *Ioannem* capi, abducique vidit, & regnum pænè totum occupari ab Anglis. *I. Lips. in Not. 3. lib. Polit.*

VI. LVDOVICVS XI. planè callidus; sed ille quoque nonnè per annos sex, à patre, & patriâ profugus apud *Philippum* Ducem Burgundiæ egit, quid nisi exuli? Ac in eo quidem rerum statu, (ait Philippus Comineus) cogebatur aliorum auribus seruire, ne quorum operâ carere non poterat, eos aliquo pacto offenderet. Quæ sanè sors, quantum illi ad sapientiam profuerit, passim eius gesta declarant. Liceat igitur cum Plinio exclamare: *O quàm vtile est, ad vsum secundorum per aduersa venisse!* *Li.1. Comment.* *In Paneg.*

---

*Verùm, adhuc videor subtili vtcumque Minerua, exposuisse dotes, quibus Consiliarij præditi esse debent: Agè nunc, Diuis beneuolentibus, ad* Officia *tam* Consiliariorum, *quàm* Senatorum *transgrediamur.*

## CAPVT XIII.

# *Imprimis* mente *sint* liberâ *necesse est: hoc est,* Veritatis *amantes, ac studiosi.*

De Benef. 6. c. 30. QVOTVS enim quisque nescius est. Consiliarios vera reticentes, an falsa Principi suadentes, non tàm se, quàm publicam rem, atque adeò Principem ipsum in casum dare? Fidem faciat imprimis Seneca: *Non vides,* inquit, *quemadmodum illos* (Principes) *in præceps agat exstincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadetq; sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat?* Nimirum, vel spes eos plerunque abducit à vero, vel metus: itaque fit, vt velut in vulpeculas versi, cautim dissimulent, ac reticeant publicè vtilia; & susque deque ferant quorsum res euadat, dum non incurrant sui Principis offensionem. 2. de Offic. Orator Romanus iam tum suo æuo hoc vidit, & depræhendit *plerosque esse, qui quod sentiunt, etiamsi optimum est, inuidiæ metu non audent dicere.* Et tamen, vel Poëtæ sensu,

Sophocles. Antigo.

> *Linguam cui suspendit inclusam metus,*
> *Vt nunc, ita olim visus est semper pessimus.*

Apud Dioni. lib. 44. Itaque vt rectè ab eodem M. Tullio monitum, Ἀεὶ μὲν ἔγωγε οἶμαι χρῆναι μηδένα μηδενὸς χάριν μήτε πρὸς φιλονεικίαν λέγειν, ἀλλ᾽, ὃ βέλτιστον ἔχειν ὡς ἔτ᾽ ἂν νομίζῃ, τοῦτ᾽ ἀποφαίνεσθαι: *In omnibus consultationibus, neque gratiam spectandam, neque odia existimo; sed eam vnumquemque sententiam dicere debere, quam ipse optimam censeat,* quod Sallust. epist. 2. de Rep. ord. vt assequerentur Romani, censebant tabellis sententias ferendas, quæ *tabellæ obtentui, erant, quo magis libero animo facere auderent.*

Ter & amplius boni, qui haud vllius beneuolentiam pensi habent, sed veritatem in omnibus colunt, ad eamque solam Iudicium suum, ceù ad Lydium lapidem, conuertere solent. Sallust. *Malum facinus admittit qui incommodo Reipub. gratiam sibi conciliat.* In Enchirid. & Dissert. Benè igitur Epictetus: *Approbato eos,* inquit, *qui benè consulere cupiunt, non etiam eos, qui vbique adulari student: Illi enim vtile in veritate cernunt; isti verò ea quæ potentibus placent, spectant: corporumq; vmbras imitantes, omnibus illorum dictis assentiuntur.* Elegans profectò admonitio, dignaque quæ omnibus Principum aulæis depingatur. Siquidem multi minùs ingenuè cum proceribus agunt; plures, qui veri copiam non faciunt; plurimi qui adulantur; plerique omnes Gratijs litant, apud D. August. ad Casulanum. V. lib. 1. de Ciu. Dei cap. 9. quos proindè plus valet amor rerum terrenarum, quàm ratio, & Dei timor. Sed his ingero, quod sanctus ille Doctor scribit: *Quisquis metu cuiuslibet potestatis, vel lucri cupidine ductus, veritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominem,* vel caducas res magis amat, *quàm Deum.* O fœlices igitur, & probandi, quibus conuenit illud Euripidis:

——— οὐδ᾽ εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων *In Telephe.*

μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμόν,

σιγήσομαι, δίκαιά γ᾽ ἀντειπεῖν ἔχων:

——— *Haud enim, securim si manibus tenens*
*Aliquis ceruici esset incussurus meæ,*
*Conticerem, iurè si contradicere possem.*

Ergò vt nec metu, ita nec gratiâ vacillet veritas, & cum Augustino concludamus, *Nihil beatius eo qui fruitur inconcussâ & excellentissimâ veritate.* *Lib. 2. de lib. arb.*

---

# EXEMPLA, NOTÆ, MONITA,

I. PHOCION Atheniensis, à Veritate, orisque libertate maximè prædicatur. Nam cùm Oraculo constaret, esse Athenis virum, qui à concordi ciuitate dissentiret: querentibus, & indignantibus multis: *Quæso, quiescite*, inquit, *ego ille sum, quem quæritis, nam mihi nihil eorum quæ agitis placet.* Morte illi constitit *libertas, sed æternis monumentis famam consignauit.* *Plut. Herod.*

II. THEOPOMPVS, cùm rogaretur quâ ratione quis fidele regnum seruaret, respondit: *Si iustam dicendi libertatem amicis permittat, & subditorum, quantum fieri potest, vindicet iniurias.* *Plut. in Apoph.*

III. PYTAGORAS, Philosophorum antesignanus, dicebat duo esse diuinitus hominibus data longè pulcherrima: Veritatem amplecti, & alijs benè facere: addebatque, vtrumque. cum Deorum immortalium operibus comparari posse. Rectè. Qui enim Veritatis amans est, Deum amat, qui est *Veritas* ipsa qui nec sinit veraces mendacijs aut calumnijs opprimi. *Ælianus 12. Var. hist. c. 59.*

IV. EPAMINONDAS, animo magis, quàm pallio Philosophus, & Thebanorum Princeps, tam seuerus veritatis cultor fuit, vt *ne iocò quidem vnquam mentitus sit.* *Æmil. Probus.*

V. Apud Romanos M. CATONEM à singulari libertate deprædicari legimus. Nam cùm eius sententia à Cæsare Consule rogata fuisset, & Cato quod consulebatur perfici nollet, eò quia vtilitati Reipub. minùs cessurum erat, Cæsar loquentem præhendi & in carcerem mitti iussit. Senatus consurrexit, & Catonem fuit in carcerem prosecutus, quod Cæsar animaduertens destitit, & mox Catonem solui iussit. *Plut. in Catone.*

VI. Quem sanè minùs mirabitur, qui perpendet Veritatem rerum omnium pulcherrimam, & quæ (vel priscorum testimonio) ab superis maximi fiat. Vndè & Pindaro θυγάτηρ ἀλήθεια Διός, *filia Iouis, Veritas* nominatur. *Mercur. Tris.*

VII. Parum tamen plerisque aulicis amata. Atque ideò LVDOVICVS XI. Gal- *Philip. Comi.*

XI. Gallorum Rex identidem dicebat, se in suo Regno, & potissimùm in aula, rebus omnibus abundare, exceptâ re vnâ, videlicet *Veritate*.

*Io. Michael. Anat. corp. polit. c. 39.* VIII. Quid filius eius, CAROLVS VIII.? Is Pincernæ suo familiariter sciscitanti, quid caussæ esset, cur tàm pauci Reges cœlum post hanc vitam peterent; tandem cum alter cunctaretur, excidit, eo fieri, quòd Principes paucissimos circa se habeant veri, honestique monitores.

*Æn. Syluius lib. 3. de Rep. gest. Alphon.* IX. Atquin FRIDERICVS Imper. tùm demum saluam Rempub. fore dicebat, si Senatores de rebus consultaturi in vestibulo Curiæ, simulationem, ac dissimulationem deponerent. Quasi diceret, vbi exclusa Veritate simulatio concilijs Principum recipitur, conclamatum esse de Republica.

*Lib. 1. c. 2.* X. Venia esto, si antiqua nouitijs inserantur. SENECA enim occurrit, veridicus ille Neronis Consiliarius. Is ergo Principem suum aureis illis de Clementia libris rogat, vt se quidem patiatur diutiùs in Aulâ morari, *non vt blandiar*, inquit, *auribus tuis: nec enim mihi hîc mos est, maluerim veris offendere, quam placere adulando.*

*Sueton. ca. 54.* XI. AVGVSTO Imperatori interdum ob immodicas altercationes disceptantium è Curiâ per iram se proripienti, quidam ingesserunt: *Licere Senatoribus de rebus Reipub.* loqui, & alius quidam cui succensebat Augustus, suum quemque iudicium habere dixit, nec ideò libertas aut contumacia fraudi illi fuit.

*Lib. 6. cap. 2.* XII. Alterum exemplum est A. CÆSELLII, viri Iuris ciuilis scientiâ clari, cuius in dicendo libertas tanta fuit, vt *nullius aut gratia, aut auctoritate*, ita Valerius, *compelli potuerit, vt de aliqua earum rerum, quas Triumuiri dederant, formulam componeret. Hoc animi iudicio victoriarum beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem cùm multa de temporibus Cæsaris loqueretur, amiciq́; ne id faceret, monerent, Duas res, quæ hominibus amarissimæ videntur, magnam sibi licentiam præbere respondit, Senectutem, & Orbitatem.* Rectè quidem: cùm illâ spe, hæc metu non moueatur.

*Plut. de Adu. & amic. disc.* XIII. Quid multis? nunquid liberè loquutus est SOLON apud *Crœsum* instabili fœlicitate corruptum, ac tumidum, quando cum timore finem spectare iussit? Nunquid *Alcibiadem* compescuit SOCRATES, verasque expressit lacrymas cùm illum coarguit, & cor illi funditùs mouit?

*Annal. Burg. in Philippo.* XIIII. A consimili libertate, vt priscos omittam, celebratur *Philippi II.* Burgundionum Ducis CANCELLARIVS quidam, qui cùm super re rationi, atque æquitati dissentanea consultaretur, omnesque eò propenderent, vt annuendam iudicarent, solus reclamauit, vltroque sigillum Duci remisit, satiùs existimans, omnem dignitatis splendorem ponere, quàm iniquo instituto, eoque conscientiam mordicante, viuere. Quæ quidem viri integritas exindè Duci adeò placuit, vt eum, maioribus etiam honoribus donandum paullò post reuocarit. Falluntur ergò, qui Veritate, & dicendi libertate gratiam Principum amitti existimant, cùm magis ac magis eam demereantur, ij præsertim, quibus inest laus virtutum cæterarum. Testis esto,

*Libertate, Principũ gratiam non amitti.*

XV.

XV. Fliscvs Cardinalis, qui cùm se *Iulio II.* tùm in eius electione, tùm deindè in ipso Pontificatu, sæpè vt res poscebat, opposuisset, & quidem acerrimè, tantùm abfuit vt damnum vllum acceperit, quin ab eo ipso ditatus sit reditu septem millium aureorum: imò tanto in pretio habitus, vt scriptum sit, consequutam esse communem hominum opinionem, non posse bonum Cardinalem non amari à Pontifice etiam non bono. Hinc constat, dicendi libertate, non modò nihil perdi, sed sæpè etiam non minimum lucrum acquiri, vt prædicto exemplo, alijsque obseruauit nobilissimus scriptor *Hieronymus Platus* libro illo quem scripsit de officio Cardinalium ad fratrem *Flaminium* Cardinalem. Immò, inquit, iacturam facient fortasse, & meritò, qui Pontifici, aut alijs Principibus ob aliorum Principum gratiam, aut studium partium, vel ob aliquam propriam commoditatem resistunt. Qui verò amore Iustitiæ, aut religionis, bonique communis id facit, si præsertim reliquæ etiam vitæ testimonium consentiat, potiùs, vt dixi, multum acquiret. Tantus est enim innocentiæ, & integritatis splendor apud omnes ratione præditos, vt in quocunque ea sit, eum amabilem reddat, atque etiam hostem conciliet hosti, non modò Cardinalem Pontifici, Consiliarium Principi. Atque hoc etiam eò magis valet, cùm non quasi repentino aliquo impetu quispiam in hac veritatis, & libertatis professione longo iam vsu senuit, idque iamdudum cœpit præ se ferre, eamque voluntatem perpetua constantia roborauit, & semper in proposito susceptoque consilio permansit. Id enim auctoritatem etiam nescio quam affert, & licentiam dicendi quidquid oporteat, omnium permissu, atque etiam cum approbatione, & laude.

*Lib. de Card. dig. & off.*

XVI. Neque silentio inuoluendum Imp. Frederici dictum siue votum, duas res se optare, vt Consiliarij sui in Palatij vestibulo deponerent, *simulationem* scilicet ac *dissimulationem*: ita enim fiet, inquiebat, vt rectiùs consulant, & faciliùs inter consilia diiudicent.

XVII. Quò magis deploranda est præsens ætas, in quâ maximè *videmus, Curias elingues, in quibus dicere quod velis, periculosum; quod nolis, miserum est.* Prorsus sanè boni & laudabiles, atque auro contra à Principibus æstimandi, qui excusso omni metu, liberè pariter & modestè in consilio sententiam suam promunt. veluti Theodorvs ille Ammiani, qui *solus pœnè omnium erat, cuius linguam non effrenem, sed despicientem quæ loqueretur, nullus claudebat periculi metus.* Tali optarim zelo esse præditos nedum Consiliarios, sed & eos, qui à Confessionibus Principum sunt: quorum certè taciturnitas, non sibi tantùm, sed & Principibus plerumque damnosa est. Meminisse deberent constitutos se esse, *Speculatores*, & *Buccinatores* verbi Domini. *Si dicente me* (inquit ad Ezechielem) *ad impium; morte morieris: non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à viâ suâ impia, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ac si apertè dicat (inquit Bonifacius Archiepiscopus Moguntinensis) si ei peccata sua non annunciaueris, & si eum non argueris, vt conuertatur, & viuat; & te qui non increpasti,

*Pli. in Paneg.*

*Lib. 29.*

Notent qui à Cõfessionib. sunt Prinpum.

*Ezech. 3.*

*Apud Baron. Tom. 9. Ann. ann. Chr. 740.*

pasti,& ipsum qui te tacente peccauit,flammis perennibus tradam. Cui enim dispensatio verbi commissa est,etiamsi sanctè viuat,& tamen perditè viuentes arguere aut erubescat,aut metuat,cum ijs omnibus,qui eo tacente perierint,condemnabitur. Et quid ei prodetit,non puniri suo,qui puniendus est alieno peccato? Notent igitur ista,quibus animarum cura Principum incumbit,caueantque proindè,ne quid dissimulent, nevè Gratijs litent, quod vulgus Aulicorum prauo more solet. Etenim ille demùm bonus est,& præconio dignus Principis minister,qui nullo metu,nec proprio permotus commodo, suam liberè sententiam profert. Et sanè,ne quidquam metu absterrentur pleræque timidæ mentes: quia tantùm abest,vt in offensionem Principis hac monendi libertate incurrant, quin potiùs gratiam eius acriùs foueant, magisque ac magis eam demereantur,vt paullò ante ostendi.

Libertas monẽdi, vt temperanda. XVIII. Hanc tamen libertatem sic prudentiæ sale conditam velim, vt eam apud Principes iuniores mitiget,& temperet morum iucunditate: lenitate & breuitate:memoria virtutum,quibus maiores eius quondam floruerunt,quemadmodum apud Tragœdum facit VLYSSES:

*Tu splendidum natalium obscurans decus,*
*Lanam trahis patre natus Argiuum optimo?*

Lib. de Amici & adulat. disc. Insuper,similium rerum vituperatione: alienæ personæ introductione,vt in *Nathan* & *Daniel* docet sacra Scriptura, deque *Ammonio* Plutarchus. Confessione item ingenuâ eorundem in nobis delictorum, quem dexterrimum obiurgandi modum,vocat Plutarchus,docetque exemplo *Socratis*,qui adolescentes tacite redarguebat,perinde quasi & ipse teneretur ignorantia,& opus haberet vnà cum illis virtutem amplecti,verumque disquirere. Amplius, laudatione aliquâ præmissâ,vel postpositâ. Ita Neronem reprehenderunt SENATORES: nam cùm is

Tacit. 13. Annal. vectigalia omitti iuberet,aperte reclamarunt,*dissolutionem Imperij docendo, si fructus, quibus Resp. sustineretur, diminuerentur*: atque id quidem, *multum priùs laudata eius magnitudine animi.* Qui reprehensionis modus sanè quàm vtilis est. Vt enim ferrum ignis vi mollitum frigida laxatur,duritiemque consequitur: ita amicis postquam laus eos calefecit,paullatim reprehensio libera adhibenda est. Præterea, culpæ translatione in alios: expositione vtilitatis,ac necessitatis παῤῥησίας: * Indicatione malorum,quæ ex intempestiuo silentio,aut adulatione oriuntur: Separatione,& exceptione: Distinctione admonitionis, atque accusationis: Præteritione: Voto, ac optatione: Deprecatione veniæ: Θέσει, vt agatur Θετικῶς & ἀορίστως,infinitè: Nominetur nemo,ideòque irasci nemo queat,nisi qui de seipse ante confiteri voluerit. Cauendum etiam,ne nostrapte caussâ videamur admonere,vel quòd offensi simus,vel quòd doleat aliquid: hîc enim non tàm admonitio,quàm querimonia erit. Admonitio libera amicum quiddam habet,& graue: contrà querimonia, sui amorem, & sordidum animum sapit. Ad hæc, ne

* libertatis.

assidue

assiduè reprehendat, & obiurgandi cupidus esse videatur. Denique, ne inter pocula admonitionibus operam det. Siquidem serenitati nubilum inducit, qui inter iocos & hilaritatem sermonem mouet quò contrahatur supercilium, & frons obducatur. Repugnat enim is Lydio Deo, inquit Plutar. molestiarum ac solicitudinum funiculum soluenti. Præterquàm quòd periculum ingens habet eiusmodi linguæ petulantia: proptereà quòd animi vino calescentes, procliues sunt ad iracundiam? ac sæpenumerò fit, vt ebrietas occupans, & præueniens admonendi libertatem, iram, aut certè simultatem gignat. Quâ de re plura, si lubet, videantur apud Plutar. lib. de Amici, & adulatoris discrimine: & plura quoque super hac re habes infrà lib. 5. cap. 16. nu. 11. & part. 1. Politicarum quæstionum M. Iunij.

XIX. Alias cautiones proponit Eminentissimus Cardinalis Palæotus I. vt qui locuturus est, veritatem sibi ob oculos ponat, ita vt verum id esse sibi persuadeat, de quo ei dicendum est. II. Vt bono publico profuturum esse iudicet. III. Vt hæc ipsa actio cum difficultate, seu periculo aliquo sit coniuncta: vbi enim nulla est suspicio alicuius offensæ, non est cur magis dicatur libertas loquendi, quàm simplex quædam atque consueta omnibus in Concilio dicendi, siue respondendi ratio. IV. Vt omnis asperitas à verbis, à voce contentio, clamor à vultu, atque à cætero corporis habitu, iræ, vel alterius perturbationis suspicio prorsus amoueatur, & nihil arroganter, nihilque proterue, nihil denique ad ostentationem proferatur. *De S. Consist. consul. p. 5. q. 1.*

XX. Atque ex his quidem documentis, siue exemplis tandem concludo, præcipuum Consiliarij munus esse, liberè, apertè, & ingenuè sententiam suam in consilio proferre, quæ vel ipsi Principi, vel Reipub. salutaris sit futura. Neque ætate iuniores, aut conditione suâ minùs spectabiles, deterreantur; quia sapientiâ iudicijque præstantiâ, non annorum numero, vel conditionis excellentiâ circumscribitur. Assentatio tantùm vitetur, quoniam quidem *assentari*, (vt Græcorum disertissimus inquit) *& placida loqui in consilio Reipub. perniciem maximam ei adferre solet.* Quod intellexit CRATES THEBANVS, qui aiebat eos Principes, qui cum assentatoribus viuerent, non aliter desertos esse, quàm sunt vituli inter lupos. Neque enim illos adesse, quos oportet: neque cum ijs qui adsunt, habere societatem, cùm sint insidiatores. Sed quàm acriter illos vellicet Philo Iudæus, audiamus: *An non vides istos adulatores, qui tàm noctu, quàm interdiu permulcent aures suis Regibus, nec tantùm applaudunt dictis eorum singulis, sed & prolixis eos ornant laudibus, quos tamen exsecrantur taciti, quantumuis fausta ominando propalam?* Fallor, nisi sit nonnullorum ille scopus, applaudere Principi, & in omnibus assentari, attenteque animaduertere, cuius genij & naturæ sit, vt ijs commodùm sese aptare possint, quò morum congruentiâ, summum apud eum locum queant obtinere. Sic olim Consiliarij Cambysis Regis, cui sciscitanti, *an suam liceret sororem in vxorem ducere? Regi licere*, respondent, *quidquid velit.* Talis *Stratocles* ille Demetrij, qui non raro, teste Plutar.

*Demosth. Ora. 3. cõ. Philip.*

*Assentatio fugiẽda.*

*Laërt. li. 6.*

*Li. de Migrat. Abraha.*

*Herodot. li. 3.*

*In Demet.* Plutar. illud vsurpabat: *Quidquid Rex Demetrius iubet, id esse erga Deum sanctum, id esse apud homines longe iustissimum.* Scilicet in Aulis hodiernis desunt tales? nequaquam. *Osea.7.* Immò Aulæ iam infectæ sunt eiusmodi Parasitis, qui *in malitia sua lætificant Regem*, vt inquit Propheta, *& in mendacijs suis Principes.*

Sed & Dissimulatio. Verumenimuerò, non *Assentatio* tantùm fugienda, sed etiam *Dissimulatio*, vbi præsertim Ecclesiæ, vel Reipub. damnum imminet: Tùm enim nullus est dissimulationi locus, non tacendo, non dubiè loquendo, non fugiendo Consistorium, (vt optimè ad fratrem Cardinalem scribit Hieronymus Platus) sed clarè, & liberè, cum eâ tamen quâ decet modestiâ ac reuerentiâ, repugnandum est. Atque *Li. de Cardinalis dig. & off.* huius rei ratio ea est, quoniam hoc differt officium charitatis ab officio iustitiæ, quòd illud omitti potest cùm priuatum damnum timetur, aut nullus fructus speratur, vt in fraternâ correctione. Qui verò insuper ex iustitiâ obligatur, etiam cum proprio detrimento etiam nullâ spe lucri debet officio fungi, ac censendi monendique libertate vti, voce liberâ, mente incorruptâ, virtute diuinâ.

*Tract. de Cardin. quæst.5. De Card. quæst.10.* Solet obijci: frustrà dissentire quem, quùm maior pars contrà sentit, & odium sibi frustrà quærere, summam dementiam esse. cui obiectioni respondet Hieron. Albanus, non frustrà esse, immò sperandum esse, alios etiam, veritate auditâ, suam mutaturos sententiam, quoniam ea veritatis vis est, vt denique omnia vincat.

Amplius obijcitur: id videri debere vni de multis æquum, quod placuit maiori parti: superbum enim & arrogans videri, vt audeat aliquis suum iudicium, aliorum tam multorum sententiæ præferre. Respondet Albanus: id quidem concedi, posteaquàm quid tu sentias, & quare ita sentias, exposueris. Nam si his auditis, nihilominus plures in contraria parte fuerint, tùm verò decet ita existimare, potiùs decipi paucos, quàm multos. Sed sunt alij, qui ad tegendum timorem, vel cupiditatem suam, illam afferant rationem, sæpè Principes de eo ipso, quod in consultationem adducunt, iam antè constituisse, & propterea etiamsi contradicatur, nullum omninò fructum secuturum. Cui respondet Platus: quanquam ille effectus de quo agitur, non consequatur, alias tamen vtilitates esse certas. Primò, quia Princeps ipse in similibus rebus consideratior fiet; cùm videat non deesse, qui audeant pro bono communi contradicere; esseque magnum frænum summæ potestatis, cui facillimè obrepit licentia. Secundò, alij etiam Consiliarij eiusmodi exemplis animosiores, fortioresque fiunt; vt sæpè in pugnâ qui fugiebant, vnius audaciâ ac robore reuocantur, viresque & animum sumunt. Denique, si nihil aliud, Consiliarius quidem qui hoc facit, officium suum facit: quod si deinde alij impediant, ipse certè culpâ vacat, qui sanè est fructus conscientiæ vel maximus. Sed quærunt vlteriùs nonnulli: Si Consiliarius in Consistorio consilium aliquod tractatum iri sciat, cui saluâ conscientiâ assentiri nequit, an si eo die domi se contineat, officium suum minùs diligenter & fideliter fecisse dici possit? Dubitandi caussa est, quia tutiùs est in senatum non venire, quàm in aliam trahi

senten

ſententiam, & aduerſus conſcientiam agere: adde, quod is culpâ carere videtur qui in tam iniquam rem non conſenſit. Sed contrarium dicendum eſt: nam ſi etiam non rogatus, publici boni causâ conſilium dare Principi tenetur, multò minùs ſaluâ fide effugere occaſionem poterit ne rogetur. Non eſt boni & cordati Conſiliarij fugere & declinare in rebus arduis conſilium. *Fugit*, inquit Diuus Gregorius, *qui ſe ſub ſilentio abſcondit, fugit qui tacet cùm reſiſtere deberet.* Plura de abſentiâ Conſiliariorum à Conſiſtorio illorumque excuſationibus, videantur apud Eminentiſſimum Cardinalem Palæotum, de ſacri Conſiſtorij Conſultationibus, parte 5. quæſt. 13. pag. Edit. Venetæ 327. *Homil. 14.*

Satis de Veritate & Libertate dictum, quam tamen prudenti modeſtiâ temperandam eſſe ὁδῷ πάρεργον ſuprà diximus, ſed poſt paullo latiùs, verùm his quibus hæc vſui eſſe poſſunt: quod

*Si cui minimus probatur iſta ſcriptio,* *Sopho.*
*Per me licet, probet aliam, hæc mihi placet.* *Aiace.*

---

## CAPVT XIV.

*Veritatis comes eſt* Conſtantia, *quæ Conſiliario maximè amica eſſe debet.* Nihil enim eſt, vt *Tullius inquit.* quod tàm deceat, quàm in omni re gerendâ conſilioque capiendo, ſeruare Conſtantiam. *1. de Offic.*

NEQVE enim ſatis eſt veracem eſſe, ac ingenuè iudicare, quid expetendum, fugiendumve ſit, ſed gradum figere oportet; ſtare inquam præſenti ac conſtanti animo in eo, quod ſemel deliberatum, iudicatumque ſit. Natare non debet animus noſter, ſed ſibi conſtare. Itaque iurè circumſcribuntur, & conſilio ſapientibus exiguntur, *qui ex alienâ libidine hùc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deindè alia decernunt: vt eorum qui dominantur ſimultas, aut arrogantia fert, ita bonum, malumve publicum exiſtimant.* *Salluſt. ep. 2. ad Cæſ.*

Æqualem ergò *ſemper oportet eſſe Conſiliarij animum: nam mutari pro rerum varietatibus, mentis inſtabilis argumentum eſt.* *Agapit.*

Inepti, inquam, iſti, qui ſic in omnem auram euannant, nec immeritò Græcorum adagio, damnantur leues, & δίσχωλαι illæ γνῶμαι.

Pulchrè B. Gregorius: *Vile eſt conſilium cui robur fortitudinis deeſt.* Prorſus vileſcit, qui ſemper vacillat, vel præſente Principe nutat: *Lib. 1. Moral. cap. 38.*

*Malus eſt miniſter Regij Imperij pudor.* *Senec. Trag.*

Quanquam nolim ita conſtantes, vt quiduis potiùs patiantur, quàm ſenten-

*Cic. 5. Philip.* tiam mutasse, aut in minimo Palinodiam cecinisse videantur. Quis nesciat, *minimis fieri momentis, maximas temporum inclinationes*? Liuium audi: *Quid quaque dies, aut nox ferat, incertum est: puncto sæpè temporis maximarum rerum momenta vertuntur.* Proindè, *non est turpe, cum re mutare consilium.* Namque *consilia rebus aptantur.*

*Dec. 1. li. 2.* *Senec. 4. de Benef. c. 38.* *Idem epist. 72.*

Quare non audiendus Zeno, Stoicorum ille patronus, quem dicere solitum M. Cicero refert, *sapientem sententiam mutare nunquam.*——Nam *sicut in nauigando tempestati obsequi artis est, & mutatâ velificatione portum assequi, sapientia est: sic non semper idem dicere, sed semper idem spectare debemus.*

*Pro L. Murena.* *Cic. lib. 1. ep. pen.*

*In Asin.* Itaque iuxta Lucianum, πάλιν δρομῆσαι μᾶλλον ἢ δραμεῖν κακῶς, *melius est recurrere è medio cursu, quàm malè currere.*

*Philip. 14.* Et ipsemet Cicero apertè: *Ego malis sententijs vinci non possum: bonis possum & libenter.*

---

## EXEMPLA & NOTÆ.

*Lib. 1. de fact. & dict. Socra.* I. QVorum familiam mihi ducat SOCRATES, coryphæus ille Philosophorum: *Hic cùm aliquando Consiliarius fuisset* (verba sunt Xenophontis) *Senatoriumq́; iusiurandum iurasset, quo continebatur, secundùm leges consilium daturum qui cognitor populi fierent, cùmq́; populus contra leges voluisset nouem illos Duces, quicum Thrasylo, & Erasinide fuerant, communi omnium sententiâ interimere, noluit illè suum calculum adiungere. Neque aut iram populi, aut indignationem potentum timuit, sed pluris fecit sacramentum seruare, quàm populo, & Magnatibus præter Iustitiam placere, & gratificari.*

*Val. Max. lib. 3. c. 8.* II. Par Constantiæ exemplum in METELLO NVMIDIO, Censore Romano. Is, *cùm animaduerteret, quò tenderent Saturnini Tribuni Pl. funesti conatus, quantoq́; malo Reipub. nisi his occurreretur, erupturi essent, in exilium quàm in legem eius ire maluit. Potestnè aliquis hoc viro* (inquit Valerius) *dici constantior? qui ne sententia sua pelleretur patria, in quâ summum dignitatis gradum obtinebat, carère sustinuit.*

*Id. Valerius.* III. Cæterùm, vt neminem ei prætulerim, ita Q. SCÆVOLAM Augurem meritò comparauerim. Depulsis, prostratisque inimicorum partibus, *Sylla*, occupatâ Vrbe, Senatum armatus coëgerat, ac summâ cupiditate ferebatur, vt *C. Marius* Consul, Romanus hostis iudicaretur: Cuius voluntati, nullo obuiam ire audente, solus SCÆVOLA interrogatus de hac re, sententiam dicere noluit: quin etiam truculentiùs sibi minitanti Syllæ: *Licet*, inquit, *mihi agmina militum, quibus Curiam circumdedisti, ostentes: licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, vt propter exiguum, senilemq́; sanguinem meum, Marium, à quo Vrbs, & Italia conseruata est, hostem Iudicem.* O quàm tales digni, qui in Senatu, & consilijs

*Lib. 43.* Principum consistant! non etiam viles, & timidi, qui potentiorum metu, di-

camnè?

camne nutu, de statu bonæ mentis quàm primum deijciuntur, aut percelluntur. *Neque enim* (ait verè Dio) *consilijs iuxtà metum locus est. Quippè qui animos hominum facilè deijciat, rationemq; vsque adeò conturbet, vt ad ferendam de eo, quod agendum sit, sententiam, minùs videant.*

IV. Quanta, Deus immortalis, in CATONE VTICENSI constantia! Is cùm verba faceret aduersus ciuilem occultamque tyrannidem, in quam *Crassus, Pompeiusq;* ac *Cæsar* sub Triumuiratus nomine inuaserant, Trebonij Tribunipl. iussu, lictor eum à suggestu, in quem verba facturus ascenderat, detraxit. Cùm ob id loqui non desineret, foro ab eodem pulsus fuit; sed cùm constanter tunc quoque in Triumuiratus potentiam inueheretur, Tribunus eum in carcerem duci iussit. Et cùm ne tunc quoque sileret, multitudinis concursu, de lictorum manu liberatus est. *Bapt. Fulgos. lib. 3. cap. 8.*

V. Quid de PRISCO HELVIDIO dicam? *ad quem cùm Vespasianus misisset, ne in Senatum veniret. Penes te*, inquit, *est ne me Senatorem esse patiaris: quamdiù autem me loco non moues, est in Curiam mihi veniendum: Agè, at ingressus taceto*, inquit: *Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum: & mihi dicendum, quod rectum putauero. Verùm si dixeris, occidam te. Quando ego dixi me immortalem esse, tu tuum facies, ego meum. Tuum est occidere; meum, mori non trementem: tuum relegare; meum exire non tristem.* O miram animi constantiam, & in Christianis ipsis si hodie inueniatur, admirandam! *Ex Arriani I. Dissert. c. 2.*

VI. Inuenta tamen in vno THOMA MORO, Angliæ Cancellario: cuius constantiam, & in dicendo libertatem quotusquisque Deus bone! non omni laudum præconio dignam putet? Deperibat *Annam Boleniam* (vnde posteà nata *Elizabetha* Regina) HENRICVS VIII. Angliæ Rex: cuius amoribus, vt tandem potiretur, consilium capit de repudiandâ vxore Ferdinandi Hispaniarum Regis filia, & quò apud S. Pontificem suam honesto velaret prætexto nequitiam, effingit Catharinam vxorem suo fratri anteà desponsatam fuisse, quo defuncto ea sibi esset nulliter matrimonio copulata. Instat igitur, & Pontificem rogat, vt se matrimonij vinculo soluat: quod prudenter abnuit Pontifex *Clemens* eius nominis VII. quod nimirum desiderata canonicis, diuinisque sanctionibus manifestè repugnarent. Quâ ex re Rex excandescens, mox Edictum proponit, quò subditi Regem suum agnoscant, & colant tanquam supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput: deindè sentiat quisque & dicat, Regem sanctè & benè fecisse, quòd repudiatâ coniuge legitimâ alteram duxisset. Hisnè assentitur MORVS? Nequaquam: vtpotè Religioni, Bono publico, Conscientiæ propriæ contraria. Vrgetur tamen, & mors ei indicitur, ni pareat, & diuortio subscribat. Frustrà. Nam & munus spontè reponit, & apertè it in alia omnia, dicitque non subscripturum se, vel si vitæ periculum sit adeundum. Capitis ergò damnatur vir integerrimæ, & inculpatæ vitæ, cum IOANNE FISCHERIO, Episcopo Roffensi Cardinale designato; quòd suæ sententiæ tenaces, alienæ *Hieron. Pollenus in Hist. Eccles. Angl.*

ſubſcriptores eſſe nollent. Tantùm non carcere egreſſus magnus ille MORVS, cùm ecce accurrit *Catharina* filia, adoleſcentula quidem ( vt Eraſmi, & aliorum id æui eruditorum teſtimonio conſtat) multis animi, & ingenij dotibus & litterarum ſcientiâ prædita; parentem ſuum vltimùm amplexatura. Ambabus itaque vlnis parentem ſui ſemper ſimillimum excipit, lacrymas pro alloquio fundens. Hîc Morus: *O mea dulciſsima nata, patere hæc patienter, animum moderare, lacrymas ſiſte. Omni quippè naſcenti homini mors, & quidem plerumque in ſpeciem horrida, cruenta, immatura definita eſt. Ita Deo placet, cui nihil iniuſtè placet. Itaque ô mea cariſsima, me nec reuocare debes, aut potes iter leti iam ingredeuntem. A multis, quod ſcis, annis ad excipiendam placidè mortem animum præparaui, quo quiſque modo tandem occidat, mortem modò ſine probro & contumeliâ excipiat, ſusq; deq; eſt. mea cauſſa nequaquam iniuſta eſt: nec alia, bonis quidem viris vnquam videbitur, quàm frontis Chriſtiana.* His dictis, oſculo filiam pœnè exanimatam dimittit, quæ decem vix paſſus regreſſa, ad patrem denuò, ac cito gradu redit, iterum iterumque adoſculatur, atque in collum ipſius madentibus genis irruit. At nihil eloquitur, intercluſo ferè, aut fluctuante inter anguſtias cordis pectorisque ſpiritu, ita vt pater profuſis lacrymis conticeſceret, ſeruatâ tamen modeſtiâ vultuſque conſtantiâ. Tandem verò profatus ait, *Ora Deum pro me mea filia.* quo dicto, & velut ictu in cor adoleſcentulæ vibrato, vltrà progreditur, & emenſis aliquot paſſibus Præſes ſciſcitatur, velitnè de ſententiâ diſcedere, mortemque deprecari. Negat conſtanter. Atque ita, dictum ac factum ducitur. Is ergò fronte compoſita paucula præfatus, omnes rogat, vt pro ſe preces ad Deum in hoc ſæculo fundant, ſiquidem vellet & ipſe in futuro idem præſtare. Adhæc vt pro Rege Deum obſecrent, quò tandem ipſe ſuo cum conſilio diuinâ gratiâ illuminetur: ſe nihilominus libenter occumbere, vt probum decet miniſtrum, & fidelem Regis conſiliarium. Hæc vbi dixiſſet, ad genua prouoluitur ſupplex, & animo pluſquàm virili, collum trunco impoſitum ſecuri ſubmittit, non abſque graui omnium commiſeratione, ac dolore, vt qui ita ſe geſſerat, probauerat, commendaueratque cunctis, pariter vt ab omnibus diligeretur.

*Hier. Platus de Cardinal. poteſt. & dig. v. Pollinū in hiſt. Eccleſ. Ang. l. 3. c. 40.*

VII. In eadem gente, & pari conſtantia REGINALDVS POLVS, quem in Galliam à *Paulo III.* Legatum, cùm iam dictus Rex Angliæ, hoſtis eius infenſiſſimus, in ſuam poteſtatem redigere conaretur, idque per certos nuncios cum *Franciſco* Gallorum Rege ageret, fideliter ab eo monitus, vt ſi ſaluus eſſe vellet, ſtatim abiret, in eo tanto periculo, in re ſubita, cùm omnes viæ armatis militibus, & graſſatoribus, & Anglis ipſis refertiſſimæ eſſent, nihil vnquam de ſua remiſit conſtantia, & grauitate: immò verò comitibus omnibus adeò exterritis, metuque trepidantibus, vt nemo eſſet, qui crucem, vt mos eſt Pontificis Legatis, præferre auderet, ipſemet crucem ſumpſit in manus erectamque geſtauit, donec famuli pudore impulſi eam repeterent. Deindè cùm in Belgium euaſiſſet, nec tamen ceſſaret Rex ille ab inſidijs moliendis, eiuſque caput quinquaginta aureorum

mill

millibus proscripsisset, nec maius posset esse vitæ periculum, semper tamen pro munimento suam hanc constantiam, & fortitudinem tenuit Dei fiducia nixam. qui sanè non defuit. oportunè enim Leodium ab *Erardo à Marka* Episcopo, & Cardinale humanissimè inuitatus est: quò cùm venisset, ibique audiret magnas quasdam, vixque credibiles conditiones, quas Anglus Belgis offerebat si sibi *Polum* traderent, miratus hominis amentiam, ita dixisse fertur: se quidem iamdudum vitæ huius tædio affectum, mortem optare; ac proinde, cùm *Henricus* tanta sua impensa & labore hoc ipsius desiderium adiuuare conaretur, nihil aliud facere, quàm siquis dormitum ire cupienti vestes ipsas detrahere velit. Magnifica profectò, & constantis viri sententia.

VIII. Eiusmodi non pauca sumi possunt exempla apud historicos, quibus constat ne latum quidem vnguem à sententiâ recedendum, vbi religionis, vel pietatis caussa vertitur. Cùm nec ista interueniunt, nec aliquod periculum imminet, dixerim consilia sine repræhensione variari posse. quo sensu capio illud Oratoris: *Non inconstantis puto, sententiam, tanquam aliquod nauigium, ex Reip. tempestate moderari.* Et ab hac mente alicubi clarissimus Iustus Lipsius, Sapientiæ ait partem esse, leuiter desipere, & paullùm extrà viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum. Videsnè, vt nautæ vela sinuent, & obliquent; teneant nihilominus suum portum? Itidem & tu, in illâ, vel istâ re. Hinc LEONIDAS cuidam obijciendi, quod facilè mutaretur: *Mutor*, inquit, *sed pro temporum ratione; non vt vos, proprio morbo.* Sensit pro re, & tempore varianda esse consilia, vt negotijs diuersis in vsum aliorum nos accommodemus. Pro quâ sententiâ rectè Augustinus: *Turpe est mutare sententiam, sed veram, & rectam: Nam & stultam, & noxiam, & laudabile, & salubre est. Sicut autem constantia non sinit hominem deprauari; sic peruicacia non sinit corrigi: proinde sicut illa laudanda; sic ista est emendanda.*

Constantia in cõsilijs non semper laudãda.

*Pro Cn. Plan.*

*Plutar.*

*Epist.214.*

IX. M. ANTONINVS Imp. sic de se fatetur: *Si quis me redarguere potest & demonstrare quod non rectè sentiam, aut agam læto animo sententiam mutabo: veritatem quæro, quæ nemini vnquam damno fuit, damnum autem facit. qui in errore & ignorantia permanet.*

X. Itaque concludam similitudine hac cum Eminentissimo Cardinale Palæoto: quemadmodum Aduocatus qui rem credebat à principio probabilem, & posteà videt apertè improbabilem esse, tenetur eum, cuius negotium agitur, illius rei certiorem facere: eodem modo Consiliarius, cuius munus est consilium fidele dare, si intelligit perniciosum, aut invtile esse quod dedit, de priore sententiâ desistere debet, ne qui publicæ vtilitatis causa adhibitus fuit in consilium, ipsi Reipub. damnum attulisse videatur.

*De S. Consist. Consult. p.5. ep. 6.*
*D. Tho. 22. ep. 71. Sallust. vers. Aduocatus.*

## CAPVT XV.

*Lib. 2. c. 2.*

*Porrò,* Taciturnitas *quoque, siue* Silentium, *Consiliario non negligendum: cùm illud sit optimum, atque tutißimum, (si Valerio credimus) rerum administrandarum vinculum.*

*De Verb. sig. Tacit. 1. Hist. L. Quisquis C. ad L. Iul. Maiest. Ecclesiast. 20. De Educ. lib. 2. Art.*

CONSILIVM, inquit Festus Pompeius, *à silentio dictum, quo maximè inuenitur.* Parum enim est rectè deliberare, censere, atque consulere, arcana nisi consilia silentio obsignentur. Ideo *tàm nescire quædam* Consiliarios, *quàm scire oportet.* Cùm enim Consiliarij Principis, *sint pars corporis eius*, non nisi cum voce Principis voluntatem, aut mentem eius exponere debent. Vnde quod vniuersè Sirachides ait, hic etiam obtinet: *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus; lasciuus autem, & imprudens non seruabit tempus.* Quò pertinet quod apud Plutar. scriptum est: *Tempestiuum silentium rem esse sapientißimam.* Nec abludit Poëta, familiari illo versu:

> *Eximia est virtus, præstare silentia rebus:*
> *At contra, grauis est culpa, tacenda loqui.*

*Polyb. lib. 9. Alex. ab Alex. 4. c. 11.*

Itaque cum Polybio: *Primum præcipuumq́ue, quod ad fœlicem consilij exitum requiritur, est silere.* Vnde Romana Senatusconsulta *tacita* vocabantur: quod Taciturnitas consiliorum quasi thesaurus censeatur.

*Ecclesi. 42. Tob. 12. Isocr. ad Demon. Q. Curt 4.*

Caue ergò reueles arcana consilij, *& eris verè sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu* Principum. *Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Quidni? cùm *diligentius tuenda sint deposita verborum, quam pecuniarum.* Historici effatum imbibendum, & in venas animi immittendum: *Res magna sustineri ab eo non possunt, cui tacere graue est.*

*Ord. p. 1. tit. 13. & 15. Salomon prouerb. 15.*

*Prædicanda* igitur Consistorij Spirensis constitutio, *In Senatu gesta, dicta, iudicata æterno silentio teguntor, nihil iniussu Cæsaris reuelanto.* Quæ lex summâ ratione nititur: *quia dißipantur cogitationes, vbi non est consilium.* siue vt Paraphrasis Chaldaïca habet: *franguntur aut dißipantur cogitationes, vbi non est secretum.*

### EXEMPLA *cum* NOTIS.

*Ammian. lib. 12.*

I. EXemplorum initium vnde priùs sumam, quàm à PERSIS? apud quos nemo consiliorum particeps erat, præter Optimates, taciturnos, & fidos, apud quos & *silentij* quoque *Numen* colebatur. Immò veteri eorum disciplinâ, arcana Regum vitæ periculo custodiri sanxerunt.

*Diod. Sicul. 2. c. 2.*

II. ÆGYPTII succedant, quibus lex erat, quæ iubebat abscindi illi linguam,

suam, qui arcana Reip: quæ tecta esse debent, alicui detexisset. Et meritò, nam incassum sunt consilia, si antequàm exsequaris, detegantur.

III. Apud ROMANOS verò, consiliorum renunciatores, aut viui exurebantur, aut furca suspendebantur. Quanquam superuacanea eiusmodi lex fuisse videatur, propter earum probatumque in eis silentium: quippè quorum Curia (in tanto alioqui numero Senatorum) silentio sic vndique clausa fuit, *vt non dicam vnum, sed neminem audisse crederes, quod tàm multorum auribus fuerat commissum.* Notabile est, quod de *Eumene* Rege Asiæ scribunt Historici: Is enim cùm Romam venisset, & Regem *Persen* Po. Romani hostem, in Senatu accusasset, ac de toto bello cum Patribus deliberasset, *in præsentiâ nihil, præterquàm fuisse in Curiâ Regem scire quisquam potuit: bello denique perfecto, quæque dicta ab Rege, quæque responsa essent, emanauere.* Res profectò rara, alboque simillima coruo. Paulus l. Siquis ff de pœnis. Val. Max. 2. c. 2. Liuius lib. 42.

IV. Quinetiam singulorum pectora æquè silentij salubritate munita. Exemplo sit POMPEIVS, vir famâ inclytus, *qui dum legationis officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cùm Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admodum digitum cremandum præbuit, eaq; patientia Regi simul, & desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ Populi Rom. amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit.* Mirus profectò, & stupendus viri animus tali taciturnitate obfirmatus. Val. Max. 3. c. 3.

V. Quantò magis admirationem habeat PAPIRII pueri silentium hoc: Mos Senatoribus Romæ fuit, inquit Gellius, in Curiam cùm prætextatis filijs, (qui nimirum excesserant xij. ætatis annum, vt notat Polybius) introire. Tamen cùm in Senatu res maior quæpiam consultata, eaque in diem posterum prolata esset, placuit, vt eam rem, super quâ tractauissent, ne quis enuntiaret, priusquàm decreta esset. Mater Papirij pueri, qui cum parente suo in Curiâ fuerat, percunctata est filium, quidnàm in Senatu Patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dici licêre; mulier fit audiendi cupidior: secretum rei, & silentium pueri, animum eius ad inquirendum euerberat. Quærit igitur compressius, violentiusq;. Tùm puer, matre vrgente, lepidi atque festiui mendacij consilium capit: Actum in Senatu dixit, vt, *nùm videretur vtilius, exq; Repub. esse: vnusnè vt duas vxores haberet, an vt vna apud duos nupta esset.* Hoc illa, vt audiuit, animus compauescit; domo trepidans egreditur, ad cæteras matronas peruenit. Ad Senatum postridie matrumfamilias cateruæ, lacrymantes atque obsecrantes orant, vna potiùs vt duobus nupta fieret, quàm vt vni duæ. Senatores ingredientes Curiam, quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio illa vellet, mirabantur. Puer *Papyrius* in medium Curiæ progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicuti fuerat, denarrat. Senatus fidem, atque ingenium, pueri exosculatur: Consultum facit, vti posthac pueri cum patribus in Curiam ne introeant, nisi ille vnus *Papyrius*. Atque puero postea cognomentum honoris gratia decreto inditum, *Prætextatus*, ob tacendi, loquendique in ætate prætextatâ prudentiam. Lib. 1. Noct. Att. c. 23.

VI. Venustum est etiam illud DEMOSTHENIS apophthegma: Illi oris fœto- Maxim. serm. 20.

fœtorem cùm quis obijceret. *benè dicis*, respondit: *multa enim secreta in eo computruerunt.*

*Anaxand.* Enimuerò, graue scelus est, consilium Principis, quod de Reipub. salute, deque propriâ initur dignitate, contra fidem datam cum alio, qui particeps eius consilij non sit, communicare: Et idcircò Comicus Græcus bene & significanter dixit:

Ὅςις λόγος γὰρ παρὰ καταθήκην ὡς λαβὼν
Ἐξεῖπεν, ἄδικός ἐστιν ἢ ἀκρατὴς ἄγαν.
Πα μὲν διὰ κέρδος, ἄδικος δ' ἢ τούτου δίχα,
Ἀκρατὴς, ἴσως δὲ γ' εἰσὶν ἀμφότεροι κακοί:

*Commissa cui sunt verba, ceù depositum,*
*Si retegit, est iniquus, aut est garrulus.*
*Si spe lucri, est iniquus: hac sine, garrulus.*
*Censendus autem vterque pariter improbus.*

*In Apophtheg.* VII. HIERON apud Plutarchum, neminem eorum, qui loquendi libertate apud se vterentur, esse importunum dictitabat, sed qui sermonem arcanum efferret, immò iniuriâ etiam putabat eos afficere, quibus reuelassent. Odio namque habemus, non eos solùm qui efferunt, sed etiam eos, qui quæ nolumus, audierint.

*Bruson. lib. 6.* VIII. PHILIPPIADES Poëta Comicus Lysimacho Regi imprimis carus fuit & familiaris: huic cùm *Lysimachus* offerret leberalitatem suam, ac identidem diceret: *Quid tibi vis impartiam rerum mearum? Quodcunque voles*, inquit, *modo nè arcani quippiam.* Significans tam esse difficile reticere arcana, quàm periculosum nosse; quorum si quid effutias, actum fortè est de capite.

*Plutar. in apoph.* IX. Denique non prætereunda celebris iuxta ac laudabilis CÆCILII METELLI vox: *Si scirem hanc vestem mei consilij consciam esse, protinus eam exuere, & in ignem conijcere vellem.* Prudentiæ est indicium, continentis esse linguæ; stultitiæ fidei commissa non posse retinere.

*P. Lamormainus, in Ferd. II.* X. Veteribus nouitia subnectamus, Euenit aliquando vt FERDINANDVS II. Imp. cum nollet rem quæ in deliberationem veniebat euulgari, hoc remedio vteretur. Consiliarios non simul iussit adesse, sed seiunctos singulos, nec verbo, sed scripto sententiam dare. Id autem eâ cautelâ egit, vt nemo posset persentiscere alium quempiam præter se fuisse consultum. Hac deliberandi methodo, duo assequebatur, vt & plurium mentem intelligeret, & nemo auderet rem diuulgare, dum enim se solum ab Imperatore conscium factum arbitrabatur, quiuis credidit euulgatæ rei culpam in se vnum esse deriuandam. Hæc fuit prudens solertia magni Cæsaris, cuius laudes & præconia quoad stabit Orbis non intercident vnquam.

*Ord. p. 1. tit. 13. §. 15* XI. Prædicanda sanè Consistorij Spirensis Constitutio: *In Senatu gesta, dicta, iudicata æterno silentio tegunto: nihil iniussu Cæsaris reuelanto.* O vtile scitum, & omnibus

bus consiliorum vestibulis exarandum! quòd Græcis verbis inculcat eruditus ille Saxonum Præsul:

γλῶσσα χαλινὸν ἔχοι κραδίης ἔνδοθι δεδέντα: *B. Anthelmus in Monostichis.*

*Lingua suos habeat frenos in corde ligatos.*

XII. COSMVS MEDICEVS, magnus Hetruriæ Dux, sciscitanti cuidam, quâ potissimum ratione dignitatem recèns adeptam tueri posset? respondit, *splendore vestimentorum*, & *Pauciloquentiâ*: siquidem taciturnitas, siue etiam breuiloquentia, vt & vestimentorum splendor, homini conciliare solet auctoritatem.

Porrò ad *Taciturnitatem* siue *silentium*, tria vel quatuor Consiliarijs; vnum Principibus propono. *Cautiones pro Taciturnitate.*

*Primum*, vt caueant sibi à legatis aliorum Principum. Nam ex facili honorario aliquo plerique inescantur. Vnde *Scipio* Asiaticus in inuidiam adductus fuit, quod Antiocho quædam amicitiæ argumenta ostendisset. Et quod in legatis dico, idem in vicinis Principibus intellectum velim, quibus ne sint Consiliarij obnoxij prorsus optandum esset.

*Secundum*, vt non conuiuijs (in quibus maximè lubrico libertatis peccari solet) linguam contineant, memor præcepti Biantis: ἄκουε πολλὰ, λάλη ὀλίγα: *Audi multa, pauca loquere.* *A vino abstinendum.*

I. Ideoque CHILON Lacedæmonius, cùm aliàs semper, tùm præcipuè in conuiuio linguam præcipiebat continendam: quòd illic cibus & potus inuitet ad intemperantiam. Porrò vbi plus est periculi, ibi maior est adhibenda cautio: à vino maximè, *quod immoderatè sumptum, pro veneno est.* Fuge igitur, si non conuiuia, certè temulentiam: nam *onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante; ita ne secretum quidem; quod suum, alienumq; est, pariter effundunt*, ait Seneca. *Laert. 1. c. 4.* *P. Lætus in Valent.* *Epist. 84.*

II. Vt meritò *Archidamidas* accusanti Rhetorem quendam, quòd admissus ad conuiuium nihil dixerat, responderit: An ignoras eum, qui dicendi peritus sit, dicendi quoque tempus cognoscere? Sciebat enim ille in conuiuio & mero, tempus dicendi non esse. Siquidem vt benè, & significanter Diuus scripsit Ambrosius: *Plerique vino vtuntur, vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis sua prodant consilia. Quis inter cyathos texit, quod latêre cupiebat?* *Plut. Apoph.* *De Elia & Ieiun. c. 17*

III. Testor M. CRASSVM apud Romanos, qui bello contra Dacos & Bastarnas, admissis eorum legatis, eos retinuit, postridiè responsurus, liberaliterque admodum tractauit, vinoque inebriauit: quò factum, vt omnia eorum consilia detexerit. *Dio lib. 51.*

IV. Consimili arte tradunt olim vsum BONOSVM Imperatorem, quem sæpè dixisse ferunt, non vt viueret se natum esse, sed vt biberet. Is igitur quoties Barbarorum legati vndecunque gentium ad eum venissent, propinato vino *Fl. Vopiscus.*

ebrios eos reddebat. Itaque ab his per vinum, quæ vellet, cognoscebat. Ipse, quantumcunque bibisset, semper securus & sobrius, & adhuc in vino sagacior.

*Laert.* V. Ideò prudenter admodùm ZENO Atheniensis, qui ad cœnam à quibusdam Legatis inuitatus, non tantùm nimio vsu vini abstinuit, verumetiam ipso tempore cœnæ conticuit: quibus mirantibus, atque sciscitantibus, ecquid Principi suo de ipso referrent, respondisse fertur: *Vidisse Athenis senem, qui inter pocula nosset tacêre.* Indicans necessariam esse in fœcundis calicibus taciturnitatem, qui, vt Horatius verissimè inquit, neminem non fecêre disertum.

*In vita.* VI. Quod ipsum probè calebat Iosephus Iudaïcarum antiquitatum obseruator exactissimus, qui insidias à Ionatha, & Collega suo in se structas vino detexit. Nam missus ad illum miles cum literis dolo plenis, viginti drachmas militi pro viatico dedit. Et quia hominem lucri, & vini cupidum intellexerat conatur ab ebrio extorquere, quod à sobrio non poterat. *Si*, inquit, *nobiscum potitare volueris, accipies drachmam in singulos cyathos. Accepit ille conditionem, & multum vinum ingurgitans, quò plus mereret pecuniæ, factus ebrius secreta continere non potuit: sed nemine rogante vltrò fassus est structas ipsi insidias, & quod damnatus esset capitis, &c.*

VII. Vnde concludo, prouidentis esse Aulici, nedum Consiliarij, ab immoderato vino abstinere? cùm in Aulis etiam hodiernis *Bonosi* sint, & *Crassi*, qui, specie beniuolentiæ ad mensuram, immò sine mensurâ bibere alios cogunt aut inducunt, quò à madidis & ebrijs arcana eliciant, quæ à ieiunis & siccis nequaquam possent. Liber enim à libendo, quod lubrica mens ebrij quòlibet prolabatur.

*Discordia, & peruicacia fugienda.* *Secundum* est, vt ab discordiâ & pernicaciâ tibi caueas; quæ vbi inter te, & alios consiliorum Administros inualuerint, non est quod porrò putes te, aut secretum, aut fidum fore. Sapientia non es maiori, quàm quorum constantia firmissima fuit aduersus omnium corruptelarum illecebras; & tamen plerique fidem excussêre, ob hanc vnam scilicet Dissensionis caussam. Qui de rebus Turcicis scripserunt, inter alias caussas, quamobrem sæpiculè Turcæ Consiliarij secreta consilij pandunt, hanc afferunt, quòd in consilio alter plerunque ab altero dissideat, & quò æmuli consilium impediant, vel obstent, quò minùs laudem aut præmium inde capiant, nostris, aut his quorum interest, ea patefaciunt; si non per se, at per famulos, qui magnis aucti eâ re præmijs, paria hoc modo cum obsequijs suis facere coguntur. Verùm de Discordiâ proprio Capite infrà dicam.

*A mulieribus sibi cauendū.* *Tertium est*, vt ab fœmineo sexu tibi caueas. Habet enim vim quandam adelicienda animi arcana, cui si semel detexeris, iam non arcana, sed lippis erunt omnibus & tonsoribus nota. Quis nesciat hunc sexum oppidò infirmum esse, nihilque arcani retinere posse? O quod occultæ consultationes per mulieres publicatæ! quot coniurationes patefactæ!

*L. flor.* I. Testis CATILINARIA apud Sallustium; PISONIANA apud Tacitum.

II. Sci-

II. Scimus etiam *Augustum* Cæsarem, cum aduersariorum vxoribus fuisse, quò faciliùs consilia eorum exquireret. *Sueto. c. 69.*

III. Et superiori ætate CAROLVM V. Imperatorem, insigni mulieris vaframento, Lutetiæ hostili manu ereptum fuisse, habent patres nostri in memoriâ. *l. Zenoc.*

IV. Nostris denique temporibus SVLTANÆ, quæ sunt Imperatoribus Turcarum pellices, cùm in perpetuo Seralio habitent, vbi negocia præcipua tractantur, arcana eorum per Eunuchos, qui sui custodiam habent, aliorum Principum ministris reuelant: Student enim hoc officij genere, Principum animos sibi deuincere, vt splendidum aliquod munus ab ijs eblandiantur. Hoc cùm ita sit, cùm sacra pagina suaserim, vt *ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodias claustra oris tui*, nisi velis cum Sampsone periclitari. *Lazar. Soran. in Ottom.* *Iud. 16.* *Mich. 7.*

*Quartum*, vt à muneribus aliorum Principum, præsertim pensionibus, tibi caueas: Siquidem teste Oratore, *corrumpuntur, deprauanturq; hominum more, admiratione diuitiarum*. Notum est adagium: *Muneribus vel Dij capiuntur*. Et illud Pindari κέρδει, καὶ σοφία δέδεται: *Lucro etiam Sapientia capitur, & irretitur*. Itaque haud fermè est, vt qui præmijs ab aliquo donatur, lingua ei consistat, palamque non faciat, & pandat consilia Principis sui: quod & vidit Imperator LEO, qui propterea sic filium monebat: *In rebus occultis, & abditis, fideles adhibe tibi, & temperantes viros, & taciturnos, & qui in tuâ, & non aliorum potestate sint*. notanter hoc postremum addit, *qui in tuâ, &c.* propter nonnullorum calliditatem improbam, qui tametsi vni Principi seruiant, alteri tamen pensionibus, & præmijs fidem addictam habent. Res, quæ hodierno, & prisco æuo multas perdidit Respublicas, nedum Principes, vt alibi ostendi. Certè, satis constat, PHILIPPVM I. Macedonum Regem, nullâ aliâ ratione vniuersam sibi Græciam subiecisse, quàm fraudibus Pensionariorum; vulgoque de eo iactabatur; *Non Philippum, sed Philippi aurum subiecisse Græciam*. Quin & Persarum Reges, vt belli impetum ab Asiâ auerterent, pensionibus tentarunt, & quidem fœliciter tentarunt, eodem Plutarcho auctore. *Etiam à muneribus.* *Cic. 2 de Off.* *Opusc. de Bellic. app.* *Plutar. in Æmilio.*

*Quintum*, vt domesticis & asseclis minùs fidas: si quid litterarum scribis, aut recipis maioris vel arcanæ curæ, abde. Legi cùm palatium Legati longè illustrissimi Bruxellæ incendio flagraret, nec thecam quidem (in quâ litteræ & instructiones Regiæ, multarumque Legationum reconditæ latebat) eripere possent famuli flammis vndique lambentibus & surgentibus impeti, noluit fortissimo pectore Heros, è conspectu ardentis capsæ, ne periculo quidem sese subducere, donec eam in cinerem redigi, præsentibus oculis, conspexisset. Cætera, quæ rara admodum ac pretiosa inibi omnia peribant tam facilè neglexit vt prorsus ostenderet se cœlesti præditum animo, nullo ea loco habuisse; illustrior sic amissis & absumptis, quàm possessis. *A domesticis cauendum.* *Marsel. 2. de leg. c. 41.*

Addo, quod neminem vnum quò negotia ac destinata vergant conscium faciet, ni simul eorundem præsidem suique Dominum constituere velit. Nimia fiducia seruituti obnoxia est; & qui nimium patet, suus esse non potest;

*Ille timendus erit semper, semperq; colendus,*
*Quem scis scire tuas omnes maculasq; notasq;.*

Timendus, qui cœpta aut consulta cum damno aut probro diuulgare potest.

*Charus erit Verri, qui Verrem tempore quouis*
*Accusare potest.*

O quàm eâ re multi honorum gradus conscenderunt!

*Sextum & postremum*, vt sibi à colloquijs priuatis instituendis cum Legatis aliorum Principum interdictum putet: suspectæ enim sunt & periculosæ eiusmodi sermocinationes, efficiuntque sæpenumerò vt Ministri tales bouem habeant in linguâ. Ita superioribus annis obiectum Barneueltio à Batauis quod consuetudinem cum Hispanis haberet, à quâ tamen suspitione excusare se conabatur. Satis de Consiliarijs: & quoad illos tollo nunc manum de tabula: ad Principes me conuerto, quibus ad Taciturnitatem vnam, & alteram cautionem addixi. Ea erit hoc loco, vt in rebus arduis, diem, horam, tempus non præscribant Concilij calandi, vt veterum more loquar; sed, Rempub. imitentur Venetam, quæ quò non palam fiant res in Senatu propositæ, Senatusconsulto quondam cauit, vt Senatores certis quidem in mense temporibus conuenirent, die tamen & horâ non limitatis; quæ determinatio Duci demùm, vt reor, reseruabatur. quod factum, quò omnis cupiditas plebi adimeretur inquirendi, quid rei in Senatu agitaretur. Atque illud etiam cauendum, antequam consultatio ineatur, ne quis, (in quo loco consultatur) lateat, qui Consiliariorum opiniones excipere possit. Neque enim desunt, qui tanquam Corycæi cautim sese occultant, & abdunt, quò inaudiant, quid in consilio Princeps moliatur. De Rege Castiliæ *Alphonso* legitur, cùm per occasionem esset in aulâ Regis *Toletani*, fraudulenter se in Senatum penetrasse, ibique iacentem, & ceù dormientem retrò peristromata exceptum: id quod Regi Toletano ita displicuit, vt dictum ac factum, iusserit plumbum liquefactum in manus illius infundi, vt certò sciret, nùm dormiret, vel vigilaret: tanti referebat scire, an deliberationes intellexisset, vt memoriæ prodidit Garinai. Ita habenas Ditionum Belgicarum tenente *Maria Austriaca*, dum Bruxellis de remedio oportuno in consilio agit, quò quam minimo Reip. motu factiones Nobilium compesceret, excepta in Senatu fuit à quodam puero, (qui inibi fortè erat) vox *Geux*, quâ nobiles illi, *Geusy*, id est mendici, ab consultoribus nuncupabantur: quæ contumelia non sine pessimo publico addidit maiores factioni faces ad rebellandum, vt euentus docuit. Alias cautiones, si otium est, legat qui volet infrà libro 4. cap. 4. sub finem exemplorum: hic enim locus proprius tantùm fuit Taciturnitatis per Consiliarios seruandæ. Quibus illud adhuc vnum suggero, silentium illud, de quo hactenus, pertinere tantùm ad ea, quæ fraudi & damno alijs esse possent, (sunt enim hæc suaptè natura secreti sigillo obtegenda) non etiam ea quæ interdum sciri expedit, vt quæ morum reformationem, religionis amplificandæ studium, Principis vigilantiam incolis & exteris testatam reddunt, & alia gene-

[Margin notes: *Lib. 2. cap. 12. Comp. hist.* — Notæ Taciturnitatis pro Principibus. — *Lib. 2. cap. 2. Comp. hist.*]

generis eiusdem, quæ in tempore & loco narrata laudem Consiliario, alijs haud inutilia afferre possunt, quod monitum acceptum fero ab Eminentissimo Cardinale Palæoto, de S. Consist. Consult. in Conclus. Memb. 5.

## CAPVT XVI.

## *Quam sequatur* Modestia : *sine quâ exiguus erit cæterarum Virtutum fructus.*

SIQVIDEM *Modestia, pudore, Iustitiâ omnis ciuilis societas conseruatur.* Illius autem vsus erit, tùm circa singulos, tùm præcipuè circa Principes. Circa singulos Modestiam seruabit Consiliarius, si non nimiâ dignitatis suæ fiduciâ *fastidio*, & *contumacia efferatur.* Idque quò difficilius, hoc magis cauendum : *Nouum enim est, sub amore Principis custodire modestiam: quia gaudia semper animos inquietant.* Hinc fit, vt plerique *non tantùm in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertantur.* Tragicum illud imbibe : *Minimum decet libère, cui multùm licet.* Huc Sallustius : *In magna fortuna, minima licentia est.* *Cic. in Lælio.* *Cassio. 4. Var.* *Sen. epi. 39.* *Sē. Troad.* *Catil.*

At verò circa Principem modestiam seruabit, si primò arcana, & κρύφια eius non inuestiget. *Abditos* enim *Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere illicitum, & anceps.* *Tacit. 6. Ann.*

Deindè, *si in oratione adsit modestia ac grauitas*, sed maximè in monendo, *Sit monitio sine asperitate.* Nam, *Cic. 1. off.* *Ambros. 1. Offic. c. 22.*

*Nec conuenit ei altos proflare spiritus,*
*Qui subditus paret aliorum legibus.* *Sophocles Antig.*

Meminerit Consiliarius *cuncta mortalium incerta esse, quantoq; plura adeptus sit, tantò magis se in lubrico esse.* *Tacit. 1. Annal.*

Imprudentes certè, qui nullâ temporis, ac loci habitâ ratione, nescio quam corripiendi libertatem (vulgò Potestatibus ingratam) sibi sumunt : quippè quòd, *aliena vitia quisque reprehendi mauult, quàm sua.* Propterea, quî te in his geras, videndum. Meâ sententiâ, tutò moderabere, si probè genium Principis tui nôris. Si enim is laudatus, ac bonæ mentis, tantùm non vllius erit res negotij : neque *enim vlli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur.* *Quintil. li. 2.* *Plin. li. 7. epis. 20.*

Sin aliter, abstinebis : aut certè Platonis monitum sequêris : *Hoc animo erga Patriam*, & Principem tuum *esse debes, vt ita reprehendas, si quid tibi non rectè administrari videatur; si futurum putas, vt neque frustrâ sis reprehensurus; neque ob reprehensionis studium, vitæ periculum adeas.* Quod tamen hactenus accipe, nisi Rex, aut Regnum, vel Religio periclitetur : hîc enim *omni timore deposito, debes liberè Reipub. consulere* : & audire illud Sirachidis : *Pro anima tua, ne confundaris dicere verum.* ò viri ! ò mini- *Epist. ad Dionis. prop.* *Brut. ad Cic.* *Ecclesi. 4.*

Ioseph. lib. 3. cap. 15. ministri Principum! καλὸν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἀποθνήσκειν; *Pulchrum pro* Deo & *libertate mori.*

---

EXMPLA, & NOTÆ.

Lib. 1. Cōment. I. PRæclarè PHILIPPVS COMINÆVS virimprimis prudens, monet, vt qui apud Principes magno sunt loco, plurimùm sibi caueant, ne quid atrocius in alterum dicant, faciantvè. Nam, quò potentior est & maioris, qui iniuriam facit, eò grauius dolent ij, quibus infertur: propter auctoritatem enim eius qui intulit, putant hoc magis ad infamiam suam pertinere: & vt Hegio Terentianus inquit:

Adelph. ——— ——— ——— *ad contumeliam omnia accipiunt magis:*
*Propter suam impotentiam se semper credunt negligi,*

Confirmatque Cominæus exemplo *Imbercorti* & *Connestablij* Galliæ, quorum alter alterum mendacij insimularat, vnde factum est vt grauissimæ simultates & dissensiones nedum inter vtrosque natæ sint, sed etiam inter eos, qui partes alterutrius sequebantur. At videatur Cominæus pluribus super hac re disserens. Tantùm addo Liuij veriloquium menti cuiusque insidere debere: *In secundis rebus, nihil in quenquam superbè, aut violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ: cùm quid serus vesper vehat, incertum sit.* Et illud Diui Gregorij Nazianzeni:

Μηδὲν μὲν ἄτης εὐπλοῶν πρὸ πείσματος
Πολλοῖς πρὸς ὅρμον εὐ λιμὴν ἐδη σκάφος
Πολλοὶ προσωρμισθῆναι ἐκ ζάλης ἴσασι.
*Ne te ante iactes, quàm sit in portu ratis.*
*Periere multi iam propinqui littori.*
*Vado appulêre turbine acti, plurimi.*

Monētur Consiliarij. II. Sagaciores Consiliarij alijque Aulici comitate & humanitate nunquam non vtuntur, alloquio faciles sunt, adeuntibus mox aures præbent, audiuntur statim, dimittuntur statim, mora neminem vnum fatigat, communem societatem lepôre sermonis condiunt sed cum modo, verecundos ac timidos erigunt, verbis vtuntur ciuilibus & conciliando affectui aptis. Hinc MARCVS CRASSVS (Plut.) laudatur quod nulli vnquam ciuium patrocinium suum denegârit, nullum insalutatum offenderit, neminem ne verbo quidem læserit. In quo magni interdum viri qui apud Principes emerserunt offendunt, vt qui nimioperè gloriæ stimulis incitati, fastum & superbiam commune nobilitatis malum, modestiæ ac ciuilitati præferunt: parum cogitantes illud Sallustianum: *In magna fortuna, paruam licentiam esse.* (Catil.)

Liu. lib. 26. III. In SCIPIONE legimus in tot casuum varietatibus, ac ambiguis Hispano-

spanorum legationibus, fidem ciuilitatemque adeò exactè obseruasse, vt *nullum ferox verbum ei vnquam exciderit*. Itaque illud Aulicis inculcandum quod Herodotus scribit: *Quemadmodum fulmen eminentia quæuis & celsissima deijcit, parcit arbustis, ita Deus superbos vbique prosternit, amat humiles.* Apud Stob. Serm. 20.

Itaque cum Alciato: *Ne male quid facias, neve improba verba loquaris.* Embl. 27.

IV. Imprimis autem apud Principes Modestiæ meminerit Consiliarius in monendo. Hoc præter me quondam voluit ARRIANVS, dum inquit: *Ego verò nihil eorum, quæ vel ad Alexandri iniuriam, vel ad Callisthenis morositatem pertinent, laudauerim. Sed illud aio, & statuo sufficere, vt seipsum modestè habeat geratq; & Regis, quoad fieri potest, negotia promoueatis, quicunque adesse, & seruire illi in animum semel induxit: nec immeritò grauem fuisse Alexandro Callisthenem, tùm ob intempestiuam libertatem* (notate aulici) *tùm ob superbam stultitiam.* Modestus in monẽdo sit Cõsiliarius. Lib. 4. de Reb. gest. Alexan.

V. Nostris verò temporibus nuperus DVCIS BIRRONII exitus, Regis alioqui Galliæ intimi, fidem fecit, quàm periculosa sit intempestiua licentia & proiecta dicendi libertas. Adeò quidem sui plenus erat, vt suo quodam iure quidlibet in quemlibet diceret, sese intolerantiùs iactaret, alios præ se pro nihilo duceret, & sine vllo offensionis metu, sine vllâ Regis reuerentiâ. quam rem exitium illi portendere, non frustrà eius amici vaticinabantur, quod euentus postea docuit. Ex Hist. Gal. P. Matthæi.

VI. Quapropter benè HESIODVS Poëtarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dixit perindè vt thesaurum: eiusque esse in promendo gratiam plurimam; si & modesta sit, & parca, & moderata: A Gellius 1. Nou. att. c. 15.

*Optimus est homini*, inquit, *lingua thesaurus, & ingens*
*Gratia, quæ parcis mensurat singula verbis.*

Quæ iunioribus maximè inculcanda velim: natu siquidem grandioribus, linguæ liberior vsus concedi potest, aut certè solet. *Animosior enim est senectus, quàm adolescentia, & fortior. Hoc est illud, quod Pisistrato tyranno à Solone responsum est, cùm illi quærenti, qua tandem spe fretus, sibi tàm audaciùs resisteret; respondisse fertur, Senectute.* Prorsus benè. animosa enim est senectus, vt Cicero inquit. Eapropter SVILIVS Taciti, *Extrema senecta liber fuit.* Eiusdemque notæ HELLENICVS Iustini, *vt qui nec ætatis, nec pignoris respectu timeret*. Discant ergò iuniores, non eadem omnibus esse decora, & tuta. Si tamen Princeps necessariò monendus, eas adhibeant cautiones quas supra proposui lib. 3. cap. 13. In exemplis post num. 12. Loquacitas iuuenibus reprehendenda. Cic. de Senect. Annal. 13. Lib. 26.

V. Verùm, nec vt loquantur Principi tantùm, sed etiam vt scribant animaduertere. Istud enim non minùs intutum est, quàm illud, apud animum præsertim offensioni pronum Docet Corn. Tacitus, de ANTONIO PRIMO loquens: *Nec sermonibus temperabat, immodicus lingua, & obsequij insolens, litteras ad Vespasianum composuit iactantius, quàm ad Principem, &c.* & alibi de SERENO: *Post damnatum Libonem, missis ad Cæsarem litteris, exprobrauerat suum tantum studium sine fructu fuisse: addideratq;* Vt & nimia libertas in scribẽdo. 3. Histor. Li. 4. Ann.

*dideratq́; quadam contumaciùs, quàm tutum apud aures superbas, & offensioni proniores, &c.* Certè, vt ex sequenti narratione liquet, deportatus eam ob rem fuit SERENVS.

*Demonax. apud Stob. Li. 1. Offic. cap. 3.* VI. Itaque casum hunc nota, quisquis adsides Principi; & disce alieno periculo, moderatior esse in scribendo; sed magis vti parco, coctoque sermone; τοῖς ὠσὶ πλέον ἢ τῇ γλώττῃ χρῶ, aiebat ille: *Auribus plus, quàm lingua vtitor*; teneras præsertim apud aures. Proinde *alliga sermonem tuum*, inquit B. Ambrosius, *ne luxuriet, ne lasciuiat, & multiloquio peccata sibi colligat.* Nec tibi blandiaris, obsequij frequentiâ, & modestia: quia *plura sæpè peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus.* *Tac. 15. Ann.* Sed Iudicij hæc res est. Extat super hac re elegans admodum, & facetus Æsopi apologus Leonis, Vrsi, Lupi, & Vulpeculæ: quem, cui otium est, videat, & tollet cachinnum; & alibi scriptis his inserui, nisi fallor.

Secretorũ inuestigatio cauenda. VII. Denique, dixi etiam ad Modestiam pertinere, non curiosam secretorum Principis indagationem. *Temerarium enim istud est vitium*, inquit Seneca, *auscultatio, & publicorum, secretorumq́; inquisitio, & multarum rerũ scientia, quæ nec tutò narrantur, nec tutò audiuntur.* *De Animi Tranq.* Vt ventorum nobis molestissimi sunt qui nobis pallia reuellunt: ita curiosi, qui non tàm pallia & tunicas, quam intimos sensus reserare conantur, opidòquàm Principibus exosi sunt.

VIII. Hinc TIBERIVS Cæsar, adeò commouebatur animo, si quis sententiam eius assequutus deprehenderetur, vt multos non aliam ob caussam ad mortem adegerit, si Dioni credimus. *Lib. 57.* Quare prudentes aulici nunquam erunt curiosi inuestigatores arcanorum sui Principis. Inuisi enim semper erunt, & alijs despicatui κωρυχαῖοι isti,

*Plaut. Trinum.*

*Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.*
*Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.*
*Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit,*
*Sciunt, quod Iuno fabulata est cum Ioue:*
*Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ij sciunt.*
*Falsòne, an verò laudent, culpent, quem velint*
*Non floccifaciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.*

Hoc ergò habe, ò Aulice in memoriâ, gratam quidem Principibus esse industriam, sed curiositatem, vt prædixi, admodum inuisam. Prudens qui cum Sophoclis OEdipo

*Facta, dictàve Principum non examinat.*

IX. Verùm, vt sunt hodierni mores, ceù insignis ille prædicatur vulpes aulica, qui quò magis Principem suum viderit vti dissimulatione, tantò intensius illum sibi deuincere studet, satagitque, vt *obscurus aduersum alios, sibi vni incautus sit, & intectus*: *Taci. 4. Ann.* atque ita SEIANVM, Vlyssem illum Palatinum cum Tiberio Cæsare factitasse, Corn. Tacitus notat. Verùm, non tutum istud, cùm si semel deprehen-

hendantur tales in non dubiam Principis offensam incurrant: præterquàm quòd sæpè incassum satagunt; cùm *Regum cor sit inscrutabile*, teste Salomone.

Denique, ad Modestiam referuntur externa quædam, nimirum *Primò*, vt Consiliarij præsenti, patientique animo, & magno cum silentio aliorum opiniones audiant, & excipiant, quæ etsi plerumque auribus ingratæ, & nullis, aut certè pueribus & ridiculis argumentis fultæ sint, attamen haud decet dicentis orationem interrumpere; quinimmò nec finitâ, conuenit subitò contradicere, & erumpere in contrarias rationes: sed spatium potiùs interponendum, quò dicenti, seu consultori integrum sit aliquid dictis addere, minuere, vel mutare. Illi enim, qui statim contradicunt, vel interloquuntur, præterquàm quòd imprudentiæ notantur, iuxtà illud Sapientis: *Quis priùs respondet, quàm iudicat, stultum se esse demonstrat*, hoc assequuntur, vt contentioni, priuatisque affectionibus, quàm veritati magis indulgêre videantur, atque ita fit, vt fides eis neutiquam adhibeatur, aut certè eorum sententiæ, quas sic immaturè promunt, in dubium reuocentur. *Modestia in audiendo.*

*Secundum* est, vt Consiliarij morum grauitatem præ se ferant. Etenim, teste Lud. Granatense, prudentiæ adsident grauitas, & existimatio, vt contrà, facilitati, & leuitati imprudentia. Ideò Consiliarijs curæ esse debet, ne faciles sint in credendo, dando, promittendo, decernendo, conuersando, & multò minùs irascendo: quòd hi mores hominis proculdubio arguant leuitatem. Nam *qui citò credit, leuis est corde*, inquit Salomon, qui verò temerè donat, pœnitentiam sibi accersit: at qui ex facili promittit, libertatem sibi vel adimit, vel se inconstantem ostendit: qui autem determinat, ac decernit facilè, erroris se periculo subijcit, vt in Dauide testatur Scriptura in caussâ Amfiboseth: nimia vero familiaritas, contemptum, vt dicitur, parit, & leuitatem: facilitas denique irascendi, manifestum imprudentiæ argumentum præbet: qui enim nescit dissimulare, regnare nesciet, quâ de re suprà latiùs scripsi Cap. 2. & mox de Irâ proprio Capite dicam. *Grauitas tenenda.* 2. *Reg.* 4.

*Tertium*, & postremum est, vt restricto, aperto tamen ac simplici sermone, non prolixo, & fucato aut affectato vtantur, ne fastidientes, & saburratas, vt Plautus loquitur, auditorum aures reddant: Veritas multis verbis non eget: firmiùs tenemus paucis verbis comprehensa. In quo subsisto: cùm plura hac de re etiam dixerim suprà cap. 9.

---

*Hæc maximè sequenda Consiliarijs; paucis annecto quæ fugienda.*

## CAPVT XVII.

### *Principiò, vt in consilio dando ponant appetitus omnes, & affectus*; Iram *maximè, vt quæ inimica consilio sit.*

*Catil.* OMNES *homines* (inquit Sallustianus Cæsar) *qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitiâ, irâ, atque misericordiâ vacuos esse decet. Haud facilè animus verum prouidet, vbi ista officiunt; neque quisquam omnium libidini simul, & vsui paruit. Vbi intenderis ingenium, valet: si libido possidet, ea dominatur; animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui Reges, aut qui populi, irâ, aut misericordiâ impulsi malè consuluerunt.* O voces gemmeas, & memoratu dignas! Eccè habet in promptu magnus Cæsar, multos Reges, an populos, qui irâ impulsi, malè consuluerunt. & mirabitur quisquam? Quis enim nesciat, *ex priuatis affectionibus, ferè omnem humanæ vitæ perniciem enasci*?

*Liuius lib. 2.*

*Senec. 2. de Ira.* Summa cura itaque refrænet minister consiliorum affectus: sed ex omnibus imprimis *debet Iram remouere*; —— *cum quâ nihil rectè, nihil consideratè fieri potest.* Rectè Plutarchus: Ως δί ὀμιχλης τὰ σώματα, καὶ δί ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται: *Vt per nebulam corpora, sic per iram res videntur maiores.* Itaque,

*Cic. 2. de Off.*

*De Ira.*

*Menãder.*

οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται:
*Haud tuta in ira consilia capi queunt.*

*Senec. 3. de de Ira.* Nimirùm, quòd affectus iste, turbet munus animi, videlicet Rationem: Equidem *nihil diligenter in fluctu cernitur*; Et vt quidam ait:

*Simplic. in c. 11. Epict.*

*Ira mentis omne consilium premit.*

*G. Naziãzen.*

οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται,
τὰ γὰρ μετ' ὀργῆς οὐδέπω βουλὴν ἔχει:

*Nemo per iram tutò delıberat;*
*Quæ enim per iram fiunt, nunquam consilio dant locum.*

*Virg. Æneid. 2.*

——— *Furor iraq; mentem*
*Præcipitant.*

*Claud. Mãlij. Th.* Quare cum Poëta: —— *Dijs proximus ille est,*
*Quem ratio, non ira mouet*:

*Senec. de Tran. Plu.* Secundus, *qui iram habet in potestate*: Itaque *In ira nihil decentius, quàm cùm adest silentium.*

*Da spatium tenuemq; moram mala cuncta ministrat*
*Impetus.*

*Cic. ad Q. fratrem epist. 1.* *Moderari animo, & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacêre, & tenêre in sua potestate animi motum, ac dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenij.*

Iuua-

Iuuabit plurimum iræ sufflaminandæ, *Si citò non credamus.——Magis veritas elucet, quò sæpiùs ad manum venit.* Senec. Li. 2. de Ira. c. 29.

## EXEMPLA & NOTÆ.

I. BIANTEM PRIENÆVM, clarum sapientiâ virum, solitum dicere legimus, bono consilio duo maximè contraria esse: Iracundiam scilicet, & Festinationem: quòd illa sic hominis iudicium interuertat, vt nullius consilij capax videatur; hæc verò veri disquisitionem impediat, hoc est, consulta inconsulta reddat, nec maturescere sinat. Laert.

II. ARISTOTELES autem aiebat, has adfectiones non aliter rationi caliginem suffundere, quàm fumus oculos commouet, & adspectum perturbat. Stobæ. ser. 18. Proindè, ira cæca est, inquit, & sæpè non sinit cernere, quæ apertissima sunt, & percepta sæpè obscurat: Idemque adstruit Seneca: *Etiamsi ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem: coargui non vult; & in malè cœptus honestior illi pertinacia videtur, quàm pœnitentia.* Lib. 1. de Ira. ca. 16.

III. Quod ipsum probat idem Seneca, claro GN. PISONIS exemplo, d. cap. 16. qui cùm iratus, ad supplicium duci iussisset militem, quòd ex commeatu sine commilitone redierat, quasi eum interfecisset, moræ impatiens, & omnis humanitatis oblitus, ocyus rapi, ac duci iubet. Verùm, misero ceruicem iam porrigenti, apparet commilito, quem occisum credebat *Piso*. Quid actum? *Centurio*, qui supplicio præpositus erat, condere gladium *Speculatorem** iubet, reducitque damnatum ad Pisonem: Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones. Conscendit tribunal furens *Piso*, & iubet duci vtrumque, & eum militem, qui non extinctus erat à Speculatore, & eum qui non perierat. Quid hoc indignius? quia vnus innocens apparuerat, duo peribant, *Piso* (nefandum dictu) adiecit & tertium. Nam ipsum *Centurionem*, qui damnatum reduxerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem illo loco perituri tres ob vnius Innocentiam. O quàm solers est iracundia ad fingendas causas furoris! *Te*, inquit, *duci iubeo, quia damnatus es: te, quia causa damnationis commilitoni fuisti; te, quia iussus, occidere Imperatori non paruisti.* Excogitauit, inquit Seneca, quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat. Habet, inquam, iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur, veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit: clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos destinauit insequitur, adiectis conuicijs, maledictisque.

* genus militis carnificẽ agentis.

IV. Quare, haud immeritò ANTIOCHVS Sophista, quærentibus, cur in concionem non prodiret, nec Reipub. munia, veluti formidolosus capesseret, respondit; *Non vos metui, sed meipsum*: agnoscens bilem suam vehementiorem, quàm

vt cohiberi posset. Inconsulta enim est ira, & proindè velut ex diametro prudentiæ, quæ sola præit, teste Platone, aduersa: atque ita iracundus ad omnem functionem, nedùm qua de agitur, inutilis est: Nam, insuper teste B. Anthelmo:

*In Menoc.*

*In Monost.*

τίκτει τοι μῖσος μῆνις, ὁμόνοια δ' ἔρωτα:

*Ira odium generat, concordia nutrit Amorem.*

*Ex Panormit. lib. 3.*

V. Satis sit veterum. In nouitijs, eminet ALPHONSVS Aragoniæ, sui temporis prudentissimus & præstantissimus Rex, qui magnam videns perniciem humanæ societati ab irâ, cæterisque priuatis affectionibus enasci: identidem dicebat, si nasci se contigisset temporibus, quibus Romana Respublica florebat, se constructurum fuisse è regione Curiæ templum *Ioui Positorio*, in quo priusquam venirent in Senatum Patres Conscripti, iram, odium, amorem, ac priuatos omnes affectus ponerent. Allusit ad priscorum morem, qui Iouem multis cognominibus insigniebant: nunc Statorem, nunc Camelion, nunc Genethlion, nunc Philium, nunc Xenion appellantes. At si tàm multa possit Iupiter, illud imprimis præstandum erat, vt in consilijs, Senatibus, ac iudicijs, in quibus de Repub. consultatur, nihil haberent momenti affectus priuati. nam hi sunt consultores pessimi, qui frequenter, & ciuitates & regna bellis committunt, & denique pessundant.

*2. de Ira c. 2.*

Vidit olim vir ille exactæ Sapientiæ Seneca: *Sæpè in iram*, inquit, *vno agmine itum est, viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vnusquisque consensêre: & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit. Ad arma protinus, ignesq; discursum est, & indicta finitimis bella, aut gesta cum ciuibus. Tota cum stirpe omni cremata domus*, &c. *violauit legationes rupto iure gentium, rabiesq; infanda ciuitatem tulit: nec datum tempus, quò resideret tumor publicus: sed deductæ protinus classes, & oneratæ tumultuario milite. Sine more, sine auspicijs, ductu iræ suæ egressus, fortuita, raptaq; pro armis gessit: deindè magnâ clade temeritatem audacis iræ luit.* & alibi: *Nihil ergò habet in se vtile, celer ille & hostilis affectus; at omnia è contrario mala, ferrum, ignes; pudore calcato, cædibus inquinauit manus, membra liberorum dispersit, nihil vacuum reliquit à scelere, non gloriæ memor, non infamiæ metuens; inemendabilis cùm ex ira in odium occaluit.*

*Li. 3. c. 41.*

*Cap. 12.*

Vnicum autem, & maximum iræ remedium mora seu dilatio est, teste eodem Seneca: *Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies molliet: quædam ex toto euanescent, quidquid voles, quale sit, scire, tempori trade. nihil diligenter in fluctu cernitur.* A quo non abhorret illa B. Gregorij: *quoties animum ira inuadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris: cùm tranquilla mens fuerit, fac quod placet.* Plurimùm autem tibi conferet tacendi consuetudo, donec æstum animi deferbuisse intellexeris (ait pulcherrimè Simplicius,) & canem tuum internum latrare desijsse. Fertur enim & Socrates, siquando commotus esset vehementiùs, tacuisse. Imitemur; & iram morâ & silentio cohibeamus, vel potiùs remoueamus.

*Lib. 5. Moral.*

*Lib. 2. de Ira ca. 29.*

Secundo, non temerè delatoribus credamus, ex consilio Senecæ; *His*, inquit,

*quæ*

*quæ narrata ſunt non debemus citò credere. Multi mentiuntur vt decipiant, multi quia decepti ſunt: alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluiſſe factam: eſt aliquis malignus & qui amicitias cohærentes diducere velit: eſt ſuſpicax & qui ſpectare ludos cupiat, vt ex longinquo tutoq; ſpeculetur quos colliſit. De paruula ſumma iudicaturo, tibi res ſine teſte non probaretur teſtis ſine iureiurando non valeret. Vtrique parti dares aduocationem* (id eſt moram) *dares tempus, nec ſimul audires: magis enim veritas elucet, quò ſæpiùs ad manum venit.* Plura in hanc ſententiam cui res ea eſt volupe legantur infra lib. 5. cap. 9.

---

## CAPVT XVIII.

## *Iram autem comitari ſolent* Diſcordia & Peruicacia *in conſilijs.*

QVIBVS animi vitijs atque perturbationibus quicunque laborat, ne ipſe conſilio inutilis exiſtimandus eſt. Diſſidet ſiquidem ab alijs, cedit nemini, *Teren.* omnibus refragatur, denique *melius, peius, proſit, obſit, nil videt, niſi quod lubet.* Immò, *Heaut.* qui hoc contentionis morbo infectus eſt, *interitum omnibus humanis ſocietatibus*, ne- *Xenophon.* dum Principibus, ſibique *ſtruit, atque parat.* Quidni? *cum omnia opportuniora fa-* *Liuius l. 4.* *ciat inſidiantibus*, Pulchrè, verèque Prudentius:

*———ſciſſura domeſtica, turbat* *De Conc.*
*Rem populi, titubatq; foris, quod diſſidet intus.* *& Diſcor.*
*Ergò cauete viri, ne ſit ſententia diſcors*
*Senſibus in veſtris.*

Prudenter itaque exiſtimârunt Illuſtriſſimi Romanorum, *non oportêre eos priuatis* *Val. Max.* *odijs diſſidêre, qui publicè ſummâ eſſent iuncti poteſtate.* Etenim, *periniquum eſt, propter pri-* *l. 4. cap. 2.* *uatas ſimultates, Rempub. in diſcrimen adducere; nec abutendum occaſione ad explenda odia,* *Appian. Alexand.* *ſed potiùs Reipub. ſunt donandæ priuatæ iniuriæ.* *lib. 2.*

*Probo equidem* καταλλάξαι τὰς ἔχθρας, καὶ τοὺς ἀλλήλοις ὄντας πολεμίους: *mu-* *Herodian.* *tantes inimicitias, & odia in concordiam.* Vbi enim Concordia, ibi ſana conſilia.

Faceſſat igitur *Diſcordia*, & *ſimultas* Collegas inter.

Sed, & *Pertinacia.* Inepti enim non ſolùm vani, qui adeò acres ſunt, adeò pugnaces, & ſententiæ tenaces ſuæ, nemini vt velint cedere, putentque malè cum honore actum ſuo, ſi herbam, vt dicitur, diſſentaneo dare cogantur. Vanos dixi: *Cicer. lib.* quia, *nunquam præſtantibus in Repub. viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio.* *1. epiſt. pen.* Quotus enim quiſque eſt, *quem non aliqua pars ignorantiæ attingat?* Itaque longè *Senec. 2. de* longèque ſatius eſt, in melius mutare conſilium, quod benè ſuadentibus alijs, in- *Ira cap. 9.* utile Reipub. videatur.

Ergò apagè eos, qui *conſilij quamuis egregij, quod non ipſi afferunt, inimici ſunt,* *Tacit. 1. Hiſt.* ——qui *bonum publicum priuatis ſimultationibus impediunt,* —— qui *proſpera ſibi vin-* *Id. 4. ann.* *dicant, aduerſa alijs imputant.* *Id. agric.*

Isocrat. in Panathe. Meliore & æquiore ingenio, qui *sicubi ipsos errare contigerit, indicatæ veritati libenter assentiri volunt; at vulgus ineptum contumacissimum est.*

Lib. 4. de Benef. c. 28. Benè Seneca: *Non est leuitas à cognito & damnato errore discedere: & ingenuè fatendum est, aliud putaui, deceptus sum.*

Sed, an cedendũ refractarijs istis, & litigiosis? haud censuerim. Nam, *animi* Dion. Halicar. lib. 2. *peruicaces cùm sentiunt aduersarios ad se demulcendos verti, non se moderatiores, sed longè tenaciores & duriores præbent.*

Liuius lib. 7. *Parua* quidem *sunt hæc, sed quæ non contemnendo maiores nostri maximi fecerunt.*

EXEMPLA cum NOTIS.

I. Liu. lib. 1. Lvbet ordiri à Q. FABIO MAX. celeberrimo illo Senatore Romano. Is igitur Censura duobusque Consulatibus simul gestis, expertum se esse dicebat, nihil concordi collegio firmius ad Remp. tuendam atque propagandam. Nec mirum: nam quî fieri potest, vt consiliarij benè de publicâ re consulent, aut consulta ad exitum perducant, vbi diuortia sunt animorum?

Xiphil. in Antonino. II. Hinc ijdem ROMANI *Concordiæ* templum nullam aliam ob caussam excitarunt, quàm vt hominum dissidia, quibus interdum Respub. fluctuari solet, factis in eo sacrificijs deponerentur. Ideoque *Seuero* Romanorum Imperatore iam morbo extincto, cùm odium inter *Getam* & *Antoninum* fratres, ob regni successionem exesset ortum, Senatus decreuit, vt pro concordiâ vtriusque dijs immortalibus sacrificaretur, ac præsertim ipsi *Concordiæ.* Præclarum herclè Romanorum, etsi in caligine & errore illo Religionis, scitum. quippè sciebat domesticas, & internas discordias nonnunquam Rempub. euertere, aut certè attenuare.

Plut. Apopht. III. Quod ipsum alieno didicit periculo SCIPIO AFRICANVS, qui cùm Numantinos sæpè victores iam fregisset, obsessosque tandem expugnasset, *Tyresium* eorum Principem rogauit, quâ de caussâ Numantia, aut priùs inuicta, aut post euersa fuisset? respondit Tyresius: *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.*

Tacit. 14. Hist. IV. Ita IVLIVS CLASSICANVS *Suetonio discors bonum publicum priuatis simultatibus impediebat.*

In Hist. Gall. V. Verùm, vt ad recentioris æui exempla decurrat stylus, haud scio, an illustrius vsquam exstet, quàm apud Frossardum, qui notatu dignum super hac re prodidit Historiam; quæ est eiusmodi: Tempore *Caroli VI.* Gallorum Regis, Hungari, & his adiuncti Galli, magnis viribus obsidebant Nicopolim, bonâ spe conceptâ, breui se dominos vrbis fore. Interim Rex *Basa*, ex omni suâ, & vicinorum Principum ditione, coëgit circiter ducenta millia velitum, præmisitque octo ferè millia, reliquo exercitu in duas partes diuiso. Nostri, inquit, vt procurrentes illos viderunt, statim ad arma, festinatione summâ. Porrò, qui explorandi caussâ missi fuerat, cùm dicerent, modicam esse hostilem turbam (nec enim præter velites quenquam viderant) Galli repentè magnis animis ad pugnam properare. Sic instructis, *Hungariæ Rex* denunciauit ne quid præcipitanter agerent: vereri se, ne explo-

ploratores omnem exercitum probè contemplati ſint. Alios iam quoſdam à ſe miſſos,locorum & regionis maximè gnaros, qui intra pauciſſimas horas dubio procul certiora ſint allaturi. Conſilium hoc multis viſum vtile,& proindè omninò ſequendum. Sed *Conneſtablius* Galliæ,quòd prior ipſe ſententiam rogatus non eſſet benè ſapienterque à Rege Hungariæ dictum. interpretari ſuperbè, & malignè; puta,Hungarum in animo ſtatutum habere,vt Gallis in acie diſpoſitis, ipſe victoriæ laudem ferat. In hanc ſententiam ineptè quidem ille plurima,non quòd ita ſentiret,aut Hungari conſilium reprehenderet,ſed quòd inuideret Principi à Coucij,nuper paruâ manu fuſis hoſtilibus copijs,auctiori facto.Se verò,quò non alius in Gallia poſt Regem amplior ſit atque ſublimior,vlli poſtpoſitum iri,nimirum id iniquiſſimè ferre: & ſuam potiùs auctoritatem in rebus gerendis primam eſſe debere & præ cæteris valêre plurimùm exiſtimabat. Itaque reiecta,quam ceteri probabant Hungari ſententia,minimè cunctandum ratus,non expectato ſociorum auxilio,in hoſtem progreſſus eſt: quo facto,reliquos, etiam quantumuis inuitos,adegit,niſi deſertores haberi vellent,iungere copias. Vide,quid faciat inuidia,faſtus,diſcordia. Nam hoc conſilio factum,vt Galli,& Hungari,circumfuſa vndequaque hoſtium turba, ad internecionem vſque delerentur. Adeò verum eſt,quod Aurelius Victor ait: *Iactantis eſſe,& leuiſsimi ingenij,ardore triumphandi ob lauream,id eſt.folia infructuoſa,in diſcrimen,per incertos euentus certaminum,ſecuritatem ciuium ſuorum præcipitare*

VI. Eſt & conſimile exemplum ſub manu. Obſidebat CAROLVS V. Imp. Tunetum: qua in obſidione Comes Sarnotanus cum Italis ſtrenue admodum ſeſe gerebat,ſic,quòd impreſſione contra Turcas facta,dubio Marte vtrinque pugnaretur,& ſubſidio Hiſpanorum,qui in confinio erant,opus eſſet:verùm illi,quòd Italis de ſententia Conſilij Cæſarei frons aciei aſſignata eſſet,ſuccurrere eis noluerunt: quæ res nedùm Italis,ſed & ipſis Hiſpanis fraudi fuit.quippe quòd cæſis ad internecionem Italis,die poſtero Hiſpanorum caſtra inuaſerit Turca,non ſine eorum grandi cæde,& totius exercitus Cæſarei periculo & damno. *Fran. Fiamel. Queſ. milit. c. 4.*

VII. Noſtrâ verò ætate eandem cladem eueniſſe vidimus in Friſiâ, dum bellis ciuilibus ditiones Regiæ inter ſe diſceptarent. Illò miſſus erat à Duce Albano IOANNES DE LIGNII Comes Arenbergus,cum exiguâ quidem Hiſpanorum manu,Comitem LVDOVICVM Naſſouium, qui caſtris Hollandorum præerat,oppugnaturus. Conſultabat ille,atque deliberabat cum Hiſpanis quibuſdam militum Tribunis,expediretnè ſe in aciem committere. Aſſerunt Hiſpani,Comite reclamante,& dicente,ſatiùs forè auxiliares copias præſtolari, quæ certò in hoſticum aduolabant: quod impar viribus eſſet & ingenio loci impediretur,quò minùs ei victoria ſperanda foret.Nihilò ſeciùs Comitis ignauiam, ſiue etiam (vt interpretabantur) perfidiam accuſant Hiſpani,aſſerentes,hoc illum conſilio pugnam detrectare, quò hoſti copiam fugæ faceret. Quâ iniuriâ perculſus magnanimus Heros, præ calido Hiſpanorum conſilio acquieſcit, *Anno 1568.*

ſed non ſine ſuâ, ſuorumque clade maximâ: Nam, vt ad manus ventum eſt, magno hoſtis impetu in Hiſpanos irruit, quorum ordinibus fuſis, pleroſque omnes delet & conficit, inter quos & ipſe *Arenbergus*, vir alioqui manu ſtrenuus.

VIII. Hîc etiam offendit apud Romanos CÆSONIVS PÆTO, qui quidem tuendæ Armeniæ cauſſa, à *Nerone* aduerſus Parthos miſſus, fortium, & militarium virorum cõſilia optima faſtidiebat, ac in diuerſa, ac deteriora tranſire malebat, ne alienæ ſententiæ indigens videretur. quæ res quàm peſſimè ei ceſſerit, narrant Taciti ſcripta.

*Lib. 15. Ann. Idem 1. Hiſt.*

IX. Nec abſimilis illi, tumidus ille LACON, qui *conſilij quamuis egregij, quod non ipſe afferret, inimicus, & aduerſus peritos pertinax.*

X. Ex quibus exemplis, & antememoratis documentis officio, eos minùs eſſe conſilio aptos, quamuis alioqui maximis ingenij dotibus præditos, qui ſeſe ſic refractarios in conſilijs Principum præbent. Nam vt certantibus ventis mare facilè commouetur, ſic certantibus inter ſe Conſiliarijs publica res non difficulter concutitur. quod quidem conſiderans. C. *Caßius* docuit, quàm procul ab hoc vitio eſſe debeant ij, ad quos pertinet conſilium dare: is enim auctoritatis ſeruandæ cauſſa, nunquam cuiquàm contradicebat, ſi Tacito credimus, de eo ſic ſcribenti: *ſimul quidquid hoc auctoritatis in nobis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, vt maneret integrum, ſi quando Reſpub. conſilijs eguiſſet.* Itaque ſumant noſtri Chriſtiani ab iſtis Ethnicis exempla moderationis, & tandem dediſcant attendere ad perſonas conſultorum. Nam, proh dolor, ſunt plerique qui non tàm ad id quod dicitur, quàm ad eum, qui dicit, reſpiciunt, qui ſi amicus ſit, mox eunt in eius ſententiam: ſin inimicus, continuò, & plenis buccis reclamant.

*Lib. 14. Ann.*

Remedium aduerſum Diſſenſiones.

Aduerſum hanc Conſilij peſtem, & præſens remedium eſt patientia. Non tantùm aduerſarium vincit, qui patitur, ſed & ſeipſum, hoc eſt, animum ſuum vincit, tanquam hoſtem peſſimum, in quo laus fortitudinis ineſt maxima. Tu igitur pone ſimultates, pone æmulationem, au tcertè ſepone, quiſquis in conſilio Principis ſedes.

*Ord. Imp. p. 1. tit 3 §. 2.*

I. Hoc ipſum ſalubriter cauetur auguſtiſſimo illo SPIRENSI, ac potiùs imperij SENATV, ex lege quam magnus Cæſar, atque adeò Adſeſſores ipſi ſibi dixerunt: *A diſſidijs vtrimqu e contumelijsq; abſtinento: paci, & concordiæ mutuæ ſtudento.* Diſſidia damnat lex, quæ à prauâ voluntate, non quæ ab intellectu, & ratiocinatione proficiſcuntur.

*Plut. Apopht. & Polit. Herod. lib. 8.*

II. ARISTIDIS exemplum memorandum, qui cùm *Themiſtocli* admodum aduerſus eſſet, & tamen vnà in Legationem miſſi eſſent, *Viſnè ô Themiſtocles*, inquit, *vt in his mentibus, inimicitias paulisper deponamus, recepturi eas, cùm redierimus?* Quò quidem docuit, vir prudentiſſimus, patientiâ vincendas eſſe ſimultates, aut certè ad tempus deponendas ijs, qui vnà Reipub. negotium agunt & promouent.

*Ex Plut. Phol.*

III. Conſilium etiam CRETINA MAGNETIS, pleriſque vehementer probatur, qui cum honoris cupiditate, ſiue (vt loquimur) prærogatiua, vt plerum-

rumque hodie fit, ab alijs Principum ministris dissentiret, animaduerteretque *Cretinas*, eâ re Ciuitatis salutem periclitari, *Hermias* cessit & iussit, Ciuitatem susciperet gubernandam; se etenim eius administratione submoturum, atque aliò profecturum iam destinasse: quòd si alteras suscipere partes mallet, Ciuitate ipse decederet, eique Imperium & gubernacula Reipub. relinqueret. Siquidem metuendum summoperè, ne ob ambitionem, intestinæque contentionis studia Ciuitas ipsa funditùs interiret. Accepit conditiones *Hermias*, & optione propositâ cessit, *Cretinam* bellicosiorem professus, & magis idoneum, cui salus Reip. committeretur, Ciuitate abijt. Quem *Cretinas* comiter, & humaniter prosecutus ijs opibus iuuit, atque ornauit, quas solùm vertentibus, vsui futuras existimauit. Porrò Ciuitatem extremis iam periculis proximam, præter spem omnium, est fortissimè tutatus. Etenim si hæc exclamare, *Amo liberos; sed patriam magis amo*, generosi, excelsique animi iudicatur, cur non id fac llimum dictu? *Odi illum, maleq; afficere cupio, sed magis patriam amo*: nolle enim eas inimicitias tollere, quibus etiam amicus sit periturus, immanis nimirum, & feri admodum hominis est.

IV. Inter Romanos hac animi moderatione excelluit PLANCVS Ciceronis ille familiaris: *Non me impedient*, inquit ad Ciceronem, *priuatæ offensiones, quò minùs pro Reipub. salute, etiam cum inimicißimo consentiam.* *Lib. 10. ep. 1.*

Et hæc quidem viri Ethnici; ad quos, proh pudor, plerique Christianorum sunt remittendi, qui bonum publicum priuatis simultatibus affligunt, aliàs re, consilio, vitâ ipsâ iuuandum. Sed audiant quæso consiliarij candidi, sententiam D. Gregorij, (lubet enim & volupe est, beatas illas & cœlestes mentes interdum contemplari) præbentes Christianam patientiam pro remedio aduersus dissidiorum faces: *Nunquam*, inquit, *seruari concordia, nisi per solam patientiam valet. Crebrò namque in humanâ actione nascitur, vndè mentes hominum vicißim à suâ vnitate, & dilectione separentur: & nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret. Hinc etenim Paulus ait: Inuicem onera vestra portare, & sic adimplebitis legem Domini.* Hectenus ille, quæ sanè merentur vt singulis Consistorium vestibulis exarentur. *Lib. 21. in Iob. Cap. 16.*

Postremò *cauendum dixi Consiliario Peruicaciam.* Nam quidam sunt, qui nec inuidiâ, nec odio cuiusquam dicuntur, sed peruicaciâ quadam ab ea quam conceperunt semel sententia, diuelli se, aut rationibus vllis sibi persuaderi non patiuntur: ac sæpè argumentorum vi, ac multitudine armati veniunt in Senatum, quasi ad hostes debellandos, ne vel in dicendo peccasse, vel sententiam mutasse videantur. Itaque tales explorandi à consilijs Principum. At, qui meliori mente sunt, non difficulter pro re, & tempore alijs assentiuntur, neque indignè ferunt, si suam reijci sententiam animaduertunt. Quales fuêre Nestor, & Vlysses Homerici: *Cauenda & Peruicacia.* *Odyss. 6.*

*Haud vnquam neque concio nos, neque Curia dictu*
*Audiuit pugnare, animo sed semper eodem,*
*Et sentire eadem, atque eadem decernere vidit.*

Hæc tamen intellige post discessionem, & re peractâ: nam integrâ re, quin liceat in alia ire omnia ( pertinacia modò absit ) nemo vnus est qui non sciat. Audi ARISTENEM illum Liuianum: *Nemo tàm habes est*, inquit, *qui ignorare possit, dicendi, ac suadendi quod quisque aut velit, aut optimum putet, nunc occasionem esse, priusquam aliquid decernamus: vbi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus antè displicuerit, pro bono atque vtili fœdere defendendum.* Et explicatè Plinius: *Singulos integrâ re dissentire fas esse; peracta, quòd pluribus placuisset, cunctis tuendum.* Itaque facessant meo, Ciceronisque calculo, qui *errare malunt, & eam sententiam, quam adamauerunt pugnacissimè defendere, quam sine pertinaciâ, quid constantissimè dicatur, exquirere.*

Lib. 32. — Lib. 6. ep. 13. — 1. Acadē. Quæst.

Quòd si tamen tales Principi necessarij sunt, fortè ob ingenij præstantiam vel generis splendorem, aliasque ob caussas, prudentiæ tùm erit collegarum cum eo dissimulare; Principis vero in exquirendo ab eo consilio, *Isocratis* doctrinam sequi; nimirum vt rem super quâ consultandum est, tanquam alienam ei proponat, ita enim citra contradicendi studium, & propalandi periculum, eius, vt & aliorum, synceram hauriet sententiam. Sin autem inferioris notæ sint isti peruicaces, Principis erit compellere, vt sint quieti, qui suo vitio renuunt esse pacifici, sin contumaces sint in ordinem redigere.

In Paran.

Denique, illud quærendum est quod sæpius vsu venit, quid si in consultando Princeps interpellat, quod ægrè apud æquales toleratur, segesque magna indignationis eâ re datur? quænam sunt in illo euentu Consiliarij partes? scilicetnè tacere, an cœptum sermonem prosequi debeat? Ratio dubitandi, quod propior sit temeritati qui Principe in alia omnia eunte propriam sequi sententiam nititur. Ad hanc quæstionem sic respondet Eminentissimus Cardinalis Palæotus. Imprimis boni, & Sapientis Principis esse, cùm aliquid in consilium adducturus est, id purè adeò proponere, & singulis verbis inueniendi veri desiderium monstrare, vt suspicari quispiam nequeat, quid ille magis cupiat; Interdum etiam valdè expedire, quid in vtramque partem faciat ipsum tanquam in ancipiti librâ positum, in medium afferre, ac quasi designatos ostendere locos, vnde infirmiora ingenia quærendi consilij materiam possint elicere; cùm interim ipse planè declaret se non magis hoc malle, quam illud, sed id maximè, quòd publicæ seruiat vtilitati. Posteà cùm respondere Consiliarij cœperint, magnum illis ad dicendum alacritatem ab eodem Principe afferri debere, vt scilicet ipsis diligenter audiendis se benignum, atque attentum præbeat, neque id solum erga eos seruandum, qui præ cæteris dicendi facultate, & rerum vsu præstare censentur, verumetiam erga alios quoscumque, qui loco suo dicturi sunt; immò quò

sunt

ſunt nonnulli aliquando imbecilliores, aut in conſeſſu inferiores, eò magis dicère videtur, vt Principis benignitate & placabilitate erigantur, vt hac ratione animus illis ad dicendum addatur, quo nomine dilaudatur maximè Traianus Imp. quod, eo rogante ſententias, liberè cuique dicere liceret, vinceretque ſententia non prima, ſed melior. Contrà autem ſolet libertas conſulentium impediri, vt ait Plutarchus, dum liberè ipſis loquentibus Princeps vel iraſcitur vel illibentiùs quæ ſuo ſenſu non arrident, oſtenditque ſibi gratiora, quæ placent, quàm quæ proſunt. Verùm, vt ad interpellationem redeamus, conſideret Conſiliarius, Principem non propterea improbare dicta, ſed magis vt ſuppeditentur ei rationes & argumenta, quibus ſuam tueri ſententiam, eamque ſi res ita poſtulet, eâ quâ decet modeſtiâ ac reuerentiâ proferre. De temeritate quod dictum eſt, nulla erit in Conſiliario, ex quo ſtudeat bono publico & quicquid producit argumentorum, id faciat quò veritas magis magiſque eluceſcat. Nunc ad alia progrediamur. *T e Diſcrim. Adul. & am.*

---

## CAPVT XIX.

### *Verùm*, pecuniæ ſtudium, *ſi quid aliud, Conſiliarijs vitandum eſt.*

QVOD enim, quæſo iudicium in eo, qui pecunijs ſemper adſtupet? quod conſilium in deliberationibus, cuius mens cumulandis theſauris accenditur? immò quæ fides in eo eſſe poterit, qui bonum publicum ſpernit, priuatum ſolicitè quærit, & ambit? Nimirum nihil penſi, neque ſancti habet, præ vtilitate priuatâ. *Peſſimum ſanè humani affectus eſt venenum, ſua cuique vtilitas.* *Tacit. 1. Hiſt.*

Teſtor Poëtam græcum: *Euripides.*

Οὐδὲν φρονεῖ οἰκτρὸν, οὐδὲ βούλεται.

*Nihil ſapit, nec vult, quod æquum & fas fiet.*

Quid queris? *fidem, probitatem, cæteraſque artes bonas ſubuertit auarus; pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docet.* Nec mirum: cùm *animi cupiditas omnis perfidiæ ſit materia.* *Salluſt. Catil.* *S. Ambroſ. Apol. c. 4.*

Benè igitur dictum Val. Maximo: *ij demùm penates, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu ſtare poteſt, vbi minimum pecuniæ cupido ſibi vindicat.* Quid ita? quia *à quibus abeſt ſtudium lucri, abeſt etiam voluntas peccandi, & cauſſa fallendi.* Fœlices ſanè iſti: *Quid præcelſius illo viro, qui auro moueri neſciat, contemptum habeat pecuniarum, & è quadam velut ex arce deſpiciat hominum cupiditates?* —— *O quam multum eſt non corrumpi diuitiarum contubernio!* *Lib. 4.* *Lactan. Firm. lib. 1. diuin. inſtit. c. 4.* *S. Ambroſ. 1. off. c. 14.* *Senec. ep. 21.*

Sallust. ad Cæs. Eapropter pecuniæ ſtudium atque decus, à te, tuiſque, ô Princeps, auferas: aut, quoad res ferat, minuas neceſſe eſt: *neque enim aliter priuata res, neque publica, neque domi, neque militiæ regi poteſt.*

Sopho. Antig.
*Etenim nihil hominibus perinde noxium:*
*Euertit vrbes proprijs è ſedibus,*
*Domoq́; ciues excutit; docet, animos*
*Mutat bonos, vt ſe ad malas res adplicent:*
*Fallacias quaſuis ſtruere quibuslibet.*
*In rebus omnibus agere impiè.*

Quæ omnia, tribus verbis expreſſit alter Poëta Græcus:

Menãder.
Ἀλλὰ σχεδὸν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
Εἴρηκας: ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ᾽ ἔνι:

*Id nempè dicis, omnium quod eſt caput*
*Malorum, Auaritiam mihi cum nominas.*

Lib. 3. Et antiquus ille Lucretius:

*Denique auarities & honorum cæca cupido*
*Impellunt homines, iuris tranſcendere fines.*

Cic. pro Quint. Vidit Orator Romanus: *Nullum eſt officium tam ſanctum atque ſolemne, quod non auaritia comminuere ac violare poſſit.*

Sed & Satyricus ille:

Iuuen. Sat. 14.
——— ———*Sed quæ reuerentia legum,*
*Quis metus aut pudor eſt vnquam properantis auari?*

Clemens Alex. Legi alibi: *in eo facultatem ratiocinandi, non in capite, ſed in* pecunijs *collocari* atque ideò talem, *futurum perfidum Conſiliarium, Iudicem irreligioſum, Magiſtratum quæſtui, & muneribus obnoxium,* rectè Principem ſuum Plutarchus monet.

In Polit. Itaque arcendi ab hoc munere, quibus manus aduncæ, quibus Numen ſit in arcâ, non in arâ. Verba Dei ſunt, *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, &* Exod. 23. *ſubuertunt verba iuſtorum.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

Lib. 4. QVanto opere, & ſtudio auaritiam, atque adeò auaritiæ ſuſpicionem, vel ipſi defugerint Ethnici, eximijs quorundam Romanorum exemplis colligere eſt, quorum primum ſumatur à Valerio Maximo auctore, vt elegantiſſimo, ita veriſſimo.

I. Q. Fabivs Gvrges, C. N. Pictores Q. Ogvlinvs reuerſi ex legatione quam ſuſceperant ad *Ptolomæum* Regem, munera quæ ab eo priuatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs quàm ad Senatum legationem referrent, detulerunt; de publico ſcilicet miniſterio nihil cuiquam, præter laudem benè adminiſtrati officij accedere debere iudicantes. Verumtamen (quæ humanitas Senatus fuit) data ſunt legatis, quæ in ærarium repoſuerant, non ſolùm Patrum conſcriptorum decreto, ſed etiam populi permiſſu, eaque legatis Quæſtores promptè vnicuique diſtribuerunt. Eccè, verebantur integerrimi viri, ne fortè congiarij acceptio aliquid de ipſorum fide, ac integritate delibaret, quam vt præferrent, publicè reddebant, quæ publicè acceperant.

II. Fabritivs, Conſul Romanus, Legatus ad Regem Pyrrhum (qui aduerſus Romanos Tarentinis auxilium tulerat) miſſus de redimendis captiuis, ab Rege ſollicitatus fertur, quarta regni parte ei promiſſa, vt Romanis deſtitutis ad ſe tranſiret: verùm nec iſta etiam quantumlibet maximæ ſpei oſtentatione permotus *Fabricius*, à ſuſcepto ſe negocio abduci paſſus eſt. *Eutrop. li. 2. Rom. antiq.*

III. Nec diſpar abſtinentiæ exemplum in Helvidico Prisco: Is, *cunctis vitæ Officijs æquabilis erat, opum contemptor, recti peruicax, conſtans aduerſus metus.* Præclaræ dotes in Ethnicis, immò Phœniceæ, vt ſunt hodierni mores vel in ipſis Chriſtianis. *Taci. 4. Ann.*

IV. Heluidium excipiet Agrippa, miniſter conſiliorum Cæſ. Auguſti: Deliberanti eodem Octauiano *Auguſto*, poſt ſopita bella ciuilia, & profligatum M. Antonium, nùm Romanum Imperium ſuſcipere vellet, liberè & ex animi ſui ſententiâ eum dehortatus eſt, ne acciperet, tametſi certò ſciret, euecto ipſo ad id faſtigij, ſe quoque ad altiſſimos dignitatum gradus promotum iri; ſed animo aduerſus cupidinem inuicto, publicam rem antehabuit priuatæ vtilitati. *Dio. lib. 52.*

V. Pulcherrimum monitum M. Tullij Ciceronis ad Quintum Fratrem: *Si quis eſt qui tibi nunquam in ſuſpicionem venerit, nihil eſt quod non ei & committi & credi rectiſſimè putem: ſed ſi quis eſt in quo iam offenderit, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil credideris, nullam partem exiſtimationis tuæ commiſeris.* quid ita? quia proprium eſt humani generis odiſſe quem læſeris. *Epiſt. ad Q. frat.*

VI. Non parum igitur prudenter Illuſtriſſ. quidam Cardinalis interroganti aulico, cuius maximè eſſet fidele conſilium? *Aurum* reſpondit *contemnentis*: verè quidem & prudenter.

VII. Duo enim ſunt vitia, quibus magna Imperia euertuntur, teſte M. Catone, *Luxuria* nimirum, & *auaritia*. Idemq; voluit Salluſtius, dum inquit: *Cæterũ auaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt; quò intendit, Oppida, agros, fana atq; domos vaſtat: diuina cum humanis permiſcet: neq; exercitus, neq; mœnia obſtant, quominus vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales ſpoliat.* Itaquè meritò ab inclyto *gentium Doctore*, cupiditas diuitiarum vocatur φιλαργυρία, radix omnium *Ad Cæſ. de Rep. ord.* *1. Tim. 6.*

mnium malorum. nam, vt virtute radicis pullulant stirpes, rami, frondes, flores, atque fructus: ita vitio cupiditatis pullulat pecuniæ amor, seruitus, cultus Dei contemptus, proximi odium, omnium etiam coniunctissimorum despectio. Quare rectè Demosthenes asserebat, *non esse apud eos, quorum omnia studia, & cogitationes ad auaritiam referuntur quidquam vel firmi, vel sancti.* Quod & docuit Syrachides dicens, *nihil esse iniquius, quàm amare pecuniam; Hic enim & animam suam venalem habet.*

*Cont. Aristocr.* *Cap. 10. Ecclesiast.*

*Arist. 7. Polit. c. 10.* VIII. Itaque prouidè apud nonnullos populos lege cautum est, *ne ij qui agros hostibus finitimos haberent, in consilium adhibeantur de bello, quod cum finitimis suscipiendum est: quasi rei priuatæ adspectus impediat, quò minùs prudens consilium quis capere possit.* Scitum, quod bellicas quidem res tangebat, sed quid vetat, quominùs ad alias transferatur?

*Paulus Iouius.* IX. Hac ratione CONSALVVS de CORDOVA, ne sinistram de se concitaret opinionem apud *Fridericum* Regem Catholicum, qui bellum parabat in Neapolitanos, de bonis suis eâ in prouinciâ sitis, decessit, Regique qui paullò antè ei donauerat, cessit.

*Barthol. Philip. lib. 2. delle ordinanze.* X. Et Illustres quidam Præfecti militum animaduertentes bona sua in hostico existentia illæsa, & sarcta tecta fore ex hostili decreto (id quod hostis hoc consilio fecerat, quò mox illi in inuidiam apud Principem vocarentur) illico in fiscum Principis eiusmodi bona detulerunt, ne rei priuatæ studio addicti fortassis viderentur.

*Hier. Platus de Card. dig. & off.* XI. Conspicuus etiam, & eminens ab hac moderatione ELZEARIVS Comes, & Princeps magnæ auctoritatis. Hic enim cùm propter eximias virtutes, magnasque opes in magnâ esset gratiâ apud *Robertum* Galliæ Regem, itemque apud *Carolum* eius filium, qui Neapolitanum regnum pro patre administrabat, & apud eum omnia posset, nimirum lautissima munera, & ditissima apud eum quotidie deferebantur, sed ille omnia constanter repudiabat, dicebatque posse se quidem sine culpâ accipere, vereri tamen, ne suo exemplo alij mouerentur, qui deindè etiam cùm culpa acciperent. Itaque cùm aliquando ex cubiculo suo ita auditus esset orare: *Domine, tu mihi in cœlo debes centum auri vncias, itemq; duos pannos purpureos*, interrogatus, quid hoc sibi vellet, respondit, quia illo die ea munera sibi oblata respuisset.

*P. Cötzen. lib. 7. Polit. cap. vlt.* XII. Vir quidam magnus, sed non inexpugnabilis auro, cùm à Principe ingens vas argenteum accepisset, idque vxori custodiendum tradidisset non sine elogio donatoris; illam rem inconsultò prodidit. Nam scypho humi deposito octennem filium applicuit; expertura an staturam ipsius æquaret. Nec mora, puer de tanto scypho & tanto patris amico se inter sodales iactauit: intellectum æmulis, protractum est poculum, ille de dignitate detractus.

Sapiens admodū Imp. XIII. Non contemnendum igitur Imperatoris LEONIS monitum: *Consultores adhibe* (inquit ad filium Principem,) *experientes rerum, prouidos, perspicaces, ærumna-*

*rumnarum ac prosperitas tuæ socios, ad cogitandum solertes, fideles, qui tibi neque ad gratiam* Leonis
*obtemperabunt, neque ei qui rei susceptor exsistit, neque sibi mutuò, sed qui quod cogitant, dicunt,* cohortatio.
*qui simplici animo & incorrupto sunt, nullumq; ex ijs rebus* (notate) *lucrum quærunt, sed eo ipso tempore, quid maximè vtile sit, explorant. Sunt enim qui quàm lucrum aliquod, vel compendium, aut ad se, aut ad eos quos caros habent, atque diligunt, pertinere posse vident, totam iudicationem rei eò transferunt: & quia pertinaces sunt, vniuersum consilium ab vtilitate* Opusc. de
*communi, ad id quod ipsi volunt, deducunt*, Hactenus ille, qui videtur Philosophi He- Appar.
racliti legisse sententiam dicentis Consiliarios quorum oculi pecuniæ studio fa- belli.
scinati sunt, nihil videre, occæcatos esse, & quò plus auaritiæ proximant, tantùm à Iustitiâ atque veritate adeoque auctoritate remotiores sunt.

Caput igitur esto, vt aliquos in consilium assumpturus, sagaci curâ animad- Digressio
uertas, nùm è re, de quâ consultandum est, vtilitatem accepturi sunt, an non: vel ad Princi-
aliàs, an sint rei priuatæ addicti. Nam si tales, certissimum erit argumentum, pes.
nunquam tibi fidele obsequium præstituros. Quid ita? quia, vt B. inquit An- In Monast.
thelmus,

ψευδέα χ' ἁρπαγμοὺς φιλοκερδὴς, κλέμματά τ' αἱρεῖ:

*Semper auarus amat mendacia, furta, rapinas.*

Haud difficulter autem deprehendes, si interdum consilium ab eis exquiras super rebus, quæ bono publico aduersantur, veluti imponendis grauibus exactionibus & tributis, violandis subditorum priuilegijs, vindicandis proprijs iniurijs, hisque similibus. Nam ex eorum responso ex facili videbis, an præ suis commodis neglectui habeant publicam rem, eiusque vtilitatem.

Ante omnia inquires, nùm Consiliarij tui alterius Principis obsequio man- Damnatur
cipati sint, quales ij, quos Pensionarios à pensionibus nuncupamus, quas sæpè uit Pen-
clanculum ab alijs Principibus in maximam tuam fraudem & captionem sibi su- sionarijs.
munt. Proindè cauendum ab istis aurisugis; quorum tamen tanta frequentia est, vt vix vlla sit Aula, quæ careat eiusmodi exploratoribus, quibus quotannis alij Principes, atque adeò Turcarum nonnunquam, certa stipendia soluunt. Deteriores sanè ipsis Ethnicis, qui famam & existimationem suam in periculum, & discri- Æmil.
men adduci rebantur, siquid congiarij, aut muneris ab alio, quàm Principe suo, Probus.
acceptum ferrent. Testes erit AGESILAVS Lacedæmonius, qui tantùm abest, vt maxima munera, à maximis missa Principibus, acciperet, quin litteras ad se ab eis, & nominatim Persarum Rege missas, resignare noluit, dicens: *Si Rex Lacedæmonijs amicus sit, frustrà sibi priuatim scribi, cùm ei quoque amicus sit; sin inimicus, ne litteras quidem, vel quidlibet aliud, eum à fide abduceret quam Lacedæmonijs deberet.* O aptissimam & idoneam mentem, quæ in consilium Principis assumatur! Apagè ergò, auaros aut addictos rei priuatæ, qui vt plurimùm occulti sunt, & eò damnabiliores Reipub. hostes.

Itaque, quod olim Iustinianus Præsidibus Prouinciarum, hoc tibi ô Princeps tan-

*Nouella de Mand. Principũ c. 5.* tanquam Imperij arcanum propono: *Festinabis Consiliarium,& quicunque circa te, assumere virum optimum, & purum vndequaque,& contentum ijs quæ à Fisco dantur: & siquid præter spem accesserit,& non inueneris eum custodientem tibi fidem iustam,illum quidem expelles,alio verò vtêris consiliario,legem & Iustitiam cum puris seruante manibus*: Elegans profectò constitutio,& digna, quam omnes Principes & Potestates sibi dictam putent. Quoniam nihil æquè animum seducit ac peruertit,vt munera; quod ostendit Scriptura,multis in locis,tùm exemplo filiorum Samuelis,de quibus ita

*1. Reg. 8.* scriptum est: *Declinauerunt post auaritiam,acceperunt munera, peruerterunt iudicium.* Vbi optimè S. Gregorius: Notandum, quia ardor auaritiæ,caussa est accipiendorum munerum;& acceptio munerum,caussa peruertendi iudicij. *Hinc* sapienter fratrem suum Flaminium Platum Cardinalem monebat Hieronymus Platus vir insignis è Societate Iesu,vt continentiæ semper studeret,manusque ab accipiendo intactas seruaret. Non quidem,quòd omnia inquit respuenda,id enim nimis forsasse durum videretur: sed cùm apparet,eò dona tendere, vt animum deliniant, eòque inclinent,quò non decet,tùm verò constantissimè repudianda sunt,etiamsi auri montes offerantur. In quo genere egregium sanè factum,omniqúe dignum memoriâ,& ab omnibus Cardinalibus semper imitandum illud est MARTINI Cardinalis, *S. Bernardo* familiaris, quod ab ipso Bernardo descriptum eius verbis hîc ponam. Is,inquit, Cardinalis Presbyter,functus aliquando legatione in Daciâ,tàm pauper remeauit,vt pœnè expensis,& equis deficientibus,vix perueniret Florentiam: ibi Episcopus loci donauit ei equum quo Pisas vsque, vbi eramus tunc,peruectus est. Postridie,credo,secutus Episcopus(erat enim illi caussa cum aduersario,& agendi aderat dies)cœpit requirere suffragia amicorum. Cumque per singulos sollicitaretur,ventum est ad MARTINVM. Fiducia erat maior in illo,qui non posset immemor esse recentis beneficij. Tùm MARTINVS, *Decepisti*,inquit,*me,nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum: ecce in stabulo est.* & eadem hora resignauit illi. Hæc ille. Si ergò in caussis priuatorum & singulorum hominum,munera respuenda sunt,quantò magis in causâ publicâ, in quâ salus populorum agitur,religionis honos vertitur & propagatio? Vnde apertè S. Antoninus docet,peccare Cardinalem,cùm Papæ consilium suggerit in Ecclesiæ negotijs,in quo consilio non Ecclesiæ, populique Christiani vtilitatem spectet, sed suam,vel alicuius Principis amici,aut ciuitatis,erga quam sit affectus. Idemque confirmat Hieronymus Manfredus Iurisconsultus,his verbis: Turpissimè delinquunt,cùm animum,aut studium suum ad aliud applicant,quàm ad summi Dei honorem,& Christianæ fidei propagationem, fœlicitatem,& pacem totius Ecclesiæ, & necessariò his vinculis alligantur propter eorum dignitatem,nec vlli parcere debent labori,nihil ab eis iactura rerum æstimanda,sed potiùs discrimen ipsius vitæ subeundum,si aliter fieri nequeat,multò autem magis dispendium propriarum facultatum. Ex quibus efficio, nihil esse tàm congruum officio boni

Margin notes: Munera iudicium excæcãt. — *Lib. de Card. dig. & officio c. 11.* — *Lib. 4. Cõsid.* — *Part. 3. tit. 25. c. 2.* — *Tract. de Card. in. c. 7.*

Con-

Consiliarij , nihil etiam tàm decens integritati & conscientiæ boni Cardinalis, quàm postpositâ omni spe lucri, & honorum, præstare synceritatem , & fidem in sententiâ dicenda.

Iccircò prudentissimè Consiliarios ac potiùs Collegas suos monebat Eminentissimus Cardinalis Palæotus, vt in audiendis, meditandis, inuestigandis, communicandisque rebus necessarijs diligentiam ac vigilantiam omnem non solùm ponant, sed nullum vnquam suffragium ferant, quod conscientiæ suæ refragetur, eamque vt ducem optimam sibi perpetuò proponant quam semper sequantur: memoriâque repetant se eo in loco sedere vbi non priuata, sed publica, non sua, sed aliena commoda quærunt & procurant, illudque S. Ambrosij ob oculos semper habeant: *In Sacerdote* & Consiliario, *nihil tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non liberè loqui*: quâ de re satis diximus suprà cap. 15. satietas enim vitanda est. Nunc ad alia decurrat stylus.

*Lib. de S. Consist. Consult. p. 5. in fi.*

*Li. 7. epist. 29 ad Theodos. Imp.*

---

## CAPVT XX.

### *Vitanda &* Celeritas, *rationis & consilij maximè inimica.*

RATIO clara: quia *nulla res potest esse eadem festinata simul, & examinata.* *Apul. de Deo Socr.*

Ita fit, vt *celeritatem pœnitentia, sed eadem sera, atque inutilis sequatur: cùm præcipitata raptim consilia, neque reuocari, neque in integrum restitui possint.* Vidit hoc, & expendit quondam Cæsar *Augustus*, quem, vt testatum cunctis faceret, quantum Reipub. afferat detrimenti inconsulta celeritas, *& dicere in sermonibus, & scribere in epistolis solitum esse aiunt*, Σπεῦδε βραδέως: *festina lentè.* Dictum omni quidem hominum generi conueniens, sed præcipuè quibus

*Liuius lib. 1. Dec. 4.*

*A. Gellius c. 11.*

Λάοιτ' ἐπιτετράφαται, ϗ τόσσα μέμηλε: *Homer.*

*Commissi populi, ac tàm multa negocia cura.*

Quid ita? quia *nihil magni discriminis consilijs tam inimicum, quàm celeritas.* *Liuius. l. 3. Tacit. li. 1.*

Quippè sæpè vsu venit, *vt impetus acres, cunctatione languescant.* —— *scelera impetu, bona consilia, morâ valescunt.* Cur ita? quia *non properanti clara certaque sunt omnia.* —— τι γαρ ὂν χρήσιμον ϗ ἀσφαλέρον πρᾶγμα ἀναβολή: *Vtilis ergò & tuta res dilatio.*

*Idē. 6. Hist.*

*Liu. li. 22.*

*Dio Halic. lib 8.*

Quare, Corbuloni præcepto, *compositius cuncta, quàm festinantius agite.* Nam, *festinatio improuida est, & cæca*: quam proindè error sequitur, errorem infœlicitas, in fœlicitatem pœnitentia. Vidit, censuitque Lucianus;

*Tacit. 15. An.*

*Liuius li. 2 Dec. 4.*

Andalog.

Ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων, ἡ δὲ ταχεῖα,
Αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει:
*Tardum consilium longè præstantius est;*
*Præceps autem semper habet comitem pœnitentiam.*

Tacit. 2. Hist. Probandus itaque *cunctator naturâ,& cui cauta consilia cum ratione,quàm fœlicia ex casu placeant.* Atque hoc quidem in consultando: nam in exsequendo,laudatur, qui *extra dilationes positus,consultis facta coniungit.* Itaque *consulere quidem oportet lente,at consulta exequi festinanter.*

Paterculus. Arist. Polit,4.

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

I. EXperientia testatur,eum qui nimiùm properat,seriùs plerumque absoluere,non aliter,vt est apud Platonem,atque ijs qui perturbati festinant,accidere solet,vt vestem aliquando, aut calceos peruersè induant,quæ res posteà moram adferat.

Tranquillus. II. Vndè VESPASIANVS Imper.quò doceret festinationem,non solùm in consilijs,sed in omnibus etiam rebus maximè damnosam, nummis suis anchoram cum Delphine pisce exprimebat. Anchora enim,quoniam nauim remoratur,sistitque,tarditatem designat; Delphinus,quòd nando celerrimum sit animal,velocitatem indicat,atque ita ex his duobus contrarijs,maturitatem significabat,quàm binis verbis his designabat AVGVSTVS: *Festina lentè.*

Plutar. III. Proindè legatis Thebanis instanter petentibus ab AGESILAO,vt sibi responsum daret, *An non*, inquit, *scitis, cùm seria res agitur,in morâ multum esse consilij?*

Lib.3.Hist. IV. Vt meritò DIODOTVS apud Thucydidem dixerit, Celeritatem, & Iram bonæ consultationi maximè contrarias: quorum alterum cum amentiâ coniunctum esset,alterum cum imperitiâ,& consilij tenuitate.

Euagr.lib. 5. c.19. V. MAVRITIVS Tiberij II. Imper. supremus exercituum Præfectus, sic inscitiam audaciæ matrem ab se depulit,vt in temeritate periculum;in cunctatione securitatem esse censeret.

Guil. Zenocarus li. 5. Caroli. VI. Quod nec ignorauit CAROLVS V. Imperator:quippè qui moderata semper consilia,callidis,& inconsultis antepoluit. Ideò *Granuellum* maximi fecit, insistentem vestigijs *Mercurini* Cancellarij; & *Heltum* officio dimouit, qui erat æmulus Granuelli,& plerumque satagebat CAROLVM inducere in consilia calida,& violenta. Sed viri Principis Apophthegma haud negligendum: Offerenti quondam ei Iul. Cæsaris commentaria,vnde constabat eundem Cæsarem varias celeritate nactum esse victorias,respondit, Veteres vnicum tantum finem sibi propo-

proposuisse, Honorem: at Christianis, duos esse propositos fines; illum scilicet, & animæ salutem.

VII. Nec displicuit quoque hæc in consilijs mora, magno illi THOMÆ MORO. Is enim Vtopiensium secutus exemplum, ad matura consilia Regis ministros semper cohortabatur, immò, quò nihil nisi bene examinatum in consilio statueretur, censebat, quo die primùm quid in eo proponeretur, nihil de eodem disputandum, sed in proximum conuentum differretur: ne quis, vbi quod in buccam primò venerit, temere effutiat, ac ea posteà excogitet, quibus decreta sua tueatur, malitque salutis publicæ, quàm existimationis & opinionis suæ iacturam facere, peruerso quodam ac præpostero pudore, ne initio parùm prospexisse videatur. *Lib. 2. Vtop.*

VIII. Quod quidem monitum ab ALEX. SEVERO sumpsisse videtur, qui proposita re Consiliarijs suis, spatium ad disquirendum cogitandumque dabat, ne de rebus sæpe ingentibus, incogitati sententias dicere cogerentur. Prudens profectò, & laudabile institutum, quippe quòd omnia non properanti clara, festinatio verò, improuida est, & cœca. *Lamprid.*

IX. Iccircò CALIXTVS Pontifex Max. dicebat: *Nos tempore indigemus, vt aliquid maturè agamus; non præcipitemus consilia, & opera nostra, neque eorum ordinem corrumpamus.* Vnde dici solet, *gladiatorum esse, non Senatorum, capere in arena consilium.* *Ca. Pōderet quæst. 14. Card. Pala. p. 4. q. 6.*

X. Neque silentio inuoluendum egregium LVDOVICI GRANATENSIS Theologi fama inclyti monitum, qui inter quinque cautiones, quas deliberantibus proponit, moram quoque posuit, & cunctationem. Sed singulas audiamus, dignæ enim sunt memoria cuiusque, nedùm Consiliariorum. Prima est, vt à diuino Numine consilium auspicetur, sine cuius ope, in irritum cadunt humana consilia. Secunda est, mentis aciem dirigere, & intendere non modò ad substantiam rei, verumetiam ad circunstantias, easque diù multumque iusta iudicij trutina appensas librare: nam, quandoque neglectus vnus circunstantiæ articulus omnem eneruat, si non euertit, consultationem. III. Re sic sæpicule apud se examinata, eam conferre cum consultoribus: quæ enim cogitata sine consilio exsequuntur, haud fermè bonum exitum consequuntur. Ideò Salomon monet, vt, *ne sis sapiens apud temetipsum.* IV. Spatium deliberationi dandum, mora quippe interposita, & melius eorum, quibuscum negotium confers, ingenium, moresque noris, & notiora tibi fiunt omnia, & certiora, ne quod anteà placuerit, ex interuallo displiceat. V. Vt exemplis præteritorum temporum non insistas: nisi omnes circumstantiæ pares sint, quod tamen rarissimè accidit. Addo VI. Vt caueas tibi à quatuor prudentiæ nouercis: quarum *prima* est, Præcipitatio, quæ plerumque à confidentia nascitur (de qua mox dicam.) *Secunda* sit Adfectus animi, (de qua scripsi suprà Cap. 17.) *Tertia*, Pertinacia (super qua quoque egi suprà Cap. 18.) *Quarta*, Arrogantia, suique impotentia (de qua antè Cap. 16.) *Cautiones deliberantibus notādæ. Prouer. 3.*

Hæc inquam consilijs excludenda: quòd Præcipitatio cæca sit: quòd vbi adfectus animi dominantur, syncera consilia esse nequeant: Pertinacia verò consilio aditum obstruit: & fumus denique Arrogantiæ, omnia quò adspirat inficit, & inquinat. Addi potest VII. cautio, vt medium, tempus, finem aptum consulta exsequendi disquiras: quâ de re post paullò dicemus.

Maturum consilium quod? Sic ergò statuamus, matura consilia esse oportêre. At qui scies maturumnè sit, an præceps consilium; Scies, si remota præpropera *Fiducia*, consilium velut assectas habeat, *Timorem* & *Cunctationem*. Dico remouendam fiduciam: vtpote *Lib. 1.* consilijs maximè noxiam, nam suam, alienamvè potentiam iniustâ iudicij trutinâ ponderat, exitusque fœlices vt plurimùm inconsultè præsagit, immò arripit in antecessum ipsâ cogitatione. Hoc est quod de Athieniensibus Thucydides scribit: *Cum securitate quidem decernunt; at in ipsa rerum administratione cum metu deficiunt.* Pestis sanè magna in consilijs, præsertim cùm magnos insuper spiritus sibi quis sumit ad confidendum.

*Thucid. li. 6. Hist.* I. Non hoc ingenio HERMOCRATES, qui Syracusanos pugnam cum Atheniensibus commissuros, consilio hoc instruebat: *Quoniam*, inquit, *Athenienses propediem huc sunt appulsuri, videte quâ ratione pro viribus, opibusq; vestris ipsos honestissimè propulsaturi sitis: & cauete, ne per hostium contemptionem ab ipsis imparati opprimamini, neve rumoribus, & nuncijs alicundè allatis fidem non habentes, rerum summam negligatis, &c.*

*Plut. & Iustin.* II. Longè aliter MARDONIVS ille, qui Xerxem Regem calido, & inconsulto consilio incitabat ad bellum non necessarium, idque fiduciâ tantùm regiæ potentiæ. Verùm, hoc consilium exitu triste fuit. Nam Xerxes post pugnam ad Salaminam, cymba in fugam se dedit: Mardonius autem consilij auctor, turpissimè à quodam Spartano interfectus est.

*Dio. li. 42.* III. Quid de GN. POMPEIO dicam? nunquid & is infœlicem illam pugnam Pharsalicam pugnauit, quòd maximo atque copiosissimo exercitui confidens, præpropero consilio prælium cum I. Cæsare commisit?

*Câ. in Obsuc.* IV. Quid multis? LVDOVICVS eius nominis XI. Hungariæ, Bohemiæque Rex, hîc etiam offendit. Nam dum temerè nimiùm copijs suis confidit, cœco & imprudenti consilio, cum maximo *Solimanni* exercitu conserere manum non dubitauit: quò factum est, vt propè Mohacium, strenuus alioqui iuuenis, in riuulo exstingueretur. Idem nuper accidisse in Principe non nominando apud Condrusios habemus in recenti memoriâ, & non ita diu apud Iuliacenses in Duce etiam non nominando.

*Lib. 36.* V. Itaque, verè dictum ab A. GABINIO apud Dionem: *Præproperam temeritatem in rebus gerendis multoties damnum afferre: contra, accuratam considerationem ab initio adhibitam in actionibus perdurare omnibusq; emolumento cedere.* Conferunt quæ scripsi infrà ad Onosandri Strategicum cap. 13.

Porrò, dixi paullò antè, maturum videri consilium, si ei adfuerint *Timor*, & *Lib. 7.* *Cunctatio*: & mecum Herodotus: Ἀνὴρ οὗτος ἂν ἄριστος, εἰ βυλευόμενος μὲν ἀῤῥω-

δέοι

δέοι πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα ἐν δὲ τῷ ἔργῳ θρασὺς εἴη: *Vir ea ratione fiet optimus, si in deliberando quidem cunctetur & prætimeat quidquid potest contingere: in agendo autem confidat.*

I. Huius regulæ exemplum esse potest LVDOVICVS XI. non ille Hungariæ, de quo antè, sed Galliarum Rex, qui lentus erat, & trepidus in arduis deliberationibus, atque ita vndique se communiebat simul aliquid constituerat, vt vix vnquam (oculato teste Philippo Cominæo) falleretur, aut expectatione sua caderet, quis miretur? cùm exemplis omnis æui constet, *Principes prouidendo, consultando, cunctatione sæpiùs, quàm temeritate prodesse.* *Lib. 3. Comment. Tacit. 3. Hist.*

II. Ideò laudatur IVLIANVS Imper. *quòd prouidus esset, & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opem ferre solet exercitibus, & salutem.* Docet aptâ similitudine Plinius: Vt cochleæ lentè ingrediuntur, neque quicquam attingunt, aut vsquam sese mouent, nisi cornicus prætentarint: ita sapientem, oportet esse cunctabundum, minimeque præcipitem, sed pedetentim rem aggredi. *Amm. Marc. lib. 16. Plin. lib. 9. c. 31.*

III. Itaque bene, prudenterque monebat filium suum Imperator Leo: *Delibera tardè: nisi aliqua necessitas celeritatem requirat: at vbi consulueris, festinanter exsequere.* Dictum vtile nedum in bellicis, sed & in ciuilibus. vbique enim tarditas in consulendo laudatur; at in exsequendo, maturatò opus est. vnde CAROLVM illum V. Imp. solitum dicere legimus, totam Principum fortunam & fœlicitatem potissimùm consistere in consilijs, & eorum exsecutione: in consilijs quidem cunctatione & iudicio opus esse; exsecutione verò celeritate, & multa fiducia; tarditatem animam consilij esse, celeritatem exsecutionis; vtramque porrò simul iunctam esse quintam, vt aiebat, essentiam laudabilis Principis, & Consiliarij prudentis: quam tamen difficilem esse inuentu in vno eodem viro, vel ipsorum acutissimorum testimonio constat. FRANCISCVS I. Galliæ Rex, qui ingenij præstantiâ ceteris sui æui Principibus præstitit, consilijs quidem plurimùm valebat, præsertim bellicis; at in exsequendo vel à mediocribus, & minimis superabatur. Idem in CLEMENTE VII. Pontifice Max. annotatur. Cuius rei caussam esse nonnulli scribunt, quòd rectè consultare, nec commodùm scire consulta exsequi, procedat ab ingenio maximo, & exiguâ prudentiâ, quâ non frequenter pollent acria illa ingenia, scire autem aptè exsequi, & minùs rectè consultare, id esse multæ prudentiæ, & ingenij non planè magni: quòd nimirum requiratur plurimum prudentiæ in eo, qui consulta, & deliberata, dextrè & decorè exsequi debet. Verùm satis dictum esto de Celeritate in Consilijs vitanda.

*Opusc. de Appar. bel. Sansouinus de dict. & fact. Carol.*

Tarditas consilij anima, celeritas exsecutionis.

* *
*

## CAPVT XXI.

### *Hactenùs tamen Celeritatem repudiarim, nisi* Res, Occasio, Tempus, *aliud exigant.*

*Terent. Heaut. Sen. epist. 22. Pachom. li. 5. Pittaci. Cicero apud Dionem li. 45 Liu. lib. 3.*

QVIS enim non videt in consilio maximè consideranda esse præsentia, inuestigandaque quæ congruunt præsenti tempori, *quod* (vt Comicus inquit) *rerum omnium est primum?* Philosophi dogma est: *Non tantùm præsentis, sed vigilantis esse, occasionem obseruare properantem.* —— *Est enim occasio anima actionum; & rerum omnium benè gerendarum mater.* Placet ergò alterius Philosophi dictum γνῶθι καιρὸν, *nosce tempus.* Quid? an non omnium ætatum Historiæ, humanarumque rerum quotidiani euentus doceant, *plura negocia temporis & occasionum opportunitate, quàm viribus esse rectè confecta?* Crede Liuio: *Quid quæque nox aut dies ferat incertum est, puncto sæpè temporis maximarum rerum momenta vertuntur.*

*Epist. 71.*

Graphicè suo more Seneca: *Magna pars consilij est in tempore: consilia enim rebus aptantur, res ipsæ feruntur, imò voluuntur. ergò consilium sub die nasci debet, & hoc quoque tardum est nimis, sub manu, quod aiunt, nascatur oportet.*

*Elect.*

Benè quoque Sophocles: *Temporis opportunitas, operis est optima magistra, cuiusuis incœpti felix artifex.*

*Agath. lib. 4.*

*Qui ergò opportunæ occasionis momentum neglexerit, neque statim rei benè gerendæ occasionem arripuerit, frustrà deinde præterlapsam occasionem reuocabit.*

Pulchrè ad illam Ausonius: *Crine tegis faciem? cognosci nolo: sed heus cur occipiti caluo es? ne tenear fugiens.*

*Capitol. in Maxim. Demost. Philip. 3. Val. Max. 3. Hist. Indidem. Polyb. 9. Sophocl. Phil.*

Enimuerò in subitis, arduisque periculis nihil est festinatione tutius, *in quibus rapienda sunt consilia, non quærenda.*

Meminerit Consiliarius *dum nauis est salua, promptè consulere & prouidere ne euertatur: postquam enim fluctus exsuperat, inanè est studium* —— Itaque *Quòd temporis angustiæ negant, celeritate ac sagacitate consilij assequendum est.* Ideò rectè monet Tacitus; *Nullum cunctationi locum esse in eo consilio quod non potest laudari nisi per actum.* Rursum: *cunctatione opus non est, vbi perniciosior sit quies, quàm temeritas.* Itaque magni æstimet *opportunitatem temporis ex circunstantijs cognoscere.* Nam vt Tragicus Poëta inquit:

*Momentum haud exiguum confert,*
*Rebus agendis opportunitas:*
*Consilia omnia superat.*

*Tacit. 1. Hist.*

Summa, *vbi nihil festinatione tutius, facto magis quàm consultò opus est.*

Ideò

Ideò benè L. Marius: *Si in occasionis momento*, inquit, *cuius præteruolat opportunitas cunctatus paulùm fueris, ne quidquam mox omissam quæris: ——præsertim in bellis, quæ semel neglecta, non nisi summis discriminibus recuperatur.*——Quid quæris? *Rerum occasiones*, inquit ille, *tarditatem nostram & ignauiam non expectat.*

Vbi ista non absunt, *Occasio*, inquam, & *Tempus*, tutiora sunt lenta consilia; & audiendum hîc Vatis monitum:

*Da spatium, tenuemq; moram: mala cuncta ministrat* Stat. 10.
*Impetus.* Liuius. lib.

Veriloquium est: *Omnia non properanti clara certaq; sunt; festinatio improuida & cæca.* 3.

---

EXEMPLA cum NOTIS.

I. OCcasionem commodam effectricem esse magnarum rerum, siquidem eam ocyùs amplectamur, satis & super M. CATONIS ostendit expeditio. Qui cùm prouidisset quodam Hispaniæ oppido ex facili potiri se posse, si nec opinantes aggrederetur, confestim iter quatridui ingreditur per loca sola, & confragosa: simul ad constitutum venit, oppugnat, potiturque haud fermè sine vllâ suorum cæde. quibus caussam tàm prosperi successus exquirentibus, respondit, victoriam accelerationi adscribendam, quòd nimirùm quatridui iter, biduo confecisset. Front. lib. 3. cap. 2.

II. Sed memorandum eiusdem CATONIS insigne strategema. Is cùm plures in Hispaniâ vrbes subiugasset, vereretur que ne oppidani primâ occasione fidem exuerent & obsequium, vtpotè spem omnem in munitissimis muris ponentes, singulis vrbibus litteras scripsit eodem argumento, & eodem temporis momento destinandas, quarum summa erat, vt lectis quamprimum litteris, mœnia omnia æquarent solo; ni facerent, seueritatem suam certò, citòque experirentur. Itaque cùm vnaquæque ciuitas crederet sibi soli hæc mandata dari, omnes illicò paruerunt. Quod quidem eo consilio fecit, ne si morâ interpositâ, & diuerso temporis interstitio singulis illud mandaret, non solùm non patientiam accommodarent, verumetiam conspirationem in illum inirent: quæ omnia temporis celeritate, & occasionis momento aptissimè vitauit. Appian. Plut. Frōt.

III. AVGVSTVS Cæsar, illud semper citò factum posse dici aiebat, quod cùm factum esset, bene haberet: tarditatem enim quæ tuta esset, celeritati, cui periculum esset coniunctum, anteponebat. Fulg. l. 7.

IIII. IASON, celebris ille *Thessaliæ Dux*, simul atque constituit Lacedæmonios Lib. 6. Rer.

*Græc.* nios bello aggredi, celerrimè in Boëtiam transgressus est (verba sunt Xenophontis) ac in plurimis ciuitatibus antè conspectus fuit, quam quò tenderet, auditum esset: ita vt priusquàm quid contra ipsum moliri potuisset, longè discessera t: ostendens in rebus humanis celeritate sæpiùs multa digna ac egregia perfici posse, quàm vi & impressione.

*In eius vita.* V. Consimili prorsus ingenio & consilio fuit magnus ille EPAMINONDAS, qui (vt Æmilius Probus inquit) in omnibus negotijs, & expeditionibus bellicis, *temporibus dextrè, & sapienter vtebatur*; secutus *Pittaci* dictum, γνῶθι καιρόν. *Et *Chilonis* præceptum, dicentis, *Imprimis consultationes præsentibus temporibus accommodandas.*

**Nosce tempus.*

*Lib. 6.* VI. ALEXANDRO quoque MAGNO celeritatem tribuit Q. Curtius: *Nullam*, inquit, *virtutem Regis istius magis, quàm celeritatem laudauerim.* Illius iccircò dictum celebratur: *Odi lenta remedia & segnes medicos: nam mori strenuè quàm tardè conualescere malo.*

*Dio. lib. 42 Plut. Liu. Sueto.* VII. Sanè quod IVLIVS ille CÆSAR tot tantaque bella cum incredibili fœlicitate administrârit, cæteris vniuersi orbis Ducibus rei bellicæ gloria præstiterit, hostes quamuis potentissimos profligârit, celeribus eius atque improuisis expeditionibus, consilijsque adscribunt Historiarum monumenta. Suetonius quidem auctor est, tantâ vsum esse in rebus agendis celeritate, *vt persæpè nuncios, de se præuenerit.*

*Catil.* VIII. Apud Sallustium, *Maximum bonum in celeritate* CETHEGVS *putabat.*

In subitis, & arduis festinatione vtendum. *Ex Plutar.* IX. Itaque sit verum, in magnis seu subitis periculis, præsertim cùm subest occasio, festinatione vtendum, non etiam cunctatione. Quod suo quondam malo POMPEIVS magnus expertus fuit, qui cunctatione, dum Cæsaris exercitum ad Dyrrachium fame ferè consumptum delere poterat, victor iam quæ præ manibus erat perdidit. Vt verè illum errasse dixerit *Cæsar*, eò quia vim suorum, & impetum animorum ad incursionem paratorum morâ relaxasset.

*Tacit. li. 3. Hist.* X. FABIVS VALENS Vitellij Dux Rauennatem classem defecisse audiens, si cœptum iter properasset, nutantem *Cæcinnam* præuenire, aut ante discrimen pugnæ assequi legiones potuisset: cumque non deessent, qui monerent, vt cum fidissimis per occultos tramites vitata Rauenna, Hostiam, Cremonamque pergeret, *ipse intereà inutili cunctatione agendi, tempora* (verba notanda Taciti) *consultando consumpsit; mox consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec prouidit.*

XI. Ita MARTIANVM, aduersus Imper. *Zenonem* pro imperio decertantem, hîc etiam offendisse Nicephorus scribit: ita quidem, vt nisi prœlium in diem sequentem distulisset, actum de Imperatore fuisset: nam sceptro è vestigio *L. 16. c. 22.* potitus esset, atque Palatium occupasset. *Celerrima namque aquila est* (subijcit auctor) *tem-*

*temporis opportunitas,& Occasio: quæ ad pedes aduolans, capi à quopiam potest; sin aufugiat in altum aërem, eos qui se persequuntur, ridet, neque vt ad eos redeat, in animum inducit.*

XII. Denique, patrum nostrorum memoria, IOANNES FRIDERICVS, Saxoniæ Dux, dum *Carolum V.* celeritate opprimere potest, antequam vires augesceret procrastinatione, illi præclaram victoriam, sibi verò ignominiam, fugam, & carcerem attulit. *A. Scotus comment. ad 4. Tac.*

XIII. Non frustrà itaque PORTIVS LATRO. L. Catilinam ita compellat: *Nùm in gerendis negotijs ignoras sequendas temporum opportunitates & in occasione rerum desidiam, ac tarditatem omnem quàm diligentissimè fugiendam?* Enimuerò imprudentis est, exemplo illius *Fabij Valentis*, de quo paulò antè, *inutili cunctatione agendi tempora consultando consumere.* Didicerunt hoc experimento Brabanti, qui bellis his ciuilibus vrbium plurimarum, quas in recenti memoriâ habemus, iacturam fecerunt, quòd hostili obsidioni minùs in tempore occurrerint. Quoties superioribus annis patriam suam, & vicinorum, seditiosis militibus liberassent, si repentè, & è vestigio nascentem tumultum cohibuissent! *Omne malum nascens*, ait Orator, *facilè opprimitur; inueteratum, fit plerumque robustius.* Nihil verius, ô amici! *In Declã. apud Sallust.* *Tacit. 3. Hist.* *Philipp. 5.*

*Serum est cauendi tempus in medijs malis.* *Senec. Thy.*

Esto igitur indubitatum, in rebus gerendis tum demùm damnosam esse tarditatem, & procrastinationem, *cùm perniciosior est quies*, & tarditas, *quàm temeritas.* Aliàs, mora, & cunctatio semper tutiora sint. Tarditas quando damnosa. *Tacit. 1. Hist.*

I. Quod non nesciuit, atque adeò non semel experimento didicit ARATVS, inclytus Achæorum Dux, vir in rebus ciuilibus (teste Polybio) vsquequaque perfectus: *Hic enim in consilijs segnis erat, in subeundis periculis timidus; quò factum est, vt triumphis maximis omnem Peloponesum explerit.* *Lib. 4.*

II. IVLIVS etiam CÆSAR bello aduersus Belgas, *docet quantoperè Reipub. communisq́; salutis intersit, manus hostium distineri, ne cum tantâ multitudine vno tempore confligendum sit.* *2. de Bello Gall.*

III. AVGVSTVS verò Delphinum anchoræ alligabat, significans celeritatem morâ temperandam. *Sueto.*

IV. Nota est Q. FABII DICTATORIS apud Plut. Polybium, Cic. & alios Historia: qui *Annibalis* pro Imperio decertantis ferociam morâ contriuit: ita qui virtute vinci non poterat, cunctatione comminuit.

V. Ac in Belgio quidem nostro, nunquid DVX ALBANVS Aurantij Principis vires fregit cunctatione?

VI. Denique superioribus annis HENRICVS III. Gallorum Rex Christianissimus, Germanorum & Heluetiorum, aliorumque rebellium colluuiem, & ingentem exercitum, cunctatione, & procrastinatione profligauit. vt hostibus ignominiam, sibi verò ingentem acquisiuit gloriam, ac regni securitatem solidam, ac firmam reddidit. *A. Scotus in Comment. ad Tacit.*

Summa igitur esto: pro rerum, ac temporum circumstantijs, tàm in bellis, Festinatio

& tarditas moderanda.

quàm in ciuilibus rebus moderandam esse Festinationem,& Tarditatem. In illam impingunt, vt plurimùm, acerrimi homines ingenij, qui ignis in modum facilè in obiectam feruntur materiam; in istam lenti, & tardi, quales ferè senes: quòd segniores naturâ sint, & occasionem, quæ volubilis est, præterlabi ex facili patiuntur. quâ in re notatus **Comes Petrus Ernestus**, homo octogenarius in expeditione Amianensi: & apud Romanos vnus *Vitellius*, senex iam factus, Tacito culpatus. *Surdæ*, inquit, *ad fortia consilia Vitellio aures*. Isti quidem periculorum formidine, & nimiâ futuri sollicitudine plerumque deterrentur; quod certè minùs laudandum, cùm rerum euentus in nostrâ haud sint potestate. Ideò optimè Guicciardinus: Raræ sunt atq; fallaces magnæ occasiones, quas prudentes & magnanimi cùm offeruntur arripere debent; eas verò negligere, summâ reprehensione dignum est: ac sæpè nimis curiosa sapientia, & futuri nimiùm ponderatrix vituperatur: quoniam res humanæ totamque varijs casibus subijciuntur, vt rarò id eueniat quod viri etiam sapientes existimârant. & qui præsens bonum, futuri periculi timore, (quùm id nec certum nec propinquum est) negligit, summo sæpè dolore & infamiæ notâ, eorum periculorum, quæ post vana fiunt, metu vtilitatis & gloriæ, præsentes occasiones amisisse deprehenditur. Verùm, satis de Consiliarijs dictum.

*Lib. 15. Annal.*

*Hist. lib. 4.*



# IOANNIS A CHOKIER DE SVRLET,

## CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEODIENSIS CANONICI, ET VICARII GENERALIS, ABBATIS SECVLARIS ECCLESIÆ VISETENSIS.

# THESAVRI POLITICORVM APHORISMORVM LIBER QVARTVS.

*Benè est, abundè est, Consiliarijs iam affatim documentorum hausimus, ad benè salubriterq; consulendum: restat, vt nonnihilum pro Principibus ipsis ex eadem litterariâ penu promamus, vt quî sese habeant in consilio, imprimis legendo cognoscant.* Rerum enim humanarum, *ait Philosophus*, augustissimum est consultatione vti. *Quare, pro virili elaborandum, vt ipsam consultandi artem teneant: quam certis vt lineis iam includam, seriò suadet series operis nostri.* Epist. ad Alex.

## CAPVT I.

*Imprimis, magnum adhibeant Principes iudicium in dijudicandis consultationibus; ne nimirum procliuiores sint sequendis suorum sententijs; nevè aliquibus sic indulgeant, vt præ illis alios fastidiant.*



QVANQVAM enim Principes viros habeant Consiliarios doctrinâ, prudentiâque insignes, qui quid sequendum, fugiendumvè sit in deliberationibus dextrè dijudicent, attamen cùm sæpè accidat (quæ infirmitas est humanæ naturæ) vt vel prudentissimi non semper

eodem ſint mentis tenore,ſed errore interdum capiantur, pretium operæ eſt,vt conſultationibus interſint ipſi,cenſeantque ac deliberent maturè,quam de mul-
*Iſocra. Orat. de Pace.* tis ſententiam ſequantur. Suadet hoc quoque Orator Græcus,dum ait: *Non aliorum conſilia duntaxat otioſè audienda ſunt, ſed ipſi quoque diligentiſſimè de rebus cogitare debemus.* Cæteroquin,quis non videat excordis eſſe,incoctis ratione iudicioque
*Galba apud Sueton.c.14.* non tàm ire,quàm ferri in ſententias ſuorum Conſiliariorum? Talis bardus ille Imperator,qui ſicpotè *trium arbitrio regebatur,vt vix ſibiipſi conſtaret*, & ex illorum ſententia ſemper penderet,*quos proindè Pædagogos vulgus* meritò *vocabat.*

*Onoſand. Strateg. cap. 3.* Non ſic prudentior Princeps, ὅϛις μήθ' οὕτως ἄϛατος ἔσω τὴν διάνοιαν, ὡς αὐτὸς αὑτῷ χάμψαι ἀπιϛεῖν, μήθ' οὕτως αὐθάδης, ὡς μή τι, καὶ παρ' ἄλλα τοῦ παρ' αὑτὸν κρεῖττον οἴεσθαι νοῆσαι: *qui non adeò conſilij indigens eſt,vt ipſe ſibi incredulus vſquequaque diffidat; nec tam pertinaciter arrogans, vt à nemine meliora promi poſſe exiſtimet.*

*Sen. Epiſt.* Itaque *Sapientis eſt, examinare conſilia, & non citò facili credulitate ad falſa prolabi.*

*In Panethe.* Sed nec conuenit vni,vel alteri præ ceteris auſcultare: cùm *interdum* (vt ex vero ſcribit Iſocrates) *Sapientiſſimi fallantur; contemptus homuncio det optimum conſilium.*

*Plin.lib.7. epiſt.17.* Et ſane,*in numero ipſo,eſt quiddam magnum collatumq; conſilium,quibuſque ſingulis iudicij parum,omnibus plurimum.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

*Lamprid.* I. ALEXANDER SEVERVS Imperator Romanus, perpendens quantum iniurijs atque periculis obnoxius ille ſit, qui deſidi, ac remiſſo a-
*Lib. 8. de Re.* nimo conſilijs intereſt,ſæpe illud iactabat: *Mori præſtare,quàm precariò imperare.* Ille autem precariò imperat,teſte Fr. Patritio,qui nihil ex ſuo conſilio deliberat,ſed ex alieno ſemper pendet,& ad omnem tenuiſſimi ſpiritus auram flectitur; vel
Periculoſum precariò imperare. paucis hominibus ſe credit,quorum arbitrio omnia permittit, adeò vt ex eorum Commentario Imperium gerat,reliquis autem neutiquam auſcultet. Quod quidem quàm ſit Principi,Reique publicæ damnoſum,atque periculoſum, tùm ipſa ratio,tùm omnis æui quamplurima docent exempla. Illa, quia ſi vni plus quàm cæteris faueat,præterquàm quòd ille alijs imperare volet,minùs erunt liberæ conſultantium voces; metuentibus alijs,ne ſi liberè animi ſui ſententiam promant,in aliquo opinioni illius prædilecti aduerſentur,quòd ne accidat ſummoperè cauen-
*2. Comment.* dum eſt. Deinde *ſæpe accidit*(vt verè animaduertit,notauitque Cominæus)*vt prudentes etiam viri labantur,& errent in dicendis ſententijs,quando vel gratiâ,vel odio,vel æmulatione quadam impulſi diuerſum ab alijs dicunt. Sed & non ſemper ſunt eodem animi vigore. Quid ſi quis putet eos,qui ſic aberrant & labuntur,non eſſe Principum adhibendos conſilijs*

*filijs; ille meminerit, neminem esse omnium hominum, qui non fallatur aliquando, atque ex affectibus aliquid agat; ideoq; in magno deliberantium numero hoc boni inest quòd aliqui semper exsistunt, qui quod ab alijs peccatum est, emendant, atque sanant.* Non ergò vni, vel paucis, præ multis auscultandum.

II. Hoc institutum nequaquam tenuit Vitellius Cæsar, quippe qui *initio gubernationis magnam Imperij partem, nonnisi consilio, & arbitrio vilißimi cuiusque histrionum administrauit, & maximè Asiatici liberti.* Sueton. c. 12.

III. Refert Papirius Massonus, CAROLVM cognomento SIMPLICEM, Galliæ Regem, hac in re, vt in alijs plerisque lapsum esse, adeò quod à proceribus regni destitutus sit propter *Haganonem* Laudunensem. Hic modicæ originis, solus omnium consiliorum particeps erat; ac sine illo, neque domi, neque foris quidquam ardui gerebatur. Tanta obscuri hominis gratia Regi exitio fuit: cùm proceres molestè ferrent, vnum omnibus, eumque ignobili proximum, nobilissimis viris anteponi. *Lib. 2. Anna. Fran.*

IV. De ISAACIO Imperatore Orientis scribitur, *Theodorum* quendam Castamonitam hominem, & ad alias res ciuiles, & pecuniarias aptissimum, non suis tantùm, sed etiam sibi præfecisse quem (inquit Choniates) Logothetam designauit, & ab eo ducebatur, reducebatur, vt obnoxium aliquod animal, aut potiùs instar mancipij omne ab eo quod imperaretur peragebat, nihil ipse decernens. Contigit autem mori illum *Theodorum*; quid deinde? quærit alium Dominum, & adolescentulum quendam, vix à talibus, & scholis digressum summæ rei præfecit, qui non ipsum Imperatorem solùm, vti cetum maximum paruus piscis (qui Propompus dicitur) ducebat quò volebat & circumagebat, sed & militares numeros legionesque tractabat, &c. Denique subijcit Choniates ridiculè ac facere: Erat, inquit, ille adolescens velut apicula, aut culex, aures leonis adiduè circumsonans; aut vt niger pumilio qui maximum elephantem gubernat; vel vt funiculus, qui camelum naso trahit; vel denique vt angusta porta aut semita, quæ ad Aulam duceret. Et quid miramur? profectò hæc sunt risu, aut morsu potiùs & Satyra digna. Faciat qui volet Principum, audiet viuus vel mortuus, quod iste. *I. Lips. ex Choniat.*

V. Talis quondam fuit RICHARDVS Angliæ Eduardi IV. Filius: vt qui tantùm tribuebat Hiberniæ Principi, vt illi soli omnia Regni negotia committeret, nec quidquam erat adeò vel iniquum, vel absurdum, quod isto auctore Rex non esset acturus. *Frossard. Rer. Fran.*

VI. Eiusdem notæ superiori æuo fuit SIGISMVNDVS Exarchus Austriæ, quem omnia in aliquos familiares reijcere solitum, scribit Cominæus. Verùm posteà vehementer illum pœnituit, maximè cùm ab his permotus, omnes ditiones, & facultates suas, reseruatâ tantùm pensione annuâ, *in Maximilianum* potem, Caroli Burgundiæ Ducis generum, contulit.

VII. Patrum etiam memoria LVDOVICVS SFORTIA magnoperè ea- *Guicciard.*

eadem in re offendit, vt potè qui fratrem natu minorem Comitis de Griazzo consilijs suis bellicis præfecit, præterquam quòd maximas ei dignitates tribuit, Comite interim ipso, viro alioqui manu strenuo, prorsus neglecto. Quò factum est, vt grauiter offensus, siue etiam liuore perculsus Comes, à suo Principe, magno cum eius detrimento defecerit, transieritque ad partes *Ludouici* XII. Galliæ Regis, quocum acerrimè bellum gerebat Sfortia.

*In consultationibus ponendi omnes affectus.* VIII. Ex quibus concludo, expedire imprimis Principi non solùm consilijs interesse, sed etiam dijudicare debere, quæ recta, an praua sint consilia, ne alioqui saxum illud videatur, quò veteres olim Romani Deo suo *Termino* effingendo vtebantur. Hoc amplius, non oportere eum sic affectibus indulgere, vt consilium minùs prudentis, consilio prudentioris anteponat, vnumvè aliquem ferat in oculis, alterum verò negligit. Nam qui vni præ cæteris auscultat, videtur cæteros odisse, estque mera seruitus regnantis, impotens amor paucorum. *Tac. 2. An.* In quo peccauit OTHO Imp. qui prudentissimum *Paulini* consilium contemnens, à quo stabant Marius Celsus, & A. Gallus, ambo militares viri, maluit fratris sui Titiani, & Proculi Præfecti prætoriæ cohortis, hominum rei militaris expertium, consilio auscultare, non sine suo, aliorumque grandi periculo. *Id. 6. Annal.* Scimus quidem, *non esse nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de caussis Principes extollant*, sed hoc tantum volumus, ac vouemus, ne hactenus omnia huic vni concredant, vt minùs consilijs vacent, nevè tantùm illius sententiæ tribuant, vt aliorum monita meliora contemnant. Etenim, vt benè scriptum reliquit in suâ vernaculâ Guicciardinus: *Non sempre gli huomini sauij discernono, ò giudicano perfettamente; bisogna che spesso si dimostrino segni della debolezza dell' intelletto humano.* *Lib. 1.*

## CAPVT II.

## *Secundo*, *vt* Principes loquendi Libertatem *admittant.*

*Orat. ad Nicoclem.* ATQVE ab hac mente optimè Principem suum monebat Isocrates: Δίδου παῤῥησίαν τοῖς εὖ φρονοῦσιν, ἵνα περὶ ὧν ἂν ἀμφιγνοῇς, ἔχῃς τοὺς συνδοκιμάσοντας: *Potestatem fac viris sapientibus, liberè dicendi sententiam, vt si quibus de rebus dubitas, præsto sint, qui illas vnà tecum examinent.* Sed nec tantùm potestatem facere debet Princeps vera promendi consilia, verùm arte quadam & occultâ dexteritate opiniones ipsorum elicere, ac prouocare. Quomodo?

*Lib. 9. in Iob cap. 1.* Vt primùm à iunioribus incipias, ne nimirùm isti asseclæ sint seniorum; siue vt D. Gregorius loquitur, *ne antiquorum antiquitati cedant, neve pudore vitioso illis contradicere nolint, & minùs libera sint eorum suffragia.*

*Dio lib. 52.* Deindè, vt *in causis grauioribus*, exemplo Cæsaris Augusti, *sententias non palam* plerum-

plerumque *reges, sed in tabellis eas scriptas ad te solùm, ne cui alij innotescant perferri iubeas, sed & lectas statim deleri. Sic enim vniuscuiusque sententiam certissime cognosces, si eam à nemine alio cognitam iri persuasum habeat.*

Amplius, non parum proderit, vt sententias rogaturus sic te compares, vt alacritatem, animumque tuis addas, quò nimirùm confidenter, sineque vllo offensionis timore, animi sui sententiam promant. Cæteroquin, si patrui quodam supercilio dicta excipias, quis non sciat libertatem, atque adeò fœlicitatem impediri consiliorum? Quippè quia *timor nunquam fidele consilium daturus est.* Asseritque Tacitus noster, dum ait: *Pauidis, consilia in incerto esse.* *Senec. lib. 6. de Benef. c. 27.* *Li. 3. Hist.*

Sint ergò sententiæ liberæ, & impauidæ.

Nam profectò, *cuius aures ita formata sunt, vt aspera, quæ vtilia, & nihil nisi iucundum, & læsurum accipiant,* vel ipsi Æsculapio salus est desperata. Proponenda, ergò & admittenda libertas: *ita enim vniuscuiusque sententiam* vt dictum est *certò cognosces.* cuius autem sententiam sequendum existimabis, *eum collaudabis, honorabisq; (vtpotè cuius inuentis gloriam tibi paries)* cuius verò reijcies, *nequaquam eum aut ignominiâ afficies, aut culpabis: cùm ad eius voluntatem, non euentum sit respiciendum.* Quid quòd *defuturi sint qui suadeant, si malè suasisse periculum sit?* Sed istud sit sequiorum Principum: siquidem *hoc interest inter malos & bonos Principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi.* *Q. Curt. 4 Hist.* *Dio lib. 52.* *Indidem.* *Q. Curt. lib. 3.* *D. Ambr. apud Bar. tom. 4.* *Sallust. Catil.*

Sit igitur *animus in consulendo liber.*

---

## EXEMPLA, quibus MONITA inseruntur.

I. THEOPOMPVS Rex Spartanorum sciscitanti quæ potissimùm ratio seruandi regni esset? Respondit, *si iustam dicendi libertatem Princeps amicis permittat, & subditorum quantum fieri potest iniurias vindicet.* Nota *τὸ amicis*: quia solent Principes ijs quos colunt, & à quibus amantur libertatem dicendi permittere: vtpotè ab omni contemptione semotis. Debent autem esse tales mediocris fortunæ, quâ nihilominus contenti sint; partim, vt verum dicendo non vereantur offensam sui Principis; partim vt maiorem cum multis tractandi occasionem habeant. *Pomp. Lat. Plut.*

II. IVLIVS CÆSAR, cùm *Catonem* sibi in Senatu obstrepentem in carcerem coniecturus esset, excanduit *M. Petreius* Senator, domumque redire, nec dimisso Senatu, meditabatur, quo nomine increpatus à Cæsare: *Malo*, inquit, *in carcere cum Catone, quàm hîc tecum esse*, quo audito Cæsar statim *Catonem*, affectus pudore, dimisit: atque ita quod animi commotione Cæsar constituerat, vir & cordatus & grauis, dicendi libertate, quò minùs exsequeretur, impediuit. *Dio li. 37.*

III. Parem etiam libertatem suis concessit AVGVSTVS: quippè siquid publicè deliberandum proponeret, *seriò omnes cohortabatur, vt suum sibi consilium aperirent, annuens eis* (quò singulorum opiniones facile eliceret) *omnem libertatem.* *Idem 55.*

IV. Quid

Tranq. c. 29. III. Quid de TIBERIO eius priuigno? Is cum à *Q. Haterio* Senatore opinione dissideret, *Ignoscas*, inquit, *rogo, si quid aduersus te liberiùs, sicut Senator dixero*. Magna quidem magni Principis moderatio, non Principem se, sed Senatorem reputantis.

Dio Cassius. IV. HADRIANVS autem Cæsar, *non ægrè ferebat admoneri & corrigi, vel ab humili personâ, si quid præter sententiã, & etiam subitò ac fortuitò iuuaretur.* Sciebat optimus & eruditissimus Imperator, maximum momentum esse in admonitione, quæ magna plerunque ingenia, sed iacentia & deprauata corrigit, attollitque: *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt*, inquit Seneca, *quæ admonitione excitantur: non aliter quàm scintilla flatu leui adiuti ignem suum explicat, erigitur virtus quæ tacta est, & impulsa.* Epist. 9.

In Paneg. V. TRAIANVS quoque ab eadem libertate mirificè prædicatur: *Amas*, inquit Plinius, *constantiam ciuium, rectosq; ac viuidos animos, non* (vt alij) *contundis, ac deprimis; sed foues & attollis.* Et postea diducit: *Interrogauit quisque, quod placuit; dissentire, discedere, & copiam iudicij sui Reip. facere tutum fuit: consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus: vicitq; sententia non prima, sed melior. At, quis anteà* (tyrannorum æuo) *loqui, quis hiscere audebat, præter miseros illos qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi, & attoniti, ipsam illã mutã, ac sedentariam assentiendi necessitatem, quæ cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur? vnus solusq; censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, imprimis ipse qui censuerat.* Quis melius depinxerit optimorum Principum, vel tyrannorum mores? Verùm facessant isti, & ad optimos Principes, nisi nostros, stylum & animum conferamus.

Bart. di Bartolini. disc. 10. VI. CAROLVM V. Imper. dicere solitum legi, primum prudentiæ gradum esse firmum propositum non errandi: secundum, auscultare cum patientia & bonâ mente veritatem, præsertim cùm ea resultat in bonum eius cui instillatur, parùm enim prodest prudentem eum esse & fidelem qui optima consilia suggerit, cùm is, qui ea excipit, ijs vti nescit, aut non vult.

VII. Ex eadem familia FERDINANDVS II. etiam Imp. paucis abhinc annis vitâ functus, summoperè loquendi in sententia dicenda libertatem amabat. Ab eius obitu fuit sceda propria reperta eius manu scripta: *Canes mutos in Consilio non probare, qui nempe auctoritate cuiuspiam abripi se sinunt in sententiam, quam alioqui non probant; amare qui candidè, syncerè, liberè, modestè tamen, enunciant quod sentiunt.* Factum est non semel vt dicendis libertatem non modò commendarit, sed tuendam etiam susceperit. Cùm enim è maioribus aliquis ægrè visus esset ferre libertatem, qua minor oppositam in consultatione sententiam firmabat, tum Cæsar pro minore stetit, suâque tutelâ egit vt & posteà alij dicerent liberrimè.

Til. lib. 2. Rerũ Gall. VIII. *Diuus verò* LVDOVICVS, Galliæ Rex, inter cætera, quæ filio priuatim, vel publicè bene regnandi præcepta dedit; illud non in postremis ei commendauit: *Ita te gerito, vt qui tibi sunt à confeßionibus & consilijs liberè te admoneant, doceantq; quid in omnibus nogotijs sequendum, fugiendumvè sit.* Nostro tempore secus fit: Nam

Nam etsi plerique Principes censendi, atque arbitrandi facultatem suis concedant, haud ita tamen illi qui à confessionibus sunt, liberè officio suo funguntur: quod si secus facerent, non dubiè æquiores forent Principes, & subindè inueniretur, qui cum *Theodosio* Imp. iam ab *Ambrosio* de peccato monito, diceret: *Ægrè tandem reperi Veritatis magistrum.*

IX. O vtinam hodierni Principes parem dicendi libertatem admittant, atque iam dictus vir diuinus magno Cæsari Veritatem proponebat! Admirare mecum lector Principis facilitatem, Sacerdotis libertatem. Recesserat ab Oriente THEODOSIVS, cùm ecce Valentiniani atque Iudæi Christianos insectarentur, quâ de re cùm Episcopi apud *Ambrosium* quererentur, verbis quidem posteà, sed scriptis antè cum *Theodosio* egit, vt Christiani illorum infestationibus liberarentur: itaque Epistolam sic exorditur; *Peto, vt patienter sermonem meum audias, nam si indignus sum qui à te audiar, indignus sum, qui pro te offeram, cui tua vota, tuas committas preces. Ipse ergò non audies eum, quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro alijs audisti? Nec vereris iudicium tuum, me cum indignum putaris, quem audias, indignum feceris, qui pro te audiatur? Sed neque Imperiale est libertatem dicendi negare; neque sacerdotale, quod sentiat non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tàm populare, & tàm amabile est, quàm libertatem etiam in ijs diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos, & malos Principes, quòd boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in Sacerdote tàm periculosum apud Deum, tàm turpe apud homines, quàm quod sentiat, non liberè denunciare.* & post paullo: *Malo igitur, Imperator, bonorum mihi esse tecum, quàm malorum consortium, & ideò clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium: libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris; libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me interfero, alienis ingero, sed debitis ob tempore, mandatis Dei nostri obedio, quod facio primùm tui amore, tui gratia, tuæ studio conseruandæ salutis. Si id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sanè diuinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exsueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter: malo enim te sine meo periculo acceptum Deo esse & gloriosum. Sin autem silentij mei, dissimulationisq; culpa me ingrauat, nec te liberat, malo importuniorem me, quàm inutiliorem turpiorem iudices,* &c. Hactenus S. Ambros. Vtinam quæ diuino afflatus spiritu, tàm vera, quàm salubria, S. Sacerdos & magnus Præsul inculcat, tanquam diuinum Oraculum semper præ oculis Christiani Principes haberent, & Sacerdotes! Ita enim magno animarum lucro, eorum saluti optimè consultum esset. Sed ista dum negliguntur quâdam inconsiderantiâ, cùm Sacerdotum, tùm Regum, simulque Ecclesiarum atque Regnorum status in discrimen adducitur; graui quidem damno, immò & dispendio salutis æternæ frequenter euenit, vt qui à Sacerdotibus corrigi Reges negligunt atque despiciunt, corripiantur ipsi ab illo, qui corripit in furore, qui aufert spiritum Principum, *quique terribilis est super omnes Reges terræ.* Sed & cùm Sacerdotes nimium verentur atque timent admonere Principes delinquentes, immemores se ad hoc à Deo electos, secundum quod ab eo dictum est Hieremiæ; *Constitui te super Reges, & Principes*, fiet quidem omninò, æquatâ

*D. Ambr. apud Bar. Tom. 4. Ann.*

*Psal. 55.*

Notent Ecclesiastici, qui circa Principe

æquatâ iudicij lance, vt ab eis redarguantur, quos ipsi corripere neglexerunt, eosque experiantur asperos, duros, rebelles ac tyrannorum instar, Dei ministros, ac iura Ecclesiastica conculcantes. Enimuerò, nisi *Ambrosius* sumpto in audaciam animo liberè questus apud *Theodosium* esset de iniurijs illatis per Valentinianos Orthodoxis, easque magis magisque pullulantes in herbâ magnus Cæsar exstinxisset, non dubiè in magnam luxuriem cum pari Orthodoxorum calamitate prorepsissent. Rursum, nisi idem vir diuinus cladem Thessalonicensibus illatam dicto Cæsari exprobrasset, eique commercio Ecclesiæ interdixisset, putasne ad sanam sarctamque mentem tam maturè eum rediturum, aut etiam in hoc vno facinore acquieturum fuisse? verum, hac de re plura habes suprâ lib. 3. cap. 13. in Exemp. 17.

*Epist. 94.* Sic ergò censeamus, *necessarium esse* Principi *admoneri*, (vt cum Seneca loquar) *& habere aliquem aduocatum bonæ mentis, eq; tanto fremitu, tumultuq; falsorum, veram denique audire vocem.* Sed quid? rarissimi hodie, qui veras Principibus voces suggerant: quod ita? quia desunt Ambrosij desunt Chrysostomi, id est, veri Principum amici. Vera enim & amica libertas, teste Plutarcho, peccatis imminet, salutem ac medicinam afferens, non secus atque mel, quod vlcerosa mordet atque repurgat, alioqui iucundum & vtile. Aut certè si sint interdùm in aulis Principum viri tales, haud diù consistere possunt quin technis adulatorum eijciantur, quorum fucus vt detectus est, idem, quod is qui gallos pinxerat, faciunt, pueris mandans vt veros gallos à tabula procul abigat: ita enim isti, veros abigunt amicos, neque sinunt accedere propiùs.

Rari veridici in Aulis Principũ

*Plut. Lib. de Amic. & adul. discr.*

X. Talem libertatem exercuisse legimus Dauidem cum Saüle, Nathan cum Dauide, Eliam cum Achab & Ochozia, Danielem cum Nabuchodonosore, Moysem cum Pharaone, Isaiam & Zachariam cum Principibus Israël, denique Paulum cum Felice, Festo, & Agrippa, de quâ libertate loquitur Psalmographus Regius: *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*

*Psal. 118.*

Constet igitur libertatem in monendo adhibendam: sed & in consultando. Caussa in monito ARTABANI ad Xerxem: *O Princeps*, inquit, *nisi diuersæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem. sed necesse habet ea, quæ dicta est, vti: at cùm plures dictæ sunt, licet tanquam aurum deligere; quod per se discerni cùm nequeat, comparatum cum altero discerni potest.*

Libertas in consultando. *Herod. L. 7*

Et præclarè admodum, etsi paullò diffusius Orator Græcus: *Tanquam*, inquit, *satis iam noueritis, quid factum sit optimum, non nisi eos audire vultis, qui ad gratiam concionantur. Enimuerò, docebat vos, si publicam vtilitatem spectaretis, attentiùs eos audire, qui voluntatibus vestris aduersantur, quàm illos qui assentantur in omnibus. Nec enim ignoratis ab his, qui ea quæ vultis ex hoc loco dicunt, facilè vos posse decipi. Nam ad voluntatem audientis instituta oratio, quasi tenebras circumfundit, quò minus id quod vtilissimum est perspiciatis: ab his autem qui consulendo vestram gratiam non aucupantur, nihil est tale metuendum. Nullo enim modo vos à sententiâ abducent, nisi quid expediat, euidentissimè demonstrârint. Præterea,*

*Isoc. Orat. de Pace.*

quô

*qui fieri potest. vt illi vel de præteritis rectè iudicent, vel de futuris prudenter deliberent, nisi contrarias inter se rationes conferant, & æquos vtrisque auditores se præbeant?* Senatorū opiniones vt eliciēdæ.

Verùm, non modò adhibenda admittendaque consilijs libertas, sed artificio etiam quodam, vt in Aphorismis prædixi, cienda. Modos quosdam ibi notaui. alios hîc subnecto, nec etiam (vt spero) contemnendos.

I. Imprimis, admodum vtile erit Principi, subitò & quasi aliud agens, sententiam mox ab vno, mox ab altero seorsim exquirere. quod SFORTIAM cognomento MAGNVM callidè, & frequenter fecisse; scriptum nobis reliquit Paulus Iouius. *In eius vitae.79.*

II. Non per se, sed per quemdam amicum intimum iubeat explorari: quemadmodum LVDOVICVM XI. Galliæ Regem fecisse Cominæus refert. *Lib. 6.*

III. Idque sine vllo ordine, nunc à minimis, nunc à potentioribus incipiendo: quod institutum olim tenuisse Romanos docet Dio: *In omnibus*, inquit, *Comitijs, vbi quid cum populo consultandum erat, prius priuatis hominibus concio dabatur, quàm magistratum tenentibus: ne quis nimirum potentioris respectu suam ipse sententiam supprimeret, sed summâ cum libertate quod sentiret, exponeret.* Quin etiam AVGVSTO id quoque placuisse Tranquillus testatur: *Sententias*, inquit, *de maiore negotio, neque ordine*, (non habito scilicet vllo respectu dignitatis) *sed prout libuisset, perrogabat vt perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quàm assentiendum esset.* Nec hoc displicuit *Laurentio Medices*, Reipub. Florentiæ Principi. Vt nec *Galliæ Regibus*, quos eandem consultandi rationem tenere scimus, & sanè admodum laudabilem; ne nimirum in potentiorum sententias ire infimi cogantur, aut inducantur. *Lib. 39.* *Cap. 55.*

IV. Probo etiam viri prudentis sententiam, existimantis expedire interdum Principi, vt super quæstione deliberandâ fingat se resoluisse in partem affirmatiuam; singulosque & de re audiat. Tandem verò etiam partem negantem proponat, examinarique curet; ita intelliget qui in priori sententiâ sibi adblandiri & indulgere voluerint, quique in veris terminis rectæ rationis & libertatis, immobiles manserint; & qui in secundâ parte seu sententia, vela flectere, nouas causas vt placeant inuenire; & quinam perfecto iudicio primam suam opinionem confirmare non erubescant.

V. Cauebit etiam ne excandescat, si suæ opinioni, aut voluntati non respondeant dicta, neve etiam libentiùs audiat quæ placent, quàm quæ Reip. prosunt. Itaque irarum habenæ cohibendæ. *Plut. de discr. Adul. & amiss.*

VI. Memoratur quoque Theodosij & Arcadij Cæsarum insignis sanctio, quâ veterem dicendarum sententiarum ordinem restituerunt, constitueruntque ne prior in senatu censeret, qui vel opibus vel gratiâ cæteris antestaret, sed cui muneris ratio id iuris tribueret: ob quam & alias ab ipsis salubriter editas Constitutiones, Senatus illis per Symmachum Vrbis tum Præfectum, posteritatis etiam nomine gratias egit. *Apud Symmach.*

VII. Ne Princeps vultum infestum aut seuerum præferat. Nam quis non sciat istâ affectione, magnâ ex parte debilitari consilia, aut certè libertatem eleuari consiliorum? *Alexandrum Seuerum Imp.* tantæ fuisse moderationis legimus, vt non solùm nemo vnus ab eius latere submoueretur, & omnibus se blandum affabilemque exhiberet, sed etiam vt sibi ab omnibus quæ sentiebant liberè dici optaret, quodque dictum esset lubenter audiret; audita, vt res postulabat, emendaret; sin minùs ex vsu Reip. dicta essent, rationibus ipse conuincebat, idque sine fastu & vllâ amaritudine animi.

*Lāpridius.*

VIII. Postremò, vtilissimum erit in caussis grauioribus in scripto sententias exigere, & clausis tabellis, vt olim factum in Areopago, & suasum AVG. CÆSARI à Mæcenate, verbis in textu notatis: quæ suo sic animo impressit magnus Cæsar, vt cùm aduocatus in consilium amicorum esset, in quo *T. Arius* de filij parricidio cogniturus erat, *audita caussa, excusisq́; omnibus, & his quæ adolescens pro se dixerat, & his quibus arguebatur, petijt, vt sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quæ Cæsaris fuisset.* Vidit prudentissimus Princeps; tabellam consultoribus obtentui esse, quò magis liberè, & sine cuiusquam offendiculo sententiam dicere possint. Id quod in NERONE etiam notauit Tranquillus: *Quoties ad consultandum secederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat: sed conscriptas ab vnoquoque sententias tacitus, ac secretò legens, quid ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur pronunciabat.*

*Seneca 1. de Clem. c. 15.*

*Cap. 15.*

Accedit, quod quià secretis sunt vitiosè plerumque sententias atque opiniones, aut saltem non ex mente Consiliariorum scriptis mandant, quod non potest accidere si meditatè domi scribere iubeantur. qui cùm sciant sententias suas seruatas iri, magnâ curâ id sentient quod posteritati velut fidei & prudentiæ symbolum relinquere se intelligunt, eiusmodi Senatusconsulta ac sententiæ plurimæ extant in libris Ciceronis, Dionis Cassij, ac aliorum. Inusitata quidem hæc est consultandi ratio, (licet in grauioribus rebus quæ Consiliarijs inuidiam ciere potuissent vsurpari viderim) sed quæ & consultoribus & consultis vtilissima quandoque esse posset, in creperis præsertim & difficillimis consultationibus.

---

## CAPVT III.

*Tacit. 2. Annal.*

## *Tertiò, vt consilijs* assentatores (vetus in Aula malum) *studiosè pellant.*

CVM enim facilè in animum cuiusque adulatio irrepat: nullusque sit ferè tàm solers, & constans, Magnatum præsertim, qui non mellitas adulatorum voces tandem in sinum, & mentem recipiat, & admittat (etenim,

Nibil

——— ——— ——— *Nihil est quod credere de se* Iuuen. sat.
*Non possit, cùm laudatur Dîs æqua potestas*) 4.
Principis est, diligenter ab his sibi attendere, atque eò magis, quò adulatio apud eos, & frequentior est, & perniciosior, propter permultos familiares, qui quotidie loquuntur ad voluntatem personæ quam gerunt. Talis Gnato ille Terentianus: *Negat quis nego; ais aio; postremò imperaui egomet mihi; omnia assentiri; is quæstus nunc est vberrimus.* Talium consuetudo, ô Princeps, multum nocet. Quippè quòd ex istis *nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadetq́; sed adulandi certamen est: & vnum talium amicorum officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.* Malum profectò, quo non exitiosius excogitari potest. *Nam assentari, & placida loqui*, vt isti solent, *in concilio Reipub. perniciem maximam adferre solet.* Hinc scite Diogenes, *Adulationem* appellat *mellitum laqueum.* & Plutarchus, Adulatorem, *patriæ & virtutis inimicum.* & Plato: *Feram omni humano generi pestilentem.* Denique, coruis illos comparat Epictetus: Nam, *vt illi mortuorum oculos, sic adulatores viuorum animos ac mentes perdunt, & excæcant.*

(In Eunu. — Senec. 6. de Benef. c. 30 — Demost. Or. 3. — Opus. de Disc. adul. & am. — In Phæd. — In Enchir.)

——Itaque *ne sit promptum in adulationes ingenium.*—— & hoc fixum sit in animo *claudendas esse aures malis vocibus, & quidem primis.* quas potissimùm instillant domestici illi serui, *quibus omnia Principum honesta, atque inhonesta laudare mos est.* Tales igitur consilio exidat, si admissi; quoniam insuper *omnes vias pecuniæ nôrunt, & omnia pecuniæ caussâ faciunt*: à quibus tandem *bonus, cautus, optimus, venditur Imperator.* Dioclet. apud Vopiscum in Aurel.

(Tacit. 15. Annal. — Sen. ep. 123. — Tac. 3. Ann. — Cic. epis. 1. ad Q. Fratrem.)

*Beata certè mens est, quæ perfectè hoc vitium vincit, & nec adulatur aliquando, nec adulanti credit.*—— Et tamen permulti sunt, inquit Philo Iudæus, *qui tam noctu, quàm interdiu aures Principum permulcent, nec tantum applaudunt dictis eorum singulis, sed & prolixis eos ornant laudibus quos tamen taciti execrantur.*

(D. Hieron. Epist. ad Demet. — L. de Migr. Abraham.)

Dicamus ergò cum Augustino, *Fœlices esse Reges si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerit.* animaduertantque ne quid ministri *fictè & simulatè quæstus sui gratiâ ipsis instillent*,—— neve se *ad vitam procul vrbe, amœnis locis degendam impellant.*

(Lib. 5. de Ciuit. c. 24 — Cic. ad Q. Frat. — 5. Tacit. 4. Annal.)

## EXEMPLA, & MONITA.

I. QVæ vt commodè disponam, operæ est vt præponam D. Hieronymi monitum, quod quidem omnium Principum aulæis inscriptum peroptarim: *Adulatorum*, inquit, *assentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil quod tàm dulci, & molli vulnere animum feriat. Vnde, & quidam sapiens ait: Verba adulatorum, mollia, feriunt autem interiora ventris. In multis, isto maxime tempore, regnat hoc vitium, quodque est gra-*

(Ep. 14. ad Calantiã — Dehortãtur Principes ab adulatoribus.)

*uißimum, humilitatis, ac beneuolentiæ loco ducitur: eò fit, vt adulari qui nescit, aut inuidus, aut superbus putetur. Est sanè grande, & subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo, animum sibi obligare decepti: quodque hoc maximè vitio agi solet, fictas laudes certo pretio vendere.* Verùm, ne quis existimet vitium hoc (*vetus alioqui in Repub. malum*) in leui ponendum, audiamus, quo pacto Deus illud insectetur: *Væ*, inquit, *duplici corde, labijs scelestis, manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Sicut Scorpiones ore blandiuntur, sed caudâ pungunt; sic isti *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Vno ore flare, & sorbere volunt: in vnâ manu ferunt lapidem, alterâ panem ostendant: in ore mel, in caudâ aculeum, vt apes gestant. Vt vmbra, quidquid agas, respondet, & adest, sic isti, quocumque te verteris, circumagunt se, & sui semper dissimiles pro re natâ sese adaptant. Similes quoq; sunt Heliotropij herbæ, cuius tantus est amor Solis, vt cum ipso circumagatur; & quocumque se verterit Sol, eòdem flectat cacumen; noctu etiam, tanquam desiderio Solis contrahat florem. Huius, inquam, herbæ persimiles sunt isti gnatones, qui sese in omnibus rebus accommodant ad voluntatem Regum, nec quidquam nisi ad gratiam loquuntur, & quocumque illorum inclinat animus, eòdem ipsorum quoque mentes inclinant, & propendent. Quid multis? nihil refellere audent, nunquam eis aduersantur, aut molesti sunt; mendacia pro veris concinnant: simulando denique & dissimulando semper verum occultant: quos proindè meritò *Agesilaus* optimus ille Lacedæmoniorum Rex, non secus aspernandos, insectandosque dicebat, quàm propriæ vitæ insidiatores. Igitur consilijs arcendi tales; in quibus, ait verè Isocrates, *abesse debet omnis assentatio; & eius, cui consilium datur, vtilitas, & rei veritas spectari debet.*

*Tacit. 2, Ann.*
*Eccles. 2.*
Adulatorum descriptio.
*Psal. 27.*
*Fr. Patrit. lib. 4. de Regno*
*Orat. siue Ep. ad Phili.*

II. Quem scopum sibi non proposuerunt bardi consiliarij *Regis Ammon*, quem, vt liquet ex sacrâ paginâ, nefariè seduxerunt, dum optimam Dauidis Regis voluntatem in consulando ipso propter obitum patris, nequitèr deprauant, & interpretantur, efficiuntque, vt *Ammòn* Dauidis legatos indigna contumelia insequatur.

*2. Reg. 2. 1. Paral. 19.*

III. *Ochoziam* etiam Regem Consiliarij peruerterunt, vt *Achab* Regis impietatem, & scelera imitaretur, sed tàm Regi, quàm matri, & consiliarijs exitium attulit.

*2. Paral. 22.*

IV. Non desunt in sacris litteris plura eiuscemodi exempla, & tamen haud scio, vtrum grauiori, & frequentiori vitio Principes laborent (philautianè id accidat, an negligentiâ mihi dubium) quàm isto. Idem ille *Achab* Rex, nonne Micheam vatem odit, *quia non prophetat illi bonum, sed malum?*

*3. Reg. 21.*

V. Verùm, vt sacra omittamus, eodem planè vitio infectus fuit PHILIPPVS Macedoniæ; siquidem DEMETRIVS eius consiliarius, cùm intelligeret eum aliena vsurpandi teneri cupidine, persuasit illi, vt occuparet Græciam, & Italiam quod consilium purâ adulatione fundatum secutus Philippus, bellum mouit Atheniensibus. Hi contrà Philippum deuinciunt sibi Romanos, qui metuen-

*V. Q. Cur. l. 5.*

tuentes audaciam, & potentiam Philippi, cùm antea etiam eum odissent, cùm ob fœdus cum Hannibale, & Carthaginensibus, tùm quod compererant eum meditari bellum inferre Italiæ, succurrunt Atheniensibus, & victo Philippo, Macedoniam occupant. Tales certè, vt plurimùm, euentus sequuntur adulatorum consilia: quæ cùm quis excipit, *principia quidem iucunda videntur; at eadem, exitus amarissimos habent*, vt M. Tullius inquit. Rhet. 2.

VI. ANTIOCHVS Rex adeò adulatoribus circumseptus fuit, vt veritatem nunquam perceperit, nisi à rusticano quodam viro, apud quem fortè diuersabatur, dum à ministris in venatione aberrasset. Nam hic super cœnam, facto de Rege sermone, Regem quidem esse virum bonum, sed prauis consiliarijs stipatum, quique seria regni negotia, ob insanum venandi studium postponeret. Ibi Rex in præsentiâ quidem tacuit: at primo diluculo aduolantibus ad tuguriolum ministris, tùm Rex non dissimulanter dissimulatoribus dixit: *Ecce veritatem heri demùm intellexi, nec à quoquam vestrum, à quo tempore mihi adestis, liberiorem vocem audiui.* Plutar. in Apophth.

VII. Ab hac etiam adulatione parum sibi cauit IVSTINIANVS, sagax alioqui Imperator. Huic enim *Tribonianus* Iurisconsultus, prauè illi adulans, persuasit, *non moriturum ipsum, sed vnà cum corpore in cœlum migraturum.* Quis non rideat Principis in hac re stoliditatem? qui adulatori minùs alioqui credidisset, si Agapethi præcepti recordatus fuisset, sic ad eum scribentis: *Amplectere eos, ô Imperator, qui bonorum te consiliorum admonitum volunt, non eos, qui adulari sæpenumerò student. Illi enim quod expedit reuera perspiciunt: hi verò ad ea, quæ placent Potentibus, respiciunt, corporumq; vmbras imitantes, singulis eorum dictis applaudunt.* Hesyc. Miles. de Philos. Baro. in Ann. ann. Chr. 529. Extat aurea prorsus epistola apud Baro. tom. 7. Anna. ann. 527.

VIII. Iustinianum excipiat C. CALIGVLA, antiquum illud & decantatum portentum. Cùm vbique pro Deo haberi vellet, atque adeò videri rem se cum Lunâ habere, quærens ab *Vitellio*, vidissetne se cum Deâ congredi? Hic *Vitellius*, quasi attonitus, oculis in terram demissis, *Solis*, inquit *Domine, vobis Dijs licet inuicem vidêre.* O fabrefactum adulatorem, & Senatu illo Romano intolerandum! deterior sutore illo Gallo, à quo cùm idem Caligula pro Tribunali sub specie Iouis sedens quæreret, quidnam ipsi videretur esse, *Magnum* respondit ille *deliramentum*: monstrum, propiùs verò dixisset. Dio. lib. 59.

IX. Talia multa passim historias legentibus occurrunt, quibus iam supersederem, nisi istud me referre, admiratio facti cogeret. Ostenditur Lutetiæ in foro frumentario os cloacæ, in quâ sepeliri se iussit quidam, quem serò pœnituit prauæ adulationis. Hîc viderat Regem tristem & solicitum, propter angustiam rei pecuniariæ. Is, quò Regem subleuaret, suasit, vt ex minimis etiam rebus, quas rustici deferunt in vrbem, vnum aut alterum numulum exigeret, idque in biennium duntaxat, & ex eo, cùm viderent in vrbe frequentissimâ colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt. qui igitur dederat consilium, cùm videret se non idem auctoritatis habere in dissuadendo,

quam

quam habuerat in suadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeò vt de salute quoque suâ desperaret. Et vt de seipso pœnas sumeret consultæ adulationis, simulque moneret alios, ne ad eundum impingerent lapidem, testamento cauit, vt in eâ cloacâ, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliretur, in quo manet etiamnùm in hunc vsque diem exactionis exsecutio. Attendite, attendite Principum adulatores, & videte, ne ijdem conscientiæ aculei vos aliquando lancinent. desinite esse Placentini; estote potiùs Veronenses, assentatio ad tempus grata est, at veritas gratior, diuturnior, & tranquillior.

Domestici Cōsilijs non adhibendi.

Lib. Quis rer. diuin. hæres.

Cano iam receptui. Intereà tamen Principes velim admonitos, vt imprimis sibi caueant ab aulicis seruis; quibus ingenitus est ille genius, vt quæstus sui causâ, fictè & simulatè quidlibet auribus insusurrent, quos proindè penitùs, & citiùs quàm asparagi coquuntur, consilijs suis excludant. *Isti sunt adulatores, præstigiatores, inuentores sophismatum*, inquit Philo Iudæus, *persuasibilium, impostores fallaciarum peritissimi, de mendacio vitando haud solliciti.* Isti (aiebat verè Lampridius.) *Principes perdunt, qui etiam eos à populo semouent, qui soli internuntij sunt, aliud quàm respondetur sæpè referentes, claudentes, Principem suum, & agentes ante omnia, ne quid sciat, qui cùm empti sunt, & praui fuerint, qui tandem possunt boni sapere?* Quid? ô Lampridi! commodum modo suum, præ quo parui facient Principis ruinam. *Æstimauerunt enim lusum esse vitam, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportêre vndecunque, etiam ex malo acquirere.* Quare CONSTANTINVS ille MAGNVS ex vero adulatores appellabat, *Tineas, ac sorices Palatij*. Adulatores enim, non tantùm sunt, vt Satellius ille Quadratus apud Senecam ait, Dominorum suorum *arrosores, sed* etiam *arrisores, & quod his duobus coniunctum est, derisores*. Et ALPHONSVS, Arragonum Rex sapientissimus, eos similes esse dicebat lupis, qui titillando, & palpando, asinos vorare solent. nam & verè deuorant quos infatuant, & non nisi in fatuos, & auribus prurientes, perniciem intendunt. Caueant igitur Dynastæ, caueant, ne se ingerant isti: maximè autem ineunte Principatu. Siquidem immoderatissima tunc solet esse adulatio, *pessimum*, vt Tacitus inquit, *veri affectus venenum.* quippè quia nedum personam tum vestram inescare conabuntur, sed & eorum qui circa vos; immò *libertis quoque, ac ianitoribus vestris innotescere pro magnifico existimabunt.* Vetus Oraculum est, noui Principis Aulam, mendacij & adulationis gymnasium esse.

In Alex. Sapiēt. 15

Eutrop. lib. 10.

Epist. 27.

Panor. 3. Apophth.

Vitanda adulatio, initio Principatus.

Lib. 1. Histor & 6. Annal.

Et tanto magis quod sub ista initia nonnulli sint, qui pietatem impensè colere simulant; verum, *simulatque ad potentiam prouecti sunt*, vt vtar Iosephi verbis, *exutis simulatis istis moribus, & tanquam in scenâ mutato habitu, nouâq; personâ assumptâ, in omnem audaciam, & insolentiam ac diuinarum humanarumq; rerum contemptum prolabuntur.*

Antiq. Iud. Lib. 6.

Ratio dignoscendi amici ab assētatore.

Vt autem dignoscantur sitnè syncerus pietatis cultor, sitnè verus ac fidelis amicus, aut Consiliarius, an verò falsus & assentator, suadet Plutarchus debere interdum significare, id sibi placêre quod antè displicebat, & quod placebat, displicere:

cere:ſtatim enim id probabit adulator, rationique conforme dicet, ſeque antea miratum eſſe, cur aliud ei videretur, quod etiam præſtabit in quauis re etiam turpiſſimâ: quod facturus haud dubiè non eſt verus amicus aut bonus Conſiliarius: quoniam bonum à malo, vtile ab inutili diſtinguunt. Adhæc, ſuadet Plutarchus, vt Princeps ſuam conſcientiam conſulat, & illa reprehendente accuſanteque idipſum quod aſſentator laudat, intelligat non ad veritatem, ſed voluntatem loqui. Denique, verus amicus aut conſiliarius ſemper id ſpectat, quod cum ratione, cum iuſtitiâ, cum veritate, coniunctum eſt; falſus verò ſimulatè accommodat ſe ad ea quibus pars inferior animæ paſcitur, ad oblectationem, ad ludum & relaxationem animi, ad voluptates, (etiamſi diuinis legibus aduerſentur) ad vitam etiam procul vrbe, amœnis locis degendam, & negotia vrbis, populi accurſus, multitudinem affluentium increpat, quietem & ſolitudinem laudibus extollit, & alia exin mellita verba. Plura in hanc ſententiam, quæ apud Plutar. de Differ. adulatoris & amici, & Tacitum libro 4. Annal. habentur, legat Lector animi causâ.

---

## CAPVT IV.

### *Deinceps vt Principes primo loco ſuam in conſilio non dicant ſententiam, quin cunctabundi ſuſpenſam teneant.*

RATIO prompta: ne nimirum, ſi patefaciant ſtatim, *ceteris aſſentiendi* *Tacit. 4.*
*neceſſitas fiat.* quis enim non videat, ſi mentem ſuam cum ceteris expli- *An*
cent, alios mox ituros in illorum ſententiam, immò, forteàn etiam conſilij arcana palàm faciant? Itaque,

*Alium ſilère quod voles, priùs ſile*, inquit ille: *Senec.*

Vnde rectè dixit Caſſiodorus, *eam eſſe regulam virtutem, celeriùs neceſſaria ſentire, & tardiùs in verba prorumpere.* *Hippol.* *3. Variar.*

*Silère autem non linguâ tantum oportet, ſed multo magis mente. Multi enim ſermone tantum celantes, ipſo aſpectu & vultu reuelârunt ſua decreta.* Cauſſam capis: quòd *vultus* nimirum *atque frons ſit animi ianua, qua ſignificat voluntatem abditam atque retruſam.* *Polib. lib. 9. in pr.* *Cic. de Petit. Conſul.*

O quàm verè Tragœdus!

——— ——— ——*Multa, ſed trepidus, ſolet*
*Detegere vultus, magna nolentem quoque*
*Conſilia produnt.* *Senec. Thyeſt.*

Celanda ergo Principi ſua opinio, nec id tantum, ſed diù examinandæ (pro [illegible]e, & tempore) miniſtrorum ſententiæ: nec tàm interdiu, quàm noctu; ἐν νυκτὶ *Maurit. Imp. 9 Strateg.*

γὰρ ἀδυσχερῶς τελειοῦται βουλὴ ἠρεμούσης ψυχῆς ἐκ τῶν ἔξωθεν θορύβων: *de nocte enim facilè perficitur consilium, quiescente mente à tumultibus externis.*

## EXEMPLA.

*Lib. 57.* I. TIBERIVM Cæsarem solitum dicere scriptum reliquit Dio Cassius, Principis animum nemini cognitum esse debere, eumque intellectum magnorum esse caussam malorum; vt contrà, eo dissimulato, plura ac maiora commoda parari.

*Tac. 11. Ann.* II. Quod ipsum probè intellexisse videtur CLAVDIVS Cæsar, apud quem in more erat positum, verba dubia, dubiamque interpretationem recipientia pronunciare, ne videlicet animi sui sententia illicò perciperetur.

*Opusc. de Bel. appar.* III. Nec aliter sensit (vt à veteribus discedam) Imperator LEO, dum filium suum his verbis monet: *Quid facto opus sit, cum multis delibera; quæ verò agere volueris, cum paucis communica; & vbi optimum ex omnibus consilium cœperis, apud te solum tene, ne aduersarijs hoc indicetur, & insidijs illorum appetare.*

*Zenocarus* IV. CAROLVS V. Imper. rerum gestarum gloriâ celeberrimus, non tam alieno, quàm proprio fidens consilio, antequàm quidquam aggrederetur, diu multumque deliberabat; in publicum haud prodibat, neminem ad se intromittebat: quo ipso effecit, vt non priùs consilia eius explicarentur, quàm in opus deducta essent. Huius prudentiæ ignarum vulgus, sæpiùs aut mortuum, aut animam iam agere Imperatorem somniabat. Si hoc ingenio, plerique nostræ tempestatis Dynastæ fuissent, non dubiè melioribus auibus res eorum processissent. Faciles enim nimioperè sunt, & minùs hac in re cauti Principes cuiusdam oræ non nominandæ.

V. IOANNES COMNENVS Imperator Orientis, aliud linguâ promptum, aliud animo tamdiù abditum habebat, dum consilia exsequenda essent, si Choniatæ credimus: *Princeps erat,* inquit, *si quisquam alius occulti animi, qui sapientiam in dissimulando positam existimabat, rarò admodum quid facturus esset, præ se ferebat.* *Lib. 1. Annà.*

*Iouius in vit. Illust.* VI. PAVLVS IV. Pontifex Max. hac animi dexteritate pollebat, vt si quando capere vellet consilium de re, quam nemini innotescere cuperet, simulque consultantium adfectus atque sententiam sine periculo assentationis dignosceret, effingebat extra rem in medium proponendam hypothesin aliquam, quæ disputandi materiam præberet, atque Cardinalibus dicebat, vt suum super ea iudicium ferrent: ita ex eorum sententia tutum, synceramque Legatis Principum responsum dabat.

VI. Guicciardinus quoque in polit. hypomn. monet (an rectè viderint alij) Principem volentem bono dolo circumuenire alium, priùs fallere aulicum suum aut legatum oportêre; verbi gratia: Cassander meditatur bellum in Demetrium; vellet eum id minimè suspicari; vt imparatum opprimat, legatum de pace, fœ-

fœdere, affinitate mittit, atque ingens amicitiæ desiderium ostentat. Hîc legatum noluit esse conscium intimi sensus Domini sui; imò noluit eum inquirere verène an fictè mandata dentur. Loquendum ei quod loqui eum Dominus iusserit: quid autem Dominus facere velit, meliùs videri eum nescire, vt ita magis seriò simulationem exprimat. Ita ferè plerique politici pro sapientiâ astum illum commendant. alij contra, nec eos adhiberi volunt, qui arte mentiri, fallere, tegere nôrunt. Nam vitia illa venena sunt pacis & amicitiæ, & nunquam diu celari possunt, diuturnum enim esse non potest, quod est simulatum, præsertim in legato, cuius finis est fides, rerum agendarum vnicum fundamentum. Plura hac de re vide quæ scripsimus tract. de Legato. cap. 39.

VII. Optimum etiam est, vt Princeps qui animi sui secretum ignorari vult, simulet eius contrarium, quam artem optimè calluisse Tiberium Cæsarem, Cor. Tacitus auctor est; aut imitetur Neronem, qui *quoties ad consultandum secederet, neque in commune quicquam, neque propalam deliberabat: sed conscriptas ab vnoquoque sententias, tacitus ac secretò legens, quid ipsi libuisset, perindè atque pluribus idem videretur, pronunciabat.* quem morem diu in Vrbe constitisse comperimus; de quo Liuius lib. 40. Tacit. lib. 13. Cicero de Clar. Orat. *Lib. 1. An. Sueto. Cap. 15.*

VIII. Horum igitur, aliorumque exemplo, videant Principes, ne facilè pandant se: tùm ne Consultoribus assentiendi materia detur, vt in Aphorismis dixi; tùm etiam quòd ex aliqua mora, & cunctatione, non minima illis accedit gloria; quòd quæ in consilio dictæ sunt sententiæ, licet ab alijs emanarint, ipsis tamen, veluti earum auctoribus, nedum arbitris, adscribantur. Itaque Polybius in narratione rerum gestarum à PHILIPPO Macedonum Rege adhuc puero: *Post omnes* (inquit) *Rex sententiam dixit, si tamen Regis fuisse eam sententiam putandum est. Neque enim verisimile videtur puerum, qui vix xvij. ætatis annum excessisset de talibus, tantisque rebus potuisse iudicare.* Principis sentẽtia, cur non statim vulgãda. *Lib. 4.*

Huc etiam pertineat, vtile quandoque esse haud patefacere quo consilio, quid agatur, sed prætextum aliquod quærere, quod maximè rei gerendæ conforme videatur. Dissimulandum quo consilio fiat.

I. Ita TIBERIVS CÆSAR, secedere Vrbe cupiens, fingit ire se in Campaniam, specie dedicandi apud Capuam templi Ioui, vt & apud Nolam Augusto: cùm tamen nihil minus, nisi sacra fortasse Veneri facere ibi constituisset. *Taci. 4. Ann.*

II. De L. SVLLA Sallustius: *Ad simulanda consilia altitudo animi incredibilis.* *Catil.*

III. Dicitur & DOMITIANVS ad auertendam suspicionem belli, quo nec opinantes Germanos opprimere cupiebat, *profectionem suam censu obtexuisse Galliarum.* *Front. li. 1. Strat. c. 1.*

IV. CAROLVS VI. Galliæ Rex, dum de componendis Ecclesiæ rebus cum Imperatore deliberat, diem quo conveniant ad Rhemos constituunt, caussas interim aliàs callidè prætexentes, propter quas eò venisse dicerentur, ne scilicet vera Comitiorum ratio, quam tacitam esse volebant, proderetur. *Froissardus 6. Rer. Gall.*

*An. 1600.* V. Denique, quàm ſpecioſum nuper fuit prætextum Dvcis Sabavdiæ, qui cùm alia omnia cogitaret, vt euentus poſtea docuit, ire ſe Lutetiam fingebat, vt cum *Henrico IV.* Galliæ Rege tranſigeret de Marchionatu Saluciano?

Vultus ſcitè obtegendus. Poſtremò dixi ex Polybio, ſententiam occultandam, nedùm linguâ, ſed etiam animo, & vultus habitudine.

*Lib. 1. Ciuil.* I. In quo reprehenſus Domitivs apud Cæſarem: *Litteris*, inquit Cæſar, *perlectis, Domitius diſſimulans in concilio pronunciat Pompeium celeriter ſubſidio venturum, hortaturq́; eos ne animo deficiant, quæque vſui ad defendendum oppidum ſint, parent. Ipſe arcanè cum paucis familiaribus ſuis colloquitur, conſiliumq́; fugæ capere inſtituit. Cùm vultus Domitij cum oratione non conſentiret, atque omnia trepidantius, timidiusq́; ageret, quàm ſuperioribus diebus conſueſſet, multumq́; cum ſuis conſultandi cauſſa ſecretò præter conſuetudinem colloqueretur, conſilia, conuentusq́; hominum fugeret, res diutiùs tegi, diſſimulariq́; non potuit.*

Summa ergò eſto: vt nec linguâ, nec fronte ſuam Principes in conſilio aperiant ſententiam; niſi occultent, & obſignent ſilentio, donec certum illis fuerit exſequi conſulta.

Nox Cõſilijs opportuna. Denique, addidi in Aphoriſmis, multum ac diu à Principe ponderandas Conſiliariorum ſententias, idque non tàm interdiù, quàm noctu ex ſententiâ Mauritij Imper. ibi appellata. Tempus enim antelucanum, nedum Muſis, ſed & conſilijs amicum eſt & opportunum: quòd mens minùs tùm diſtrahatur rebus ijs, quibus interdiù ſolet; id quod non neſciuit magnus ille Æneas apud Principem Poëtarum:

*At pius Æneas per noctem plurima voluens.*

Ideò *Ariſtippus* virum formans, qui ſuo tempore Reipub. habenas ſumpturus ſit, facit eum non multo ſomno vtentem, ſed vigilantem, noctemque negocijs diuidentem, vti *Agamemnon* ille, de quo Homerus:

*Apud Xeno.*
*Iliad. 2.*

*Cæteri quidem apud naues Principes omnium Achiuorum*
*Dormiebant per noctes molli domiti ſomno,*
*Verùm non Atridem Agamemnonem Paſtorem populorum*
*Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.*

Atque hanc quidem obſeruationem pleroſque Principes priſcæ, & huius tempeſtatis tenuiſſe ſcimus, quorum in re clarâ meminiſſe haud opus eſt, cùm cuncti ſciant laudatas ætatem fuiſſe nocturnas meditationes. Nox enim εὐφρόνη veteribus; παρὰ τὸ εὔφρονεῖν, à benè ſapiendo. Optima enim conſilia nocte conſtituuntur, vt dictum eſt, quod tunc animus ſit liber, & vacuus à curis: vndè illud de triuio collectum: *Nox dabit conſilium.* Certè, tùm plurimum iuuat animaduertere, & longâ conſideratione attendere, nedùm ad initium, & progreſſionem negociorum, ſed etiam ad exitum: vt ſicubi erratum ſit, aut prætermiſſum, vel rectè

pru

prudenterque gestum, istud vt porrò teneatur; illud verò, vt imposterum fugiatur. Quod institutum, si Principes, & Consiliarij sequantur, haud dubium est, quin multò prudentiores euadent: cùm non aliâ magis ratione senes mentis acumine, & prudentiâ cæteris præstent, quàm quia multa viderunt, multaque & longa rerum, & circumstantiarum consideratione, & experientiâ didicerunt.

## CAPVT V.

### *Denique, vt viri Principes in omnibus deliberationibus* Honestum *semper, ac* Bonum publicum *spectandum* putent.

HONESTVM dicimus Virtutem ipsam: ex quo *Honestas* nascitur, quæ est animi quædam electio firma, & stabilis, ea omnia agendi, quæ secundùm virtutem sunt. Ad eam igitur virum præsertim Principem, debere in consultationibus collineare, meritissimò dico: —— *(namque quis mortalium*
*Non dirigit ad honesta, & ingenua oculos?)*
quippè si ab eâ deflectat, in eius contrarium, videlicet turpitudinem, dilabatur necesse est. *v. Fran. Patrit. lib. 6.* *Sophocl. Elect.*

Atqui, *ea omninò deliberanda non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio.* Quæ illa? *facta nimirum quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam, &* (*vt generaliter dixerim*) *quæ contra bonos mores fiunt.* *Cic. 3. de Offi.* *L. filius qui ff. de Condit. instit.*

Constet igitur, Virtutis, & Honestatis semper habendam rationem. *Cogitet quid ipse aut nollet sub alio Principe aut vellet.* *Tacit. 1. Hist.*

Sed & Bonum publicum spectet: *Nam salutem Reipub. tueri nulli magis conuenit quàm Principi.* Suadeor etiam Tullij auctoritate: *Qui Reipub.* (inquit) *præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus Reipub. curent, ne cùm partem aliquam tuentur, reliquas deserant: Vt enim tutela, sic procuratio Reipub. ad eorum vtilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.* Quocircà, *cum consulis populo, remoue à te suspicionem alicuius tui commodi: fac fidem, te nihil nisi populi vtilitatem & fructum quærere.* *Paulus Ic. in l. nam ff. de off. Præf. vig.* *Lib. 1. off.* *Id. Orat. de l. Agrar*

*Tu ciuem, patremq; geras, tu consule cunctis,*
*Non tibi: nec tua te moueant, sed publica damna.* *Claud. ad Honor.*

## EXEMPLA, & NOTÆ,

SApienter, more suo, diuinus ille Plato in Dialogo quodam, SOCRATEM inducit dicentem, actiones ipsas nobis discutiendas, & expendendas esse priusquàm *Crit.*

quàm ad deliberandum animum applicemus, cùmque mali quippiam in eo quod acturi sumus, apparuerit, de eo ne cogitationem quidem suscipi debere, sed mortem, & periculum quoduis potiùs excipiendum, quàm id faciamus. Hoc exemplis illustremus.

*Aemil. Probus.* I. A Græcis ordiar, & inclytum illum PHOCIONEM Atheniensem, præponam: qui recitato quodam oraculo, esse vnum virum, qui à concordi ciuitate dissentiret, & cunctis expostulantibus, quis ille esset, liberè pro bono publico dixit: *Quæso vos quiescite: ego ille sum, quem quæritis: nam mihi nihil eorum quæ agitis, placet.* Cui non placeat hic animus in plurâ putaque honestate acquiescens?

*Aelian. lib. 4 Hist.* II. PERICLES ciues suos tantoperè diligebat, tantoque honore prosequebatur, vt verba ad populum facturus, subinde optaret, ne vllum sibi verbum excideret, quod vtilitati ciuium suorum repugnaret.

*Iustin. lib. 2.* III. CODRVS Atheniensium Princeps, cùm responsum intellexisset ab Apolline datum Doriensibus hostibus suis eos nequaquam superiores fore, ni Atheniensium Principem occidissent, *is permutato Principis habitu, & sarmenta collo gestans, castra hostium ingressus est, ibique à milite, quem falce vulnerauerat, continuò occisus est.*

*Apud Plut.* IV. Quàm præclarum illud ARTABVNI monitum! *Omninò consultum est,* inquit, *vt in omnibus consultationibus honestum semper, & bonum publicum præter oculos versetur. Nam etsi bona consilia plerunque à fortuna superentur, non aliter atque tempestatibus scientia rei nauticæ, attamen recta conscientia consilij, instar ænei muri est: contra atque, si consilium iniustum sit. nam etsi fortunam obsequentem habeat turpitudo, tamen consilij conscientiam mirè vellicat.* Præclarum profectò διδακτήριον, prorsus idoneum, quod Principum & Consiliariorum omnium pectoribus inscribatur.

V. Transeo ad ROMANORVM REMP. quæ vt nihil per fraudes ac dolos, sed verâ purâque virtute rem cum hostibus ipsis gerebat, ita honestum vtili semper anteponebat, ne quidquam vnquam de maiestate suâ inhonestum turpeque delibare videretur. *Plut. Camil. Florus 1. c. 12. Val. 6. c. 5.* Itaque *Furio Camillo* Consule Faliscos obsidente, cùm ludimagister plurimos ac nobilissimos inde pueros, velut deambulandi gratiâ eductos, in castra Romanorum per proditionem adduxisset, (vt potè quibus interceptis haud dubium erat, quin Falisci depositâ belli pertinaciâ, traditiri se Camillo Imperatori essent) Senatus censuit, *vt pueri magistrum vinctum virgis cadentes obsessis Faliscis remitterent.* Quò factum est, vt dignitatem suam Respub. Romana conseruauerit, & consilio honesto hostiles animos expugnauerit; qui cum armis expugnari non possent, clementi, honestoque consilio victi, portas Romanis aperuerunt.

*Insignis, & notãda ratio cõsultandi.* VI. Honestum igitur, etiam gentilium sensu in consilijs attendendum. Tùm deinde, id quod Reipub. vtile est: itemque an illud promptum effectu sit: *Hæc enim si non adsint* (aiebat rectè Imper. Leo) *infirmum consilium esse, & temerarium statim deprehenditur, & quasi ante oculos illius vitium cernitur. Si enim inutile sit, de quo deliberas,*

*deliberas, non modò non tibi commodo eris, verumetiam læderis. Si verò non possunt, de quibus deliberatum est, perfici, inanis hæc consideratio ad temerarium factum, quod fieri nullo modo, aut via potest necessariò pertinet. Imprimis autem vitare oportet eas offensiones, quæ in promptu sunt; vulgus enim hominum solet rerum futurarum cogitationibus seipsos oblectare, offensiones autem circumstantes prouidere non solent.* Atque istius viri iudicium. Nec absimile illud Muciani: *Omnes*, inquit, *qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipub. vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit. simul ipse qui suadet, considerandus est, adijciatnè consilio suo* (notate) *periculum suum: & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur.* Documenta planè digna quæ probè consultores considerent.

*Opusc. de Bell. co appar.* — *Tacit. 2. Hist.*

VII. Pulchrum, & sanum monitum prudentissimi Principis LAVRENTII MEDICIS iam morituri ad filium futurum Principem Reipub. Florentinæ: Ciues, mi Petre, inquit, successorem te meum dubio procul agnoscent neque vereor, vt non eadem auctoritate futurus in hac Repub. sis, quâ nos ipsi ad hanc vsque diem fuimus. Sed quoniam Ciuitas omnis, corpus est, vt aiunt, multorum capitum, neque mos geri singulis potest, memento in eiusmodi varietatibus id consilium semper sequi, quod esse quàm honestissimum intelliges, magisque vniversitatis, quàm vni de multis rationem habere.

*Ex Cæsare Possou. in Annal. Itali.*

VIII. Verùm, vt ad Romanos redeam NERO ipse, quamquàm cæterà vitiosus vtilitatis tamen, honestatisque in consilio Reipub. habuit rationem, palàmque dicebat, *cunctas sibi curas amore patriæ leuiores.* Sed verènè, an simulatè?

*Taci. 15. Annal.*

IX. Ab eadem in Rempub. pietate, & adfectu maximè celebratur, Eques ille Romanus M. CVRTIVS. Romæ enim cùm in mediâ parte fori, vt vasto ac repentino hiatu terrâ subsideret, responsumque ab Oraculo esset: Eâ re illum tantummodò compleri posse, quâ populus Rom. plurimùm valeret, ille interpretatus, Vrbem Rom. virtute, armisque præcipuè excellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, cumque, vt vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit. Super quem vniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt; continuòque terra pristinum habitum recuperauit.

*Val. Max. li. 5. 6. c.*

X. Magnum quoque adfectus specimen in C. MARIO consule, qui cùm in somnis monitus esset, de Cimbris victoriam reportaturum, si filiam Calpurniam sacrificasset, id egit, vt filiæ vitam Nemesi, victimæ loco, repræsentaret.

*Plutarch. in Parallel.*

XI. Eodem spiritu etiam impulsus, eodem Plutarcho teste, ERICTHEVS, qui bellum cum Eumolpo faciens, accepit responsum se victorem futurum, si filiam suam Dijs immolaret, quâre Praxitheæ vxori communicata, puellam occidit.

*Ibid.*

XII. Valeant isti, & eximium VESPASIANI exemplum potiùs imitentur Principes, qui *per totum Imperij tempus*, ait Tranquillus, *nihil habuit antiquius, quàm propè afflictam nutantemque Rempub. stabilire primò, deindè & ornare.*

*Cap. 8.*

XIII, Ne-

*Spartianus.* XIII Neque negligendum istud HADRIANI, qui sæpiculè in concione dicebat, *ita se Rempub. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.* Insignis herclè in Rempub. affectus, & magis suspiciendus, cùm facto præstatur.

XIV. Laudibus vox Principis cuiusdam ad filium Imperij successorem: *Si contentus nomine Principis, nec Princeps esse labores, nomen amittes, & tyranni indues: Nam nec verè est Princeps, qui ex illustri sanguine ortum trahit; verùm, qui re ipsâ Princeps esse satagit.*

XV. Sed & excepta sententia FERDINANDI II. Imper. qui cum solito grauiora negocia tractaret, Consiliarijs suis mandabat, *viderent quid suaderent, & de argumento grauiori id vnum statuerent quod Reip. bono cederet, ac de quo sperarent posse se ad Dei tribunal interrogatos respondere intrepidos.* Christiani certè Imperatoris sententia, & sæpè Consiliarijs inculcanda.

Reiecta Macchiauelli doctrina. XVI. Quò magis exsibilandum, & in vltimas orbis oras deportandum monstrum hominis, qui Principem suum vult eò natum, & factum, vt cuticulam modò curet, suamqne potentiam qualitercumque amplificet, & nihil interim pensi habeat subditorum res & fortunas: qui finis, si sit Principis Christiani, dolendum herclè, Sardanapalum eiusmodi paradoxa posteritati non commendasse. Sed quàm insulsum sit id adstruere cum illo portento, nemo tàm parum instructus, non dicam Christianorum præceptis, sed Ethnicorum adeò doctrinâ, qui non videat. Isti enim in hoc natos esse Principes suos palàm asserebant, non vt genialiter viuerent, non vt bonum publicum præ suâ re spernerent, aut parui penderent, verùm, vt vtilitati, salutique suæ singulorum commoda anteferrent, quem verum esse, & vnicum Principis scopum, tàm verè, quàm intrepidè dictitabant. *Nam, vt gubernatori,* ait Oratorum maximus, *cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria: sic Reipub. moderatori, beata ciuium vita proposita est, vt ea opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, & virtute honesta sit.* Quæ quidem ratio sic humanæ menti à naturâ indita est, vt eam cum luce ipsa vsurpasse videamur: quod lubeat docere exemplo gentis *Mexicanæ* à studijs litterarum, non tantùm Religionis nostræ planè abhorrentis. De his itaque sic R. P. Acosta: Cùm *gens Nauatlacana* sedibus suis relictis, nouas quereret, atque ad paludes tandem Mexicanas (vnde posteà nomen sumpsit) appellaret, ab *Azcapuzalcorum* Rege illis locis vicino, summis precibus contendit, vt nepotem suum sibi in Regem daret, quâ re impetratâ, & Iuuene domum deducto, vnus è senioribus in frequenti totius populi conuentu, nouum Regem ita affatus est: *Fœliciter adueneris, ætate filij, potestate Domine, & Rex noster, ad hanc ciuitatem nostram inter carecta, & cannas fabricatam: perpendas quæso, te huc venisse, vt sis clypeus, vmbraculum, & perfugium gentis Mexicanæ; ad instar Dei nostri Vizilipuzli, cuius imago nobis es, & cuius nomine huius Reip. habenæ tibi traduntur: nosti aduenas nos esse, & proindè facilè conijcies, non eò te huc aduenisse, vt otio, & voluptatibus indulgeas, sed vt nouos, continuosq; labores subeas, factus mancipium, & seruus totius huius multitudinis, quæ tibi sorte contigit,* &c. Hactenus ille. Quo viri Ethnici alloquio, didicisse debuit impius Machiauellus Christiani Principis offi-

*Li. 8. ad Att. Ep. 11.*

*Hist. Ind. Occ.*

officium: aut si sciuerit, pudore suffundi, qui licet signatum in se habuerit lumen vultus Dei, ab ipsisque incunabulis Religionem, & Pietatem cum lacte materno hauserit, docere non erubuerit, Principibus quidlibet licere in subditos, ac si in eos data esset potestas à Deo velut in bruta animantia, *quibus* alioqui *homo*, vt cum B. Gregorio loquar, *non autem hominibus cæteris naturâ prælatus est: & idcircò contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri.* De Cura Past. p. 2. c. 6.

Ex quibus efficio aduersus Macchiauellum, Principem in suis consultationibus debere semper bonum publicum ob oculos habere, & res, fortunas, salutem subditorum suâ ipsius salute, & vtilitate chariorum, *Dauidis* etiam Regis exemplo, qui cùm subditos ob ipsius peccatum diuinitùs percussos conspiceret, conuersus ad Dominum exclamauit, dicens: *Ego sum qui peccaui: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* 1. Reg. 24.

---

## CAPVT VI.

### *Interim documenti etiam loco sit, nequaquàm indignari debere Principes, si malè respondeant consulta, sed potiùs Constantiam Principe dignam seruent ac tueantur.*

DEVS enim est, *qui rerum exitum in potestate tenet*: qui disponit consulta, dirigitque illa quò visum erit cumque. Quid reniteris? Quid obstrepis? quid obloqueris Auctori rerum? mentem dare vel eripere solito, vbi lubet, & vt lubet. Audi Principem Poëtarum iurè illud identidem inclamantem; Thucyd. 4. Hist.

Ζεύς δ' ἀρετὴν ἄνδρασιν ὀφέλλει τε μινύθει τε
Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν. Homer. Odyss. 6.

*Virtutem Deus in nobis auget, minuitque*
*Vt voluit.*

Idque bono semper fine: nam qui aliter? cùm *fons ipse, & principium sit omnis bonitatis.* Hoc cogita: & senti cum Synesio: Σοφίας ἐστὶν εὐμηχάνου καὶ τοῖς κακοῖς ἐν δέοντι χρήσασθαι: *Prudentiæ esse solertis, etiam incommodis commodè vti.* Simplicius in Enchrid. Epict. 34.

Itaquè subijce te eius Prouidentiæ, quæ siquando aliòuersum vertat consulta, quàm præcogitasti, quietâ fronte patere; & memento, *ei parendum esse, & acquiescendum in omnibus quæ eueniunt, & sequenda vltrò, vt quæ ab optimâ mente fiant, atque proficiscantur.* Æqui, inquam, & boni facias, si consilia, atque deliberationes fœlices non consequi successus videas, cùm ineuitabili necessitate, siue Prouidentiâ sæpè fiat, Epict. Enchrid. c. 38.

*Consilia vt habeant optima exitum malum.* Neoptol. apud Sophoclem.

Hinc fit, vt *quidam omnia imprudenter agant, & ipsis pro voto succedant; quidam ad* Cassiod. li. 3. part. 2.

Sallust. ad Cæs. orat. 2. *omnia se consilio disponant, & semper in contrarium eis cedant.* Quinetiam videbis, *sæpè praua magis, quàm bona consilia prosperè euenire.*

Vndè ista? nisi quòd ab omni æternitate immensus ille Deus, (quem Fortunam miseri illi interpretantur) immutabili lege ita constituit: & quidem sanctè, iuste, sapienterque constituit:

Boet. 4. 6.

*Sedet intereà Conditor altus*
*Rerumq; Regens flectit habenas,*
*Rex, & Dominus, fons, & origo,*
*Lex, & sapiens arbiter æqui.*

Sen. epist. 108. Itaque, *optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta eueniunt, sine murmure comitari.* Beda lib. 2. c. 28. in ca. 6. Marci. —— *qui etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis, nihilominus eos ne in tribulationibus deficiant, sua respectu pietatis corroborat.*

Cic pro C. Rabirio. Dion. Halicar. li. 8. 1. Olinth. Veruntamen, qui sunt (malùm) hodierni mores, *consilia euentu ponderantur, & cui benè quid processerit, multum illum prouidisse; cui secus, nihil sensisse dicamus.* Ita, ita, tàm boni quàm mali euentus caussæ Imperatoribus vulgò (sed sæpè falsò) *tribuuntur.* Vnde verissimè Demosthenes dixit, *duram esse conditionem eorum, qui in dandis consilijs, & in gerendis rebus solent versari; cum eorum fides ex euentu soleat æstimari.* Sed hoc malo more: cùm euentuum fœlicitas, præsertim in bellis, in nostrâ potestate non sit, sed tantùm ratio, consilium, prudentia:

Ouid. in Phyl.

*—— Careat successibus opto,*
*Quisquis ab euentu facta notanda putat.*

Val. Max. lib. 4. c. 7. Dio Halicar. lib. 9. Quare, has vulgi opiniones magnanimus Princeps non vltra quàm Lamiæ (vt aiunt) turres æstimabit, cogitabitque, *nullam tam modestam fœlicitatem esse, quæ malignitatis dentes vitare possit.* —— *Res gestas*, ait ille, *taxare, cuiuis facillimum: at res egregias gerere, perdifficile, paucisq; datum est.*

Cic. ep. ad Torquat. Ergò sic secum statuet quisquis ille sit, *ferendas esse linguas, & qualemcumque fortunam, præsertim quæ absit à culpâ.*

Lucan.

Summa, —— —— —— —— —— laudatur
—— —— Maiestas, non fracta malis.

---

## MONITA, & EXEMPLA.

Æmil. Probus. I. QVi Græcorum Imperatorum res gestas monimentis consignarunt, THYMOLEONTEM Corinthium, magnis quidem, sed vix pro merito laudibus exornarunt. Siquidem præterquàm quòd patriam suam à tyranno oppressam liberauit, ipse item Siracusas & Siciliam, quibus quoque incubabat Dionysius ille tyrannide celebris, in libertatem pristinam asseruit, paceque tot

annis-

annis desideratâ, donauit. verùm, vt solent actutùm lætis misceri tristia, haud ita diu post istos successus, longè maximas expertus fuit fortunæ acerbitates, quas tamen adeò forti, constantique tulit animo, vt nunquam frontem mutasse dicatur; hoc tantùm dictitans: *Rerum humanarum nihil sine diuino Numine agi.* didicerat eccè vir magnus, licet Ethnicus, non tam vsu, quàm diuino afflatu, Prouidentiam mortalium res gubernare, immò quocumque lubeat voluere, inque contrarium trahere, præter mentem, rationemque nostram.

II. Id quoniam infinitis aliorum exemplis doceri potest, multis haud insistam, quòd attentè legentibus passim obuia sint, illustrioribus ergò contentus ero. Quis, sodes, non sciat HANNIBALEM, si post pugnam ad Thrasimenum lacum, Camnisiumque commissam, in queîs plus quàm centum millia Romanorum occubuerunt, Romam exercitum duxisset, vniuersa Italia potiturum fuisse? Verùm Deus, qui reprobat consilia Principum, aliter voluntatem eius moderatus est: quia Carthago non debuit imperio decorari, sed Roma, quemadmodum prædictum fuit ab Daniele. *Vide Polyb. li. 3. Florum 2. ca. 6.*

III. Certantibus posteà de Imperio OCTAVIANO & ANTONINO, infœlices semper fuêre Antonij conatus, vtpotè qui ab diuinâ prouidentiâ minimè iuuarentur. *Qua cùm non commilitat,* inquit Niceph. Gregoras, *consilijs, actionibusq́; hominum, malus iis exitus obuenit, & cogitationibus valdè aduersus: nam tunc, neque vir consultus, consultus est, nec fortis, fortis*; quinimò sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maximè ac fortia facta turpem, & infamem exitum consequuntur. *De quibus Dio Liuius, & alij. Lib. 7.* Irrita cõsilia sine Numinis ope.

IV. SALOMON, posteaquàm defecit à Domino, conatur interficere *Ieroboam*, hoc consilio, vt *Roboam* filio suo tradat regnum integrum: *Iosephum* FRATRES tollere conantur, vt primatum ab eo auertant: PHARAO *Israëlitarum masculos* sensim interfici curat, ne multiplicati vindicent se in libertatem: Verùm, vt hæc consilia bono caruerunt fundamento (quod in consilijs maximè attendendum) ira irriti fuêre eorum conatus, nec valentiores quàm decretum Dei. *Non est sapientia* (clamat sapientiæ medulla) *non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* *1. Reg. 11. Genes. 37. Exod. 1. & 2.* *Libro Prouerb. Salomon.*

V. Superiori ætate CAROLVS V. Imper. post bellum Germanicum in Salinis Iaponicis, vt quidam referunt, dicitur dixisse, se in victoria illa penitus consecutum esse eum finem, quem conceperat animo: sed media quibus ad eum finem peruenisset, longè aliter accidisse, quàm ipse constituerat, immò nihil quidquam euenisse eorum quæ ipse præcogitârat. Ità prorsus in maximorum virorum consilijs rarissimè eueutus bellorum respondent, & tamen Deus mirabiliter euentus dirigit, ad quæ ipse vult. *Zenocar.*

Profectò, nonnullos videre est quibus adeò propitij sunt Superi (quod in *Carolo* est annotatum) vt omnia vel dormientibus fœliciter contingant, *vel* (vt Sallustius

*Iugurt.* *Senec. de Diuin. Prouid.* loquitur) *omninò non benè consulta in virtutem trahantur*; vt è contrariò videbis, quibus quasi Herculis sydere natis, in contrarium omnia cedant : Et vndè istud? nisi à Deo, qui illos exercet, & aggreditur ceù fortes athletas, *aduersus quos suam vim intendat. Ignem experiebatur in Mutio, paupertatem in Fabritio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone: Hos*, inquam, *Deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim, si quem iudicatis exceptum. Sed veniet ad illum diù fœlicem sua portio.* His igitur, similibusque alloquijs solentur se rebus aduersis tentati, cum duriore aliquo casu conflictantur; cogitentque auream illam Ciceronis. *Prater culpam, aut peccatum homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum.* Rursum mentem eriant ad Prouidentiam Dei, quæ tristibus sæpè læta permiscet, præter spem, expectationemque nostram:

Bonos à Deo exerceri.

*Lib. 5. ad famil. epist. vlt.*

*Sophocles in Philoct.*

*Nec semper*, ait Tragicus, *nox terris incubat,*
*Nec fata eadem, nec diuitiæ*
*Semper eadem permanent:*
*Subitò in tenues auras diffluunt,*
*Luctus; & alternis eunt,*
*Redeunt gaudia vicibus.*

*Dion. Halic. Sapientia. 15.* Ergò, ex sententiâ Dionis, *Consentaneum est, neque ita ad subitas nos calamitates animo corruere, vt omnem spem proijciamus; neque adeò lætis in præsentiâ rebus efferri, vt prouidentiam etiam perdamus: sed spem futuri in medio vtriusque fortunæ collatam habere, & tutò in vtramque partem consilium capere.*

*Homil. 18. ad Populũ.* *Card.* *Card. Palaot. de 5. Consist. Conf. p. 2. q. 8.* Itaque placet valdè opinio S. Chrysost. in suis Homilijs sæpè docentis generosum animum ac Deum timentem nullâ re, excepto peccato, debere aut posse contristari cùm in hoc electi & à Deo dati sint, non vt cuticulam curent, sed in sollicitudine præsint. Vnde sicut medici ægrorum clamoribus ac conuitijs nihil indignantur, sed magis commouentur vt illos iuuent, sic partes Principis sunt, si quando subditos suos parum sibi obsequentes, aut perturbari, sed benigne de illorum affectibus sentire, atque eorum potiùs imbecillitatis misereri: præsertim si Princeps sit Ecclesiasticus. Nam vt de Episcopo inquit S. Hieronymus, non solùm honoris, sed etiam laboris hæc nomina dicuntur, cùm veri sint Ecclesiæ Pastores, & populorum inspectores atque tutores; qualem reapse nunc se exhibet *Ferdinandus à Bauaria*, clementissimus Episcopus Princeps noster qui vt Diœcesim & patriam hanc suam ab incursionibus militum, prædonum ac barbarorum tueatur, nihil non agit per continuas legatorum missitationes apud diuersos Dynastas, licet interdum irritò conatu. Sed hoc obiter.

*Epist. ad Tim. c. 3. in Ezech. 3.*

Principi contemnendos esse sequiores de se rumores.

VIII. Ex quibus efficitur, inter alia aduersa magno animo debere Principem contemnere linguas vulgi: *Nam cùm omninò contemnamus* (vt præclarè ratiocinatur Simplicius in c. 48. Enchrid.) *& despiciamus vulgus hominum, nec vllius esse pretij iudicamus, certe ridiculum esset quasi magni viri sit, ab eorum opinione tanquam à filo pen-*

*pendere.* Nam vt Cicero inquit, *ex opinione multa; ex veritate pauca iudicat.* Fœlix, qui magnificum illum & excelsum TITI Imp. Romani licet Ethnici animum æmulatur, cum eoque dicere potest: *Nemo me sine iniuria affici, aut insequi contumelia potest: propterea quòd nihil ago, quod reprehendi mereatur; ea verò, quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo.* Sciebat quidem Cæsar ille tametsi gentilis, vt dixi, magnum aduersus iniuriam & malignitatem præsidium esse conscientiam: quæ profectò curanda magis, quàm virus linguarum, & aculei contumeliarum. Itaque cum Tragico: *Contemne famam, fama vix vero fauet.* Cic. pro Rosc. Xiphilin.

IX. Ante eum TIBERIVS Cæsar apud Pop. Romanum criminabatur, quòd cùm bona Galliæ pars defecisset, ipse nihilominus Capreis delitesceret, & (vt Tacitus scribit) *in tāto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam*; quam ipse famam despicatui habens, *magis ac magis in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutato, sed vt solitum per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse & vulgatis leuiora.* Cùm verò illius belli exitus Romanis ex animi sententiâ successisset, Senatui litteras scripsit, quibus quoque caussas cur expeditioni non interfuisset, recensuit, & inter alias, *non esse Principibus decorum, si vna, altera ve ciuitas turbet, omittere Vrbem, vnde in omnia regimen.* Lib. 1. Annal.

X. Ita. Q. FABIVS parum curauit audiri à *M. Minutio* collega alijsque Romanis, timidus, formidolosus, & socors, quòd pugnam cum *Hannibale* detrectaret: Parui, inquam, vir verè maximus hæc faciebat, dum cunctando restitueret rem. Polyb. lib. 3. in fi.

XI. Enimuerò (vt bene notauit Capitolinus) *nemo est magnorum Principum, quem non grauis & falsa interdum fama perstringat.* Vsque adeò, quod OTHO Imperator, multarum pertæsus calumniarum, frequenter dictitabat: *Nescitis amici, quid sit Romanum gubernare Imperium: mihi credite iam experto, qui iam mori malo, quàm imperare.* MARCO etiam ANTONINO, viro alioqui multis magnisque virtutibus prædito, obiectum fuit, quod *Verum*, vel veneno sustulisset, aut certè per medicum *Posidippum* occidisset, quem ei sanguinem intempestiuè dicebant emisisse. In M. Antonin. Tranquill. alijq; Capitolin.

Itaque longè verissimum est, quod iam antè dixi, nullam esse tàm modestam fœlicitatem, quæ malignitatis dentes vitare possit. Quare, ferendi sunt isti morsus, ferenda linguarum, vt innocua, tela *inuidiamq;, vt mortalia omnia, infra suam magnitudinem ponere.* Vis veriloquium, & arcanum dogma? *Ars prima regni est, posse te inuidiam pati.* Maximè belli tempore, quo necesse est Principes (teste Thucydide) propter calamitates, quas bellum afferre solet, criminationibus, & calumnijs obnoxios esse. Tacit. 14. Hist. Sen. Her. fur.

* * *

## CAPVT VII.

### *Ad extremum, & illud videndum, ne principio sui Imperij, temerè decessoris Consiliarios repudient.*

CVM enim Principes, ineunte principatu, viros sibi soleant eligere, qui vnà molem curarum publicarum sustineant, magniq́ue referat, quos in eam rem assumant, haud imprudenter, meo quidem sensu, fecerint, si probitate, ac fide insignes asciscant decessoris sui consiliarios; proptereà quod & rebus illi gerendis exerciti iam sint, magisq́ue gnari prioris gubernationis, quàm nouiter adsciscendi. Itaque, quod vniuersè Regum sapientissimus, hoc illis qui ad Imperij spem aluntur, qui vè recèns ad Imperium peruenêre, dictum velim: *Amicum patris tui ne dimiseris*, & quod Sirachides: *Ne derelinquas amicum antiquum; nouus enim non erit similis illi.* Vidit hoc quondam sanctissimus ille iuxtà ac eruditissimus Saxonum Præsul; dum dixit:

Ecclesiast. 19. Prou. 26.

Οὐχὶ προτιμήσῃς νέον ἄνδρα φίλον, πρὸ παλαιοῦ:

*Non erit antiquo nouus anteferendus amico.*

B. Anthelmus in Monost.

Amicos tamen intelligo, qui *ità se gesserunt, ità vixerunt, vt eorum probetur fides, ac integritas, nec sit in eis vlla cupiditas, vel libido, vel audacia.* Tales, inquam, viros *sanctos, fideles, & nunquam venales* retineant, non assentatores, non mimos, non alia (pudet proloqui) *amicitiarum dehonestamenta.* Quantò minùs lauerniones, hirudines, sorices, tineas, & harpyas prioris Aulæ? *Caue* (inquit diuinus vir) *istiusmodi venenata animalia; quæ de corio tuo saturare ventrem suum cupiunt, non suadent, quod tibi, sed quod sibi prodest.*

Cic. Lælio. Lamprid. in Alex. Tacit 2. Hist. Hieron. ep. 10.

## EXEMPLA.

I. QVi Cyri Persarum Regis gesta monumentis prodiderunt, ferunt CAMBYSEN filium, patris consiliarios, viros vtique sapientes, & cordatos neglexisse, quin pessimè etiam accepisse, inter quos vnus *Prexaspes* fuit. Quò factum est, vt primò Imperij anno vertente, miserrimè mortalitatem expleret: posteris exemplum præbens, non temerè seniores parentum consiliarios esse dimittendos. (Herod.)

II. Legimus quoque vitio datum fuisse COMMODO Imperatori Romano, *quòd patris ministeria seniora submouit; amicos seniores abiecit.* (Lamprid.)

III. CONSTANTINVS autem Imper. quas calamitates passus fuerit, quòd in domesticos patris, atque adeò in consanguineos sæuierit, videre est apud Ecclesiasticos scriptores, & signanter Card. Baronium. (An. Christi. 337. tom. 3.)

IV. Et

IV. Et verò, quis tam malè meritus de studio diuinæ paginæ, vt ignoret ROBOAMVM, quia seniores patris sui consiliarios neglexit, regno penè toto excidisse? *2. Paral. 10.*

V. Consimilem ob caussam LVDOVICVS XI. vt ad nostros deflectamus, Regno Gallicano ferme spoliatus fuit, vt ipsemet iam moriturus *Carolo* filio successori testificatus est, quem à suo exemplo dehortabatur, ne ad eundem lapidem offenderet: seriò ei mandans, vt quos relinquebat senes consiliarios, in consilium ascisceret, deque eorum sententia Imperij habenas regeret. Nam quòd relictis sibi à parente sub initia Imperij minùs credidisset, haud fermè abfuit, quin in perniciem suam ruerit; exorto ab eâ re bello, quod *Commune bonum* nomen accepit. *Cominaeus, & alij.*

VI. Ideòque grauiter admodum superioribus annis Princeps quispiam, cùm inaudisset filium regni successorem vnum ex suis antiquis consiliarijs remouisse, quòd eâ quâ decuerat libertate sententiam in consilio dixisset, eum acriter reprehendit, atque adeò factũ oppidò damnauit, velut pessimum omen illi, regnoque importaturum. At in eo magis celebranda Principis illius prudentia, quod filij factum, & mandatum non mutarit. Nam cùm quereretur consiliarius ille se iniustè à filio consilio submotum, nihil aliud respondit, quàm parendum; idque opinor, ne vel despicatui filius haberetur, vel eius auctoritas impatientiâ minueretur. Factum tamen postea parentis operâ, vt in gratiam filij reduceretur, quàm is postea acriùs fouit.

VII. Itaque Auctor τοῦ δώρου βασιλικοῦ, arcanum hoc tuendo Regno filio Principi suggerit, vt ab obitu suo eos retineat ministros, qui sibi fideles fuerint, quique postea pares negotijs ac muneri suo esse possint; qui minùs, egregiè remuneratos missos faciat, eorumque liberos præ cæteris ad Reip. munia proueh at. Hoc similiter faciendum in maioribus Administris siue Officialibus docet, ne videlicet vi ac impressione, & vno eodemque momento circumscribat.

VIII. In quo plurimum peccauit CAROLVS V. Galliæ Rex, qui *Sapiens* cognomento appellatus est: Is enim cùm regni Gallicani procurationem adhuc iuuenis gereret, imperitorum consilia secutus, magistratibus omnibus vnâ lege Imperium abrogauit, creatis curatoribus quinquaginta, qui quæstiones publicatus, ac reputandarum exercerent; quæ res ingentes motus in Galliâ excitauit; quibus, vt remedium afferret, *Carolus* non multò post in Curiâ Parisiorum proceribus coactis, Senatusconsulto legem abrogauit. *Bod. 3. de Rep.*

IX. E posteriori æuo, ad eundem offendit lapidem AMVRATHES Turcarum Imperator, qui ob quamuis leuissimam caussam *Visiros Bassus*, siue consiliarios, intimos officio priuauit, aliosque spe lucri, & pecuniæ aucupandæ substituit: sed sensit ille, quàm ea res ipsi fraudi fuerit.

X. Quàm dissimilis huc barbaro FERDINANDVS II. Imper. qui vt erat cupidissimus æris alieni dissoluendi, ita præcipuæ curæ illi fuit vt decessorum suorum ministris fieret satis. Nam ecce Pragæ anno 1628. mandauit FERDINAN-

DVS

DVS vt ex Camerâ Boëmitica quotannis quinquaginta florenorum millia, soluerentur ijs qui olim *Rudolpho*, aut *Mathiæ* Cæsaribus inferiori in ordine inseruierant, quocumque tandem titulo ius ijs esset; idemque mandauit in alijs Prouincijs ô munificentiam Augusto dignam!

XI. Maneat igitur vtile esse Principi, antiquos decessoris Consiliarios, retinere; aut certè eos munerari, qui saltem virtute, prudentiâ morumque integritate cæteris præstent. Nam vt verè Isocrates ad Dæmonicum scripsit: *Liberos decet hæredes esse, non modò facultatum, sed etiam amicitiarum paternarum.* Quò pertinet illud Ciceronis, siue Lælij: *Veterrimæ quæque amicitiæ (vt vina quæ vetustatem ferunt) debent esse suauißimæ. Non enim amicitijs est vtendum vt floribus, tamdiù gratis, quamdiù recentibus.*

XII. Sed & considerandum, vt quorum ministerio in præsenti vtitur Princeps, senum præsertim, eorum famam & existimationem tueatur, nec consulta in deterius vertat, nevè inuidorum morsibus, calumnijs, atque adeò insidijs obnoxios esse patiatur. In quo CAROLVM V. Imper. excelluisse legimus, qui Officialium ac ministrorum suorum existimationem sarctam & tectam adeò conseruabat, vt Delatoribus nequaquam crederet, imo quò vitam atque mores eorum sibi probatos ostenderet, maioribus honoribus eos cohonestabat.

Claudam Caput istud Emblemate Alciati;

CLIX. *Arentem senio, nudam quoque frondibus vlmum,*
*Complexa est viridi vitis opaca coma:*
*Agnoscitq; vices naturæ, & grata parenti,*
*Officij reddit mutua iura suo.*
*Exemploq; monet, tales nos quærere amicos,*
*Quos neque disiungat fœdere summa dies.*

IOAN-

# IOANNIS à CHOKIER DE SURLET,

## *CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEO-diensis Canonici, & Vicarii generalis, Abbatis secularis Ecclesiæ Visetensis.*

# THESAURI POLITICORUM APHORISMORUM

## *LIBER QUINTUS.*

Satis de *Consiliis*, atque *Consultationibus* dictum. Congruens nunc est, ut de *Administris Principum*, deque *Interiore* illorum *vita*, quædam subnectamus. *Ad ornatum* siquidem *Palatii credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere: quia de claritate servientium crescit fama Dominorum.* Cassiod. 4. Epist. 3.

### CAPUT I.

*Imprimis*, Ministri Aulici probi sunto,



Am, *si in amicorum legendis ingeniis damus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus*, quanto potiore ratione Principibus curæ esse debet, ut domestici ministri vitæ sint integræ, & quoad ejus fieri potest, inculpatæ? Ecquis enim non sciat, præjudicatâ Ministrorum probitate, magnam Principis innocentiæ animis subditorum ingenerari opinionem? Atque hac de causa Aurelius Victor *duo esse* scribit, *quæ ab egregiis Principibus exspectantur, sanctitas domi, & in armis fortitudo: utrobique prudentia.* Senec. de Tranquill. animi c. 7. In Trajan.

Senec.d.c.7. Verùm, *nec hoc præceperim tibi*, inquit Seneca, *ut neminem nisi sapientem attrahas. Ubi enim istum invenies, quem tot sæculis quærimus? Pro optimo sit minimè malus*. Poëta non falsò:

Horat. *Vitiis sine, nemo nascitur;*
*Optimus ille, qui minimis urgetur.*

Morum itaque mediocritas hîc spectanda.

Taci. 3. An. Quod si tamen procedente tempore (*rebus enim cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita & morum vertuntur*) innascantur vitia, advigilabis, ne adolescant. *Invenit enim æmulos infelix nequitia: quid si floreat, vigeatque?* An non, *quò sæpius, eò apertiùs delinquent marcida quædam Aulæ tuæ mancipia?*

4. Annal. Apul. apol. 1

Cassiod. 10. Var. epist. 5. Quare, *à domesticis velis inchoare disciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando tuis cognosceris excedendi licentiam non præbere.*

---

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

In ejus vita. I. Refert Cornelius Tacitus JULIUM AGRICOLAM socerum suum, post varias expeditiones bellicas, quas dextro ubique pede obiverat, *domum suam tandem coercuisse, quod plerisque non minus arduum est*, inquit, *quàm provinciam regere*. Planè arduum: Nam cum Dynastæ deberent manu strenuos, & probitate spectatos asciscere ministros, quò meliùs cuncta ad decorem, & usum Aulæ componerent, deterrimos tamen plerique assumunt flagitiis commaculatos, socordiâne fiat eorum, an ambitione nobilium, quibus unicum propositum est, filios suos aulicæ servituti mancipare, incertum est. Ut ut sit, mihi pro vero constat, ex ejusmodi indiscretâ ministrorum electione, grandia nonnunquam mala Principibus acciri, quod sequentibus exemplis ostendetur.

Periculosũ Principi pravis uti ministris.

Dio. Sueton. II. Qui C. CALIGULAE Cæsaris Romani res gestas monumentis consignarunt, notant eum nunquam magis famæ, atque adeo vitæ periculum adivisse, quàm cùm in Curiam introduxit homines improbissimos, & turpissimos, quamvis diceret per eos suam se dignitatem recuperasse.

Pomp. Lat°. III. Pari odio etiam fuit apud omnes PHOCAS Imper. eò quia *gratiores*, inquit Historicus, *apud eum essent potissimum qui inexplebili rapacitate, populos divexarent.*

Herodian. IV. Ut & ante eum COMMODUS, ne dicam, Incommodus Imper. qui *omnes velut insidiatores submovebat, quos aut probitas, aut disciplina ulla, etiam mediocris, illustraret.*

Lamprid. V. O quàm dissimili ab his ingenio ALEXANDER SEVERUS! qui *Palatium suum, comitatumq; omnem purgavit, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis, & infamibus: nec quenquam passus est esse in palatinis, nisi necessarium hominem.*

Jure-

*Jurejurando deinde constrinxit, ne quem ascriptum, id est vagantium haberet, ne annonis Rempub. gravaret: dicens; malum tutorem esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium, homines non necessarios, nec Reipub. utiles, pasceret.*

VI. Non tam gutta guttæ, quàm illi similis JULIANUS, qui sic à Mamertino compellatur: *At tu Auguste, omnibus nugis remotis, optimum & doctissimum quemque perquiris. Si quis præstat virtutibus bellicis, & laude militiæ, in amicis habetur: ultrò ad familiaritatem vocatur. Quicumque in administratione Reip. innocentem se unquam, & strenuum præbuit, in consortium munerum receptatur. Regendis provinciis non familiarissimum quemque, sed innocentissimum legis: omnes à te augentur pecuniâ, locupletantur divitiis, honoribus honestantur.* *In Paneg.*

VII. Quid de THEODOSIO dicam? nisi eum aulam suam veluti scholam instituisse, in quâ ad pietatem se suosque exerceret. *Theodoret. Lib. 5. c. 36.*

VIII. Quorum Dynastarum imitatione, utinam nonnulli alii ejectis fædis, maculosisque ministris hujusce conditionis atque notæ viros assumerent! Majore, apud suos subditos aliosque Principes, valerent & auctoritate, & virtutis opinione. Siquidem, *nullum majus indicium* (inquit verissimè Cominæus) *bonæ mentis Princeps potest ostendere, quàm ut adjungat sibi, viros virtute, & famâ celebres, nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales ii, qui apud illum. Quà quidem in re, maximè providus erat ac diligens* LUDOVICUS XI. *Galliæ Rex: nam qui virtute aliquâ singulari præditi essent, eos magno in honore semper habuit.* Ita ille.

A ministris Aulicis Principes judicantur.

*Lib. 3. Comment.*

Verùm, temperare mihi nequeo, quin huic documento aliud è Seneca petitum subjungam. *Nulla res,* inquit, *magis animos honesta induit, dubiosq; & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus me herculè ipse sapientum juvat, & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias, nec tibi facilè dixerim quemadmodum prosit: sicut intelligam profuisse: minuta quædam, ut ait Phœdon, animalia cùm mordent, non sentiuntur, adeò tenuis illis, & fallens in periculum vis est: tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet, non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi prosit, profuisse deprehendes.* E contrario, quis non usu deprehendit animos mortalium depravari assiduo, frequentique pravorum contubernio? prævalent enim, ac *serpunt vitia,* ait idem Seneca, *& in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* A quâ mente etiam Agapetus, vir non minus eruditus, quàm morum sanctimoniâ clarus, sic ad Justinianum Imper. *Expedire admodum arbitror effugere pravorum contubernia. Qui enim cum hominibus improbis semper versatur, eum vel pati, vel discere malum aliquod necesse est: qui verò una cum bonis degit, vel imitationem honestorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiscit.* Lusoria hæc fortè an existimabuntur: sed, à mastigiis, & ludo dignis.

*Epist. 94.*

Bonorum conversatio quid valeat.

*Epist. paræn quæ extat apud Baron. tom. Annal. an. Chr. 527*

Quidquid in aula peccatur, Principi adscribi.

IX. Taceo, quòd quidquid à Palatinis peccatur, in Principis infamiam cuditur, eique ceù omnium auctori imputatur. Ideoque Isocrates rectè Principem suum monet: *Principatum adeptus*, inquit, *nullius improbi ministerio utitor: nam quidquid quis deliquerit, tibi velut auctori imputabitur*. Neq; id quidem mirum: cùm *non careat scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare*. Itaque sapienter more suo, *Augustum* Cæsarem MOECENAS hortabatur: *Nulli amicorum, aut Officialium tuorum, nimia est indulgenda potentia. sed ita iis moderandum, ut ne te in culpam, aut reprehensionem conjiciant. Quidquid enim hi rectè, vel sequiùs egerint, id verò tibi adscribetur, talemque te cuncti censebunt, qualia eos facta exercere permiseris*. Notent hæc Principes: ut & illud aureum, ac verissimum Tiberii Imperatoris dictum: *Cùm rectè factorum sibi quisq; gratiam trahat, unius invidiâ ab omnibus peccatur*.

*Cap. Qui potest. 23. quæst. 3.*

*Dio. lib. 52*

*Vopiscus.*

X. Quam ut declararet AURELIANUS Imperator, *Servos ac ministros peccantes, coram se cædi jubebat*.

*Dio. lib 60.*

XI. Et ante eum CLAUDIUS, *servum suum, qui quendam illustrem virum probro affecerat, in forum missum flagris concidit*.

*Taci. 1. An. in extremo.*

XII. Ita TIBERIUS, *aulæ vitia oderat, ut qui à pessimis dedecus publicum metuebat*.

*Plin. Paneg.*

XIII. TRAJANUS autem non solùm vitia sustulit, sed & modestiæ curam postulavit. *Tantum* enim *ubique silentium* (notate) *tam altus pudor, ut ad parvos penates, & larem augustum, ex domo Principis, modestiæ, ac tranquillitatis exempla referantur*. Atque hoc est, quod à Q. Fratre Asiam Proconsulari imperio administrante postulabat M. Cicero: *Sint hæc fundamenta*, inquit, *dignitatis tuæ: tua primùm integritas, & continentia: deinde omnium, qui tecum sunt, pudor*.

*Epist. 1. ad Q. Fr.*

*Ex l. 4. c. Theodor. de Accus.*

XIV. Denique non involvenda silentio elegans hæc CONSTANTINI Imperatoris in Aulicos, aliosque administros Constitutio: *Si quis est cujusque loci, ordinis, dignitatis; qui se in quemcunque judicum, comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè, atque justè gessisse videatur, intrepidus, ac securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipse vindicabo: dicat securus, & bene sibi conscius dicat: si probaverit, ut dixi, ipse vindicabo de eo, qui me usque ad hoc tempus simulatâ integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit & comprobaverit; & dignitatibus, & rebus augebo*. Hactenus egregia Constantini, & quidem digna Constitutio quæ singulis Principum portis inscribatur, quam nec incassùm tulit: namque in nonnullos aulæ ministros, & nominatim in *Sopratum*, singulari apud eum favore pollentem, jussit animadverti.

XV. Verùm ut recentiora more nostro scrutemur, PIUS V. æternæ memoriæ Pontifex, Romanam liberaturus Curiam, variis gravissimisque calumniis, quibus propter aulicorum corruptos mores laborabat, primùm omnium in suos ipse familiares animadvertit, quod reliquorum Ecclesiasticorum familias exemplum inde

inde petituras arbitraretur. Nam optimus, & verè pius Præsul suis dicebat, talem sese familiam cupere, quæ vitâ, moribus, vestitu, reliquos ad virtutem excitaret. Eodemque mentis proposito Paulus V. Pontifex maximus ab omni integritate verè prædicandus, non tam legibus, & pœnis suos in orbita modestiæ, & humanitatis continebat, quàm exemplo vitæ inculpatæ, quà dum ubique præfulget, discolis plus timoris affert, quàm gravissimis scitis & exemplis: ut jam revera factis ille præstet, quod ait Comicus ille Græcus:

Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος: *Menander.*

*Mores loquentis cogunt, non oratio.*

XVI. Et reverà, hanc domesticæ disciplinæ, & moderationis cogitationem etiam inter tot, tantasque orbis terrarum curas à summo illo Præsule suscipiendam esse, docet D. Bernardus, dum sic ad Eugenium scribit: *Sunt*, inquit, *quæ te ignorare nolim, mores tuorum, & studia. Non oportet, ut vitia domus tuæ ultimus scias, quod quàmplurimis novimus contigisse. Quapropter alius alia dispensat, de disciplinâ tu providè, illud nemini credas: si insolentior coram te sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super ejusmodi, tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, decet honestas, horum disciplina custos. In vultu, in habitu, in excessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris.* Ita Bernardus. *Lib. 4. Cons.*

XVII. Memorabilis est quoque illa Epistola, quam Illustr. & vitæ sanctimoniâ clariss. Card. Carolus Borromeus ad *Battoneum* collegam scripsit: *Curabis*, ait, *familiam castã, nec patieris inter domesticos tuos quẽpiã vivere, cujus non modo impudica sint facta, sed cuius etiam non sint verba, & mores admodum pudici; habeasque domi probatæ virtutis viros, qui in hanc rem invigilent, & qui te crebrò de domesticorum vitâ commonefaciant. Modestia in verbis, & cultu corporis cernatur. Insuper curabis, ut juramenta à familiâ tuâ absint, turpes sermones, scurriles joci, convicia, contumeliæ, & omnia verborum genera, quæ alios lædant, inter tuos nec dici, nec audiri sines. Vestitus autem etsi decens esse poterit, cavebis tamen, ut à familiâ viri Ecclesiastici procul sit is corporis ornatus, quo milites, & profani iuvenes uti solent. Nihil itaque quod vanitatem, & ostentationem præ se ferat in tuo, & tuorum ornatu conspiciatur.* *Hierõ. Plat. de Card. dig. & Off.*

XVIII. Denique, ut ad profanos decurrat stylus, quid sibi volunt diversæ, laudabilesque Galliæ Regum Palatinæ constitutiones, quibus nimirùm in servitia aulica, adeoque Curiales omnes, vel leviter in aulâ peccantes graviùs animadvertitur, nisi quod Reges illi morum integritatem à suis maximè domesticis desiderarent? Libemus & sumamus aliquas ex illis: *Qui in Regia Contumeliam, aut verba famosa in alium iecerit, quivè mentiri alterum etiam propulsandæ iniuriæ gratia dixerit, mox carceribus tradatur, pœnaq; pro atrocitate iniuriæ ei repræsentetur. Qui in cœnaculo Regis, aut Reginæ alium mentiri dixerit, aliamve contumeliam intulerit, illicò ad supplicium rapiatur. Qui in Regia pugno, aut armis quem* *Lib. 18. c. Henrici III. tit. Des iniures, qui se committẽt à la suite de la Cour.*

*pulsaverit, vel percusserit; pugno, aut capite pœnas luat.* Plures alias, qui volet, legat in Cod. Henrici III. lib. 18. t. 32. quarum novissima est hæc : *Tenebitur insuper Præfectus prætorio quotquot hebdomadibus summariè inquirere in omnes noxas, easque referre ad sanctius nostrum consilium; ut hoc pacto rerum perperam in Curiâ nostra gestarum reddamur certiores.* Præclaræ profectò Constitutiones, & dignæ, quæ hoc tempore in Gallia retractentur.

Optimus ille qui non usquequaque malus.

Dico, & concludo ex suprascriptis rationibus & exemplis, plurimùm interesse Principis, ut non aliis utatur ministris, quàm vitæ quoad fieri poterit spectatioris. Nam ut nonnisi integris, & planè inculpatis culpato hoc & corrupto sæculo utatur, quî id, sodes, fieri potest? Quâ ratione Paulus III. Pontifex Max. nonnunquam dicebat. Nos cum perfectis hominibus hîc non vivere, sed uniuscujusque mores in quinque partes dividendos esse, quarum si duæ sint bonitatis, tolerandum; si tres, probatissimum debere æstimari : cùm difficile sit hominem exsuere totum quoad sarcinam hanc portaverimus omnem molem deponere peccatorũ. Nec malè censuit vir magnus, Ego verò existimârim, majorem in Aulâ vitiis esse, qui dimidio perfecti minor est.

XIX. Sint tamen majores Administri minùs corruptelis obnoxii: æstimentur à multis, affectibus sint expertes, amore, vel odio sic moveantur, ut veritati, quæ in Aula est rarissima, non parcant, principem suum in oculis ferant, eumque unico magis unicum diligant: fieri enim non potest, ut Consiliarius qui principi suo minùs est affectus, bona ei instillet consilia, etiamsi alioqui cæteris & acutior, & capacior sit. Idcircò S. Greg. ex vero dicebat, nullum fidelium ad consultandum aptiorem esse, quàm qui non principis res, sed ipsum diligat. Ergò sit fidus, charus, conspicuus, probatus, integer, & inculpatæ, quoad ejus fieri poterit, vitæ.

*Lib. 1 Epist. c. 33.*

---

## CAPUT II.

### *Amplius,* splendore natalium *insignes eligantur.*

GEneris nobilitatem apud majores in honore ac precio semper fuisse, apudque principes omnes esse debere, philosophos omnes, non solùm Platonem, atque Aristotelem video asseruisse. Neque id quidem injuriâ. Etenim quis nescius est, *præstantissimum quemque ex præstantissimis nasci,* cumque naturâ præstanti, satius esse vitæ communione jungi?

*Arist. 3. Pol. c. 8.*

*Soph. Philo.*

*Generosa sic sunt pectora: turpia odio*
*Habent; honesta gloriosa existimant.*

*Epi. 39.* Vidit hoc etiam sapiens ille Seneca: *Habet hoc in se generosus animus, quod cõcitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant, & sordida.*

*Onosand. Strateg. c. 1.* Nobiles itaque propono: sed tamen virtutibus ornatos : Ὥσπερ τὰ ζῶα ἀπὸ τῶν ἰδίων πράξεων ἐξετάζομεν, ὅπως εὐγενείας ἔχῃ, οὕτω χρὴ σκοπεῖν καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων εὐγένειαν: *Ut enim animalia, quorum strenua opera est, generosa dicimus: sic gene-*

nero-

*nerosi homines, ex sua propriaque, non alienâ, aut adscititiâ vertute judicandi.*

Nec abnuit Poëta:

——— *Quis generosum dixerit hunc, qui* Iuv. Sat. 1.
*Indignus genere, & præclaro nomine tantum*
*Insignis?*

Enimverò, turpe est, ut bene notavit Orator Græcus, *majorum factis gloriari, & tamen virtutem illorum non imitari.* ——— *Nam cui propria sunt exempla rectè factorum & virtutum ob oculos posita quæ imitari liceret, nec tamen studio rectè vivendi ea sequitur, nec imitatur, ille profectò non immeritò reprehenditur.* Multò magis *qui se alteri de generis nobilitate præponit, & obscuriores quosque & humiliore loco natos, se inferiores putat.* Isocr. in Pla. Philo de Principe c. 6 D. Hier. ep. 14.

Quare tantùm abest, ut talem aliquem assumam, quin ignobilem virtute pollentem illi præponam: cùm *vera nobilitas non ex sanguine & carne, sed ex virtute animæ accipiat formam, & characterem.* Ioann. Alexandr. apud Baron. tō. 8. Ann. an. 620

Ita quoque sentit Philosophus: *Quis ergo generosus?* inquit, *Ad virtutem bene à natura compositus.* Et Stagyrites: *Nobiles ii demùm videntur esse, in quibus majorum virtus inest.* Sen. ep. 44. Lib. Polit. 5. c. 1.

Bene itaque oris vir aurei, ac divini: *Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant?* Veriloquiũ illud Hieronymi magni pendo: *Summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus.* D. Chrys. in Matth. Epist. 14. c. 5.

## EXEMPLA.

I. MAXIMINUS Imper. ut in cæteris quæ ad civilem vitam spectant turpissimè aberravit, ita & hic quoque hallucinatus est; utpote qui *nobilem circa se neminem unquam passus sit, prorsus ut Spartacis aut Athenionis exemplo imperaret:* quâ ex re in odium, & contemptum nedum civium, sed & militum Romanorum incidit: quò factum est, ut paullò post à suis destitutus, ab iisdem misserrimè trucidatus sit. I. Capitol. in Maxem. sen.

II. Multis verò ante eum lustris VITELLIUM CÆS. quòd *magnam Imperii partem, nonnisi consilio & arbitrio vilissimi cujusque histrionum, & aurigarum administraret,* suorum quoque meruisse offensam & reprehensionem, Suetonius Tranquillus scriptum reliquit. Cap. 12.

III. LUDOVICUS XI. Galliarum Rex cùm Oliverium Dandum aliquando tonsorem seu chirurgum ad Mariam Principem Belgarum Legatum misisset, facetè ipsa quæsivit: Quid sibi opus medico, cùm optimè valeret? Res satis infirmæ videri debent, si Medici manu, inquit, curandæ sint. Cominæus.

IV. Verùm, tales plerosque consultò prætermitto, ut qui culpari, quàm imitari, vel laudari mereantur. *Omnes* enim *boni* (ait Cicero, tametsi homo novus) *semper nobilitati favemus, & quia utile est Reipub. nobiles esse homines dignos majoribus* Pro Sestio.

*bus suis; & quia valere debet apud nos clarorum hominum senex de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum.*

Cepol. Opusc. de Imper. milit. dilig. privileg. 37. Itaque parum consultè, & præter omnem rationem nonnulli ignobiles nobili prognatis genere præponunt, quippè quod eâ re in odium, offensionemque nobiliorum incurrant, cujus rei etiam testis esse potest ANTONIUS SCALA, qui dominio Veronæ ejectus fuit, quòd populares, & infimæ sortis homines circa se, & in curiâ suâ semper coleret, spretis nobilibus præsertim à virtute commendatis: alioqui,

Lucā. ad Pis. *——perit omnis in illo*
*Nobilitas, cujus laus est in origine sola:*

Sallust. Iugu. V. Unde S.P.Q.R. C. MARIUM Consulem, tametsi ignobilem genere, Imperatorem belli contra *Iugurtham* gerendi selegit, deditq; ei provinciam Numidiā, posthabitis permultis nobilibus, quibus cùm majorem in modum infestus esset, passimque ab iisdem conviciis peteretur, rectè atque magnificè respondit, elegāti ad Quirites oratione: *Contemnunt*, inquit, *novitatem meam, ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis probra objectantur. Quanquam ego naturam unam & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum esse.*

Plutar. & Stobæ ser. 84. VI. Atque eodem mentis proposito IPHICRATES *Hermodio* ignobilitatem (ut qui cerdonis esset filius) sibi exprobanti, perbellè respondit: *Meum genus à meipso initium sumit; tuum autem in te finitur.*

Spieg. in Æn. Silvium. VII. SIGISMUNDUS Imper. ut veteres omittam, cùm à principibus, qui litteras oderant, reprehenderetur, quòd homines obscuro genere natos ob litterarum, & virtutis commendationem foveret; *Quidni*, inquit, *amem eos, quos natura cæteris antecellere voluit?* Sentiebat egregius Cæsar, pluris faciendos, qui virtute, ac eruditione pollerent, quàm qui majorum gloriam, & nobilitatem turpi vitâ labefactarent.

Nic. Reusnerus Clas. 3 Symb. 40. VIII. FERDINANDUS autem crebris illud sermonibus usurpabat: *Boni viri, & boni vini originem non esse curiosè inquirendam.* Nam ut interdum in loco non admodum celebri vinum generosum nascitur: ita sæpe ex humili loco viri prodeunt laudatissimi. Alludisse videtur ad Socratis dictum, quem solitum dicere legimus: *Neque frumentum optimum judicandum, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod commodè nutrit: neque vir bonus, & amicus benevolus, qui genere clarus, sed qui moribus egregiis fuerit.* (Stobæ. ser. 84.)

Apud Stobæ. IX. Tale quidpiam BION ad Antiochum: *O Rex, sagittariis si opus habes, non vndè sint, interroga, sed scopum proponis, & qui tangunt, eligis: sic & alios explora, non vndè, sed quales sint.*

Lamprid. X. Itaque ULPIANUS noster, quanquam origine non satis nobilis, ut qui Syrus ex Phœnice esset, tamen ejus virtuti is honos habitus est, ut Imperatoris ALEXANDRI tutor esset, ejusque consilio Romanum Imperium administraretur.

XI. AL-

XI. Alfenus verò, Jurisconsultorum non infimus fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, qui calceis, instrumentoque omni coriario Cræmonæ ( quæ illi patria fuit ) relicto, Romam profectus in maximi nominis Iurisconsultum evasit: Consulatumque adeptus, & publico funere honoris caussa à Pop. Romano elatus est. *Idem.*

XII. Papa Urbanus, ejus nominis V. natione Gallus, cui genus ignobile & obscurum, ob singularem eruditionem evectus ad Pontificatum, cùm ei natalium obscuritas ab Rege Hispaniæ objiceretur, respondit: Virtutis non esse nasci nobilem, sed nobilē factis & meritis fieri, id verò generosi animi esse. Itaque non esse cur stirpē, genusq; suum contemneret, quòd scientia, rebusq; præclarè gestis jam illustre reddidisset. Idemque in Alexandro VI. dici posse Lovanium à studiis celeberrimum facilè testabitur.

XIII. Carolum Cæsarem referunt Annales, Parisienses scholas ingressum, & cognito pauperes magnos progressus in studiis facere, nobiles marcescere ignavia, illos ad dextram collocasse, Episcopatus, dignitatesque civiles promisisse; nobiles neglexisse. Regio sanè & lepido facinore. Quorsum enim rudis, & iners nobilitas? virtute, prudentia, labore opus est.

XIV. Quò magis incitandi sunt ignobiles genere, ne non animis cadant, si non ocyùs è tenebris natalium emergant. Erigant se audenter, & cogitent alienis rebus, factisve decorari neminem, sed suis quemque moribus æstimari: animum inquam, spe pulcherrimâ foveant, natalium obscuritatem quandoque à Principibus, vel Rebuspub. decoratam iri: *Non facit, nobilem*, ait Seneca, *atrium plenum fumosis imaginibus. --- Animus facit nobilem cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere.* Enimvero, longe prætulerim, cui parentes, vel patria probro sunt, quàm qui parentibus, vel patriæ. Isti enim inutiles sunt, & sibi, & patriæ; illi non solùm Reip. sed etiam propinquis necessariisque prosunt, adeoque ipsi generi humano. Quare Theopompus eos demum generosos, & utiles Reip. judicandos existimabat, non qui à bonis, & probis orti essent parentibus, sed qui bonitatem, & probitatem cum aliqua scientia conjunctam profiterentur. Rectè, Siquidem verum est illud verbum, quod memoratur: Nobilitatem scientię filiam esse, & scientiam possessores suos nobilitare. *Epist. 44.* *Qui verè nobiles.* *Plutar.*

XV. Ita Augustus Cæsar, auctore Tacito, principio gubernationis, in subsidium dominationis *M. Agrippam* ignobilem loco, bonum militiæ socium, victoriâ clarum, scientiâ præstantem, geminatis Consulatibus extulit, mox defuncto *Marcello*, generum sumpsit. *1. Annal.*

XVI. Similiter Carolus (ut veterum exempla prætermittam) Burgundiæ Dux, cognomento *Audax*, seriò operam dabat, ut non tam excellenti nobilitate, quàm virtute viros circa se semper haberet, præclarè dicens, ab his totam pendere Principis fœlicitatem. Sed quid? horum monitis haud fermè pronas aures ille præbuit magnus alioqui Princeps. *Cominæus l. 7. Cōment.*

Cæterùm, animadvertendum ne nobilitas plebeculam infestet: ne ista in il-

lam insurgat, uti Rhodi, ut in Helvetia, uti in multis Germaniæ locis factum est, quod & contigit in Ungaria, & apud Genuenses anno 1505. qui nobilitatem tandem ejecerunt. Sic nobiliorum Polonorum tyrannidem Casimirus Rex opportunè coërcuit populo jam in conspirationem propenso, v. Cromer. lib. 6. de gestis Polon.

## CAPUT III.

*Sed & in maioribus Administris sive Magistratibus, quibus scilicet Reipub. cura mandatur,* generis claritas, *spectanda est, ut &* probitas, competens ætas, doctrina.

SI enim ignavis, & parvi precii hominibus Rempubl. committas, inquit Dio Cassius, *mox nobilium iram propter contemptam eorum fidem in te provocabis, & maximis in rebus clades patieris. Quid enim præclari homo ignavus, aut ignobilis gerat? quis eum non despiciat hostis? quis ei socius obtemperet? quis militum non dedignetur sub signis ejus esse? Sed nec hoc omittendum est hujusmodi virum, si rem perperam gerat, plus tibi damni daturum; quàm ab hostibus sit expectandum; sin rectè aliquid egerit, statim ejus animum bonarum artium expertem, amentia completum iri, eumque postea tibi ipsi formidabilem fore.* En caussæ ex veridico scriptore, quamobrem nobiles, quàm ignobiles ad Reipubl. munera adsci-sci velim.

*In persona Agrippa l. 52.*

Sed addo cautionem, *ut meliores semper in officiis præferantur; pessimi autem, vel minus boni, luce careant dignitatis.* Etenim, *collata improbis dignitas, non modò non efficit dignos, sed prodit etiam, & ostendit indignos.* Itaque *despice*, ô Princeps, *cujusque merita, tardeque concedas, quod datum non adimas.* ——— *Non ex commendatione, aut precibus quempiam asciscas, sed optimum quemque fidelissimum putes.*

*Apul. de Dog. Plat. Boet. de cōs. Phil. 2 pros. 6. Taci. 13. An. Id. in Agrit.*

Quin etiam ætas hîc consideranda. Suadet Ulpianus: *Ad Rempubl. administrandam ante xxv. annum, vel ad munera, quæ non patrimonii sunt, vel honores, admitti minores non oportet.* Siquidem usu constat, *quod maximæ Respublicæ per adolescentulos labefactatæ sint; à senibus autem sustentatæ, & restitutæ.* Quod hactenus intelligo, nisi virtus, & eruditio suppleant defectum ætatis: *Indignum enim est, eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus est.*

*L. 8. de Muner. & hon. Cic. de sene. Val. Mal. 3.*

Sed & Doctrina: *Quid enim turpius est quàm legitimarum & civilium controversiarum cognitionem suscipere, qui est legum & juris civilis ignarus?*

*Cic. de Orat.*

EXEM-

## EXEMPLA, ET NOTÆ.

SCrutanti mihi veterum ſcripta ſuper nobilitatis præſtantia diſſerentium, occurrunt nedum Philoſophorum teſtimonia, verum etiam ſacræ paginæ clara documenta, quibus clarè liquet, ſtemmate inſignitos nobili, plebeis ſemper, in muneribus maxime civilibus, prælatos eſſe.

I. In Deuteronomio legitur dixiſſe MOYSES ad populum Iſraëliticum: *Tuli de tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos ſingula,* &c. Ecce præ cæteris nobiles cum ſapientibus Judices populi conſtituit. *Deut.1.*

II. Rurſum, inter dotes atque præconia SAMUELIS, fidelis Prophetæ Domini, commemoratur nobilitatis elogium, cùm dicitur: *Ecce vir Dei eſt in civitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur ſine ambiguitate venit,* &c. *1.Reg.9.*

III. Denique, in Parabolis SALOMONIS, commendatur mulieris bonæ vir, ab inſigni nobilitatis titulo, cùm dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ.* *Cap.31.*

IV. Et ſi diſquiras in profanis exempla, nimia plura haud dubiè reperias. Nam ne repetam quæ ſupra capite proximo de miniſtris aulicis loquens retuli, de SOLONE inclyto Athenienſium Legislatore ſcriptum eſt, magiſtratus omnes conſtituiſſe ex nobilibus, & locupletibus ex cenſu quingentorum modiorum, & Jugerum, neque opificibus ſordidis jus aſſequendi ullum magiſtratum dediſſe. *Ariſt.2.Pol. c.10.*

V. Idem etiam Areopagum conſtituit tantùm ex iis, *qui honeſto loco nati eſſent, & egregium virtutis, & temperantiæ ſuæ ſpecimen præbuiſſent.* *Iſocr. Orat. Areopag.*

VI. Germani quoque *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumebant.* Vide infra Onoſandri Strategeticum cap.2. *Tacit. de mori. Germ.*

VII. Apud Romanos verò TIBERIUS Cæſar id quoq; obſervabat, ut *mandaret honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando, ut ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe*, atque id quidem, ut cætera multa prudentiſſimè. Quis enim non ſciat, oppidò offendi nobilitate & virtute præſtantes viros, ſi quà natalibus, quà virtute obſcuris hominibus in dignitatibus poſtponi ſe videant? Immò quis tam rudis exemplorum ſit, qui non didicerit ab hac ipſa re ortas eſſe pleriſque in regionibus non parvas ſeditiones, clades, tempeſtates? Nunquid LUDOVICUS XI. Gallorum Rex in diſcrimen adductus, quòd ſutori ſuo Fecialis ac Internuncii; tonſori Legati; medico magni Cancellarii partes detulit? Cui non diſſimilis ante eum PHILIPPUS PULCHER, qui in honore, & uſu maximo ſemper habuit Nongaretum, & Maniriacum, obſcuros quidem illos, & flagitioſiſſimos homines. Verùm quas eis turbas, atque moleſtias hæc indiſcreta honorum largitio, nec ſine peſſimo publico, procrearit, videre eſt apud Belleforeſtum *Idẽ 4. Ann* Romani nobiles præ cæteris honoribus decorabant. *P. Cominæ.* *Meier.li.11.*

*Privil. Schol.48.* restum, aliosque Gallicarum rerum scriptores. Quorum mentio mihi subjicit, quòd aliquando à me lectum in Rebuffo nostro de *Montepessulanis*, qui quod mercatoribus & illiteratis Remp. committerent, totam propemodum everterint. Neque id quidem mirum: cùm ex oraculo sit, tùm Remp. interituram, cùm æs, vel ferrum custodiæ auctoritatem obtinuerint, id est, ignobiles mali, vel imperiti ad gubernacula sederint, ut Plato inquit. *Plato 3. Pol.*

Quæsitum, utrum nobiles semper sint præferendi. Quid igitur? nùm soli nobiles Reipub. præficiendi? quid si quis stirpe quidem ignobili, at virtute clarus & nobilis, huicne dignitatum portas occludet Princeps? Neutiquam, me quidem consultore. Nam, *apud majores virtutis id præmiũ fuit* (ait Tacitus) *cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus.* Firmemus exemplis. *11. Annal.*

I. Cùm Sidoniorum fines ingressus Alexander Magnus, eorum Rempub. turbatam invenisset, & ab illis rogaretur, ut sibi Regem daret, qui rebus afflictis pacem afferret, regnumque justè administrare posset; id se facturum benignè respondit. Iis autem avidè exspectantibus, quem Regem constitueret, & interim variè, falsòque pleraque conjicientibus, demùm Regem nominavit *Aldolominum* quendam, à bonis fortunæ sic imparatum, ut ob inopiam suburbanum hortum exiguâ coleret stipe; Sed à virtutum ornamentis sic instructum, ut creditum sibi Regnum, summâ tùm justi, tùm sapientis Principis opinione fœliciter procurârit, & posteritati pacatum illud ac quietum reliquerit. Rogatus postea *Alexander*, cur inopi viro regnandi fecisset potestatem, eumq; multis aliis potẽtiâ, & generis fama clarissimis hominibus prætulisset, præclarè respondit, *Ne quis fortè existimet me non virtuti, sed generi, potentiæq; Regnum tribuisse atq; ut is, qui Regnum accipit, intelligat se id à me, non à majoribus suis accepisse, hosque beneficium gratâ memoriâ prosequatur.* *Q. Cur. l. 4.*

II. An non etiam Bamba ab aratro ad Principatum, *Leonis* Pontificis Max. beneficio evectus fuit, & exinde in Regem Hispanorum electus? fuit sanè: sed qui suâ virtute Mauros Hispaniæ littora cum classe ducentarum navium ingressos, ingenti prœlio fudit, ipsamque classem igni succendit.

*Ritius lib. 2. Reg. Hispa.* III. Quid? an sordida *Tulli Hostilii* incunabula, agresteq; patris tuguriũ obstitit, quò minùs validâ, & maturâ ætate Imperium Rom. feliciter capesseret, regeretq;? An quidquã de Consulatus claritudine, & splendore imminuit obscurum *Varronis* genus, qui ex macellariâ patris tabernâ apicem dignitatum conscẽdit? *Ciceronis* etiam, & *Ventilii Bassi*, plebeia & ignobilis familia, obfuitne, quò minus illi eandem Consulatus obtinerent dignitatem? Quid? an obscuri, & rustici natales *Maximi Imp.* qui à pueritiâ opilio fuerat, Reipub. bene gerendæ, & procurandæ occasionem eripuerunt, veriusne dederunt? An etiam ignobilis, & peregrinus sanguis *Bonosi Imp.* obstitit, quò minùs ad Augustale solium eveheretur? An quia *Valentianus* restionem egit, *Fl. Val. Iustinus* bubulcum, *Martianus* verò fabrum ferrarium, eò minùs fores ad imperatoriam dignitatem patuerunt? De *Primislæo*

quid

quid dicam? quem patre, licet rustico natum Bohemi, uno eodemque omnium ordinum adsensu Regem sibi & Dominum constituerunt. Quid deniq; de *Tamburnalo?* qui patre pastore natus, interq; pastores ipse enutritus, propriâ tandem virtute & solertiâ id effecit, ut Imperii Turcici regimen sibi demandaretur. Principes itaque, laudabiles & præclaras actiones, generis familiæque splendore, sed ingenii magis præstantiâ disciplinis liberalibus adjutâ metiri non debent.

IV. Unde toto cœlo aberrant illi, qui solis nobilitate claris Reipub. munia deferenda putant nullâ virtutis habitâ ratione: nam & PLATO ait, oraculo olim prædictum, eam civitatem tunc bonis omnibus evertendam, cùm hominibus parum munitis sapientiæ præsidiis cõmissa foret. Quâ de re apertè etiam queritur Regum sapientissimus Salomon: *Est malum*, inquit, *quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens à facie Principis: Positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum: vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi servos.* Itaque jure reprehensus GALBA Imper., quod *Vitellio*, claris licet parentibus nato, sed planè ignavo, militaria tribueret munia. Missus est (inquit Tacitus) in Germaniam Vitellius, *Censoris Vitellii, ac ter Consulis filius: id satis videbatur.* Sed ecce primo ejus ingressu, *redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevata notæ, plura ambitione, quædam judicio.* 3. de Rep. Eccles. 10. Hist. 1.

Itaque placet mihi Marianæ Societatis JESU judicium: Erit quidem, inquit, me auctore Principi tuenda nobilitas, & aliquid posteris dandum ob præclara Majorum merita: ita tamen, si ad natalium splendorem mores haud dissimiles, industriam, virtutemque ipsi adjecerint. Ignavâ nobilitate nihil turpius: Ideò qui Majorum gloriâ tumidi opes hæreditate susceptas in nequitia, & levitate consumunt; confisique avorum laude, ignaviâ ipsi, atque socordiâ marcescunt, præmia virtutũ, vitiis adipisci contendentes, virorũ fortium locũ per nobilitatis fucum, segnitiâ & inertiâ occupare satagentes dupliciter repellendi à Principe, geminoq; probro fœdi, quod & se turpitudine contaminẽt, & generis claritatẽ turpitudine maculent, quò enim clariores avi extiterũt, eo majori odio digni sunt, qui splendorẽ nobilitatis libidine, & impuritate obscurant. Ac præsertim tantâ temeritate & amentia plerique ex eo numero sunt, ut nominibus inanissimis superbientes, obscuro loco natos, quãvis industrios, fortes, & strenuos, ita præ se contemnant, ut homines esse non putent: multisq; honoribus affecti majora expetunt; õniaq; præmia virtuti debita, nobilitati suæ deberi contendunt malis artibus ambitiosi, vecordesque. Si igitur Princeps suæ dignitati, & saluti publicæ consulere cupit, non opes ingentes, si virtute nudatæ sint, respiciat, non generis nobilitatem fovebit, si fuerit honestatis luce destituta: sed potius virtutem amplectetur, & industriam ubicunque erit: retentaque statuendi libertate nullius hominis inanem fremitum timebit: ad nullius offensionem movebitur: nullus erit tantis opibus nixus, vel tanta nobilitate clarus, qui leges imperanti imponat, tantumque sibi sumat, ut ab studio ordinandæ virtutis abducere Principem audeat. Lib. 4. c. 4.

Videant ergò Principes, ut non solùm nobilitas & opulentia illis suffragetur, sed & virtus ipsa, seu bellica, seu civilis; neque non eruditio & probitas, quæ quidem, vel generis claritatem, si fieri possit, supergrediantur: alioqui, longè satiùs erit virtute celebres, licet genere ignobiles promovere, vel Satyrici sensu:

Juv. Sat. 8.

*Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis*
*Æacide similis, Vulcaniaque arma capessas*
*Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.*

Atqui, excandescant in me fortassis nobiles, & Dynastæ, hæc Principibus suggerentem. Reddant isti filios commendabiles virtute, animosque eorum iis artibus imbuant, quibus instructis, Principibus suis usui esse possint: & non dubiè digni fient qui Principum familiaritate fruantur, muniisque civilibus præ aliis honestentur. Præter liberales disciplinas, bellicam institutionem non negligant, & quin prima statim juventa in ea formentur, non committant. Ita Drusus *Tiberii F. in Illyricum missus est* (verba Taciti) *ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet. simul juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, utroque filio legiones obtinente.* Notentur Taciti verba, ut *suesceret militiæ.* Mirum enim quantum juvat ab adolescentiâ ei assuevisse. Etenim cæteræ artes usu, lectioneque percipiuntur, hæc sola rerum experimentis: corpus inde fit validum, laborum tolerans, æstus juxta ac frigoris patiens: atque hinc, quod maximum est, *studia militum parantur*, denique non animus parentum indulgentiâ depravatur, delitiis non hebetatur, sive ut Tacitus subjicit, *Vrbano luxu non lascivit.* Scriptum reliquit Plutarchus: Alexandrum Magnum cùm ei Cariæ Regina suavissima quædam obsonia misisset, coquosque peritissimos, respondisse, *à Leonida præceptore datos sibi meliores coquos, quàm illi erant, iter nocturnum ad prandium, ad cœnam verò prandii parsimoniam.* Quo dicto innuere voluit, fastidire se quaslibet cupedias, vivere assuetum parcè, & duriter, ut milites solent: quâ abstinentiâ, roboreque animi simul, & corporis hoc assecutus est, ut ineunte mox juventa, Macedoniam parentis jussu, quàm fœlicissimè administrârit, atque Megarenses in Provinciam redegerit. Sed hæc obiter.

Nobiles pacis & belli artibus instituãtur.

*Lib. 2. Ann.*

*In ejus vita.*

Ætas etiam in electione spectãda

Verùm, insuper ætatem non immeritò considerandam dixi.

*Apud Diog. lib. 53.*

I. Ita *Octavianum* Moecenas hortatur, ne ad equestrem dignitatem minores octodecim annorum eligeret (hac enim potissimum ætate corporum firma affectio conspicitur) ad Senatoriam viginti quinque annorum: addebatque, *cùm enim hujusmodi bonorum suorum administratio non concedatur, an concedetur Reipublicæ?* Denique suadebat, non fieri Prætores ante 30. annum, & nisi qui Quæsturam, Ædilitatem, & Tribunatum gessisset.

*Lib. 3. Epist.*

II. Ex Plinii quoque Epistolis liquet, non generis solùm claritudinem, sed etiam annos in prensandis magistratibus profuisse, dum inquit: *Nonnunquam cãdidatus, aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat.*

*Lib. 4. Ann.*

III. Hinc Tacito scriptum, Claudium Cæsarem *in numerum Patriciorum ascivisse*

*scivisse vetustissimum quemque ex Senatu, aut quibus clari parentes fuerant.* Indidem.

IV. Itidemque ante eum TIBERIUS Cæsar Augusti privignus & in Imperio successor, *in Senatu oratione monuit, ne quis imposterum mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret.*

V. Quod Cæsaris monitum si secuti fuissent posteri, Rempubl. procul dubio stabiliissent, & amplificassent, quàm juniorum consilio postea pessum dedere. Id quidem clarè testatur D. Augustinus, verbis memoratu dignis: *Regnum Romanorum*, inquit, *tamdiu perseveravit, quam diu sapientes regere permiserunt. Sed dum juvenes inexpertes elegerunt, tanquam justitiam ignorantes, acceptores personarum facti sunt, & Justitiam perdentes, dominium orbis terrarum amiserunt. Juvenes ergò imprudentes constituendi non sunt Duces, vel Ecclesiarum Pastores, ne ipsi simul cum populo pereant. Tales enim si præsunt, non solùm præterita, & futura non cogitant, sed aures etiam obturant, ne quod verum & bonum est, audiant.* Senes ergo eligantur: *Senilis enim illa ætas vicina morti*, inquit Hieron. *magis timorem & cultum suscipit Dei.*

*Ad Frat. in erem. ser. 14.*

*Cap. 2. in Joel.*

Anjuniores semper spernendi.

Quæ quidem hactenus intelligenda sunt, ut non continuò juniores à Reipub. muneribus arceamus, nec etiam is fuit Augustini, & aliorum sensus. Quid enim si virtutibus polleant, scientiaque civili, vel militari cæteris præstent? nam & VALERIUM CORVINUM tertio, & vigesimo ætatis anno ante legitimum tempus quod erat xliij. annorum, ad Consulatum promotum legimus: & MARIO juniori, SCIPIONI Africano, POMPEJO MAGNO, & OCTAVIANO AUGUSTO, aliisq; Ducibus ob singularem rei militaris disciplinam, & ob candorem ingenii, ante tempus, Consulatus, aliosque honores delatos comperimus. Neque enim ætatis magnam habebant rationem Romani, quod alibi notavimus, quò minùs suffragantibus meritis, Dictaturas, & Consulatus, aliosque maximos honores meritis civibus demandarent. Quos enim amplissimis ornamentis dignos putârunt, satis annorum, & ætatis habere duxerunt: tametsi *L. Julius* Trib. ple. *Q. Fulvio Flacco*, & *Manlio Acidino* Coss. rogationem ad populum tulerit, quâ declaravit, qui, & quibus annis nati quemque magistratum peterent, caperentque. Quâ de re plura videre est apud Alex. ab Alexandro lib. Genial. dier. 3. & Cujacium 17. obser. c. 34.

*Lib. 3. cap. 5.*

Ex quibus omnibus efficio, Principem omnibus ingenii nervis debere genus, vitamque & mores, & ætatem, & merita cujusque indagare, priusquam civile aliquod munus condonet; ne eandem querendi subditis materiam præbeat, quam olim Metius Falconius à Tacito Imper. dedit: *Quæ, malum ratio est*, inquit, *habere Imperatorem, qui eos faciat Consules, Duces, Judices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit?* Dixisset & *Doctrinam*. Nam ut scribit S. Augustinus: *Ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis.* Audi Comicum: *Homine imperito nihil quicquam injustius, qui nisi quod videt nil rectum putat.* Eminentem tamen Doctrinam non requirimus, sed convenientem Innocentio III. probatam in c. cum nobis olim, de Electio. in 6.

*Vopisc. in Tacito.*

*Teren.*

CAPUT

## CAPUT IV.

### *Cavendum etiam diligenter, ut citra ullum munus, atque largitionem Magistratus abs te consequantur.*

*Cic.4.Ver.* QUid ita? quia qui *per largitionem magistratus adepti sunt, dant operam, ut*
*ita potestatem gerant, ut illam lacunam rei familiaris explere possint.* Idcir-
*ApudLāp.* cò verissimè & divinitus dixisse videtur Imperator Severus: *Necessarium*
*Lamprid.* *est, ut qui emit, vendat: nec sine rubore* (nota aliud ex alio malum) *puniri potest is,*
*Plin.2.ep.14* *qui quod emit, vendit.* O verissima! Et hæc tametsi notissima sint, nemini que i-
gnorata, iis tamen nunc, plerisque in aulis, vivitur moribus, *ut refractis pudoris, &*
*Tacit.2.* *reverentiæ claustris, omnia pateant omnibus:* immò *spretis melioribus, valeant de-*
*Hist.* *terrimi:* idque, malùm, per sordes & fraudes.

Jam enim ferè obtinet illud Poëtæ:

*Euripides.* Ηδὴ νῦν αἰδῶς μὲν ἐν ἀνδρώφοισιν ὄλωλεν:
Αὐτὰρ ἀναιδείν γαῖαν ἐπιστρέφεται:
*Nunc certè pudor in mortalibus est extinctus:*
*Terrarum improbitas, occupat imperium.*

*Cic.l.5.epist.* Quis enim non videat *jam pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus*
*Sallust.Cat.* *nihil esse loci?* Hodie *omnia virtutis præmia ambitio possidet:* Hodie *suspecta*, atque
*Plin.8.epist.* neglecta *virtus est; inertia autem in pretio.* Inertia autem? imò scurrilitas, & quid-
vis eâ pejus. Quibus, sodes, à plerisque Dynastis conferuntur munia civilia? an nō
apinariis, & omni decore maculosis, magisque à pecuniâ, quàm virtute, & do-
ctrinâ instructis? Rursum, quæ plurimos res evexit ad Judicatū aut Sacerdotium,
nisi vilia quædam aularum dehonestamenta? nundinantur magistratus, Sacerdo-
*Isa.1.* tia, (pudendum dictu) vendunt judicia, *diligunt munera, sequuntur retributio-*
*Psalm.25.* *nes*, &c. Attendite rogo vos, ô boni Principes, attendite ad eos, *in quorum mani-*
*Sallust.* *bus iniquitates sunt & quorum dextra repleta est muneribus.* Denique, *quibus fi-*
*Iugu.* *des, decus, pietas, postremò honesta, atque inhonesta omnia quæstui sunt.*

*Dio. lib. 36.* Attendite inquam, & seriò scitote, *idoneos vos oportere rebus gerendis præfice-*
*re, non etiam eos qui magistratus prensant.* Alioqui, si quod Reipub. damnum per
*Sapientia 6.* eos enascatur, illud in extremo illo die (quo die *Iudicium durissimum fiet his qui*
*Eccles.38.* *præsunt*) præstare debebitis *. Principes, *mementote novissimorum*; & extremum
*D.Greg. lib.* periculum hoc, facilè declinabitis: *qui enim considerat, qualis erit in morte, semper*
*28.Mor.c.10* *timidus fiet in operatione.*

*Taci.13.An.* Itaque, *nihil in penatibus vestris sit venale, aut ambitioni pervium.*

* *Atque ita sentiunt cùm iuris, tùm Theologiæ consulti. DD. l. si servus. §. Proculus, ff ad l. aquil. Innoc. c. cùm in cunctis de Elect Covar. Reg. Peccatum. Pet. Greg. 4. de Rep. c. 6. nu. 2. & seq. D. Tho. 22. q. 65. art. 2. R. Tho. Bozius l. 1. de Temp. eccles. monar. c. 5. P. Leonardus Lessius 2. de Iust. & Iure c. 32. Dubit. 3. Azorius part. 2. Instit. Moral. l. 11. cap. 6.*

EXEM-

## *EXEMPLA quibus MONITA subjunguntur.*

I. CAvendam summopere Magistratuum venalitatem JUSTINIANUS noster, non uno in loco monet; neque immeritò hanc venalitatem appellans, *omnis nequitiæ principium, & finem*: utpotè ex qua oriatur, velut ex quadam sentina, morborum omne genus, quibus certissimò Respub. ad interitum, aut certe mutationem perduci solet. *Novel. Const. 8.*

II. Ipsum quod testatum facit DEMOSTHENES, dum scribit, Civitates tùm ægrotasse, cùm Magistratus intenti essent muneribus, & nimiùm delicati in otio degerent cives, & inde subversionem Reipublicæ illorum, ex inopinato accidisse. *Orat. de Corona.*

III. FLAVIUS quidem VOPISCUS, declinantis Imperii Romani omen eidem rei adscribit, dum nimirum sub Aureliano Imp. officia venalia esse cœperunt, neque dabantur hominibus, sed divitiis. *In Aurel.*

IV. Redintegratum quidem erat Imperium Romanum novis Rectoribus, suoque pristino nitori restitutum, nisi illud PHOCAS afflixisset, cujus inter cætera tyrannidis insignia illud eminebat, ut non vetus nobilitas, nec probata virtus ad magistratus capessẽdos aditũ præberet, sed pecunia cujusq;, quâ qui magis pollebat, auctione tanquã propositâ, aliis licitatoribus præponebatur, ne multis, adeò perdita erat Respubl. ut quivis honos ambitioni pateret, virtutem pecunia exæquaret. *V. Baron. to. 8. Ann. an. Chr. 10.*

V. Aliter atque florente Repub. nam tùm vigebant leges de Ambitu: quas seriò retractavit AUGUSTUS Cæsar, an. V.C. 736. quo tempore edictum proposuit, *ut qui largitionibus factis, magistratum aliquem ambiisset, per quinquennium ab his arceretur.* Mitiùs quàm lege Calpurniâ, quâ statutum erat (anno V.C. 684.) uti qui ambitus condemnatus esset, in perpetuum gerendi honoris impotentia multaretur. Ejusmodi leges plerisque in Civitatibus apud nos olim receptæ, at jam propemodum, quod videmus, repudiatæ. Equidem quod de electione Episcopi suadet Imper. Leo, hoc in Magistratibus sæcularibus optarim observari: *Quæratur cogendus, rogatus accedat, invitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi.* *Dio. lib 54. Idem Dio 26.* *L. Si quemquam 31. C. de Episc. & Cler.*

VI. MARTIANUS, Illyricus genere, ut auctor est Theod. Lector, vir manufortis, simulatque Imperator ab omni exercitu creatus fuit, initium reformationis Reipub. ex ea parte incæpit, quâ ambitio coërcebatur, & confestim decrevit, nemini pecunia magistratum esse conferendum. *Lib. 1. Colle. tom. 2. Bibl. sancta.*

VII. Idipsum etiam fecisse ANASTASIUM Imperatorem scribit idem Lector, & Magistratus ante venales gratis contulisse. *Indidem.*

VIII. Denique ALEXIUM Orientis Imperatorem, cognomine ANGELICUM,

*Nicetas l.2.* scimus primo quoque sui Imperii die proclamari jussisse, Magistratus sese non venditurum, sed delectu ex optimis habito, gratuitò mandaturum. ô utinam plures ejusdem sortis Principes!

Ratio porrò harum Constitutionum in promptu: quòd si pecuniâ pateant hominibus dignitatum portæ, sæpenumerò flagitiosissimi quique flabello divitiarum accensi, ambitionisque cupidine permoti, ad quaslibet dignitates adspirabunt ac pervenient, quas ubi adepti fuerint, multiformi iniquitate expensas eam ob rem factas sarcire conabuntur, ut ante in Aphorismis ostendi.

Nero, in uno bonis principibus imitandus. *Taci.13.An.* IX. Itaque his malis occurrant boni Principes. NERO ipse, quanquam culpatissimæ alioqui vitæ, integer tamen hîc fuit; adeò ut quondam in Senatu jactarit, *nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium esse permissurum*: Notate, non modò manus puras hîc habuit, sed etiam, aulici, admissionalesque sui pariter ut haberent, procuravit. Castigandi certè, & scutica digni canes isti aulici, qui hoc palato sunt, ut neminem unum ad Herum admittant, nisi sibi mellitæ simul *4. Annal.* & auratæ offerantur offæ. Talis fuit quondam Zoticus, quidam amicus *Heliogabali* Imp. teste Spartiano; & SUILLUS *Claudii*, quem præpotentem juxta ac venalem fuisse Tacitus scribit, & Principis sui *amicitia diu prosperè, nunquā benè usū*. *Barō. To. 6. Annal. an. Chr. 485.* Talis denique fuit SEBASTIANUS, præpotens *Zenonis* Imperatoris aulicus, ut qui in Regia nihil quidquam sine pretio sineret confici. Nam & Magistratus vē- *ex Lamprid.* debat omnes, pretio tùm sibi reservato, tùm Imperatori communicato, quod si quis accessisset, qui paululùm quidquam adjiceret, is præferebatur; In toto denique Palatio nihil erat rerum omnium, quod venale non esset. Quod si *Zeno* Magistratum aliquem suis familiaribus contulisset, ipse mancipis instar, eum ab illis redemptum pluris vēdebat aliis, *Zenoni* furta præbens. Deus faciat, ut his talibus idem fiat, quod VETRONIO Thourino familiari Imperatoris *Alexandri*, qui eum convictū, quòd suum suffragium vendidisset his, qui à se aliquid petebant, ad palum alligari jussit, supposito igni, ex humidâ materiâ (ut nimirum crimini supplicium responderet, juxta l. Respiciendum ff. de pœnis) præcone clamante: *Fumo punitur, qui fumos vendidit*. Postea tamen remissius cum eis egit *Iustinianus* Imper. (idque propter receptam jam tùm consuetudinem, labuntur enim cum ævo boni mores) quâ invaluerat, ut non solùm aulici Admissionales ad honores petentibus aliquid acciperent, quod *suffragium* Justiniano appellatur quo nomine erat actio; Si certum petatur, de suffragio, sed & ipsi Principes, qui dignitatem deserebant, etiam eo nomine aliquid peterent, dum contentus fuit tollere omne suffragiorum genus, secutus hac in re Theodosii, & Valentiniani constitutionem. *Laudandi quidem sanè Imperatores, ac Principes, qui edictis suis tollunt à se sordes istas. Nam ecce, Justitia alioquin per eas evertitur. Deinde beneficii gratiâ subtrahitur: quòd beneficiarii non tam Principi, quàm suffragatoribus aulicis beneficium seu dignitatem acceptam ferunt. Id quod prudentis Principis esse summopere præcavere, nemo non videt.

Præclarum Imp. Alex. Severi factum.

*Novel. Const. 8.*

**Qua extat l. ult. C. ad l. Iul. Repet.*

Dignitatū venūdatio, cur ab Aula exterminanda.

Scimus

Scimus nonnullos Reges Galliæ, qui originem à CAROLO Magno ducunt, regno pulsos fuisse, hanc unam ob caussam, quòd scilicet paterentur officia Palatinis elargiri. Taceo, quod conferendo prædicto modo Magistratus, merita quæ alioqui semper attendenda) non considerentur.

Quod ut præcaveret FRANCISCUS II. Galliæ Rex, statim primis regni auspiciis (Francisco Olviario suasore) legem tulit, quâ ut Judices spectatæ integritatis, & eruditionis in supremis regni Curiis, & inferioribus subselliis constituerentur, edicebatur, ut inposterum penes ipsos Judices jus esset, tres probitate, & juris scientiâ conspicuos nominandi, ex quibus quem vellet Rex deligeret. Verùm, quò minùs optimum edictum locum habuerit, aulicorum ambitione, & avaritia effectum est, qui emolumentum ex muneribus publicis, ac dignitatibus, pretio irreligiosè æstimatis, & turpiter divenditis captantes, ad augendum (sicut jactabant) Principis ærarium, pravis edictis Iudicum numerum in immensum multiplicarunt. Et ita clarissimus ordo, quem honorificum servari ad omnes regni ordines in officio continendos Reipubl. intererat, paulatim cœpit vilescere, gliscente sordium veneno, quo indigni homines, nullis meritis, sed opum fiducia, aut aulicorum beneficio, ad eos honores provecti, facilè corrumpuntur. *Thuanus li. 17. Hist.*

Quid multis? retrò actis sæculis ab eadem cēsura prædicatur D. LUDOVICUS, qui inter salutaria præcepta, quæ *Philippo F.* regni successori dedit, eum insuper monuit, ut ad Sacerdotia, seu beneficia Ecclesiastica bonos tantùm, & optimè meritos per seipsum, & quidem consultò nominaret. Sciebat vir divino afflatus spiritu, ubi officia, & sacerdotia indignis conferuntur, interturbari civilem politiam, ac justitiam distributivam. Insigne monitum S. Ludovici.

Certè, inter caussas excidii urbis Hierosolymæ, hanc affert Egesippus, quòd Sacerdotia, atque Pontificatus maximus, nonnisi ad homines ineptos, indoctos, atque avaros deferentur. Quò magis arcenda erit prava illa ambitio, quam ab auctore deterrimo Simoniam nuncupamus, ut ne irrepat in Aulam, & per eam Principibus laicis, qui jus patronatus in his talibus habent, imponant Palatini. *Quis enim locus tutus*, ajunt Impp. Leo & Anthem. *& qua causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis, aut vallū fidei providebimus, si auri sacra fames in penetralia venerāda proserpat? quid deniq; cautū esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrūpatur? Cesset itaq; altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & à sacris aditis repellatur piaculare flagitium.* Hactenus illi: & quidem verbis idoneis, quæ Principum omnium, præsertim Ecclesiasticorum, foribus inscribantur. Sed quid? parum ad ista attendunt pseudo quidam politici aulici, quibus hoc tantum curæ est, ut loculos suos qualitercunque impleant, *mendaciis, & fallaciâ, quasi præclaris artibus gaudentes*, sæpeque Principibus suadentes, licere in necessitate distrahi & sacerdotia, & munera civilia, quod olim à Venetis factum, cum à FRANCISCO I. bellis infestabantur: quod equidem nunquam suadere ausim: tùm *Cap. 6.* Simonia cavenda. *L. Si quemquam 31. C. de Episc. & Cler.* *Val. Max. 9.*

*Cap. Principatus 1. quæ. 1. Psalm 2.* quod pernitiosi res sit exempli, tùm quod *difficile sit, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio*, Ridebunt hæc, scio, Machiavellistæ: verùm *qui habitat in cælis irridebit eos, & in furore suo conturbabit eos*, præsertim Ecclesiasticos Principes qui specie dignitatis suæ tuendæ quos alunt ministros iis Sacerdotia & Canonicatus conferunt, ut servitia sibi præstita compensent, quod quam nefas sit, testantur omnes Theologorum scholæ. Quo verò ad Magistratus & officia profana, quæ habent Justitiæ administrationem, illorum nundinationes, ne quidem Ethnici ipsi illas (quod pudori deberet esse Christianis) admittebant. Verissimè enim Cicero dixit, *eos qui per largitionem Magistratus adepti sunt, operam dare ut illam lacunam rei familiaris expleant*. Tritum est illud: *Emerat ille prius, vēdere jure potest*. Unde Alex. Severus Imp. *Erubesco illum punire, qui emit, & vendit*. Vid. P. Lessium de Just. & Jure lib. 2. c. 32. Dub. 4.

Item officiorum venditio.

*4. in Verr.*

*Lamprid.*

---

## CAPUT V.

*Porrò, hoc omnibus Principum administris suaserim*, Modestiæ *semper ut meminerint: ne fastidio, & contumaciâ efferantur, dum rem sibi creditam administrant.*

Dogma non satis inculcandum Aulicis, ac Principum administris: quippè quòd plerique nimiâ sui fiduciâ, an humanæ fragilitatis oblivione (quæ rebus lætis, ut plurimùm intervenit) alios præ se nihili faciunt, ac potiùs despicatui habent, eos maximè quos impotentiores, vel inferiores vident. ô parum prudentes! parumque providentes *caduca hæc esse & fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis, quæ, vires, atque opes humanæ vocantur.* Prospiciant vitæ tractum, contemplentur alternantis fortunæ vicissitudinem, & invenient *sæpè inter fortunam maximam, & ultimam, nihil interesse.*

*Val. Max. 6. c. ult.*

*Senec. 6. de Benef. c. 23.*

Horum mores deprecentur mihi velim melioris notæ Aulici, existimentque servandam *adversus minores humanitatem, adversus majores reverentiam*. Nam, *quæ excelsa videntur, prærupta sunt.* Ideò plerisque *hærendum est in fastigio suo, ex quo non possunt nisi cadendo descendere.* Verùm, si mihi creditis, tuti eritis *fortunam vestram, quàm maximè poteritis in planum deferendo*: hoc est *si vestra vos, non Principis fortuna metiamini.*

*Id. 4. Nat. quæst.*

*De Tranqu.*

*In idem.*

*Plin. Paneg.*

II. Quidquid agitis, sine contumaciâ agite: *Nulla sit in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora.*

*Idem.*

III. Benigni ac civiles, domi, forisque estote, ut vel invidiam, communem Aulæ pestem, vitetis (*nemo enim facilè ei fortunato invidebit, quem prosperis rebus affluētibus moderato utentem animo conspexerit*) vel eâ fortean depressi, qui vos relevent, olim inveniatis. J*ustitiâ, mansuetudine, humanitate largâ, & benignâ manu, præpa-*

*Lucian. de Imag.*

*præparetis multa ad sequentes casus præsidia quorum spe securiùs pendeatis.--Sicut ii, qui in tranquillo & sereno navigant, parata etiam instrumenta habent, quæ in tempestate sint usui: sic qui in bonâ fortunâ sapiunt, contra adversam auxilia expediunt.* Tales verò eritis, *si moribus adsit affabilitas, verbis urbanitas. Est autem affabilitatis, obvios salutare: urbanitatis, comiter eos appellare.* Utrumque singulari Discretione temperandum est, plerumque enim *viles, qui nimiùm civiles.* Sen. de trãq. c. 10. Socrates apud Stob. Isocrates ad Demon.

IV. Nimiam quoque popularitatem vitate: quòd Principibus plerumque ea suspecta sit, iis maximè, qui *existimant suæ demptum gloriæ, quidquid cedit alienæ.* Curt. lib. 6.

V. Amplius, inanem & inquietam industriam fugite. Etenim haud fermè Principum rebus idonei, quorum ingenia nudâ tantùm ostentatione deteruntur. *Ut ulcera quædam nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum scabiem delectat quidquid exasperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates, velut mala ulcera eruperunt, voluptati esse laborem, vexationemque.* Placent illi, placent, *qui actu otiosis simillimi sunt,* ——— *& qui ad omnia, quæ agenda sunt, quieta cum industria adsunt.* Senec. de Tranquill. animi c. 2. Vellei lib. 2. Tacit. 3. Hi.

VI. Denique, vitanda jactantia, siquidem, in *Principe rarum, ac propè insolitum est, ut se putet* (notate) *obligatum, aut si putet, amet.* Itaque videte, ne nihil vobis assignetis, *sed ad auctorem & ducem* (cujus auspiciis rem geritis) *fortunam referatis.* ——— *Namque ea est Regum conditio, ut casus tantùm adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.* Quæ si præstiteritis, ô Aulici, *vivetis præsentibus læti, futuris securi.* Atque hoc est mei voti. At videte, & cavete: nam, *qui semel premitur adversâ fortunâ, nullum habet suæ calamitatis socium & consortem.* Cavete inquam, & audite illud Poëtæ amiculis exprobranti: Plin. Paneg. Tac. Agric. Æm. probus in Datame. Sen. de beata vita. Thuc. lib. 6. Hist. Petron.

*Cùm fortuna manet, vultum servatis amici;*
*Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.*

---

## EXEMPLA, NOTÆ, & MONITA.

I. SEIANUS, præpotens ille *Tiberii* Cæsaris aulicus, inter cæteras impotentis animi significationes hanc edidit, quod statuas sibi, ceù Cæsari erigi, immò & ad eas sacrificari passus sit, singulorumq; studia, atque salutationes affectaret, acriter observando eorum, maximè procerum, verba, nutusque. Verùm, quas suæ arrogantiæ pœnas dederit, accipite: *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit: in quem quidquid congeri poterat, Dii hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret,* pauca verba, nisi quæ vel potentissimos, qualis ille fuit, terreat aulicos: agè, Dionem audiamus; exitum ejus diducentem, & ex- Dio lib. 58. Sen. de Trãquill. c. 11.

*Lib.58.* & explicantem: *Seiani casus humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, monetq; nusquam inflatè se gerere. Quem enim ut præstātiorem se universi ad Curiam comitati fuêre, tunc quasi minimè se meliorē in carcerē rapuerūt; quem coronis ante dignati fuerant, ei tunc vincula induxerunt; quem tanquam Dominū stipaverāt, eū fugitivi instar custodiverūt, tegimenq; obvelāti se detraxerūt, alapis ingestis; quē ante prætexta, purpurâ veste decoraverat, cui genua flexerant, ac ut Deo sacrificaverant, eū tunc ad mortē duxerunt, &c. Itaq; capite multatus, in Cemonias projectus est, eumq; totū triduum populus ludibrio habitū, in Tyberim misit: Liberi ejus ex Senatusconsulto necati. Filia, quā pactus erat Claudii* (Imp.) *filio, constuprata prius à carnifice, quasi impium esset virginem in carcere perire.* Hactenus Dio. quem sæpiùs legant, & relegant tumidi quidam animi, eodem plane morbo quo aulicus iste laborantes, qui quærunt, & affectant salatationes, tanquam ad dignitatis suæ culmen pertinentes, quas si non consequantur, tanquam probro injuriave affecti; commoventur: ut etiam in uno *Aman* scriptura testatum facit. Atqui propriâ dignitate nituntur, minimè ista ab aliis postulant, neque omissas vitio vertunt, conscii nimirum sibi, minùs hoc negligi contemptu sui.

Notent Aulici.

*Spartianus.* II. Sane, diu consistere non possunt tales, quin ruant, aut certè in offensionem Aulicorum, atque adeò Principis incurrant. Legimus Adrianum Cæsarem, liberto jussisse colaphum impingi, quòd medius duos inter Senatores incederet, monuitque eum, ne contemneret constitutos in gradu superiore, propter gratiam, quâ apud se valebat: *noli*, inquit, *inter eos ambulare, quorū esse adhuc potes servus.*

*Crantzius.* III. FRIDERICUS Cæsar, pace & bello inclytus Princeps, dicebat; *neq; stultis se delectari posse, neque superbis esse amicum.*

Fastidii, & contumaciæ incommoda.

IV. Itaque, etiam atque etiam videant aulici, ne ejuscemodi lentos, odiososq; mores induant, *Tumorem*, inquam, *Contumaciam, & animi Impotentiam*, præsertim illi, qui benè de Principe suo meriti sunt. *Sæpè enim fit*) ut verissimè inquit Philippus Cominæus) *ut qui bonam & fidelem operam Principi præstiterunt, arbitrentur sibi aliquantò plus, quàm aliis licere. Principes contrà aliter sentiunt, & æquius esse ducunt; ut qui se ipsorum clientelæ, & ministerio tradiderunt, officio fungantur. Memini quondam Regem* ( Ludovicum XI. ) *mecum sic loqui, ut diceret fieri aliquando, ut egregia opera minùs liberaliter remunerentur, non tam ingratitudine Principum, quàm eorum, qui præstiterunt operam vitio: dum elati quadam confidentiâ, propter rem bene administratam insolenter, & protervè multa faciunt.* Nihil veriùs dici potest: & tamen proprium est istud, & peculiare vitium aulicorum, qui quò meliùs de Principe meriti sunt, eò plùs intumescunt, cùm tamen remissiori spiritu esse deberent: quòd gratia Principum summo labore acquiratur; ex facili amittatur. Præsertim ubi adest contumelia: *Dolor enim ex contumeliâ*, ut inquit Valerius, *gravissimus nascitur & sentitur, præcipuè à Principibus, quibus quantò major potestas, sic etiam major contumeliæ sensus.*

*Lib.5. Comment.*

*Lib.2. cap.2.*

V. Hoc animi vitio legimus laborasse SYRUM Agrippæ Regis familiarem. Is enim,

enim, *extollens se* (ait Josephus) *immodicè, & sæpè prioris fortunæ adversitates in memoriam revocans, ut ostentaret quàm studiosus ipsius* (Regis) *cultor fuisset, nunquam non labores in ejus gratiam exhaustos memorabat: quæ cum sine modo repeteret, exprobrare videbatur; ita ut Rex tandem offenderetur immodica hominis libertate.* Neq; mirum, commemoratio enim ista meritorum, exprobratio est immemoris beneficii.

*Antiq. 19. cap. 7.*

VI. De PHILOTA Curtius: *Neque ignorabat Craterus, sæpe Alexandri auribus nimia jactatione virtutis, atque operæ, gravem fuisse, & ob ea non quidem sceleris, sed contumaciæ tamen suspectum.* Stulti certè, & stolidi tales, qui fructum beneficii recipiunt in suâ jactantia. Meminerint prudentiores aulici Sallustiani moniti:

*Lib. 6.*

*Jugurth.*

*Plurimùm facere, & minimum de se loqui.* Etenim,

*De virtute loqui, minimùm: virtutibus uti,*

*Hoc Samsonis opus.*

*Mantua. 1. Parthe.*

Porrò, dixi etiam vitandam inanem & inquietam industriam.

Vitanda inanis industria & jactantia.

I. Exemplo sit PISO ille, *quo nemo aut validius otium dilexit, aut facilius suffecit negotio: magisque quæ agenda erant egit, sine ulla ostentatione agendi.*

II. Et SEIANUS Tiberii familiaris, de quo paulò ante, quem sub initium vitæ aulicæ scribit Velleius *actu otiosis simillimum fuisse, nihil sibi vindicantem, eoq; assequẽtem omnia semper infra aliorum æstimationes se metientem, vultu vitaq; tranquillum, animo exsomnem* fuisse. Cæterùm, hæc dos propria esto aulicis interioribus, atq; adeo majoribus administris; non aliis gregariis aulæ ministris, quibus frequens negotiorũ tractatio, etiam cum jactantia quadã permittenda; nec enim his cõvenit modestia nimia, quæ vulgò frigiditas nũcupatur, cũ tales sẽper, ut *obscuri, sic etiã præmiorũ sint expertes*, ut historicus noster non uno in loco ostẽdit.

*Vellei lib. 2.*

*Velleius ib.*

Quibus maximè fugienda.

Insuper monui, ut administri Principum nihil adscribant sibi, nullumque nobilius factum adsciscant, sed fœlices omnes, (præsertim in bellis) eventus Principibus suis acceptum ferant. Est enim arcanum Principum, ne quis præter eos famam, laudemque rei gestæ ad se trahat.

*Tacit. 4. Hi.*

Aulico arrogãtia fugienda; nec Principi beneficia imputanda, vel exprobrãda, imò nec cõmemoranda.

I. Quod M. AGRIPPAM rerum gestarum gloriâ sub *Octaviano Augusto* imprimis clarum fecisse comperio, sæpè cohortans eos, qui salvi & incolumes esse vellent, ante omnia Principes liberarent rerum omnium difficultate & molestiâ; rerum verò gestaram gloriam eis reservarent, nequaquã sibi, quod notent aulici.

II. Hoc JOABUM movit, ut in obsidione civitatis Rabat, quæ erat caput urbiũ Ammonitarum, Davidem Regem suum, evocaret, *Ne*, inquit, *cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.*

*Dio. lib. 49. & Xiphil.*

*2. Reg. 12. 19*

III. ANTONII PRIMI potentiam, ut ad Romanos redeamus, non aliam ob caussam evanuisse, nisi *nimis commemorandis, quæ meruisset*, Cornelius noster auctor est.

*Lib. 4. Hist.*

IV. GERMANICUS Tiberii Cæsaris nepos, cùm non impigrè operam suam adversus conatus hostiles impendisset, *Tiberium* patruum *lætitia, curaque affecit.*

Tac. 1. Ann. *fecit. Gaudebat oppressam seditionem: sed quod largiendis pecuniis, & missione festinatâ, favorem militum quæsivisset, bellica quoque Germanici gloria* (notate) *angebatur.* Atque hic livor postea exitium illi attulit: quod ex facili deprecari potuisset, si is à victoria militarem auram minimè captasset, & Tiberium privatus, & sine fastu accersisset, omnemque partæ victoriæ gloriam ad eum retulisset.

Ex Dione lib. 59. V. Quid de LENTULO GETULICO dicam? nunquid etiam ille à *C. Caligula* è medio sublatus, quòd re fœliciter in Germania per decennium administrata, gratiosus omnibus esset, bellumque ceù propriis auspiciis administrasset?

Id. Dio l. 60. VI. Taceo GN. DOMITIUM CORBULONEM, cujus etiam in Germania virtus, & res præclarè gestæ, ut *Claudio* innotuêre, ex hostico revocatus fuit, à quo? à Cæsare illo ipso inglorio, & metuente, ne se destituto, ei viro (utpote manu strenuo) Imperii habenæ mandarentur.

1. Reg. 18. VII. Ac ut sacra misceamus profanis, notus est SAULIS livor in DAVIDEM, quod ille inglorius huic faveret populus ob rem bene fœliciterque contra hostē administratam.

Popularis gratia potentioribus Aulicis haud ambienda. Tom. 3. VIII. Taceo etiam CYRUM non Regem illum, sed *Theodosii* Imper. Præfectum, qui casu suo aulicos omnes edocuit, periculosum esse insistere favori populari, de quo sic Zonaras: *Mœnia translaturus* (Theodosius) *& urbem amplificaturus, munus id Cyro Præfecto mandat, qui magno studio & celeritate Chersæum murum à mari ad mare pertinentem intra dies lx. absolvit. Urbana igitur multitudo tam opere delectata, quàm Præfecti celeritatem admirata, publicè exclamat: Constantinus condidit, Cyrus renovavit. Quamobrem Cyrus invisus, & suspectus Imperatori, vel invitus tondetur ut Clericus, & etiam Smirnæ fit Episcopus.* Usus igitur ille, & delectatus aura populari, sed, sibi, si vulgi sensum spectes, perniciosa. Moderentur aulici, ne auram popularem cum fœlicitatis jactura commutent.

Sen. de Trāquil. animi. cap. 11. IX. Nunquid non SEIANUS qui suprà, aliique dum fastigium Regium sibi proponunt & quidem per sinistras artes eò fœdiùs cadunt, quò majus sua conditione culmen affectant? De illo Seneca: Quo die putabatur consortio & successione Imperii donandus *populus in frusta divisit*, ejusque cadaver totū triduum insepultum jacuit: atque ita *in quem quidquid congeri poterat; Dii hominesq; contulerant, ex eo nihil superfuit quod carnifex* unco in Tiberim *traheret. Scito ergò*, ô Aulice, *omnem conditionem versatilem esse: & quidquid in ullum incurrit, posse quoque in te incurrere.*

P. Jovius. X. Mittamus Ethnicos. LUDOVICUS SPORTIA in arce existens Mediolanēsi, dum inaudit *Ludovicum XII.* Galliæ Regem hostem sui nominis, nedum patriæ, acerrimum adventare, quærit à Domino *Sico* suo Cancellario, qua potissimum ratione ejus conatibus obsistere posset, arcemque ab obsidione, vel impressione Gallorum tutam reddere, cui ille respondit: *Amore & benevolentiâ subditorum.* quod quidem responsi trutinans aliquandiu *Sfortia*, qui nec ignorabat Cancel-

larium

larium à Mediolanensibus præ se diligi, venit in suspicionem, ne suo tandē principatu ab eo deturbaretur: qua quidem suspicione magis magisque crescente, capite illum publicè mulctari jussit. Verùm, Cancellarius priusquam cervicem lictori præberet, hac usus oratione dicitur: *A me il capo, à te il stato.* quæ instar oraculi ab coronâ excepta fuit, nec falsò, ut eventus docuit: quia capite illi sublato, *Ludovicus Sfortia* non ita diu post, Ducatu exutus est, & porrò captivus in Galliam ductus, at uterque pœnas luit, alter propter populi studium & nimiam dicendi libertatem: alter ob præproperam vindictæ libidinem.

XI. Enimverò, profuisset, aut opinione fallor, nonnullis in Belgio, si non tantùm bellis his civilibus gratiâ apud plebem valuissent: etenim procliviùs affectatæ fortè Dominationis veniam à suo Rege obtinuissent.

XII. Quid de *Sultano Mustapha*, Solimanni filio? Nunquid superioribus annis jussu parentis strangulatus, quòd ei acclamatum esset, *feliciter*, è bello Persico redeunti?

XIII. Quid de COSMO MEDICEO cognomento *Magno*? nonnè tametsi optimè de Repub Florentinâ meritus esset, ob suspicionem popularis auræ, ab optimatibus urbe pulsus fuit, & relegatus?

XIV. Eandem ob causam è medio sublatus fuit VICECOMES MONSIGNARINUS à *Francisco Sfortia*, ultimo Mediolanensium Duce, occiso postea clam Ponzino cædis auctore, ne rei veritas tractu temporis vulgaretur.

XV. Quid de ALPHONSO ALBUQUERFIO, qui non paucas sua virtute Indiæ Orientalis regiones *Lusitano* Regi adjecit, nunquid tandem pro gratia, aliorum obtrectationem, Principis verò malevolentiam reportavit?

XVI. Denique, quid de sexcentis aliis ejusdem notæ? nisi infœlices videri nimia fœlicitate, & periculo suo constare, arduum esse rerum gestarum gloria florere, Principibus interim ipsis ingloriis. Sunt enim plerique Dynastæ eodem propè ingenio, quo PHILIPPUS ille MACEDO, quem usque eo gloriæ cupidum fuisse ferunt, ut *omnia præclara facinora sua esse videri vellet, & magis indignaretur Ducibus ac Præfectis, qui prosperè & laudabiliter aliquid gesserant, quàm iis qui infœliciter & ignavè.* Parenti consimilis filius ALEXANDER, *Is vinci quidem hostes voluerat sed Antipatrum vicisse, tacitus indignabatur, suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ.* — Ingenium Philippi Macedon. — *Demosthen.* — *Curt. lib. 6.*

Causa ejus rei triplex: Vel quòd soli velint videri albæ, ut sic dicam, fortunæ pulli; vel quod nimius subditorum in ministros favor illos angit & urit; vel denique quòd nolint, aut certè doleant, meritorum magnitudine devinciri: quod postremùm egregiè docet prudens noster Cornelius: *Destrui per hæc*, inquit, *fortunam suam Cæsar, imparemq; tanto merito rebatur. Nam beneficia eo usq; læta sunt, dum videntur posse exsolvi: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur*, & præstantissimus Philosophorum Seneca: *Tutius est*, inquit, *quosdam offendere, quàm demeruisse, argumentum nihil debentium, odio quærunt.* — Cur Principes zelotypi omniaq; facinora sibi imputari velint. — *Lib. 4. Ann.* — *Li. 2. de Be*

XVII. Ideò Ludovicus XI. Galliæ Rex, dum ad hanc rem illum Taciti locum expenderet, *Graviorum facinorum ministros quasi exprobrantes adspici*, ad Cominæum conversus dixit, nihil felicius homini aulico contingere posse, quàm cum Princeps in eũ aliquod insigne beneficiũ cõtulerit, quod idem aulicus parũ promeritus sit: nam eo collato beneficio Princeps ipse alligatur magis, quàm si aulicus diuturna quæque obsequia præstitisset; ideò quia naturaliter Princeps majori illos complectitur amore, qui sibi plurima debent, quàm contra, quibus ipse.

Scip. Ami. 3. Diss. Disc. 6.

Remedia adversus casus aulicos.

Remedium, præter illa quæ in textu libavi, sit adversum hæc discrimina facile, & in promptu. Ut administri Principum secundas semper res, ut præmonui, non sibi, sed Principi suo adscribant. Magnæ enim imprudentiæ est, animi sui excellentiam, cum Principis præstantia conferre; quin longè stultissimum, præ eo videri velle quòd sis & perspicax, & prudens, & circumspectus, quòd prudentiores aulici semper animadverterunt: qui proinde vel minimum fastum, tanquam scopulum quendam vitare solent, ad quem permulti rerum suarum, simul & honoris naufragium fecêre. Unde Nerone imperante *ignaviam pro sapientia habitam fuisse legimus*: quod liceat iterum aliis firmare exemplis, quæ nobis suppeditat elegantissima P. Matthæi, nostri temporis scriptoris Gallici, historia, quo monebitur aulicus, etiam in minimis, non esse cum Principis præstantia certandum: quæ tamen priusquam referam, præmitto, quod sub manu est, generis ejusdem exemplum è Xenophonte deprom ptum.

Lib. 3. Narrat. 1.

I. Gorbiam quendam Assyrium, multis animi corporisque dotibus præditum adolescentem, in amore simul, & admiratione habebat *Rex Assyriorum*, adeò quidem, ut filiam ei desponderet, cæteraque eum adhibebat non veluti ministrũ, sed ut socium & amicum contubernalem. Accidit autem, ut Rex ab accubatione epulari *invitaret eum venatum, venariq́ue liberrimè*, verba sunt Xenophontis, *eum permitteret, ratus longè se illi equitatione præstare. Ursa vero ut est oblata, cùm utriq́ue illam persequerentur, misso Rex jaculo illam frustratus est. At Gobrias spiculum vibrans, ursam prosternit quam rem ægrè molestéq́ue Rex tulit, invidiamq́ue clam recondit. Sed & objectus est Leo, quem itidem à Rege irrito conatu insecutum idem Gobrias confecit. Hic Rex secum mussitans: Certè bis hic spiculum vibravit*, inquit, *& utraq́ue vice feram prostravit, arrepta itaq́ue à quodam ministro lancea, pectus Gobriæ transadegit, atq́ue ita adolescentem, cujus strenuitatem ægris viderat oculis, vita spoliavit.* Solerter fecisset, si ab appetita Regis laude abstinuisset: Sed mittamus antiqua.

Lib. 4. Cyropæd.

II. Erat apud *Emanuelem* Portugaliæ Regem, in auctoritate sanè quàm magna, Ludovicus De Silvera. Hunc Rex de improvisò consulit super responso quodam ad epistolium Romani præsulis componendo, mandat itaque ut stylum capiat, componatque unum, se etiam eodem argumento alterum concepturum responsum, ut è duobus elegantius, præstantiusque Pontifici reddatur. Committunt animos & velut pro laurea certat *Ludovicus*. Peracto scripto, *Regi* copiam viden-

P. Matth. 3. Hist. 1. Narrat.

videndi facit: qui pudore suffusus suum occulit, & projicit, quò cervi cornua; *Ludovici* verò responsum ocyus Romam mittit. Quid inde? Aula excedit per occasionem *Ludovicus*, & quidem prudenter, ut qui non nescius erat sese ejusmodi æmulatione non incertam Regis offensam meruisse.

III. Nectatur & istud GUIDONIS GOMESII Hispani exemplum. Ludebat hic chartis cum *Carolo V.* Imp. sed, ut fors tunc erat, admodum secundis. Simul igitur vidit *Carolum* incalescere, victoriæque imminere; imò per salutem Imperatricis jurare se victoriam (à quâ tamen ex lusione longissimè aberat) consecuturum, animum ex composito cum ludo abjicit, quasi si ex eo speraret nihil. Hoc incautiores aulici minùs dextrè interpretati sunt, immò ignaviæ, imprudentiæque verterunt, quod alioqui solertiæ atque moderationi adscribendum erat, ut docuit eventus. Nam ut Imperatori innotuit, dedita *Guidonem* opera ludum amisisse, illum post illa ad majora provexit, ratus exinde idoneum qui non solùm sua, verum etiam *Philippi II.* filii sui consilia moderaretur. *Indidem.*

IV. O prædicandam ANTONII de LEVA prudentiam! qui ut erat acri admodum & sagaci ingenio, nihil unquam sanctius & antiquius habuit, quàm ut prosperos exitus omnes *Carolo V.* Imp. tribueret, sibi verò adversos & calamitosos reservaret, adscriberetque: utile sibi, reique publicæ existimans, etiam dispendio propriæ existimationis, Principis dignitatem atque auctoritatem sartam & tectam conservare.

V. AGRIPPA quamvis *Augusto* Cæs. omnium gloriosarum atque vilium rerum auctor adjutorque esset, nihil tamen ejus gloriæ sibi arrogavit, honoresque ab illo sibi tributos, non in privatum suum commodum & voluptatem, sed in *Augusti* & Reip. utilitatem contulit. *Dio. Cass. lib. 53.*

Ex quibus omnibus tandem efficio, cavendum tibi, ô Aulice! ne à te nimium tui pleno, alti & magni spiritus erumpant ante Principem, ni velis aliquando Te, stulæ conversionem experiri. Quòd si acciderit (accidit autem non raro diu aulam incolentibus) ponendæ tibi cristæ, & ira, offensioque Principis demissè deprecanda. Ut enim quædam fulmina (ajebat apta similitudine Carolus V. Imp.) æs ac ferrum liquefaciunt, ne cera quidem confusa; ita divinam vim ac Regiam potestatẽ in obsistentes sævire, mollibus & cedentibus parcere. Cave ergò contumaciã hîc adhibeas: aut abde te, ubi nec Pelopidarũ facta. Nullus enim tũ tibi fautor, vel patronus, nullus amicus aut necessarius, sed cũcti eadẽ formidine diversa prætendendo, tuã abnuent amicitiã, quod ex Thucydide in Aphorismis ostendi. *Principum offensiones cum maximè ab Aulicis metuendæ.*

I. Cujus rei illustre extat exemplum LIBONIS apud Tacitum, & NERONIS Germanici filii, *cujus occursum alius vitabat, quidam salutatione reddita, statim avertebantur, plerique incœptum sermonem abrumpebant*, &c. *2. Annal.* *4. Annal.*

II. Sed & SEIANI (cujus ante mentio) à quo, ut *Tiberii subiit indignationem, recessere ab eo amicissimi, & quem paulo ante amicum habere magni duxerant, cum eo ne sedem quidem jam communem habere dignabantur.* *Dio lib. 58.*

*Id. lib. 53.* III. Amplius, & GALLI casus documento fuit, quàm parum firma sit amicorũ aulicorum benevolentia. Siquidem cùm accusatus apud *Augustum* à Valerio Largo de quibusdam flagitiis, atque ignominia ab eodem *Augusto* Cæs. notatus, imò exilio affectus esset, mox amici & asseclæ, qui hactenus ei adulati fuerant, eum neglexêre; quin imò ad *Largum*, quem jam crescere, & auctoritate apud *Augustum* valere videbant, studia sua convertere: idem dubio procul eidem *Largo* facturi, si quid simile ei evenisset.

IV. Eadem animorum aversio adnotata est in EUTROPIO, potentissimo illo *Arcadii* Imper. tutore; & à D. Joanne Chrysostomo teste oculato descripta verbis his: *Ubi nunc pocillatores tui? Ubi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuasq; laudes passim apud omnes depradicabant? transfugerunt, deseruerunt tuam amicitiam, suam securitatem tuis periculis quærunt*, &c. *V. Baron. tõ. 5. Ann. an. Chr. 399.*

*Cominæus* V. Et verò quid attinet nos longè petitis exemplis immorari? Nunquid Galliæ quidam *Connestablius*, qui summa & apud *Ludovicum XI.* Galliæ Regem, & *Carolum* Burgundiæ Ducem, plurimos alios Principes pollebat auctoritate, sic destitutus est, ut nemo pro ipso apud eundem *Ludovicum* Regem causam diceret?

VI. Nunquid denique annis superioribus alter quidam *Galliæ Cancellarius*, simul accepit Regis offensionem, à suis etiam amicissimis destitutus fuit?

VII. Et quid multis opus est? Vidit non ita diu aula *Henrici IV.* Galliæ Regis, quantam Dux BIRRONIUS animorum alienationem senserit, simulatque in Regis indignationē adductus fuit, causæ alibi expressæ, tametsi omnibus non ignotæ, his quidem permotus Rex, cautè accersiri eum jubet, ocyusque veniat ad se: actutùm paret: venit, Regem salutat firmâ fronte: habitis ultro citroque sermonibus, nequicquam ab Rege super elogiis tentatus & sciscitatus, secedit uterque, atque Dux Birronius *Epernonio* se præbet pransorem, sed invocatum. Postridiè, ab accubatione epulari, nihil minus cogitans, gladio discingitur, paulò post ducitur, & tandem ab omnibus tanquam exangue cadaver deseritur. Ut maximè hîc obtineat quod vulgò jactatur:

*Tempora, si fuerint nubila, solus eris.*

Causa ejus rei duplex. *Prior* à natura assentatorum sumitur. Nam ut apta similitudine scribit Plutarchus, quemadmodum pediculi discedunt à morientibus, & corpora relinquunt, simulatque sanguis evanuerit, quo nutriri solent: sic assentatores videas, nec attingere res aridas ac frigidas, sed nobilibus ac potentibus imminere, hisque ali, donec rebus commutatis, avolent. *Altera* causa est, quòd hujus amicitia intuta est, qui exosus est dominanti. Testor præter jam di-
*15. Annal.* ctos NOVIUM Priscum apud Tacitum, qui per amicitiam Senecæ, exilio ab *Ne-*
*16. Annal.* *rone* mulctatus fuit, P. Gallum equitem Romanum, qui quod Fenio Rufo intimus, & Veteri non alienus fuerat, ab eodem *Nerone* aquâ & igne prohibitus fuit.

Atque hactenus de Inconstantiâ vitæ aulicæ, quæ ab ipsa aulicorum natura & culpa, quorum plerique elati, arrogantes inferiorum contemptores, sui apud

Princi-

Principes jactatores, proficiſcitur; deque adverſus hæc vitia remediis. Proximo Capite dicemus de inſigni Aulicorum invidia, & variis vaframentis, quibus ſuos coaulicos evertere, & ex alto præcipitare ſolent: tùm ſubjiciemus remedia, & præcepta adverſus eorum fallacias; quæremuſque quî ſeſe aulici gerere debeant in aliorum factionibus, & diſſidiis; & poſtremò, an è re Principum ſit fovere ejuſmodi factiones.

## CAPUT VI.

*Rurſum, ſi nihil aliud in orbita* Modeſtiæ *retineat, ipſa debet* Aularum mobilitas, *quæ variè Principis miniſtros affligit, ſi non evertit.*

QUotam enim quamque invenerint aulam, quæ non, cùm lubeat, Sopho. Anti.
——— *præcipites dat, & rurſum erigit*
*Juxta potentes, atque miſeros?* Polyb. lib. 5.

*Brevia momenta plerumque extollunt* (ait ille) *homines, rurſumq́; deprimunt, imprimis verò eos, qui in aulis verſantur. Iſti enim profectò ſimiles ſunt menſarum calculis, qui pro eo, atq́; calculatori libet, modò aſſem, modò talentum valent: ita aulici, ad nutum Principis, modò beati, modò miſeri fiunt.* Atq; id quidem æmulorum plerumq; beneficio accidit, *apud quos invidia in occulto, adulatio in aperto eſſe ſolet.* Apertè teſtatur Alcibiades apud Thucydidem: *Scio,* inquit, *hujuſmodi homines, qui propter ſuas virtutes, ac dignitatem magnificè de ſe ſentiunt, & alios quotquot in alicujus rei ſplendore cæteris antecellunt, quandiu quidem vivunt, invidiâ premi, præcipuè quidem à paribus: deinde verò, & ab aliis quibuſcum verſantur, ac vivunt.* Tacit. 4. Hiſt. Lib. 6. Hiſt.

Quid quæris? *in aures Principum fictè ac ſimulatè quæſtus ſui gratia inſuſurrant.* Cic. ad Q. Frat.

Nec eſt quod tibi blandiaris amicorum potentiâ: *multi enim*, inquit Præſul Hipponenſis, *de amicis potentioribus præſumpſerunt, & tamen ceciderunt illi, de quibus præſumpſerunt, & involverunt eos qui de ſe præſumpſerant.* Hæc itaq; eſt aularum peſtis, nemini non nota, æmulari, & inſidiari paribus; alios carpere, & vellicare; Coaulicos occultis, & virulentis conviciis laceſſere, & maximè ad altiora evectos: *Solet enim ampliſſima gloria ſemper obnoxia eſſe invidiæ.* Itaq; nihil veriùs illo: *Fortunam citiùs reperias, quàm retineas.* Quippe quod in aula reperias, qui *ſpecie amicitiæ dolum tibi parent.* D. Aug. in Pſalm. 25. Am. Marcell. lib. 17. P. Nimus. Taci. 14. An. Tertull.

Illic, *ſupplantatores, & funambulos ſimplicitatis tuæ.*

Illic, *ad reprehendenda aliena facta, & dicta, ardet omnibus animus; vix ſatis apertum os, aut lingua prompta videtur.* Salluſt. 1. ad Caſ.

 Illic,

Apul. Illic, *insidiatores, & canes clanculum mordentes.*

Tacit. 1. Hi. Illic, *qui secretis te criminationibus infament ignarum, & quò incautior decipiare, palam laudatum.* Illic denique reperias, *qui loquuntur pacem cum proximo*

Psalm. 17. *suo, mala autem in cordibus eorum.*

In Verr. Hoc sensu Orator Romanus: *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm eæ, quæ latent simulatione officii, aut aliquo necessitudinis nomine.*

Tac. 14. An. Isti postremò sunt gnatones, calumniatores, sycophantæ, *facti natura, & consuetudine exerciti, velare odium fallacibus blanditiis.* Quid multis?

Lucilius apud Lactan.

*Uni se atq; eidem studio omnes dedere, & arti,*
*Verba dare, ut cautè possit pugnare dolose,*
*Blandiri, certare, bonum simulare virum se,*
*Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.*

At præcipuè vitandi, qui specie obsequii, & laudis alteri fallacias intendunt.

Juliã. apud lactã. 5. c. 9. Καθ' αὐλικὴν ὑπόκρισιν ἐπαινοῦντες μισοῦσι τηλικοῦτον μῖσος, ἡλίκον, οὐδὲ τοὺς πολεμιωτάτους: *Qui laudant simulatione aulica majore odio prosequuntur, quàm inimicissimos.*

Plin. ——— *pejor enim odio amoris simulatio.*

Quid multis? ——— ——— *Frontis nulla fides:*

Seno. Hippol. *O vita fallax abditos sensus geris.*

Quæres: quod remedium? mea, ac potiùs omnium sententia *Diffidentia* atque *Dissimulatio* tibi assumenda. *Illam* Poëta Siculus suggerit:

Epichar.

Νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν:
*Sobrius sis & memor esto nulli confidere.*

Et Helena apud Tragicum:

——— ——— *Prudente diffidentia*
Soph. Antig. *Nil melius, aut utilius est mortalibus.*

Cap. 55. Apud improbos præsertim: nam ut Basilius Imp. inquit, Μηδὲ φαύλοις ἀνθρώποις πιστεύσῃς: *Improbis ne temerè credito.*

Tac. Ann. 4 *Istam* verò Tiberius Cæsar, *qui nullam æquè ex virtutibus suis quàm dissimulationem diligebat.* Idcircò, non malè Sallustius aulicum monet, *ut aliud clausum*

Catil. *in pectore, aliud in lingua promptum habeat.*

Hisce veluti Homericâ nube velatus tutior eris: utique si aptè & decorè, hoc simulationum nubilo mens tua obtendatur: quo etenim bono, si translu-ceat?

Plaut. Capt. ——— *Doli, non doli sunt, nisi astu colas.*

Adhæc, obsequiosum te in omnibus præsta.

Tac. 1. Ann. Principi primùm: nam *quantò quis in aula obsequio promptior, tantò honoribus & opibus extolletur.* Itaque,

Menander.

Τὴν τοῦ κρατοῦντος μάνθανε φέρειν ἐξουσίαν:
*Disce dominantis imperia rectè pati.*

Dein civibus: sed modo isto, ut *sicubi officium tuum, & adventum exspectari deside-*

*desiderariq; sentias, non confestim tibi in publicum prodeundum putes; sed hærere domi aliquandiu par est, quò fide gravior, majore cum dignitate ab iis, qui tuâ operâ indigent, exspecteris.* Plut. Opusc. an seni gerẽda sit Resp.

Denique, patiens etiam esto: Ita facillimè, quamvis magnas aulæ injurias tolerabis, atque adeò declinabis. *Si imbecillior est, qui te læsit, parce illi; si potentior, tace.* Sen. 3. de Ira. ——— *Superflua enim adversus Rectores querela.* Ioseph. 2. de bello Jud.

Ad summam, hoc scito: *potentiorum injurias hilari vultu, non patienter tantùm ferendas esse.* ——— *Si sapiens injurias fortunæ moderatè fert, quanto magis hominum potentiorum, quos scit fortunæ manus esse?* Sen. 2. de Ira. Et sanè *magni animi est proprium, placidum esse, tranquillum, & injurias atq; offensiones semper despicere.* Senec. 1. de clem. c. 5.

Attende: *facillimo* enim *momento mutantur animi hominum, usuq; venit, ut à quibus se vel adjutum, vel læsum iri quis existimet, eos longè alios experiatur.* Dio. lib 99.

Illud Aulicis; hoc Principibus, ut ejusmodi Palatinorum discordias penitus averruncent. *Non enim alius*, inquit Cicero, *discordiarum solet esse exitus inter claros, & potentes viros, nisi universus interitus, aut victoris dominatus.* Idem. De arusp. de respon.

---

## *EXEMPLA cum MONITIS.*

SIquod est axiomatum historicorum, quod quamplurimis comprobari potest exemplis, istud quidem est, Lector, adeò sunt historiæ, & priscæ, & novitiæ illustribus exemplis refertæ, clarè docentes, gratiam aulicam oppidò infirmam esse, & mirum quantum inconstantem; idq; ob invidiam, quæ in Aulam, sic quasi in totius orbis sentinam, confluere solet. Agè, producamus eximia nonnulla ex tot millibus, vel potius myriadibus omnis ævi exempla.

I. BELISARIUS, summus Justiniani Imperatoris Præfectus, vir manu strenuus atque animi magnitudine, aliisque virtutibus nemini suâ ætate comparandus, Gothos aliquoties Urbe, Italiâque pepulit, & profligavit, Persas & Alanos, & Vandalos insigni robore repressit, quorum Regem Gelimærium in triumphum Constantinopolim duxit, itaque Africam rursum adjecit imperio Romano. Quibus rebus sic præclarè gestis, ut Justinianus Imperator ei meritum virtutis præmium repræsentaret, præter infinitos honores illi delatos, monetam cudi curavit argenteam, in cujus altero latere imago impressa fuit *Justiniani*, in altero *Belisarii*, cum hoc elogio: BELISARIUS DECUS ROMANORUM: Hunc tamen tot, & tantis honoribus ornatum, propter levem & frivolam affectati regni suspicionem, ab æmulis gloriæ suæ suscitatam, non tantùm honoribus omnibus, opibusque privavit, sed etiam erutis oculis, eò calamitatis reduxit, ut è vili tugurio stipem sibi mendicare coactus sit, inquiens, *Date obulum Belisario, quem virtus extulit, invidia obcæcavit.* Quam Historiam Joannes Græcus jambicis versibus hic complectitur: Procop. Bell. Pers. Cedrenus, & alii.

*Iste*

*Iste Belisarius Imperator magnus,*
*Iustinianeis existens temporibus, Imperator*
*Ad omnem quadrantem terræ, cùm explicuisset victorias*
*Postea invidiâ excœcatus (ô fortunam miserabilem!)*
*Poculum ligneum detinens, clamabat plebi in stadio:*
*Belisario obvium date Imperatori,*
*Quem fortuna quidem clarum fecit, excœcavit invidia.*

II. PLAUTIANUS ex tenui loco ab *Severo* Imperatore evectus ad summam potentiam opesque longè maximas, tandem eo benevolentiæ apud Imper. pervenit, ut is filiam ejus nuptui dederit majori suo filio *Bassiano*. Verùm, ex amicissimo, ita postea odio eum habuit, ut & hostem publicum appellaret, & depositis statuis ejus per orbem terræ, gravi eum insigniret injuria, imò tandem in Capitolium eum vocatum miserrimè trucidaret.

*ex Spartian.*

III. Deus immortalis! qualis, & quanta rerum vicissitudo, qualis, inquam, & quanta fortunæ ludentis imago in EUTROPIO Consulari viro, longè potentissimo atque adeo *Arcadii* Imper. tutore? Hic propter quædam convitia, & contumelias in Imperatricem jactas, nedum à Repub. Imperatore jubente, submotus fuit, sed bonis, fortunisque omnibus, imò & vita tandem spoliatus. Ut meritò *D. Ioannes Chrysostomus*, testis oculatus, exclamet, tantique viri casum admiretur, dicens: *Quis hoc homine fuit excelsior? nonne in toto orbe divitiis præcellebat? nõne ad ista fastigia honorum* (Consulatus) *conscendit? Nonne eum omnes formidabant ac verebantur? Sed ecce factus est & vinctis miserior, & servis miserabilior, & mendicis fame tabescentibus indigentior: per singulos dies præ oculis habens gladios in se exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam quæ ad supplicium ducit, &c. Si igitur unquam antea, nunc maximè licet dicere: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ubi nunc inclytus ille Consulatus splendor? Ubi illustres illi fasces? Ubi applausus illi, ac choreæ, epulæq; & festi conventus? Ubi coronæ & aulea? Ubi strepitus Urbis, & ille Circensium spectatorumq; faustæ acclamationes & adulationes? Omnia illa præterierunt: procella vehemens folia dejecit, arborem spoliatam reddidit jam radicitus vacillantem, tantaq; vis venti impacta est, ut cùm nervos ejus universos concusserit, tùm ipsam funditus prosternere minetur. Ubi nunc fucati illi amici? Ubi compotationes & cœnæ? Ubi parasitorum examen, & merum per totam diem exhaustum, variæq; coquorum artes & potentatus cultores illi ad gratiam omnia dicere ac facere assueti? Omnia illa nihil nisi nocturnum somnium fuerunt, appetente die, evanescens: flores fuerunt verni, vere exacto marcuerunt omnia: umbra erant, & præterierunt: fumus erant, & soluta sunt: bullæ erant & diruptæ sunt: araneæ erant, & laceratæ sunt: Quapropter spirituale hoc dictum occinamus indesinenter, dicentes:* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Hoc enim dictum in parietibus, in vestibulis, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in jannis, sed potissimum in uniuscujusq; conscientia continenter inscriptum esse oportet, omniq; tempore cogitatio-*

*Ex Baronii tom. 5. Ann. an. Chr. 399.*

Notent Aulici.

*gitationibus observari: quandoquiem negotia fraudulenta, & personata, ac inimica veritatis opinionem apud plerosq; sibi paraverunt. Hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum quemq; proximum suum compellare oportebat, idemq; ab illo vicissim audire oportebat, nempe, quod vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et post paullò *Introeat dives aliquis, & magnam utilitatem percipiet. Videns enim à tam excelso fastigio delapsum eum, qui totum orbem nutu concutiebat, eâ formidine contractum quavis ranâ aut lepore timidiorem, & absq; vinculis columnæ huic hærentem, & vice catenæ timore affixum, timentemq; deprimet fastum suum, & consideratis, quæ in humanis casibus consideranda sunt, discet, re ipsa doctus, quæ verba Scripturæ nos docent: Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, ut flos fœni; aruit fœnum, & flos ejus decidit.* Hactenus sanctus, & disertus vir Chrysostomus. *Isaia 40.*

IV. Sed ne diutius quàm par est, veteribus immorer, par fortunæ ludibrium superiori memoria expertus fuit BERNARDUS de CABRERA, Petri *Regis Arragoniæ* intimus & fidelissimus consiliorum administer. Is postquam in aula multos honores feliciter percurrisset, variisque exemplis monitus esset, nihil incertius aularum benevolentia, oportunam missionem ab Rege postulandam existimavit. Obtinuit, abit, & secedit in aliquod monasterium, sibi & quieti porrò vacaturus. At Rex, absentiâ viri deprehendens res, cùm privatas, tùm publicas pessum ire, denique sentiens quàm utile & commodum servitium amisisset, revocat *Bernardum* majoribus honoribus, quàm alias unquàm donandum. Nec abnuit vir magnus: redit, & gradus honorum ascendit, unde post paulò præcipitatur. Cujus beneficio? non tam Regis, quàm æmulorum, qui ægris admodum oculis adspicientes secundam ejus existimationem crescere, illum Regem apud criminantur, nisi falsò. Quibus tamen Rex credens (ut solent temerè, & citò nonnulli excipere delationes) eum actutùm honoribus, fortunis, atque adeò vita ipsa privavit, quem tamen postea facti pœnituit, atque serò cùm animi magno mœrore didicit, calumniam impetu valuisse, nimiamque credulitatem, imò crudelitatem, virum certè maximum, deque se bene meritum evertisse. Verba Regis jam morituri excepta, & notata fuêre *fidelissimo vasallo fidelissimos sus conseios fidelissimos sus servitios, injustissimo quantò avia padescido.* Quid queris, vel admiraris? infinitus propè est hujus notæ hominum (ut cum Alberto Krantzio loquar) in Principum aulis numerus, & uberrimus semper proventus, qui perversis & malignis prædití ingeniis, vitiisque obruti, cum virtute emergere non possint, pravis innixi studiis, & versutiâ sceleratâ audaces, calumniis & delationibus aliorum, in Principum favorem malitiosè sese insinuant: & his invidiam conflando, illos in suspicionem vocando, odiaque & discordias passim miscendo, ex aliorum injuriis, & oppressione ad opes ingentes anhelant. Et sæpe numero improbis eorum dolis, improbior multo fortuna adspirat apud Principes etiam vigilantes, & non malos, quando ferè fit, ut falsò, sed callidè conficta, & ad rem præsentem accommo-

*Curiata in Ann. Arra. in Petro.*

*Lib. 2. Belli Dithmarsic.*

commodata, si suspicionem paulò verisimilem movent, profundè animis aculeos figant, hæreantq; & ægrè evellantur, ut veris locum relinquant.

*Bapt. Fulgo. lib. 6. c. 11.* V. Testis ejus rei ALVARUS de LUNA Castellæ Connestablius, quem Rex in oculis ferebat si quem alium, eòque ad eminentes dignitates evexerat, ut solus Regem Regisque opes pro suo arbitratu regeret, sed tandem, mutata, ut assolet, fortuna; qui ad eam diem immobilis erga ALVARUM manserat, expugnari se delatorũ scelere Rex permisit, tulitq;, ut ALVARUS cõprehenderetur, atq; publicè publicatis omnibus fortunis, capite mulctaretur. Vox ejus à quibusdam mirantibus secundam ejus fortunam excepta est: *Improvidi, quid ædificium ante operis fastigium prædicatis?* Videtur ALVARUS præscius, & præsagus, fuisse miserabilis casus, in quem paulò post fuit datus à volubili fortuna. Non mirum, nam quasi solstitialis herba repentè exoriuntur Curiales, & momento occidunt, momentoque marcescunt.

VI. Neque confidant in longa serie obsequiorum, & meritorum: hoc enim nõ profuit DUCI ALBANO qui licet 60. annis, & quod excurrit, tã sub auspiciis CAROLI V. quàm PHILIPPI II. operam militiæ dedisset, diversisque expeditionibus in Africâ, & bonâ Europæ parte fœliciter interfuisset, Germaniæ Principes protestantes coërcuisset. Regnum Neapoleos Imperio ejusdem Regis Philippi subjecisset, rebellantes Belgas stitisset, nihilominus hic ob levidentem causam usu aulæ ei interdixit, septisque domus suburbanæ inclusit, servitiorum præteritorum adeoque senectutis, tot fortunæ, & bellorum casibus præcipitatæ prorsus oblitus, sed fortasse Deo ita disponente, ob nimiam quâ usus in Belgio fuerat animadversionis severitatem.

*Dio. lib. 48.* VII. Longum esset juxta ac tædiosum, singulorum casus persequi, liceat tamen è veteribus aliquot adhuc in medium per satyram producere. Quis, sodes, Augu-
*Tac. 15 Ann.* sto Cæsari acceptior fuit *Salvidieno* Cos. & *Cornelio Gallo* Ægypti præfecto? hos
*Sueton.* tamen constat in odium ejus incidisse plusquam civile. Quis Neroni gratior fuit,
*Plutar. in Crasso.* quàm *Seneca*, cum nepote *Lucano*? mox tamen ab eo mori coacti sunt. *Pisonem*
*V. Spartian.* quoque jussit occidi Otho, quocum antea incredibili familiaritate conjunctus
*Sozome. 9. c. 4.* erat. *Suredam* Orodes regiæ mensæ participem facit, nec multò post ob magnas ejus opes sollicitus, indemnatum mandat necari. Quid de *Severiano* sub Severo
*Barõ. tom. 5. an. 431.* Imp. eloquar? Quid de *Stilicone*, sub Honorio Arcadii Imp. fratre? Quid de *Flavio Antiocho* sub Theodosio juniore? Quid deniq; de sexcentis aliis, quos constat, & fortunæ, & æmulorum ludibrium fuisse: nisi ut cum Themistocle dicam: Nunquid verè homo dicitur fortunæ lusus? Planissimè. Etenim, ut ille canit: *Ludit in*
*In Paneg.* *humanis divina potentia rebus.* Unde, bene & significanter dixit Plinius: *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis; ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumq; semina Deus, & plerumq; bonorũ malorumq; causæ, sub diversa specie latent.*

*Lib. 10. Hist.* Verùm, negari non potest, quin nonnũquam hujusce vicissitudinis causa proxima sit,

ma ſit, præter quas ſupra cap. proximo attuli, ipſorummet Aulicorum inſolentia. *Palam* enim eſt, *& jam in multis obſervatum,* (ait Polybius) *ſic comparatos eſſe homines, ut ſicubi proſperitas quædam occurrit, beneficos ſe erga proximos oſtendat, & ſpem bonam polliceantur: ubi verò quod affectarunt, adepti ſunt, tum demum malefaciant, & ſubditis dominorum more imperent.* Quo quidem vitio maximè obnoxii ſunt expertes eruditionis, namq; docente Plutarcho: *ut morbo comitiali laborantes, ſi in frigore verſentur, vertigine corripiuntur, agitatione morborum eorum arguente: ita fortuna, ubi ineruditos ac ineptos homines aliquantulum opibus, gloria extulit, ſtatim eorum ruinam demonſtrat. Atq; adeò ſicut inter vacua vaſa non facilè diſcernere poſſis, quod eorum integrum, quod ſit vitioſum; ubi aliquid infuderis, ſtatim apparet quod perfluat: ita animæ nimis fatiſcentes, infuſam potentiā non continent, ſed foras diffluunt cupiditatibus, iris, arrogantiis, ineptiis.*

Caſus Aulicorũ potiſſimum ab inſolentia, quibus maximè obnoxii illiterati.

*Plut. lib. de Doctrina Principum*

Atque hinc Aulicorum defectio, & malevolentia, qui impotentia offenſi & alienati *pro amicitia* (priſcum alioqui mortalium bonum) *aſſentationes, blanditias, & pejorem odio, amoris ſimulationem obtendent.* Quin etiam, haud rarenter falſiſſima Principibus ſuggerent, ut protervos iſtos, callidè præcipites agant. Siquidem hæc eſt Aulicorum antiqua praxis, *quos incautiores opprimere volunt, plerunq; eos palam, ſimulat. q; laudant;* abſentes verò mille calumniis onerant, hoc eſt, quod vetus verbum habet: *mel in ore, novaculam ſub cingulo gerunt:* quod Dinarchus ille Plautinus ſignificanter dixit:

Hinc in eos livoris fallaciæ conflantur.

*Salluſt.*
*Tac. Agric.*

*In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ, atq; orationes:*
*Corda, felle ſunt ſita, atq; acerbo aceto.* — *Trucol.*

I. Talis ſimulationum Architectus fuit ANTIPATER *Herodis F.* de quo Joſephus: *Sed & inter omnes eminebat Antipatri contra fratres artificioſa machinatio, qui per alios involvent illos falſis criminationibus, ipſe patrocinium eorum ſæpè ſimulabat; ut approbata ſua benevolentia, faciliùs juvenes clam poſſet opprimere, atq; talibus verſutiis circumveniebat patrem, ut putaret hunc ſolùm incolumitatis ſuæ curam agere.*

*Lib 16. Antiq. cap. 11.*

II. Aliud exemplum ſuppeditat Tacitus, in *Mutiano*, qui cùm Imperium unicè juxta, & vaferrimè affectaret, cæteris à quibus ſibi metuebat, vires & potentiam clam adimebat, inter quos *Primus Antonius* fuit, *quem, quia opprimi nequibat,* (verba Taciti) *Mutianus multis in Senatu laudibus cumulatum, ſecretis promiſſis onerat, citeriorem Hiſpaniam oſtentans, diſceſſu Cluvii Rufi vacuam. Simul amicis ejus* (ô fallaciā!) *Tribunatusq; Præfecturaſq; largitur. Dein, poſtquā inanē animū ſpe & cupidine impleverat, vires abolet: dimiſſa in hyberna legione ſeptimâ* (ea in defectionem propendebat) *cujus flagrantiſſimus in Primum Antonium amor,* &c.

*4. Hiſtor.*

III. Conſimile prorſus exemplum APELLIS Philippi Macedonum Regis aulici proponit Prolybius: *Apelles,* inquit, *Taurionem, qui Peloponneſiacis rebus præfectus fuerat, magiſtratu dejecit non incuſans eum, ſed laudans: ac dicens aptiſſimum eſſe, qui cum Rege in caſtris verſaretur, volens ipſe alium illius loco Peloponneſii præfi-*

*Lib. 4. Hiſt. in fine.*

*præficere. Novus quippe modus calumniæ inventus est,* (notate) *non vituperando, sed laudando, famæ ac commodis hominum insidiari. Quod vitium in aulis Principum ortum, usque adeò inolevit, ut ea loca tanquam proprias sedes sibi videatur elegisse.*

Lib.2. IV. Quo toxico animi infectus *Aulicus* ille *Ammiani*: qui quendam aulæ ministrum *per fictæ benignitatis illecebras impugnabat, collegam, & virum fortem propalam sæpè appellans, ad innectendas letales insidias vitæ simplici, perquàm callens, & eâ tempestate nimium potens.*

Lib.3. Cyripæd. V. Deniq;, ejusdem farinæ fuit CLEARCHUS Lacedæmonius: quippè qui *aliquos apud Principes* (verba sunt Xenophontis) *primum in amicitia locum obtinere ubi deprehenderet, nihil æque suis rationibus conducere existimabat, quàm si gratiosissimos quosq; criminando suspectos redderet.*

Aulicorum decipula vitantur. En igitur fraudes, en simulationes, en præstigiæ Aulicorum.

*——quarum si nomina quæras,*
*Protinus expediam quot amaverit Hippia mœchos,*
*Quot Themison ægros autumno occiderit uno,*
*Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hircus*
*Pupillos.*

Panorm. l.2. VI. Verùm hos astus aulicasque technas sapientissimus ille Principum Alphonsus Rex Neapolis optimè calluit. Is enim cùm quendam nobilem virum contra acerrimum inimicum suum laudibus profusiorem animadvertisset, sæpènumerò intimis nonnullis prædixit, observarent artem hominis; omninò siquidem fore ut adversus inimicum suum hîc aliquid insidiarum struat. Neque enim sua eum fefellit opinio. Nam sex mensibus peractis, quibus ut fidem quæreret, hunc stylum laudandi servaverat: demùm venenum illud evomuit, quod singulari dolo ad illum usque diem occuluerat; nec sine damno suo.

VII. Quæres: quî vitabuntur? Regulis certis hoc definire, fando aut stylo explicari non potest.

I. Ope divina. Pendet *primò* à divini Numinis ope. *Nam evadere virum qui proximo, & amico malum in corde machinatur, aliudq; sentientem, quàm loquentem, multæ sapientiæ est, & à divino auxilio pendet.* ait Choniates.

Li.3. de gest. Comnæi. II. Ab illius providẽtia. Itaq; à singulari Dei providentia hoc dependet, qui facilè animos Principum, in hos, vel illos, etiam sine ullis meritis flectere potest, quemadmodum illi placet, cui nihil injustè placet. *Dubitare cogor,* inquit Tacitus, *fato nascendi ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatq; inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter, ambitione, ac periculis vacuum.*

II. Notitia sequioris sexus. *Secundò,* notitia gynæcei, seu amicitia mulierum, Principis affinium, veluti matris, sororis, filiæ, & similium. Ita *Harterius* tempore Tiberii ut Tacit. refert, *patrocinio Augustæ ingens præcipitium declinavit.*

*Tertiò*

III Simulatione.

*Tertiò*, ut vulpineris cum vulpe, hoc est, ut pleraque non videaris intelligere, quæ intelligis. Ita Senatores Romani cùm animadverterent tentari se à *Tiberio Cæsare*, qui miris artificiis simulabat Imperii habenas velle seponere; ut artem arte pellerent, simulabant non intelligere, quæ à Tiberio proponebantur, itaque precibus & lacrymis, ne Reipub. gubernacula desereret, obtestabantur, *quibus unus metus* (ait Tacitus) *si intelligere viderentur*. Pari calliditate *Agrippina* Neronis mater, aliquoties à filio structas insidias minimè se cognoscere (frustrà tamen) simulavit *solum insidiarum remedium esse* (verba ejusdem Taciti) *si non intelligerentur*. Denique ut brevitati studeam, dico & concludo, ut linguam parcam habeas, & mentem clausam. *Ante omnia*, inquit Choniates, *custodia ori ponenda, nec evagari temerè debet lingua dentium septum, & labiorum propugnaculum, quibus à natura velut duplici vallo, est circumdata*. Multum sanè hîc valet Biantis præceptum: Ἄκουε πολλὰ, λάλει ὀλίγα: *Audi multa, loquere pauca*. Ita, ita: vel si decem habeas linguas, mutum te esse addecet. Omnia enim verba, præsertim potentis aulici notantur, neque tam cito emissa sunt, quin sint qui excipiant, & quidem in deterius quandoque relaturi. Non meus, sed Dionis Cassii sensus: *Hic mos est Sycophantis*, inquit, *ut convitiis proscindere aliquē, & arcani quidpiam efferre ipsi incipiant, audiens alter* (notate) *ipse quoq; simile quid enunciando, crimini obnoxius sit: nam illis quidem hoc absq; periculo licet, nimirum ex compacto id facientibus; non quòd ita sentiant, sed ut alienum sensum expiscentur, qui si vel minimùm, præterquàm licitum est, verbulum emittant, pœnas haud dubiè dant*. Itaq; tutus eris, quisquis es, si

*Lib. 1. Ann.* *Annal. 14.* IV. Taciturnitate. *Lib. 3. de Reb. gest. Io. Comnai.* *Lib. 5. Hist.* *B. Anthelmus in Monost.*

Κλυσθεὶς πλείω ἔσσεαι ἢ μυθολογεύων:
*Sæpius auditu fueris, quàm voce sodalis.*

Vide igitur, quanto merito *diffidentiam* atque *dissimulationem* in Aphorismis tibi proposuerim: præsertim cum in aulis haud fermè quisquam sit verè amicus: quod ille testatur: Ω φίλοι, οὐδεὶς φίλος: *O amici, nemo amicus*. Ideò multi, *honesto quidem sed tamen errore versantur, quòd plures amicos quàm sint, sibi esse arbitrantur*.

*Arist. apud Laert.*

Tegendam tamen dixi *dissimulationem*: quod & hîc rursum inculco: nam alioquin præterquàm quod illa proderit nihil, in invidiā te apud alios vocabit, quod experimento didicit CORNELIUS ille SULLA, quem uti callidum, & simulatorem arguebat *Tiberius Cæsar*. Ita *Agesilaus* Lacedæmoniorum Dux, *occulti ingenii homines odio habebat, imò circa se esse non patiebatur*. Esto igitur hîc Aulice callidus Proteus, & tu ipse ut tectus, alii intecti tibi sint conabere, sed & cave, ne quidquam ex insidiis aut ex occulta fraude agere, sed boni rectique cultor inter tot techmas aliis esse videare.

Tegenda dissimulatio. *Taci. 3. An.* *Xenoph. orat. de ejus laud.*

Ad summam: firmum & constantem animum, adversus tot aulæ incommoda assumas necesse est. Conèris tantùm patientia, & rectè factis superare æmulos, à quibus necessariò conflictari debes, antequam eveharis.

V. Constātia, & patientia.

*Aude animo invidiam contemnere: non nocet illi*
*Quem petit: auctori sed nocet illa suo.*

*Thuc. lib. 2. Hist.* Floccipende quidquam linguarum virus tibi propinatur. Audi Themistoclem qui inquiebat, se nihil adhuc laude dignum præstitisse quod nullus sibi invideret. Bene factorum memoria animum firma, & cogita prudentissimi scriptoris veriloquium: *Qui maximarum rerum gratia suscipit invidiam, is rectè sibi consulit: odium enim non diu durat, sed & præsens splendor, & gloria in posterum perpetuò celebranda relinquitur.*

Ne multis, ———— *Si consilium vis*
*Permittes ipsis expendere Numinibus, quid*
*Iuv. Sat. 10.* *Conveniat nobis, rebusq; sit utile nostris:*
*Nam pro jucundis aptissima quæq; dabunt Dii.*
———— *fortem posce animum,*
———— *Qui ferre queat quoscunq; labores*
*Nesciat irasci.*

Denique Fuga, sive Secessu. Qui hæc nòn potest, aulâ excedat: & illud imbibat:

*Regum sollicita quicunq; senescit in aula,*
*Aut fuit aut semper postulat esse miser.*

Nam aut serviat, ut servus: aut fugiat ut cervus necesse est. Vidit *Similis* ille Hadriani Cæsaris Aulicus, qui obtenta à Principe suo vacatione, sepulchro suo jussit inscribi: *Hic jacet Similis, cujus quidem ætas multorum annorum fuit, ceterùm septem annos vixit.* Locum igitur alium quærat, in quo minori cum discrimine, & difficultate virtutem suam experiri possit: *Quomodo lucem noctemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Idcircò præclarè Seneca: *Magno animo nos, non unius urbis mœnibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamq; nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare.* Itaque mature excede: nec exspecta, donec res te dimittant, sed ab illis teipse disjunge. Quod tamen difficillimum est. Nam,

*Dio. in Adr.* *Tacit. 4. Hist.* *Sen. de trāq. c. 3.*

*Alciat. in Emblem.* *Vana Palatinos quos educat aula clientes,*
*Dicitur auratis nectere compedibus.*

Itaque

*Sen. Thyeste.* *Stet quicunq; volet potens*
*Aulæ culmine lubrico:*
*Me dulcis satur & quies,*
*Obscuro positus loco*
*Lætus perfruar otio.*

Res est viro cordato aliena, canescere inter servitia, senescere in tumultibus, & tandem mori in ambitione. Sin fors aliter tulerit, ut livor nec opinantem dejiciat, animum firmitudine solitaq; honestate suffultum ac decoratum retine, juxta consilium illius Præsulis:

*B. Anthelmus in Monost.*

Χρηςὸς ἀμειβομένων ἐτέων, αἰεὶ νόος ἔςω:

*Tempora dum variant, animus sit semper honestus.*

Cicero de seipso: *Ubi non es, qui fueris, non est cur velis vivere: sed tamen vacare culpa, magnum est solatium: præsertim cùm habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum rerum scientiam, & maximarum rerum gloriam.*

*Lib. 7. epist*

Denique, obsequiosum te omnibus præsta, & persuasum hoc tibi habeto, cursitandum tibi, manus deosculandas, alienas fores pulsandas, multa dicenda, multa facienda illiberalia, munera mittenda, symposia facienda, strenulis gratiam fovendam, & alia hujuscemodi quibus hominum benevolentia aucupari solent.

Verùm, quod fermè prætereram, in eo mihi monendus est benevolus meus Aulicus ut si quando accidat (accidit autem sæpenumerò) duos inter Aulicos, præsertim potentes, dissidia enasci, caveat ne alterutri se adjungat, sed quasi Theramenis cothurnum induat, partesque neutras assumat, ut ille apud Claudianum:

Aulico quid agendum, cùm inter duos oriuntur cōtētiones.

*Libravit geminas eventu judice vires*
*Ad rerum momenta cliens, seseq; daturus*
*Victori.*

Sin nequiverit adjungat se illi, qui plus apud Principem valet gratia & auctoritate. Quòd si uterque acceptior est Principi, adjungat se illi qui justiorem tuetur caussam, validioribusque apud Principem nititur argumentis. Namque hic non dubiè procedente tempore adversarii sui vires evertet, Principemque suum, quo volet cumque circumaget. Illud Aulicis.

Hoc Principibus: Ut ejusmodi discordias quomodocumque sopiant, præsertim cùm bonum publicum, privatis ejusmodi simultatibus, ut ferè fit, impeditur: id quod exemplis & documentis ostendendum est.

Discordiæ per Principē tollendæ

I. Auctor est Plutarchus, inimicitias *Pardali* atque *Tyrreni*, in causa fuisse, ut urbs Sardes tantùm non everteretur, quas ortas esse à parvis, & ridiculis offensionibus scribit. Non enim semper incendia, inquit, de sacris publicisve ædibus initium sumunt, sed sæpenumerò è domuncula, lucerna parumper neglecta, ingens erumpit flamma; vel ignis sensim conceptus, palea deinde, & fomentis refocillatus mirũ in modum ardere incipit; & primis quibusq; correptis longius serpere, & maximam stragem dare. ita seditiones in civitatibus, non magnæ semper contentiones, nec de publicis rebus dissidia incendere, concitareque solent, verùm plerumq; privatis creatæ offensionibus, in publicam pestem certando progressæ sunt, studiis & contentionibus mutuis auctæ. Quas ob res Principem Civitatis, & virũ civilē oportet ejuscemodi parva futuræ cladis initia nihilo segnius prævenire, atque curanda, & opprimenda suscipere, ut aut nusquam existere possint, aut si quâ extiterint, præfocentur, ne paulatim assumptis viribus luculenter succrescant, postremò suaptè magnitudine Rempublicam vexent & occupent. Quòd si tolli penitus nequeant, ad eos saltem rejiciantur, è quorum privatis studiis, & dissensionibus ortum sumpsisse videntur. Attendumque existimet,

*De civili instit. ad Trajan.*

Dissidia tollat Princeps, cum adhuc in herba.

*Lib. 9. epist. ad Att. ep. 12* stimet, sæpè usu venire privatis, & parvis neglectis rebus initio, nulla cura, nullis medicamentis adhibitis, inde calamitates etiam publicas extitisse. Vide quomodo Cicero æstuabat pacificandis Cæsare, & Pompejo? *Vtinam*, inquit, *in hac miseria Reipublicæ πολιτικὸν opus efficere, & navare mihi liceat.* Ecce diffidentium pacificationem πολιτικὸν opus appellat: & quidem significanter: cùm in hoc politici viri scopus maximè consistere debeat, ut concors sit civitas: quæ quasi civium unitas dicitur. Tametsi autem de dissidiis loquatur Plutarchus, quæ subinde cives inter oriuntur, de quibus infra libro 6. capite 10. agemus, nihil tamen vetat, quò minus politicum documentum etiam ad aulicas dissensiones transferatur, quas providus Princeps non minori curâ, quàm illas, aula sua eliminabit.

*Q. Curt.* II. ALEXANDRI MAGNI exemplo, qui cùm intellexisset *Ephestionem* & *Craterum* sibi amicissimos ministros æmulatione mutuâ diffidere, & ad sui tutelam fortissimos quosque Duces pertrahere, utrosque blandis sermonibus simul, deinde seorsim seductos acerrimè increpuit: juratus se hostem ei futurum, qui primus alterum verbo violaret: quâ objurgatione, ac metu injecto, utrumq; utriq; conciliavit.

*Lib. 5. Dani.* III. Ita KANUTUS Daniæ Rex, cùm animadverteret *Haraltum Ericumq;* fratres, (inquit Albertus Krantzius) graviter inter sese diffidere, excogitavit quonam pacto rebus inter eos compositis ad concordiam & integritatem reduceret, sed facilem nactus est viam: utrisque minitatus est, eum se viribus suis infestaturum, qui primus ad contentiones rediret.

*Gaguinus, & alii.* IV. Consimilem in modum D. LUDOVICUS Galliæ Rex, inter cætera quæ cum maxima sui nominis gloria perfecit, dicitur etiam simultates inter aulicos natas semper sustulisse: adeò ut nulla unquam inter Principes, & primarios aulicos controversia fuerit, quam ipse pro æquitate, & sua prudentia non terminaret. Sciebat Regum, ut sanctissimus, ita prudentissimus, nihil esse potestati, vel Reipubl. letaliùs, quàm ejusmodi simultates, & dissensiones fovere, vel excitare. Argumento sit *Guelforum* & *Gibellinorum* in Italia factio: *Venetorum* & *Prasinorum* (*Iovius & Procopius.*) in urbe Constantinop. in qua quadraginta ferè hominum millia perierunt: denique in ipsa urbe Roma *Vrsinorum* & *Columniorum*.

V. Denique ALPHONSUS II. Dux Ferrariensis & HENRICUS IV. Galliæ Rex (*An Scotus in lib. 2. Cor. Taciti.*) causas & origines cujuscunq; privatæ inter nobiles inimicitiæ diligenti cura exquirebant, iisque componendis & sedandis omnes auctoritatis suæ vires intendebat; sæpe enim levis favilla, ut diximus, magnum excitat incendium.

VI. Ac, ne longius excurrant exempla, si simultates, quæ inter *Comitem Berviensem*, & *Ducem Sombressetum* opera conjugis fovebantur, sustulisset EDOUARDUS IV. Angliæ Rex, dubio procul sibi suisque melius consuluisset, ac diuturnum bellum eâ dissensione natum averruncasset. (*Ph. Comin. in Commët.*)

*Dicat fortasse quispiam* ( utar verbis, ac mente prudentissimi Cominæi) *illas partium*

*partium offensiones Regibus esse non inutiles, patefieri hac ratione omnia consilia; nihil esse quod non efferatur ad Regem, & in majori ipsum esse observantia: id equidem non negarim, si quis Princeps adolescens ejusmodi simultates ac contentiones in gynæceo suscitet, quin maximam sit habiturus ridendi, suique oblectandi materiam. Nihil enim erit adeo secretum, quod in hac muliercularum æmulatione, & invidia non rescis̄cat. Verùm, ut ea consuetudo recipiatur in cœtu virorum, ingens profectò periculum in eo versatur. Hoc enim verè est ignem in tuis ædibus accendere, quem deinde non possis nisi maximo tuo detrimento restinguere. Nam qui Principem à se vident alienatum esse, ii ferè novas incipiunt tentare amicitias, * & illis libenter se conjungunt, quos diffidere putant ab eo, quem sui adversarii partes tueri vident. Ac ut nullum extet aliud documentum: certè factiones illæ* AURELIANENSES, *&* BURGUNDICÆ *familiæ periculi magnitudinem, & luctuosos exitus demonstrare nobis possunt. Ex iis enim ortum est bellum, quod per septuaginta duos annos duravit, cui permixti Angli, magnam Galliæ partem occuparunt.* Hactenus Comınæus: cujus doctrinam pluribus confirmare possem exemplis, undè liquidò constaret, multa calamitosa, & exitiosa bella orta fuisse in Gallia, & Hispania (ut taceam inter Romanos factiones MARII & SYLLÆ: OCTAVII & CYNNÆ: POMPEJI & CÆSARIS: LEPIDI & AUGUSTI,) per diversas nobilium factiones, quas & Galli, & Hispani etiam habent in recenti memoria; atque id non aliam ob causam, quàm quod Reges non tam eas sustulerunt, quàm foverent, dum ipsi à partibus aliquorum starent, & non tam arbitri, quàm advocati munus obirent. Laudabile fuit consilium ALPHONSI Arragonum Regis, qui cùm in agro Matriciensi dubius esset *Franciscumne Sfortiam*, an verò *Nicolaum Picinum* in amicitiam, & societatem admissurus esset, Matriciensibus Legatis Regem adeuntibus, & interrogantibus, utrum *Sfortiæ*, an *Picinio* gratulari deberent? Utrosq; tanquam amicos habendos esse, item ab utrisque tanquam inimicis cavendum esse, respondit. Notet igitur Princeps, ut in ejusmodi eventu, neutrum, vel arbitrum se gerat. Quòd si bona gratia eos dirimere nequeat, has partes tribuat viris spectatæ probitatis & prudentiæ, quos ex longinquis regionibus poterit evocare. Id quod Græcis fuisse familiare, scriptum reliquit Plutarchus. Galliæ tamen Rex *Henricus IV.* gravissimum dissidium inter Comitem *Soissonem* & *Marchionem de Rosnii* non ita diu exortum, ipse arbiter solus sustulit, adeòq; acerbissimas iras in mutuas commutavit voluntates, arctiori quàm antea amicitiæ vinculo copulatas.

*Lib. 10. Comment.* Cōtra sentientibus respondetur, quod putāt utiles esse Principi Aulicorū dissensiones, inter quos nostra ætate Machiavellus licet impius.

*Panorm. de Reb. gest. Alphons.*

Cæterùm, ut ad aulicos stylum referam, proposui illis in extremo documentorum, OBSEQUIUM & PATIENTIAM. Illud, quia species injuriæ est, nullo officio eum prosequi, qui suo quodam jure venerationem postulat, & obsequium.

Obsequiū atq; Patientia Aulicis omnibus necessaria.

I. Hoc nomine *Archelaus* Tiberio invisus fuit, *quòd eum Rhodi agentem, nullo* *Tac. 2. Ann.*

*officio coluisset.* Debet enim prudens aulicus omnes Principes colere, modò tamen non sint inimici illius cui inservit.

Id. 16. Ann. II. Hinc etiam *Thrasea* accusatur, nullam aliam ob rem, nisi *quod ipsi soli incolumitas Neronis sine honore esset.* Res notanda. Colendi enim sunt alii, ut prosint, alii, ne noceant.

Declama. 16 III. Benè CALPURNIO dictum: *negligenter & contumaciter servit, qui servire non novit,* maximè tumidos apud Principes, & injuriæ pronos. Certè valet tùm illud L. Pacati: *Tyrannum non prædicasse, tyrannidis accusatio vocabatur.* Cave ergò ne usquam officium, vel obsequium prætermittas: tu præsertim, qui non modò Principum offensionem vitare, sed etiam ad altiora emergere cupis. Nam universè verum est, *magnas voluptates, maximaque bona præberi obedientiâ, constantiâ, tempestivisque laboribus & periculis,* ut Cyrus inquiebat.

Paneg. Theo.

Xenoph. l. 3.

Q. Curt. l. 5. de Ira. 2 c. 34 *Patientiam* addidi: quia per eam haud difficulter Aulæ difficultates superabis. Siquidem, *optimè miserias ferunt, qui eas abscondunt,* ait ille. *Irascitur aliquis,* monente Seneca: *tu contra beneficiis provoca: Cadit statim simultas, ab altera parte deserta.* Nec imitere CALLISTHENEM illum, in quem velut Aulæ ineptum ALEXANDER MACEDO versiculum hunc crebrò jactare solebat:

Μισῶ σοφιςὴν, ὅςις ὐχ αὐτῷ σοφός:

*Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil.*

Id. cap. 33. Memor esto illius veterani aulici: qui interrogatus, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem: *Injurias,* inquit, *ferendo, & gratias agendo.* Nihil certius:

*Nobile vincendi genus est, Patientia: vincit,*
*Qui patitur: si vis vincere, disce pati.*

D. Aug. 7. Confess. c. 6. Sin contumax animus illuc adduci nequit, exi aula, ut prædixi: alterutrum faciendum est tibi, aut succumbis. Nam verè aulici illi apud August. *In Palatio, quid non fragile plenumq́; periculis? & per quot pericula, pervenitur ad majus periculū?* & quamvis nonnemo sit, qui aura interdum aulæ secunda fruatur: attamen pavido semper est, & inquieto animo, & mox una cura, mox alia tentatur: *alia ex alia cura fatigat. Vexatq́; animos nova tempestas.* Itaq; ad instar bajuli cujusdam, callum animo adversus curas, & contumelias obducendum, aut certè aula excedendum, sed quid?

*Vana Palatinos quos educat Aula clientes*
*Dicitur auratis nectere compedibus.*

CAPUT

## CAPUT VII.

### *Prudentes illi, qui nec excelsa, nec humilia ambiunt, nisi mediocria, in quæ non solet esse manus injectio.*

EXperientia enim discimus eos, qui ad honorum fastigia evecti sunt, non diù consistere in fastigio, & lubrico culminis, sed similes esse prærupta repentibus, semper timere, sæpe titubare, subitoque corruere; juxta illud:

*Summum ad gradum cum claritatis veneris,* Laberius.
*Consistes ægrè, & quam descendes, decides.*

In quam sententiam præclarè admodùm Quintilianus: *Nesciũt diu stare successus: & quoties prodire ultra fœlicitas non potest, redit.* Cujus rei rationem prudens scriptor affert *Quippè,* inquit, *secundæ res sapientium animos fatigant.* ejusq; æmulator Tacitus: *quia aut satietas capit illos, qui õnia tribuerunt; aut hos, cùm jã nihil reliquum est, quod capiant.* Et pater ille Stoicorum: *Segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas; idem animis quoq; evenit, quos immoderata fœlicitas rumpit: quâ non tantùm in aliorum injuriam, sed etiam in suam vertuntur.* Et alibi: *sine hoste patimur hostilia, & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi fœlicitas invenit.* Declamat. Sallust. Cat. 3. Annal. Sen. epist. 39. Epist. 91.

Auream igitur & mansuram mediocritatem dilige, *nihilq; habe, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit.* Id. epist. 14. Tac. 16. An.

Itaq; *omissis præcipitibus, tuta, & salutaria capesse.*

Siquidem, ex Oraculo est illud Tragici: Sene. Octav. act. 2.

*Quidquid excelsum est, cadet.*

Ita: Nam, Idem Oed.

*Quidquid excessit modum,*
*Pendet instabili loco.*

Sed, abscribe Testulæ hanc transmutationem divinæ Providentiæ: cum *fato quodam & sorte nascendi, Principum inclinatio in hos, offensio in illos sit.* Tac. 4. An.

——— *Nec est nostrum æstimare, quem suprà cæteros, & quibus de causis Principes extollant.* Id. 6. Annal.

Siquidem *summum ipsis rerum judicium Deus dedit, nobis obsequii gloria relicta est.* Id. 4. Annal.

Beatam itaque sectare Mediocritatem : quæ omnis sinistri casus expers esse solet : ἡ γὰρ εὐογκία, ἀσφαλέστερον τῆς μεγαλογκίας : *parva enim moles aut sarcina, tutior semper magna & tumente.* Stob. serm. de fœlicit.

EXEMPLA cum MONITIS.

Ex Æmil. Probo.

I. PHOCION, inclytus ille Atheniẽsium Dux, cùm à *Philippo* Rege munera magna repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in angustia rerum tantam tueri paternam gloriam, præclarè & heroicè respondit: *Si mei similes erunt, idem hic agellus eos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali, augerique luxuriam.*

Id. Thrasib.

II. PITTACUS ille, qui septem sapientum albo adscriptus est, cùm ei *Mytelenæi* multa millia jugerum agri offerrent, avertit animum ab eo munere, centumque tantùm accepit, quæ & suam animi æquitatem, & Mytelenæorum in se voluntatem indicarent: *Nolite*, inquit, *mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant: nam parva munera diutina; locupletia, non propria esse consueverunt.*

Plut. Lycur.

III. Quid de THEOPOMPO? huic cùm summos honores *Pilii* decreto statuissent, renuisse dicitur: quo nomine objurgatus ab uxore, quod humilius, ac minùs esset filiis traditurus regnum, quàm accepisset: *Hactenus*, respondit, *majus, quod diuturnius*. Nam quæ moderata sunt, in longum tempus durant, & hoc ipso meliora sunt, si Philosopho Senecæ credimus: *Nulli ferè*, inquit, *magna bona, & diuturna contingunt; non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta fœlicitas.*

Sen. in Cons. ad Marc.

Lib. 14. An.

IV. Hoc tu didicisti ô Seneca. Nunquid non immensæ tuæ opes exitium tibi peperêre? nunquid inde criminationibus ansam accepêre æmuli tui? Tacitũ audi de te sic loquentẽ: *Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquã ingentes & præter privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodq; studia civium in se verteret, hortorum quoq; amœnitate, & villarum magnificentia quasi Principem supergrederetur.*

Senec. 7. de benef. cap. 7. Val. Max. 4. cap. 3.

V. Sapientior fuit M. CURIUS teste ipsomet Seneca, qui ob operam strenuè pro Republ. navatam, deferenti populo Romano tantùm agri, quantum uno die circumarare posset: *Non est*, respondit: *vobis eo opus cive, cui plus opus sit, quàm uni civi.*

F. Vopiscus.

VI. Enimverò *Aurelianus* Imper. amicos suos honestè modò, & modicè ditabat; *ut miserias paupertatis effugerent, divitiarum verò invidiam, patrimonii moderatione vitarent.* Nempe sciebat magnus Princeps, aulicos instar testudinum esse, quæ intra tegmen collectæ, tutæ sunt adversus ictus; ubi exerunt partes aliquas, mille injuriis obnoxiæ sunt.

VII. Expertus nuper hoc COMES ESSEXTIUS, Princeps magnæ quidem auctorita-

ctoritatis, & potentiæ apud ELIZABETHAM Angliæ Reginam. Is primarium locum tenebat in Consilio Reginæ, cujus etiam classibus magna cum auctoritate præerat; valebat sago & toga, clarus domesticos apud, & exteros, ita quidem, ut mortalium omnium oculos in se converteret, cùm nihil ei videretur deesse, quo se aliosq; bearet. Verùm, rebus hoc modo ad optatum fluentibus, insolens adeò, plenusque sui factus est, ut omnia quæcunq; diceret gereretq; ad gloriam vanitatemq; ceù scopum quendam collinearent. Maxima sua in Remp. Anglicanam merita illum occæcarunt: quò factum est, ut jactantius, & insolentius, ubiq; de se prædicaret. Inde æmulorum invidiam in se concitavit: qui nec destiterunt, quin eum variis machinamentis, dolis, & præstigiis à Reginæ gratia in Orcum deturbarent. *Ex hist. gall. P. Matth. l. 4. Narr. 2.*

VIII. Quid attinet multa commemorare? cùm quotidie videamus nullos æquè ab novercante fortuna in præceps rapi, quàm quos Principum favor ad supremos dignitatum gradus evexit. Neque id quidem mirum: Nam quorum opera Principibus, ac Reipubl. necessaria, est, haud possunt carere suspicione gloriæ, & ambitionis: præsertim, qui insuper persuasum habent, necessarios se Principi, proque talibus haberi volunt. ABRAIM BASCHA, quamvis alioqui temperatissimis esset moribus, suspectas tamen habuit eminentes illas dignitates, id est, Principatui proximas. Ideoque per occasionem *Sultanum Solymannum* impensè rogabat, uti moderatiorem fortunam, quæ nonnihil ab excelsa illa Imperii dignitate abesset, sibi impertiretur. Cui Sultanus: *Hoc habeto, non te vivum capitis diminutionem passurum.* Ille, nec vigilanti caput cervicibus præscidit. Æmuli hujus, factum Principis laudare, promissis mansisse asseruerunt: quòd qui dormit, jam non vivat.

Rectè igitur monuit Stagyrites, cauto opus esse, ne quis Principis beneficio, vel amicorum præsidiis nimis potens fiat: quin ejusmodi beneficia ceu viscata, esse fugienda; atque tales clientelas, ut periculosas, ac ruinæ proximas, tollendas, aut potius sensim dissuendas. *Lib. 5. Polit.*

IX. Horum igitur exemplis quisquis es, aulice, ad mediocria tantùm adspirabis, non etiam ad summa, nisi velis illorum, & STATILII TAURI, quem Tacitus *opibus illustrem* fuisse scribit, aleam subire, & cum isto dicere: *Villa mea me perdidit.* O quàm multi igitur, qui cùm opes, quas maximè optabant, adepti essent, propter eas perierunt? Moderata juvant. *Annal. 14.*

Rectè monet Poëta: *Ovid. 3. de Trist.*

*Tu quoq; formida nimium sublimia semper,*
*Propositiq; memor contrahe vela tui.*

Causa apud alterum Poëtam: *Apollod.*

*Fortuna magna non caret formidine:*
*Nec splendor eminens vacat periculo:*
*Et quidquid altum est, haud tutùm diu manet,*

*Vt quod ruat, vel invidia, vel tempore*

*Thy. act.3.* Firmatq; Thyestes apud Senecam:

*Dum excelsus steti*
*Nunquam pavere destiti.*

Notent Aulici. X. Certè plerumque videmus, *orbitate & pecunia*, ut verè Tacitus inquit, *insidiis obnoxios fieri aulicos*: præsertim in aula, in qua magna copia est æmulorum; vel Princeps ipse parum æquus. Testis C. CASSIUS cui non aliud delictum, nisi *quod opibus vetustis*. (*Annal.14.*) Testis etiam locuples ille PALLAS, qui ab *Nerone* non aliam ob causam ad mortem addictus, quàm quod immensam pecuniam longâ senectâ detineret. (*Annal. li.16*) Testis denique P. ANTEIUS, cui eandem ob causam idem Cæsar offensus, *opesq; ejus præcipuas* (ait Tacitus) *ad eliciendam illius cupidinem valuisse; eamq; causam multis exitio esse*. (*Tacit ibid.*) Ita, ita, multis profectò, quod vidimus & videbitur in ævum, opes exitii causa sunt, & si minus in aula Neronis existentibus. Aulici,

*Senec. Agamemn.*

*Modicis rebus*
*Longius ævum est.*

XI. Quamobrem ex sententia præstantissimi illius *Cominæi*, rerum aulicarum peritissimi, *nihil est præstabilius mediocri vitæ genere: quod qui potest assequi, & tueri, is omnium certè fœlicissimus est*. (*L. 10. Comment.*) Bene judicas, ô Cominæe! & gravi tuo periculo didicisti, perdifficile esse vitare Testulæ conversionem, his utique, qui altum illum, & lubricum aulæ verticem conscendunt. Neque enim tu (tantis etsi sapientiæ documentis instructus) vitasti hancce conversionem, quam immeritò tibi procuravere aulici æmuli: quorum calumniis factum est, ut ab obitu *Ludovici Regis XI.* Galliæ Regis, in vincula coniicereris, ex iisque causam ipse capitis, (cùm nemo tibi adesse auderet) dicere cogereris. (Casus Philippi Cominæi.) (*Lib.4.*) Vide mihi, aulice, quàm varia, quàm commutabilis, quàm fragilis sit sors mortalium, eorum maximè, qui adeò alto fastigio consistunt, ut ægrè progredi, an regredi, sine casu aliquo possint. Adeò verum est, quod Q. Curtius inquit: *Nimiæ opes, magnæ jacturæ locum faciunt*. Cujus rei testis etiam esse potest *Socrates*, quem solitum dicere ferunt, Satius esse, se in mediocribus continentem hilariter agere, quàm in magnis infœliciter. (*Apud Xeno. li. de fact. & dictis Socrat.*) Atque hoc est, quod etiam alter ille Anglicus Socrates de seipso canebat:

*Thomas Morus.*

*Agros ego haud porrectiores appeto,*
*Non auream aut Gygis beatitudinem,*
*Quæ sit satis sibi, vita sat eadem est mihi:*
*Illud Nihil nimis, nimis mihi placet.*

XII. Ejusdem erat animi CATHARINA, Henrici VIII. Regis Angliæ uxor, quam dicere solitam legimus, malle se fortunam moderatam, quàm secundam, vel adversam: quarum tamen alterutra si optanda esset, hanc potiùs, quàm illam eligeret: propterea quòd quibus fortuna acerba est & misera, solatia nunquam desint;

desint; fortunatis verò, hoc est iis quibus omnia secunda prosperaque accidunt, nec ratio, nec judicium adest, adeo corruptus est animus lætitia rerum secundarum.

Excelsa tranquillitatem amãti non quærenda.

Enimverò, si non ob invidiam & eversionem, at propter curarum, ut sic dicam, undas, quibus alliditur, & mergitur animus : vitanda nimietas potentiæ, certè tranquillitatem amanti. Experiatur quisquis eam in votis, & non dubiè J. Lipsii Præceptoris quondam mei, metrum illud concinet: *Epist. 8.*

*Ille est par superis Deis,*
*Et mortalibus omnibus altior.*
*Qui fati ambiguum diem*
*Non optat levis, aut timet.*
*Quem non ambitio impotens*
*Non spes sollicitat lucri:*
*Quem non concutiunt metu*
*Regum præcipites minæ,*
*Non telum implacidi Jovis;*
*Uno sed stabilis loco,*
*Vulgi ridet inania:*
*Securoque oritur dies.*
*Vitam si liceat mihi*
*Formare arbitriis meis*
*Non fasces cupiam, aut opes,*
*Non elatus niveis equis*
*Captiva agmina traxerim:*
*In solis habitem locis,*
*Hortos possideam atq; agros,*
*Illic ad strepitus aquæ*
*Musarum studiis fruar.*
*Sic cum fata mihi ultima*
*Pernerit Lachesis mea;*
*Non ulli gravis, aut malus*
*Qualis Langius hic meus,*
*Tranquillus moriar senex.*

Denique, unum Senecæ monitum sit tibi instar omnium : *Quisquis vestrum tutam agere vitam volet, quantum plurimùm potest, ista viscata beneficia devitet, in quibus hoc quoq; miserrimi fallimur, quod habere nos putamus, sed habemur. In præcipitia cursus iste deducit. Hujus eminentis vitæ exitus, cadere est.* Nihil verius, ô Seneca, excogitare potuisti, & fidem effato attulisti, dolendo & miserabili tuo fato. Dixeras aliàs, *Optimum pecuniæ modum esse, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate discedit*, sed dixisti tantùm, reipsa non præstitisti. *Epist. 8.* *De tranq. animi. c. 9.*

Aulici prudentes, quî periculum effugiant.

Periculum tamen præpotentes quadantenus deprecabuntur, si Principibus crebrò aliquas de suis opibus largiantur: *Senecæ* jam dicti exemplo, qui cùm vidisset, plerisque divitias exitio fuisse, Neronem rogavit, ut opes sibi datas reciperet, modicis uti liceret, hisque verbis usus est: *Nec me*, inquit, *in paupertatem detrudam, sed traditis quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur, & tot per annos nixum fastigii regimen: possumus seniores quietè respondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent.* Quanquam autem bonum ille exitum non habuerit, fuit tamen prudentissimum ejus consilium, pereuntibus iis quos suprà commemoravimus, quibus haud ullum aliud crimen objiciebatur, quàm opes, quàm divitiæ, quàm potentia. *Apud Tacit. lib. 14. Ann.*

CAPUT

## CAPUT VIII.

*Ceterùm, ut ad Principem remigrem, necesse est affectibus moderetur;* Iræ *imprimis: fugiatq́, maxime* Vindictæ cupiditatem.

Sen. 2. de Ira.

ATque hoc quidem intentius, quò major illi materia, & seges est irascendi. *Quod enim momentum est, quo non improbanda videat?*

Indidem.

Jam in conviviis inaudit vellicari se, & carpi: mox probra, & contumelias percipit alicunde; jam illinc scævas opiniones, & in horas tristissimos de se rumores. Deniq; *nunquam irasci desinet si semel cœperit, & omnis illi per iracundiam mœroremq́, vita transibit.*

Quinti. Declam. 9. Plutar.

Hunc igitur affectum tollat, aut certò vincat necesse est. Siquidem, *hæc est celeberrima virtus, hæc animi suspiciendi moderatio, vincere iram, & inter simultates quoq; vincere animum.* Viroloquium Catonis: ὀργιζόμενος τοῦ μαινομένου χρόνῳ διαφέρει: *Iratus, solo tempore ab insano differt.*

Qui vincere, aut præcavere, non potest, attemperet ratione, aut moram interponat;

Ovid. 3 Fast.

*Differ, habent parvæ commoda magna moræ.*

Lib. 3. de Ira. Cic. ad Q. Fr. Amb. 1. Offi. Sen. 1. de Ira. Arist. 3 Eth. cap. 8. Menander.

Optimè & verè Seneca: *Optimum est*, inquit, *ad primum mali sensum mederi sibi, tùm verbis quoq; suis minimum libertatis dare, & inhibere impetū*, quod quidem, *etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocis ingenii:* imò *non inferioris, quàm omnino non commoveri.* Enimverò, *nihil quidquam magnum est, nisi quod simul, & placidum.* Philosophum Græcum audi: Κίνησις βραδεῖα τοῦ μεγαλοψύχου: *motus tardus, magnanimi viri.* Comicus asserit:

Οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνὴρ ὦ Γοργία
Ο'στις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν:
*Existimandus ille præstantissimus,*
*Injurias qui ferre novit plurimas.*

S. Greg.

Verè vir divinus: *Potestati amica est impatientia, quam refrænare debet Rex, injurias & contumelias sustinendo, & benigniter remittendo.*

Oedip. apud Sophoclem.

At enim:

*Generosa pectora mordent,*
*Lacerant, iniquè objecta*
*Crimina.*

Sen. de Constā. Sap. c. 10

Scio, sed hi *morsus, non sine quadam humilitate animi eveniunt, supprimentis se, ac descendentis,* Princeps *autem, à nullo contemnitur, magnitudinem suam novit, nulliq́, tantum licere renuntiat sibi: & omnes has, quas non modò miserias animorum,*

*morum, sed molestias dixerim, non vincit, sed ne sentit quidem.* Veriloquium est: *Convicia, si irascare, agnita videntur; spreta exolescunt:* præsertim si à vulgo. *Tam mutabile est vulgi ingenium aut perplexum, ut quid constanter dicit, velit, aut nolit, non facile intelligi possit.* *Tac. 4 Ann.* *Demosth. 1. Olynt.*

---

## EXEMPLA.

I. PRæluceant tibi imprimis Græcorum exempla; inter quos HIERO Syracusanorum Rex maximè eminet, quem legimus adeo patienti animo contumelias tulisse, ut eos noluerit admonitos, qui præsenti & audienti ei multa convitia, in quibus graveolentiam objecerant, quo de vitio oris cùm uxorem suam incusaret, quòd se non admonuisset, tùm illa, putare se omnes viros ita olere respondit. In quo viri moderationem, & uxoris affectum possis suspicere. *Plut.*

II. Eandem animi moderationem æmulatus est, vel potiùs superavit PISISTRATUS Atheniensium Tyrannus: *namq; à Thrasippo amico inter cœnam sine fine convitio laceratus, ita & animum, & vocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem à tyranno malè audire. Abeuntem quoq; veritus ne propter metum maturiùs se cōvivio subtraheret, invitatione familiari cœpit retinere: Trasippus concitatæ temulentiæ impetu evectus, os ejus sputo respersit: nec tamen in vindictam sui accendere potuit. Ille verò etiam filios suos violatæ patris majestati subvenire cupientes retraxit.* Quis non admiretur viri tyranni lenitatem? profectò si nihil aliud dignum honore, vel memoriâ gessisset, his tamen factis abundè se posteritati commendasset. *Val. Max. li. 5. c. 1.*

III. PTOLOMÆUS II. Ægypti Rex, imperitum Grammaticum irridens, rogabat, *quis fuisset pater Pelei?* atque ille, *dicam*, inquit *si tu prius dixeris, quis fuerit Lagi pater?* Hoc dicto tetigit Regis ignobilitatem, cunctique indignè ferebant, velut intolerabile convitium. Hîc *Ptolomæus* illis patientior, & moderatior, qui intelligeret, se occasionem dedisse convitio: *Si regium* (inquit) *non est ferre, cùm dicto Rex tangitur, nec illud regium est, dictis quenquam attingere.* *Plut.*

IV. His jungendum est PHILOSOPHI illius monitum ad *Alexandrum Magnum*, cujus indignationem placare volens, sic ad eum scripsit: *Excandescentia, & ira non in pares, sed in meliores existere solet. Tibi verò nemo par est.* *Ælian. l. 12. Var. Hist.*

V. In quam sententiam præclarè magnus ille MOECENAS ad AUGUSTUM. *Convitia* (inquit) *ulcisci non debes. Turpe enim fuerit, te credere inventum, qui te neminem lædentem, omnibus benefacientem, ignominia affecerit; idq; soli mali credunt Principes, quos ad fidem dictis habendam, conscientia movet. Deniq; iniquum est, ea velle ægrè ferre, quæ si vera sint, præstat non admisisse: sin falsa, dissimulare: quid,* *Apud Dionē lib. 52.* Linguas obtrectatorum flocci faciendas.

*quid, quòd multi hæc vindicantes, pluribus, ac gravioribus de se sermonibus occasionem præbuerint?*

VI. Cujus *Mœcenatis* cohortatio, tantùm valuit apud AUGUSTUM, ut irasci postea nunquam penè visus fuerit. Namque convicia ista, & maledicta neglectui ac despicatui semper habuisse historici testantur, inter quos Cornelius Tacitus, dum scribit; *haud facilè dixerim, moderatione magis, an verò sapientiâ: nam spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur.*

4. Annal.

VII. TRAJANUS, licet tempore, non animo tamen aut virtutibus inferior, iræ ita moderabatur, si quando opprobriis lacesseretur, ut nunquam ab eâ vinceretur. Nimirum sciebat prudentissimus Princeps satius multò esse, injuriam pati, quàm progredi mox in vindictam. Imò ex sententia nonnullorum politicorum, expedit interdum Principi, esse qui de illo obloquantur: ut potiùs virus indignationis loquendo evomant, quam factotnam alterutrũ eveniat necesse est, ut perditorũ hominũ pravi humores exhalent, hinc Sophocleus Nestor, ad Blateronē:

Dio. Cass.

Quin utile esse quandoque eas experiri.

Οὐ μέμφομαί σε, δρῶν γὰρ εὖ κακῶς λέγεις:

*De te queror nil, mal. loquens facis bene.*

VIII. Quid ejus successor HADRIANUS? is, quos in privata vita inimicos habuit, tantum neglexit, ut uni, quem capitalem habuerat, Imperator factus diceret: *Evasisti*, magna certè æquanimitas est, cùm ulcisci possis, omnium oblivisci injuriarum. Benè Tragicus:

Spartianus.

Sene. Troad.

*Quò plura possis, plura patienter feras.*

IV. Annon etiam AURELIANI Cæs. Symbolum? *Quò major, eò placabilior.* Cui dicto factum ejus optimè congruit: Cùm Thyana Bithyniæ urbe obsessa, fortè per iracundiam dixisset, se ne canem, quidem in ea relicturum incolumem, eaq; voce milites in spem prædæ erexisset, captâ demùm per deditionem civitate, *Aurelianus* noster, unum proditorem Heraclemonem occidi passus est, reliquis omnibus parcens civibus, summa commendatione bonitatis, & clementiæ; ac deinde militibus Civitatis direptionem flagitantibus, *Agite*, inquit, *canem negavi me relicturum, canes omnes occidite.* Scitum, & placidi Principis dictum, haud ignorantis, quæ apud alios iracundia dicitur, eam in imperio crudelitatem atque superbiam nuncupari.

Ex Vopisco.

X. Verùm, in Græcis prætermitti non debuit PHILIPPUS Macedonum Rex, qui multis probris, & maledictis à quodam lacessitus, pluribus cœpit illum donis afficere: quibus acceptis cæpit obloquutor, quem paulò antè conviciis onerârat, laudibus summis ornare. Undè ad amicos conversus Philippus: *Videtis*, inquit, *& nostrum esse, benè, vel secus audire.*

Plut.

XI. Consimili, & quidem prudenti admodum consilio AGESILAUS Lacedæmoniorum Rex, quos pro occultis hostibus habebat, honoribus afficiebat; quin nonnullos ex his Duces exercitui præficiebat, & cùm se in munere suo avarè, & improbè gessissent, eòque in jus vocati periclitarentur, rursus illis patrocinabatur

Indidem.

tur :

tur:atque hac arte reddebat eos ex clancularijs hostibus amicos,& eos,citra gravem impensam,ad se revocabat. Quid hac prudentia civilius,quâ mederi malevolis maluit,quàm ulcisci?

XII. Quid extera & antiqua me tenent? LUDOVICUS XI. Gallorum Rex,cùm à suis moneretur,ut jam ad regnum accitus, omnes injurias,quas dum Aurelianensium Dux fuerat,acceperat,vindicaret, responsum dedit,quo neque Græci, neque barbari cujusquam sapientius ullum legitur: *Non decere Gallorum Regem injurias Ducis Aurelianensis vindicare.* videtur allusisse ad illud Alexandri magni: *Et ego id agerem,si Parmenio essem* nota historia. *Scip. Ami. 5. Diss. Disc. 5.*

XIII. Italiam petamus, & è vestigio occurret nobis S. CAROLUS Cardinalis BORROMEUS, qui cum alia assiduè,dum vixit,hujus dedit documenta virtutis, tùm illud imprimis notabile,quod cùm iter faceret per Helvetios, casuq; stabulũ hospitii igne conflagrasset,& in eo õnes ejus equi,mulæ,jumenta,grandi utiq; jactura consumpta essent,tamen ira nihil commotus est,ac si nihil omninò accidisset:insuper etiam hospiti centũ aureos nummos ad resarciendum ingens damnum elargitus est. Alias etiam, cum aurigæ inscitia in profundam foveam currus incidisset,& ipse totus cœno, lutoque immersus esset, quin etiam brachium læsisset,tamen nullum impatientiæ,aut iracundiæ signum ostendit,nihil questus, nihil locutus est,imò verò suos in aurigam ejus furentes compescuit. *Hieron. Platus de dig. & offic. Card.*

XIV. SIGISMUNDUS Imperator,variis maledictis à Germanica multitudine agitatus, & ab aulicis ad vindictam exstimulatus,nihilò commotior, *An vobis,* inquit: *grave videtur, istos malè loqui, cùm nos malè agamus?* quo indicavit, in nostra manu situm esse,quàm benè, vel malè audiamus. *Æn. Syln. de reb. gest. Alphons.*

XV. Notet tamen Princeps,debere factis contrariis elevare grãdiora probra, quibus per occultum laceratur, tùm enim facilè ex omnium animis sequiores de se opiniones tollet.Id quod TIBERIUM Cæs. palàm fecisse, sparso de ipso inclementiæ rumore,multifariam ostendit Tacitus. Quòd si coram ingeratur,tùm protinus refellere debet, ne agnita videantur. Ita enim ille idem TIBERIUS probris quondam in Senatu petitus, *adeò perculsus fuit,ut se vel statim, vel in cognitione purgaturum clamitaret:precibusq; proximorum, adulatione omnium,ægrè componeret animum.* Itaq; justè quidem commovetur, cùm contumeliæ coram jactantur: modò tamen moderatio adhibeatur; nec quemadmodum TIBERIUS irâ accendatur: tùm quia non est ex decore, & majestate Principis vociferatio,& verborum intemperantia, teste Seneca: tùm quia ira,& animi commotio,inimica consilio est,auctore Cicerone. Et certè Princeps nunquam debet ita excandescere,ut obliviscatur quid sit ex usu præsenti,& quid suam personam deceat. *Calumniæ tamen clãdestinæ diluendæ factis contrariis,præsentes & apertę verbis refellẽdę:utiq; majores.* *4. Annal.* *1. de Clẽ. c. 8.* *Pro M. Mar.*

XVI. GERMANICUS apud Tacitum,sciebat quidem irasci,sed sciebat etiam ignoscere,quod propriè Imperatorum est. *Lib. 1. Ann.*

XVII. ALPHONSI Arragoniæ Regis prudentissimum dictum his inserendũ. Is *Panorm. li.*

 cùm

1.Offic.c.6. cùm inaudiſſet ſe à nonnullis de ſe bene meritis clam lacerari: *Regum eſſe* dixit *non modò benefacere, ſed mala etiam patienter audire.* Magnifica hercle, & Chriſtiano homine digna reſponſio. Is enim qui citò injuriâ movetur, teſte D. Ambroſio, facit, ſe dignum videri contumeliâ, dum vult eâ indignus probari.

10. Homines digna. XVIII. ALPHONSO Duci Calabriæ bello Ferrarienſi exciderant minaces cõtra quoſdam voces, quibus reverſus Neapolim graviſſima in quoſdam ſupplicia perferret, per quæ ut ſua erat opinio, quieta omnia in ſuo regno redderet, exceptæ ergò nonnullis voces iſtæ, quæ cauſa fuêre poſtea multarum in ſua ditione rebellionum ac cædium. Itaq; cavendum Principi ne uſpiam per iram quicquam faciat, dicatque; ne malum ad ſe attrahat, ut cæcias nubes.

XIX. Deniq; conſtat PASSERINUM Ducem Mantuæ atrociter minitatum Ludovico Gonzagæ, ſed ipſum prius fuiſſe exceptum, & per filium Franciſcum Urſinum à Porli miſerrimè occiſum.

XX. Talia multa inventu facilia in hiſtoriis priſcæ & noſtræ memoriæ, quæ non gravarer edere, niſi lectoris cupiditati ſatisfactum exiſtimarem. Dicis tamen causâ aliquot adhuc ſubnectam, ubi meum monuero Aulicum, vel quem alium, ne lenitatis ac clementiæ fiduciâ, quid protervius in Principem dicat faciatve,

Aulici linguas cohibeant. ex Senecæ magni illius Philoſohi præcepto, *Sapiens,* inquit, *nunquam potentium iras provocabit, imò declinabit, non aliter atq; in navigando procellam.* Unde *Phocion,* præclarus ille civis Athenienſis, cùm audiret *Demoſthenem* Alexandrum

Sen.epiſt.14. Regem graviter maledictis laceſſere: *Noli,* inquit, *demens ſævum Leonem ſtimulare; & juvenem, quem gloria & imperandi cupido incendit, in patriam provocare, ne incendium maximum tuâ temeritate nobis conſles.*

XXI. Cujuſmodi incendium ſibi à FRIDERICO BARBAROSSA Imperatore Mediolanenſes accerſiverunt, eò quia irâ perciti & majeſtatis Imperialis contẽptione, Dominam Imperatricem aſinæ impoſitam, & caudam adverſa facie loco habenæ tenentem, per urbem maximo cum ſpectatorum riſu, & conviciis circumduxiſſent. Quâ contumeliâ ſic excanduit Imperator, ut Urbem ſplendidam, & ſpectabilem ambuſſerit, ſoloque adæquarit, civibus primùm internecionem uſque deletis. Ergo nihil verius oraculo Sapientis: *Nihil intereſt inter minas Regis, & iram leonis.*

Plut.in Alex. XXII. Deniq; *Caſſander* Alex. Magni aulicus primæ notæ, poſtquam liberiori quodam dicto iracundiam ejus concitaſſet, adeò poſtea illum, vel mortuum extimuit, ut prætergrediens Delphos, ſolo ipſius ſtatuæ objectu, quæ memoriam illius furoris renovabat percelleretur, & tantùm non exanimaretur. Itaq; cavete, quicunq; Principibus adeſtis à dicteriis, multò magis ludibriis, contumeliis, di-

Lib.2 cap.2. ctis procacibus, maximis irarum irritamentis: Nam *dolor ex contumeliâ,* inquit Valerius, *naſcitur & ſentitur graviſſimus præcipuè à Principibus, quibus quantò major poteſtas, ſic etiam major contumeliæ ſenſus.* Super quâ re plura legant Aulici, ſi volent, ſuprà Cap. VI. & poſtea Cap. XX. in extremo exemplorum.

CAPUT

## CAPUT IX.

*Certè Vindictæ cupiditate, ut nihil Reipub. infestius, ita Deo nihil magis exosum. Ex quo fit, ut qui eâ delectantur, ad illud Euripidis* τὸ περιβλάπτεσθαι *festinent.*

QUOT inimicitiæ, vel inter amicissimos denunciatæ levi tantùm iracundiæ calore? quot clarissimæ familiæ litibus per vindictam dictatis, ad inopiam, restimque redactæ? quot, quantaque bella, à Principibus indicta, pro affaniis, gerrisque germanis? *Adspice nobilissimarum civitatum fundamenta, vix notabilia, has ira, & vindicta dejecit. Adspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas, has ira exhausit. Adspice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati: alium ira in cubili suo confodit, alium inter sacra mensæ ira perculsit.* Quid singula commemorem? mille mala, mille absurda committit, quem semel cœperit ira, & vindicta transversum ferre. Adeò nihil verius illo Comici Græci; Proprium damnum. *Sen. 1. de Ira.*

Ὀργὴ δὲ πολλὰ δρᾶν ἀναγκάζει κακά: *Menander.*
*Mala perpetrare cogit ira plurima.*

Cujus rei causam præclarè noster Seneca: *Est enim ira sui impotens, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax, & intenta, rationi consiliisq; præclusa, vanis agitata causis, ad conspectum æqui, veriq; inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressere, franguntur.* —— *Sicut fumus oculos mordicans non sinit vel id, quod ante pedes est videre: sic ira exurgens obtenebrat rationem.* *Lib. 1. de Ira.* *Arist. Ethic.*

Hanc igitur comprime, & animum à vindictæ remove: *Melior enim est venia, quàm vindicta, Illa mitis ingenii est, hæc ferini:* ait verus Vates. *Eurip. apud Stob.*

Sapientem illum Romanum audi; *Non decet Regem sæva, & inexorabilis ira.* —— *Magni* enim *animi est proprium, esse placidum tranquillumq; etiam offensiones supernè despicere.* *Sen. de Cle.*

## EXEMPLA.

I. ULISSES sciscitanti, nùm ex inimici *Ajacis* rabie, & calamitate voluptatem caperet, respondit: *sibi triste id spectaculum videri.* Quam sententiam, & animi moderationem *Minerva* non mediocriter laudat apud Tragicum, inquiens? *Et tu si hoc animo semper fueris, superis charus eris, & vitam fœliciter exiges tuam.* *Sophocles in Ajace.*

Æm.Prob. II. Dion Syracusanus etiam singulari quodam studio deprecatus utique fuit vindictam: Nam etsi identidem in exilium actus esset, tandemque à civibus in patriam revocatus, minimè ultum ivit injurias à perduellibus sibi illatas, imò *Heraclidi* hosti ignoscendum existimavit, atq; adeo pristinæ dignitati restitui mandavit: *quando sæpe homines* (ut ipse inquiebat) *malos emendari, & mutari tandem beneficiis videamus.*

Indidem. III. Quid Epaminondas? Is civium suorum injurias semper patientissimè tulit, dicens, nefas esse patriæ irasci: quemadmodum parentum injurias ulcisci, pietas vetat.

Sueton.c.73. IV. Consimilis moderatio in C. Julio Cæsare apparuit, quem scimus simultates contra nullos tam graves unquam excepisse, ut non oblata occasione libẽs deponeret. Quis illi inimicior Gn. Pompejo (quis infensior? huic tamen statuas à populo dejectas reponi jussit. Quo intellecto Tullius: *Cùm statuas Pompei collocasti, ô Cæsar, tuas constabilisti.*

Plut. lib. de util.cap.de Inim.

Tranquil. c.14. V. Par illi fuit postea Vespasianus Imper. qui *offensarum, inimicitiarumq; minimè memor, executorve, Vitellii hostis sui filiam splendidissimè maritavit, dotavitq; etiam & instruxit.*

Val.Max.li. 4.cap.1. VI. At, cui comparem M. Bibulum non video: *qui cùm in provincia Syriæ moraretur, duos egregiæ indolis filios suos à Gabinianis militibus occisos esse cognovit. Quorum interfectores ad eum vinctos Regina Cleopatra misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullum majus lugenti tribui poterat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesq; sanguinis sui, intactos è vestigio ad Cleopatram reduci jussit: dicendo, potestatem hujus vindictæ non suam, sed Senatus esse debere.*

Plut.Val.Fr Patrit.4. VII. Verùm, quàm absimilis illi celeberrimæ vir nequitiæ, *Sylla*? cui præ ira, & vindicta nullus jucundior lusus, ac jocus erat, quàm cruor, quàm cædes, quàm unci, & secures. Nam *Q. Lucretium Offellam* (cujus opera ingentes victorias adeptus erat) in foro ipso ense transfodit. *C. Marium* si non penitus occidit, at erui ei oculos, & amputari manus jussit. Quod tolerandum quodammodo fuisset, nisi universam Italiam, eadem animi impotentia, civili sanguine inundasset.

VIII. Quid fœdius Juliano Apostata? qui cùm jus diceret, rusticos coram se de jure disceptantes non conviciis modò, sed & pugnis quatiebat?

Responde-tur objectioni dicentium in ira locum non esse consilio. Sed sunt qui dicant, & excusent se, tam subitam & violentam fuisse iram, ut eã refrænare non sustinuerint, cujus etiam impetu irâ commoti sunt, ut consilium in arena, quod dicitur, capere nequiverint. Speciosum scilicet prætextum, quasi verò iræ species animo objecta aliquid possit, eo reluctante: quasi perturbatio illa, quæ à ratione nascitur, ratione non tollatur, quasi rationem hic affectus ita pervertat, ut consilium omne excludat.

IX. Vide mihi Regem Assuerum, religionis nostræ alioqui exortem: is quia *Vasthi* Regina mandata ejus, & jussa contempsit, *iratus Rex*, inquit Codex Sacer, *& nimio*

*& nimio furore succensus, interrogavit Sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges & jura majorum, cui sententiæ Vasthi Regina subjaceret, quæ Assueri Regis Imperium facere noluisset, &c.* Esther.1.
Ecce, tametsi Rex ira perculsus, & furore, ut inquit textus, succensus, nihil gravius statuere in Reginam voluit citra suorum consilium; cesset rationi, animi perturbatio; deliberationi, temeritas.

X. Par animi moderatio in ALPHONSO Siciliæ Rege. Nam cùm *Pyrrhum* pocillatorem suum jussisset *Gaspari*, uni ex ejus aula, quocum graves inimicitias Pyrrhus gerebat, patera quam manu ferebat, propinare; *Pyrrhusq;* imperium geminanti non paruisset, haud injuriâ *Alphonsus* irâ succensus Pyrrhum stricto gladio insecutus ut in eum sæviret, statim ut assecutus est, quùm vulnus jam inferre pararet, iræ fræna contraxit, abjectoque gladio, præ modestia in *Pyrrhum* sæviendi sibi potestatem ademit. Bapt. Fulg. lib. 4. c. 1.

XI. Verùm admodum illi dissimilis THEODOSIUS Imperator, qui cum ex suis ministris quendam Thessalonicæ occisum fuisse accepisset; mox eò milites misit, qui urbem igne & ferro vastarent, & ira commotus jussit, ut nullo discrimine sontes & insontes, indicta causa necarent, quâ cæde septem hominum millia interierunt. Sozom. 7. c. 24. Hist. tri. lib. 9. c. 30.

XII. Superiori ævo, quoties Gandavum eversum fuit ob temeritatem quorũdam audacium, & vindictæ cupidorum? hi plebem res futuras non prospicientem; præsentes parùm cernentem, concitabant, obtendentes boni publici, & privilegiorum ac immunitatum defensionis studium, & sese Principum immoderatis cupiditatibus opponere jactantes: quanquam hæc falsò prætexerent, cùm potius tyrannidem longe graviorem & intolerabiliorem invehere conarentur. *Jacobus* & *Philippus* Artevellius nescio qui, ambo artifices, plus ducenta hominum millia in perniciem illo pacto secum attraxerunt. Frossard.

XIII. Ne multis: LUDOVICUS XII. Galliæ Rex, probè sciens quantum impotentia atque vindicta suis auctoribus calamitatis afferret, unum hoc ingenuè, & maximè principio administrationis, vovisse dicitur, ne unquam injuriarum, quas ab inimicis privatus acceperat, ultor ipse, ac vindex esset, quippe sciebat cũ Consule illo Romano, *Injuriam etsi justam, minimè tamen in magistratu exercendã.* Indidem. Livius l. 42

XIV. FRIDERICUS Imper. victictis in Hungaria Guinzensibus: *Magnum*, inquit, *actum est opus: nunc autem majus restat, ut scilicet vincamus nosmetipsos: atq; ulciscendi cupiditate fræna imponamus.* Egregium facinus barbaros vicisse, at quantò majus seipsum: Æn. Sylv. 2. de gest. Alphons.

*Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit*
*Mœnia.*

Quò magis reprehendendi sunt & cavendi illi Dynastæ, qui, quò magis cautim injurias vindicent, *dissimulatis offensionibus clementiam offerunt*, cumq; injuriis in gratiam se redire fingunt. Fucosæ Principum reconciliationes periculosæ.

I. Talis

14.*Annal.* I. Talis Imperatorum ille nequissimus, & sævissimus NERO, de quo ita Tacitus: *His adjicit complexum, & oscula, factus naturâ, & consuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis.*

*Lib.*2. II. Nihilò melior ante eum TIBERIUS: *Libonem* (inquit idem Cornelius) *ornat Prætura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior; adeò iram condiderat.*

III. Neque astu absimili Regem *Archelaum* idem TIBERIUS elusit, ut videre
*Id.lib.*2. est apud eundem Tacitum.

IV. Quemadmodum & CÆSAR BORGIA *Paulum Ursinum, Vitellotium Vi-*
*Ib.Hist.*5. *tellum*, & nonnullos alios proceres Romanos intercepit & sustulit, teste Guicciardino. Imitetur qui volet: & non dubiè, asciam cruribus suis, quod illis evenit, allidet. Plura qui videat cui libitum est suprà cap. 17. ubi diximus Iram Consiliariis præcipuè cavendam.

---

## CAPUT X.

*Maximè verò satagendum, ne inimicitiæ cum amicis, & consanguineis exerceantur: ut enim acerrimæ, atq; gravissimæ sic implacabiles, & periculosæ existere solent.*

VErissimè quidem inclytus ille Scipio, cognomento Africanus, dicebat,
*Cic. Lælio.* *Nihil difficilius esse, quàm amicitiam usq; ad extremum vitæ spiritum permanere.* Multæ siquidem quotidiè occurrunt dissidiorum occasiones, quæ si non ilicò dirimunt, at sensim dissuunt amicitiam, undè postea maxima inter amicos odia, simultatesque procreantur. Ab his non aliter, quàm à quadam contagione caveant sibi Principes; & impendio magis, quo difficulter videmus insidias vitari. Ab inimicis enim omnes sibi cavent; ast, ab amicis, nullus est qui sibi cavendum putat. Scitè Comicus Græcus:

Ἐχθρὸν μὲν χαλεπόν, καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι
*Theognis.* Κύρνε φίλον δὲ φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν:

*Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum*
*Fallere, non magno, Cyrne, labore potest.*

Declinabunt igitur, quoad fieri potest, omnem dissidiorum materiam: cùm vel mediocri, imò minimâ sæpenumero occasione rumpatur necessitudinis illud
*Sen.*1.*deCle.* vinclum; quod cùm evenit, immane dictu est, *quanta rabies oriatur, ubi* præsertim *supra modum odia creverunt.* Deus immortalis! quot, quantaq; minutâ aliquâ simultate, orta inter amicos dissidia, quæ nunquam alia ratione, quàm ferro definiri potuerunt; neque id mirum: cùm *nullum odium excogitari possit acrius,*

quàm

*quàm consanguineorum:* quippè, *quorũ amor summus est, horũ summa odia sunt.* *Arist.7.Pol. cap.7.*
Enimverò, *jura sanguinis si considerentur, vincula sunt charitatis: si apud infesos, irarum incitamenta.* ô Principes, *fratres, & consanguinei vestri quodammodo corporis vestri partes sunt, quemadmodum oculi, pedes, manus, & reliqua membra.* Ut hæc non offenditis, sed fovetis, protegitis: sic nec illorum amicitiam lædere, an violare par est: cùm *ex ea oriantur plurimæ commoditates, quæ contemnenti, aliquo in tempore postea fructuosæ sint.* *Taci.1.Hist.* *Hierocl.* *D.Amb.l.2. Off.c.21.*

---

*EXEMPLA cum MONITIS.*

I. QUis non sciat, *Bassianum* & *Getam* fratres consanguineos, filios *Severi* Imperatoris, perpetuis odiis, & simultatibus inter se conflixisse? & quanquam à parente multoties reconciliarentur, tamen non diu ferebat ætatem illa concordia, quin mox animum referrent ad pristinum odium, donec tandem aliquando erumpente, alter alterum trucidaret. *Spartia.& Philost.*

II. Jungamus aliud duorum itidem fratrum exemplum, POLYNICIS videlicet & ETEOCLIS, filiorum *Oedipi* Regis Thebanorum. Hi tantis odiis mutuò exarserunt, ut non modò non reconciliari, sed nec manes ipsorum, acne corpora quidem exanguium præsentiam sui (si quis tamen inest exstinctis sensus) ferre potuerint: nam, ut mutuis plagis occubuerunt, alterno rogo imponi debuerunt: Unde Poëta: *Ex Papir.* *Statini.*

*Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus*
*Ignis edax tremuêre rogi & novus advena busto*
*Pellitur: exundant diverso vertice flammæ.*

III. Atq;, ut ad certiora veniamus, notum est, Romanis decantatum *Cæsaris* & *Pompeji Magni* dissidium: quod non solùm utriq; exitium attulit, sed & Romano Imperio longè maximam calamitatem importavit. *Liv.Plut.*

IV. ARMINIUS etiam, ut auctor est Tacitus, cùm varia fortuna certaret, ad extremum propinquorum dolo cecidit, liberator alioqui Germanicæ nationis. *2.Annal.*

V. ANTIGONUS Rex quotidie clara voce Deum precabatur, ut adversus amicos defenderetur. Miranti orationis insolentiam, & sciscitanti, cur non potius adversus inimicos protegi se peteret, respondit: Ab illis, qui palam sunt hostes, possum mihi ipse mediocri diligentia cavere: at ab amicis fucatis, & perfidis non possum mihi ipse cavere, sed Deo protectore opus est. Itaque bene sensit Guicciardinus: *Niuno più facilmente inganna gli altri, che chi è solito, & hà fama di mai non gli ingannare.* Quod & multis ante eum sæculis vidit Cicero: *Nullæ sunt* inquit, *occultiores insidiæ, quàm eæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius, facilè cavendo vitare possit: hoc verò occultum, intestinum, ac domesticum malum, non modò non existit, verùm etiam opprimit, antequàm perspicere, atq; explorare potueris.* *ExPlut.* *1.inVerrem.*

*Lib.5. Comment.* VI. Sed istud domestico exemplo insuper doceamus, quod memoriæ prodidit Philippus Cominæus. *Erat id temporis* (inquit) *Geldriæ Dux* ADOLPHUS *adolescens, qui uxorem duxerat ex familia Borboniorum. Is horribili, & inaudita quadam audcia* ARNOLDUM *patrem suum, de nocte, cùm esset quieti se daturus, acerrima hyeme ceperat, & per quinq; milliaria deductum absq; calceis in teterrimũ carcerem & obscurissimum detruserat, in eoq; per sex menses detinuerat. Et hac demùm occasione grave fuit excitatum bellum à Duce Clivensi sororio senis captivi adversus Adolphum. Intercedebat quidem* CAROLUS (Audax) *ut eos pacificaret: sed frustra. Cumq; Pontifex etiam Romanus, & Cæsar tandem sese immiscerent, Carolus illorum mandato captivum Arnoldum è carcere liberavit. Adolphus enim quoniam & auctoritatem Pontificis, atq; Cæsaris, & Caroli quoq; potentiam virebatur, non audebat ei petenti hoc negare. Vidi ipse*, subjicit Cominæus, *cùm ambo suam caussam non semel apud* CAROLUM *in cœtu, & concilio multorum hominum disceptarent, vidi, cùm pater filio deferret duellum. Carolus etsi cupiebat eos componere magis tamen erat propensus in filium, cui & Burgundiæ Præfecturam, & Geldriæ possessionem deferebat, uno tantùm oppido excepto, quod Graviam vocant. Illud patri voluit servari, & simul tria flor. millia quotannis, & tantundem ex annua pensione, & Geldriæ titulum. Vt eas conditiones proponeremus, mihi fuit cum aliis me prudentioribus à Carolo mandatum. Verùm ille respondit, se malle præcipitem parentem in puteum, & seipsum deinde eodem conjicere potiùs, quàm ejusmodi conditiones accipere: patrem iam præfuisse per totos 44. annos, æquum esse, ut tandem ad se quoq; redeat Principatus ferre posse, ut ille quotannis habeat tria flor. millia sed ea conditione, ut ex Geldria discedat, nec unquam eò revertatur. Hæc, & id genus alia multa nobis parum quidem prudenter respondit. Itaq; re infectâ, sumptâ veste gallicâ, comitatus uno tantùm famulo redditurus in Geldriam cùm apud Namurcum traiiceret flumen, agnitus ab uno & altero captivus Namurcum deductus est, & in carcere detentus fuit, donec mortuo Carolo Gandavenses ipsum eriperent, eiq; bello, quod cum Tornacensibus gerebant, præficerent, quo quidem in loco miserabiliter fuit trucidatus, ultore, & vindice Deo, qui scelus nullum finit esse impunitum. Interea tamen dum filius erat in carcere, accidit patrem naturæ concedere: & moriens Carolum instituit hærdem propter ingratitudinem filii.* Hactenus Cominæus, cujus narrationem historicam iccircò attexendam judicavi; tùm ut ostenderem, quàm acres sint & implacabiles propinquorum iræ, & proinde summopere cavendæ; tum ut intelligant filii Principum, grave esse quidquam acerbius in parentes statuere, neque id facinus inultum permanere; tùm denique, ut scirent Geldrenses, quo jure, & titulo devenerint in potestatem Burgundiæ Ducis.

*Circa annũ 1473.*

*In Chronicis* VII. Extat & aliud exemplum apud Trithemium de FRIDERICO Pfirtensi Comite, qui anno salutis 1234. à proprio filio post longam carceris inediam crudeliter occisus est.

VIII. Necta-

VIII. Nectamus & istud; in matre quæ oblita tantæ teneritudinis affectu, vindictæ modò cupida in proprium gnatum sævitum ivit. *Wenceslaus* Bohemiæ Rex cùm totum Christianæ pietatis exercitiis sese tradidisset, grave adversum se *Matris* suæ, mulieris impiæ, & fratris *Boleslai* odium concitavit: quorum insidiis petitus, cùm ultrò de imperio ponendo cogitaret, illi scelere præventum crudeliter occidunt. At quomodo? Convivium apud fratrem Boleslaum instituitur, matre jubente: vocatur *Wenceslaus*, qui ingressus, protinus fratris manu percussus interiit. Tetrum profectò odium, neque non facinus inexpiabile. *Dubran.*

IX. Remissius istud: *Sfortia* & *Braccio* superiori memoria, fraterna quidem charitate inter sese conjuncti, pari spe, pariq; industria militarunt, donec ambitione, & superbia concitati, ex amicis hostes facti, ad extremum usque spiritum multis prælиis inter sese conflixerunt. Atque hìc est effectus ambitionis: ambitionis, inquam, quæ nos ab orbita rationis abducit, & transversos semper agit, eóq; nos impellit, ut de morte eorum cogitemus (inquit verè Seneca) pro quibus, & ante quos mori votum habueramus. Nulli ad aliena respicienti, sua placent. Inde Diis quoq; irascimur, quòd aliquis nos antecedat; obliti, quanti sequantur à tergo ingentis invidiæ. Tanta tamen importunitas hominum est, ut quamvis multũ acceperint, injuriæ loco sit, plùs accipere potuisse. *Iov. in Elog.* *Lib. 3 de Ira. cap. 31.*

X. Vitent igitur quicumque rerum potiuntur, declinentque quoad ejus fieri potest, materiam dissensionum: atque hoc magis, quò commune humani generis vitium est, despicatui habere impotentiores amicos; etsi tamen interdum maximè usui futuros. Id quod optimè Dio observavit: *Facillimo*, inquit, *momento mutantur animi hominum, usq; venit, ut à quibus se, vel adjutum, vel læsum iri quis existimet, eos longè alios experiatur.* A quo nec dissensisse video Guicciardinum, Italum scriptorem non pœnitendæ lectionis, dum dicit: Concordiam fratrum, ac proximorũ infinita commoda adferre, quæ non ita facilè quis perspiciat. Neque enim ex singulis exactè apparet, quantum animorum ille nexus plurimum juvet, magnamque penes alios auctoritatem conciliet. Quâ in re quamplurimi decipiuntur, dum levi aliquo damno commoveri se patiuntur, nec considerant, quanta vice versa sint commoda, quæ latent. Quæ sanè regula, variis exemplis confirmari potest, petitis è scriptis ejusdem Guicciardini, & maximè Philippi Cominæi, Polyticorum coryphæi; nimirum *Ludovici XI.* Galliæ, & *Eduardi* Angliæ Regis: Item *Caroli* Burgundiæ Ducis, quos eò loci adductos vidit Cominæus, ut iis quos aliquando despexeraut, vehementer opus haberent eosq; desiderarent. Nihil igitur verius illo Democriti: φιλονεικία πᾶσα ἀνόητος: τὸ γὰρ κατὰ τοῦ δυσμενοῦς βλαβερὸν θεωρεῦσα, τὸ ἴδιον συμφέρον οὐ βλέπει: *Contentio omnis imprudens: dum enim in hostis sui noxam intenta est, proprium commodum nõ videt.* Amicitiæ, atq; necessitudines cur non dirimendæ. *Lib. 39.* *De quibus l. 2. Commen.*

XI. Heraclii Ephesii memorabilis, sententia legitur, Perinde atque ad incendium, sic ad injuriam tollendam currendum esse: quòd si prima injuriæ flãma, vel minima, non restinguatur, mox in maximum incendium evasurum, unde *Prob.*

multa postea pœnitenda proveniunt; quod in maximis Monarchiis, proh dolor, experimento videmus,

XII. Plutarchus auctor est, *Scipionem Africanum* non modò non abfuisse ab omni dissidio, & contentione fraternâ, verùm etiam omnia posthabuisse præ fratris honore & progressione. Siquidem subjugatâ Hispaniâ, devicto Hannibale, atque partâ Africâ, nihil se præclarè egisse arbitrabatur, nisi & fratris nomen & gloriam unà crescere videret: cujus quidem adeò fuit cupidus, ut non modò curâ & sollicitudine sua Asię Proconsulatum ipsi impetrârit, sed etiam propria se ambitione spolians satis sibi putârit, si ut gregarius quidam miles eum sequeretur. Verùm, hac animi demissione atque officio id tandem effecit, ut ille stimulis gloriæ agitatus, propriaque virtute ad imitationem ipsius incitatus, præclarum *Asiatici* cognomen sibi exædificârit.

*Xenoph. 2. Memorab.* XIII. Itaque prorsus verè, & significanter Philosophorum ille Princeps SOCRATES dixit, fratres duos vel plures, magis sibi utiles esse, quàm manus utrasq;, quàm oculos, quàm cætera omnia, quæ natura in omnibus gemina esse voluit. Fratres enim, si amici & concordes inter se sint, tametsi longo terrarum spatio inter se distent, nihilominus agere possunt ea, quæ cum utriusque utilitate conjuncta sunt. An non igitur magna fuerit inscitia, magnaque infœlicitas, iis ad detrimentum uti, quæ ad mutuam utilitatem facta sunt?

*Sallust. Bell. Jugurt.* XIV. Animadvertit hoc *Micipsa* Numidiæ Rex, dum morti proximus ad Jugurtham filium natu maximum, ejusque fratres hac oratione usus est: *Non exercitus, neq; thesauri præsidia regni sunt, verùm amici; quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio, & fide parantur: Quis autem amicior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenias, si tuis ipse hostis fueris? Equidem ego vobis Regnum trado; si boni fueritis, firmum; si mali, imbecillum: Nam Concordia, res parvæ crescunt; Discordia, maximæ dilabuntur. Cæterum, ante hos te, ô Jugurtha, qui ætate & sapientia prior es, ne aliter quid eveniat providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur*, ô quàm verè & prudenter dictum!

*Apud Xeno. lib. 7. Cyriad.* XV. Eòdem collineant, quæ à CYRO Persarum ad filios dicuntur: *Si vos fratres*, inquit, *alter in alterum quid injuriæ cogitaveritis, apud omnes fidem, & existimationem amittetis, etenim nemo poterit amplius vobis credere, tametsi magnopere cupiat, si videat illum affici injuria, qui sit sanguinis, & amicitiæ jure conjunctissimus: sui enim ipsius curam gerit, qui fratri prospicit. Nam cui frater potens magis est ornamento quàm fratri? Quem igitur non amare turpius, quàm fratrem? Quemnam pulchrius est honore antevertere, quàm fratrem?* Animosa profectò verba & idonea quæ tali sanguinis vinculo juncti arctiori per hæc vinciantur.

Delatoribus non temerè credendum. Verumenimverò, quoniam bonam dissentionum materiam plerumque magni Aulæ proceres præbere solent, eò intentiùs sibi cavendũ putent Principes, ne

facili

facili & prona aure delationes illorũ excipiant. Nam quo majores ſunt humanarum mentium latebræ, eò magis eos circumſpicere par eſt, ne temerè & ſubleſtis de cauſis neceſſarios, propinquoſque ſuos offendant, etiamſi à fidiſſimis criminentur. Omnia prius experiri ſapientem decet, quàm inimicitias amico denunciet vel animum in vindictam irritet, ob vanam plerumque lividi alicujus accuſationem. Quod Principes ſaltem diſcant MEHEMETI Perſarum Regis exemplo, qui adverſus alterum ex filiis *Abaſſum* nomine, arma ſumpſit, perſuaſus à ſuo Viſiro *Salmaſſo*, qui alterius filii ſocer erat, eum Imperii habenas affectare, titulumque Regis Perſarum jam uſurpare. Quâ re excandeſcens pater verſus Eri oppidum, cùm ingenti militum manu contendit, filium oppugnaturus: qui cauſſam inaudiens exacerbati parentis animi, advocatione impetrata, tandem parenti palam fecit, innocentem ſe, & per fraudem ejuſmodi accuſationes ſibi à *Salmaſſo* fabricatas, quò ille ſibi aliquando rerum arbitrium aſſumeret: quò factum eſt, ut graviſſima in eum exempla, & cruciatus tali calumniâ digni, ederentur. Verùm, de Delationibus commodiùs infrà ſcribam, & finem huic Capiti faciam, dum illud clauſero inſigni Senecæ monito: *Dum inter homines ſumus, colamus humanitatem, non timori cuiquam, non periculo ſimus; detrimenta, injurias, convitia, contumelias, vellicationes contemnamus, ut magno animo brevia feramus incommoda.* Quam ſententiam una & altera voce expreſſerunt ſapientes Græci: ἀνέχου, καὶ ἀπέχου; *Suſtine & abſtine.* Quæ duo verba, inquit *Epictetus* Philoſophus, ſi quis cordi habeat, eaque ſibi imperando, atque obſervando curet, is erit plerumque impeccabilis, vitamque vivet tranquilliſſimam.

Sen. 3. de Ira.

Divinum dictum.

Apud Gellium Noct. at. c. 19

---

## CAPUT XI.

*Quòd ſi fortè inimicitiæ ſuſceptæ fuerint, ac poſt depoſitæ, cautio eſt* ne reconciliatis *quidquam unquam temerè* credatis: *Fides enim reconciliatæ amicitiæ vulgò ſuſpecta, ac proinde infirma haberi ſolet.*

EXperimento nemo non neſcit, rerum omnium odium, iramque tardiſſimè ſeneſcere, juxta tragicum illud verbum:

Θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο, πλὴν
Θανεῖν, θανόντων οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται:
*Senecta nulla obtingit iracundiæ*
*Niſi mors: ſepultos nullus attingit dolor.*

Soph. Oedip.

Quò fit, ut cum quo ſemel inimicitias quis geſſit, difficillìmè poſtea in gratiam redeat. *Multa ſiquidem leviuſcula, ac temerè accidentia in ſuſpicionem rapiet; & in univerſum, omnia ceu conſultò, & in deteriorem partem facta, ad concep-*

Dio. lib 45.

*Herodian. In pertinacis Orat.* *ptum antea odium apponet*: adeò nihil est certius, amicitiam facilius diffui, quàm resarciri. Quoniam quidem, ut ille inquit, *Injuriarum si quæ factæ sunt, semper est memoria: & quidquit offendit, ægrè eximitur, aut obliteratur.* Etiam ex parte offendentis: proprium enim est humani generis odisse, quem læseris.

*Ecclesiast. 12* Quare, etiamsi offendens vel offensus in gratiam rediisse, & obliterata jam offensionum memoria videatur, nihilò magis ei valdè credendum, Sirachide monente: *Non credas inimico tuo in æternum sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius.* Quâ quidem sententiâ, vel potius oraculo monemur, inquit ibi *Seneca.* Jansenius, ut ab eo, qui quōdam inimicus fuit, & jam reconciliatus videtur, caveamus, ne scilicet ei facilè credamus, aut verbis ejus, quibus amicitiam simulat, fidem habeamus, Quod nec dissuasit Philosophus ille: *Nunquam fidelem habeas tibi*, inquit, *quem ex inimico amicum habueris.* Ideòque jure monuit Comicus Græcus:

*Menander.* Λόγον παρ' ἐχθροῦ μὴ πάνθ' ἡγήσῃ φίλον:
*Nulla ab inimico verba crede benevola.*

*Tert. Apolo. adv. gentes.* Atque hæc quidem eò dicuntur, non quò offensarum pristinarum semina retineri velim, absit: (*optimum enim est, desinere injustè odisse*) sed ut ab amico tali sic sibi quis caveat, posse ut iterum fieri inimicum putet. ἀμνηστίαν quidem diffi-*Ecclesia. 28.* dentia junctam probo; non etiam simultatem. Quid enim? *Homo homini reservabit iram, & à Deo quæret medelam?* Ponenda, ponenda simultas, nec odium *Tac. Agric.* recondendum; *quod sævæ cogitationis indicium est.*

*Cic. in Lælio* Enimverò, *apertè odisse, magis ingenuum est*, licet non Christianum, *quàm frōte occultare sententiam.*

*Val. Max. l. 4. cap. 2.* Quantò igitur laudabiliores, qui offensarum omnium immemores, beneficiis certant vincere, quibuscum aliquando injuriis decertarunt? Etenim *speciosius aliquantò injuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odii pertinacia pensantur.*

---

## EXEMPLA.

*Sueton Aug. c. 19. Liv. l. 7* I. DE AUGUSTO & M. ANTONIO legitur, cum variis ex inimicitiis tandem rediissent in gratiam, nunquam tamen caruisse suspicionibus, nec diuturnam fuisse reconciliationem. Sed ignoscendum in caligine illa errorum.

*Stob. in serm* II. Hinc BIAS, videns amicitiam semel læsam difficulter coalescere, dicere solebat, homines in usu talis amicitiæ, ita debere versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias facilè posse converti.

*Xenophon.* III. Quid AGESILAUS Lacedæmoniorum Dux clarissimus? Is simulatq; offensionem alicujus præsentiverat, ab illius amicitia sensim abstinebat, nihilque porrò ei credendum putabat.

IV. AL-

V. ALBERTUS Austriacus (ut veteres omittam) conjugis intercessione rediit in gratiam, cum *Othone* Bavarorum Duce, qui avunculum illius, Comitem de Hairia, graviter offenderat: verùm nec diu stabilis, aut diuturna fuit hæc reconciliatio. Nam Otho non ita multò post, evocatus ad regnum Ungariæ, impetum fecit in Styriam, armata manu inde in Ungariam descensurus.

V. LUDOVICUS XI. Rex Galliæ, & CAROLUS *Burgundus* cognomento Audax, summi hostes tandem post privatam collocutionem, sunt reconciliati, Quia verò Carolus, inquit Cominæus, Ludovicum invitum coëgerat ad societatem belli contra Leodienses, Carolus in magna erat sollicitudine, & metuebat, ne Rex, vel ad hostem transiret, vel priusquam Urbs caperetur, profugeret, aut in ea propinquitate contra se moliretur aliquid. In vicino igitur horreo, quod mediũ erat inter ipsum & Regem, collocat circiter 300. equites, qui pariete effracto, ut minori periculo cùm opus esset, erumperent, diligenter observabant, quid circa Regem ageretur. Ita semper metuebat *Carolus*: ne si rex discederet, bellũ aliquod excitaret. Hinc igitur videre est, quàm infirmæ sint, & lubricæ amicitiæ reconciliatæ: nam, ut alter alteri fidem haberet, fieri non potuit. Hactenus Cominæus. *Cominæus*

VI. Quem dolum illi in animis alebant, hunc factis non ita diu deprehendit, ac penè sensit JACOBUS V. Britanniæ Rex. siquidem occultas funestasque conjurationes, & insidias Comitis de *Guarix*, cujus pater antea damnatus erat crimine læsæ Majestatis, subivit, & quidem ab illo ipso fabricatas, cui Rex commissam parentis hæreditatem restituerat, Apparuit itaque inclusum subitò odium, quod alias suffocari non potuit, quàm alterutrius sanguine, vel osoris, vel invidiosi: at hic mirabiliter servatus fuit illæsus, ut solent plerunque occulto Dei judicio è mediis periculis eripi Principes, ut alicubi exemplis ostendi. *Anno 1600. Augusti. 5.*

VII. Ab insulis Britanniæ Galliam petamus. HENRICUS Dux venerat in offensionẽ *Henrici Gallorũ* Regis: cui etsi apud Carnutes præsente Regina matre multisq; Principibus esset reconciliatus, omniumq; rerũ præcedentium ἀμνηστίαν Rex promulgari jussisset, Regi tamen, tanquã inimico suo reconciliato, non confidebat, nec ad Comitia Blesensia à Rege indicta accedebat nec fefellit eũ sua ista diffidẽtia: nã persuasus tandẽ ut veniret, Regis expertus est reipsa malevolẽtiã. Ecce, quàm jure liceat cum M. Tullio exclamare: *Vide quàm sit varia vitæ commutabilisq; ratio, quàm vaga volubilisq; fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ timiditates*! ô voces hac tempestate meritò usurpandas! Sed profectò pejores sumus ipsis paganis, quos scimus, verè & non fictè, nec simulatè coluisse amicitias reconciliatas: ut testis esse potest ille idem M. TULLIUS quem constat *A. Gabinium repetundarum reum summo studio defendisse, qui alioqui eum in Consulatu suo Urbe expulerat*. An nõ etiam *P. Vatiniũ dignitati suæ semper infestum, duobus judiciis tutatus est?* Quid de P. SCIPIONE dicam? qui non contetus cum *Tiberio Graccho* in veterem gratiam redire, nisi filiam virginem ei desponderet, veluti certissimum pignus veræ reconciliationis. *Ex Mercur. Gallobelg.* *Pro Milone.* Aperto pectore injurias esse remittendas. *Val. Max. li. 4. cap 2.* *A. Gellius 12. cap. 8.*

Denique

Indidem. Denique ÆMILIUS, LEPIDUS, & FULVIUS FLACCUS, *odio inter sese gravi, & simultate diutinâ conflictati sunt; at ubi à populo Censores renuntiati sunt, protinus in campo, concione necdum dimissa, ultro uterq; & pari voluntate conjuncti, complexiq; sunt, exq; eo die, & in ipsa Censura, & postea, jugi concordiâ fidissimè, amicissimeq; vixerunt.*

In Offic. VIII. E sacris petenda exempla S. Ambrosii penecillo delineata primùm sit MOYSIS. *Quantus*, inquit, *Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cùm Dominus insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret. Quem miti sermone post injurias appellabat populum solabatur in laboribus, delinibat oraculis, fovebat operibus, & gratâ appellatione affari solebat?*

Indidem. IX. Quid ejus imitator S. *David*, electus ex omnibus ad plebem regendã, quàm mitis, & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu; Ante regnum se pro omnibus offerebat. Rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem, fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio, ferre magis promptus, quàm referre injurias. Ideò tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam invitus peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus. Ita sibi gratus officiis plebem obligaverat.

In ca. 7. Enchrid. Epict. Quare cum Simplicio Philosopho eruditissimo concludam: *Quoniam fieri nõ potest, quin homines aliquando delinquamus, & alii alios offendamus: amicitiæ institutum totis viribus est tuendum, delictumq; leniter castigandum, ut verè aureo illi præcepto pareatur.*

*Crimen ob exiguum tibi ne fiat hostis amicus*
*Quòd liceat.*

*Et reditus in gratiam firmus, & fidelis, tam verbis, quàm reipsa declarandus: ne peccati conscientia, ei qui peccavit, de reliquo suspectam habeat amicitiam, non credenti eum qui offensus sit, eandem retinere voluntatem.* Atque hactenus de Ira, & Dissidio in amicitia fugiendo.

---

## CAPUT XII.

*Transgredior ad alterum Affectum,* Libidinem: *quæ enixè quoq; Principi vitanda.*

DIfficulter ira vincitur, difficulter dissensiones in amicitia vitantur, multò difficilius innata Libido, & Veneris intemperantia: Ira enim suaviloquio quãdoq; frangitur; libido verò, magis magisq; accẽditur: illa mentẽ momentò perturbat; hæc ætatem nonnunquam excæcat, illa speciosa animi labes est;

est; hæc turpis, & inhonesta. Quid enim terrius hoc vitio, quo corporis simul, & animi vires tantùm non perduntur, aut certè hebetantur, & obtunduntur? Namque sopita omni virtute, in infamiam conversi, cœcitate & amentia puniuntur, qui eo contaminantur; adeò, ut in consiliis, deliberationibusque ἄψυχοι, atque obcœcati, non mediocres sibi Reique publicæ clades procurent. *Graves enim Dominæ*, ait Suadæ filius, *cogitationum libidines, infinita quædam cogunt, atq; imperant, quæ quia expleri, atq; satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.* Cic.6.de Repub.

Neque id quidem mirum:

Nam *animo per libidines corrupto, nihil honestum cernitur inesse.* Prorsus ex vero Terentius: *Vbi animus se cupiditate devinxit mala, necesse est consilia consequi consimilia.* Tac.11.Ann Heaut.

Itaque, Dieg. Sophocles.

*Illa est omnium malorum origo:*
*Est Orcus: illa ferrea est necessitas,*
*Furensq; rabies.* Prop.Eleg.1.

*Hoc moneo vitate malum:* Sene.Octav. act.1.

Vos præsertim, qui adolescentiæ cupiditatibus circumsepti estis:

Ecce,

*Juvenilis ardor impetu primo furit.* Id. act.2.
*———juventa gignitur, luxu, otio*
*Nutritur, inter læta fortunæ bona.* Clau.4.Hõ.
*———Tunc vivere castè*
*Asperius, cùm prompta Venus.*

At vos, qui colla connubii capistro subjecistis, eadem thori, ac regni socia contenti estote, alteriusque prolubium vitate:

———ἐπεὶ ὅστις ἀγαθὸς, καὶ ἐχέφρων
Τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται: Hom. Ilia.1.

*———Nam quisquis bonus & prudens,*
*Suam ipsius curat, & amat.*

Neque tamen, ut uxorius ille Cæsar, qui conjugum amoribus ita se dedidit, & addixit, ut *non Principem se, sed ministrum egerit. Harum enim studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates largitus est: & quidem insciens plerumque & ignarus.* Claudius Sueton.c.29

Adeò verùm est, quod Historicus ille Græcus, inquit: Τῶν δὲ σωμάτων θηλυμομένων, καὶ ἄψυχοι πολὺ ἀῤῥωστότεραι γίγνονται: *Corporibus effœminatis, animi multò languidiores efficiuntur, & infirmiores*, imò etiam sequiores cùm *corruptos sæpè pravitatibus uxorum maritos videamus,* Xenop. Oec. Tac.3.Ann.

Vt profectò nihil intersit, teste Aristotele, *utrùm fœminæ, an qui gubernant, gubernentur à fœminis,* 2.Polit.c.7.

Tac.3.Ann. Itaque, amandum quidem, sed mollitudini non indulgendum: cum par esse cœperit, superior efficietur: *Non imbecillis tantùm, & impar laboribus hic sexus, sed si licentia adsit, sævus, ambitiosus potestatis avidus.*

Lib.1.c.14. de pœnitent. Nuptis & innuptis Ambrosii veriloquium congruit: *Libido gravis ignis est & ideò non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur delitiis, vino accenditur, ebrietate flammatur. Vinum enim & adolescentia duplex incendium est voluptatis.*

Clau.in Entrop. Hinc illud Poëtæ;

*——— ——— Omne futurum*
*Despicitur, suadentq; brevem præsentia fructum,*
*Et ruit in vetitum damni secura libido.*

---

## EXEMPLA.

Iustinus. Libidinis incommoda exēplis ostendūtur. I. SEMIRAMIS, eò libidinis vidua cùm esset, processit, ut quos è militibus robore, & formâ præstantissimos cerneret, in sui usuram sevocaret, paulò post perdendos (en aliud ex alio malum) ne stupri consuetudo aliis innotesceret.

Indidem. II. EADEM, eodem percita Veneris œstro, filio, quod maternum gremium incestare recusasset, violentas manus intulit; fidem hoc pacto Poëtæ faciens canenti:

*Sævus amor docuit natorum sanguine matrem*
*Commaculare manus.*

Plut.& At. III. Quid THEMISTOCLES, postquam amoris illecebris pellectus fuit, mente adeò fuit alienata, ut à mulieribus nudis in forum passus sit se produci, postea verò transfuga, & perduellis factus, mortem sibi ipse conscivit.

Fr.Patrit.4 de Regno. IV. ASSYRIORUM REGES, nunquid jure optimo ludibrio, contemptuique habiti sunt, quòd Nini junioris exemplo responsa omnibus per internuncios darent, & segni otio in fœminarum turba senescerent, quasi nihil fœlicius putarent, quàm in scortorum grege desidere?

2.Sam.11. 1.Reg.12. V. In Regibus Hebræis, nonne DAVID commisso adulterio in aliam cœcitatem incidit, cædem Uriæ? sed ejus lachrymæ utrumque peccatum expiarunt.

c.Reg.11. VI. Quid ejus filius SALOMON, vir talis ac tantus? an non ab indomita, & prohibita libidine in Idololatriam prolabitur?

2.Reg.17 13 Tob.3. Daniel.13. Iud.16. VII. Deniq;, ut paucis multa complectar, nūquid eandem ob causam *Amnon* à Fratre *Absalon* interfectus? Saræ *septem mariti* occisi? *impudici senes* Susannæ subsessores lapidati? & SAMPSON, inclytus hostium victor, tandem & ipse victus, & occœcatus?

VIII. Ac ut ad profanos redeam, XERXES dum fratris uxorem familiamque nefandâ

nefandâ libidine incæstat, fratremque trucidat, turpiter ab Artabano patruo interficitur.

IX. Apud Romanos: En M. ANTONIUS, qui ut amore Cleopatræ exarsit, nihil postea laude, nec se ipso dignum præstitit, quin attrita virtute in imprudentiam, atque deterrima quæq; prolapsus est. *Ejus animus* (inquit Plutarchus) *ut in corpore amicæ viveret, in ipso moriebatur. Et quanquam dimidium Imperii administrandum haberet, & infinita negocia, nullis tamen vacare poterat, nec legatos audire, nec hostium conatus animadvertere, nec res ad bellum necessarias præparare, nec suis periculis prospicere, nec amicorum, & sociorum amicitiam fovere. Quid quæris, nihil animo ipsius obversabatur honesti; nihil inquam præter Dominam: quæ mentem ejus adeò captivam detinebat, ut ne per horam quidem liberam ad munia publica referre posset. Itaq; hac remissione animi, ac mollitie vincitur, & plus tertiam orbis partem amittit, atq; ad extremum vim sibi infert, malè conscius insanæ turpitudinis suæ.* *Plutar.*

X. Verùm, CATILINÆ libido, tam scelesta, quàm divinitùs vindicata nobis est memoranda. Is usque adeò *Aureliæ Orestillæ* amore correptus fuit, ut filium suum, quem & unicum, & jam puberem habebat, veneno sustulerit; quòd is impedimento esset, quò minus illa secum matrimonio jungeretur. Interea quas nefariæ libidinis & parricidii pœnas dederit, abundè docent Historiarum monumenta. *Sallust. Cat. Val. Max. 9. c. 1.*

XI. Boni Principes nedum à se vitium istud averruncant sed etiam à suis familiaribus omni conatu depellunt. Nam JULIUS ipse Cæsar, cujus alioqui juventa variorum dedecorum infamiam subiit, teste Suetonio, Pompejam uxorem, quod sinistro laboraret rumore incontinentiæ conjugalis, quasi cùm Clodio familiariùs egisset, repudiavit.

Quid multis opus est? obvia sint ejuscemodi exempla, quibus perspicuè docetur, nihil sancti, nihil honesti, atque moderati inesse animo semel per libidines corrupto. Ipsum quod attentè cōsiderarunt meliores quædam Ethnicorum mētes, quos constat ab intemperantia, animique mollitie nihilo secius sibi cavisse, quàm à letiferis quibusdam scopulis, ad quos maximum fieri solet famæ, conscientiæ, honorisque naufragium.

I. Testis est SPURINA Romanus, miræ adolescens pulchritudinis, *qui cum eximia specie* (verba Valerii) *complurium fœminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris, ac parentibus earum se suspectum sentiret; oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit.* Mirum profectò castæ mentis argumentum, & in Christianis tantùm non inauditum! Ubi illi, qui tantum abest, ut libidinum incitamenta vitent, quin formæ lenocinia quærunt, quibus incautas infirmi sexus mentes ad sese pelliciant? Ubi illi, qui plus operæ, & temporis insumunt appellādis stupri caussa virginibus, quàm operosis Reip. negotiis expediendis. Sed quid dico? Admiranda pudicitiæ exempla. *Lib. 4. c. 5.*

D. Amb. epi. ad Simplic.

dico, quos alloquor? quosdam Christianos appello, quorum vita, ut certè omniũ, licet proclivior sit ad casum, haud tamen verum est debere illam insordescere volutabris vitiorum. Homines sumus scio, & quibus peccare ex facili est: at peccandi modum non ponere, nequaquam certè hominis est. *Nihil peccare*, ait Vir divinus, *solius est Dei, emendare Sapientis, & corrigere erratum*. Lapsi resurgant, nec libidinis cœno hæreant, ne alioqui, quod Syrachides inquit, ejusmodi probrum, *sit in gaudium inimicis*. SAMPSON, multis ante victoriis inclytus, postquã animum suum explevisset amoribus *Dalilæ*, ludibrium factus est Philisthæis, & sibi ipsi exinde exitium. Armis quidem hostes vicerat, at vitiis ad extremum victus est. *Nobis* itaque *militandum est*, inquit Seneca Philosophus Ethnicus, *& quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ, inquam, sunt voluptates: quæ ut vides, sæva quoq; ad se ingenia rapuerunt.* Sed quid? audiuntur potius hodie à multis voces adulatorum, quàm Philosophorum adeoque Dei ac ejus Sanctorum documenta. *Proh nefas*, inquit D. Chrysostomus, *præceptum Domini contemnitur, & persuasio serpentis auditur: despicitur Deus providens, & serpens auditur decipiens: aspernuntur salutaria monita, & recipiuntur venenata colloquia.* Voces has ac consimiles pronis non dubiè auribus excepit B. Ludovicus Gonzaga Religiosus Societatis JESU, qui licet in Aula Philippi II. Hispaniarum Regis aliquam multis annis agitaret, fuissetque ab ephœbis honoratus filio Regis, tam puram nihilo secus hoc ipso tempore traduxit vitam ut haud ullã præbuerit absolutionis alicujus vel minimæ incontinentiæ materiã.

Ecclesiast. 18

Iudic. 16.

Epist. 51.

Serm. de lapsis hominib

Atqui ridebunt hæc monita, Macchiavellistæ quidam Athei: irrideant jam licet; tum non licebit, cùm sentient non jacere se, quo non nata jacent. Curvas quasdam Consiliariorum mentes alloquor, quorum adeò projecta est adulatio, & malesuada ambitio, ut illud unum Principibus suggerant: *Si libet, licet.*

Remedia adversus intemperantiam.

Verùm, ut omissis subdolis istis linguis, redeat sermo vnde digressus est, ad Principes Christianos me converto, qui non difficulter istius vitii illecebram vitabunt, si *primùm* Deum semper præsentem præter oculos habeant. Nam si ad metum delinquendi valet gravis alicujus viri præsentia, quantò magis justæ vindictæ Dei? Atqui *nihil Deo clausum est: imò interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* ——— *cujus conspectum* (inquit Philo Judæus) *& reverẽtiam si non reveremur, certè invictam potentiam & Iustitiam, ac severitatem inevitabilem vitare debemus, aut nos à maleficio continere: reputantes quàm graviter aliquando animadvertere soleat in eos, qui præsentiam ejus nec severitatem reformidant.* Quare *Thales Milesius*, qui inter septem sapientissimus fuit, meritò dicebat homines existimare oportere, Deos õnia cernere, Deorũ omnia esse plena: fore enim oẽs longè castiores. Idéq; sentit magnus ille Doct. Aug. dũ ait, *Deus timẽdus est in publico, ipso in secreto. Procedis? videris: intras? videris. Lucerna extincta est? videt te: lucerna ardet? videt te: in cubile intras? videt te: in corde quid versaris, videt te. Ipsũ ergò time illũ, cui cura est ut videat, & vel timẽdo, castus esto.*

Sen. epist. 83.

De Gigant.

Cic. lib. 2. de legib.

D. Augu. de ver. Dom. in Ioan. ser. 46.

Secun-

Secundum est fuga: Audi illum antiquum: *Lucretius.*

*Sed fugitare decet simulachra, & pabula amoris*
*Abstergere sibi, atq; alio convertere mentem:*
*Vlcus enim vivescit, & inveterascit alendo:*
*Inq; dies gliscit furor, atq; ærumna gravescit.*

*Tertium* & affine remedium, ut vesanæ libidinis materia subtrahatur. Vis exstinguere, inquit Helinandus, libidinem? amove ligna de igne, si stridet incendiũ:

*Substrahe ligna foco, si vis exstinguere flammam.*

Ligna verò non pauca sunt, quæ his versibus complectitur eruditiss. ille P. Delrio Soc. Jesu. *Lib. 3. Disq. Magi. p. 1. q. sect. 2. 10. 2.*

*Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,*
*Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.*

Vel ut pari brevitate ac pietate antidota incontinentiæ expressit R. P. Drexelius ejusdem Societatis, id est, ingeniorum Theologus: *Nicet. l. 2. cap. 11.*

*Lectio, flagra, preces, confessio, lympha, labores,*
*Portarum excubiæ, Christi præsentia, pœnæ.*

Quæ singula disertè, piè, doctè uterque explicat, quæ videantur, si otium sit pio lectori. Equidem nullum video præsentius antidotum, quàm *Fuga.* Ut Parthi averso corpore hostes fœliciter oppugnant, sic non alia magis ratione vinci volaticum hoc gaudium ejusve illecebra potest, quàm citâ fugâ. *portarum excubiæ,* oculi sunt, de quibus (D. August. 10. Confess. c. 34.) *Resisto,* inquit, *seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei quibus ingredior viam tuam; & erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos.* Insistamus exemplis, quæ nos dent in salutarem pudorem Ethnicorum.

II. *Cyri* Persarum Regis memoratur vox magnifica, & tali Rege digna: Ut qui ignem, inquit, tangit, haud fieri potest quin statim uratur: ita qui scitæ pulchritudinis mulierem inconnivis, & intentis oculis conspicit, vix est, ut non statim amore illius ardeat, & à recta sanaque mente abripiatur. Nec enim nescius sum, inquit, quæ pœnitenda hominibus, etiam iis qui prudentia præcellebant, acciderint. Ipse etiam in me ipso animadverti, ita continentem me non esse, ut si mulieribus forma conspicua adsim, nihili eas faciam. Quare non mirum à formosis, utpote re inexpugnabili, hominem in conversatione vinci. His consonant, quæ in Sacris à Syrachide scripta: *Propter speciem,* inquit, *& colloquium mulieris multi perierunt, ex hoc enim concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Itaque *in medio mulierum noli commorari: ut enim de vestimentis procedit tinea, sic à muliere iniquitas viri.* *Xenoph. li. 5. Pæd. Cyr.* *Eccl. 9 & 42.*

III. Egregium est ALEXANDRI MAGNI Apophthegma. Is cùm invitaretur, ut Darii filias inviseret, quæ prædicabantur esse admirabili formâ, recusavit ire dicens, *sibi non committendum, ut cùm viros vicisset, à mulieribus vinceretur.* *Ex Plut.*

Q. Curt. IV. Idem dicebat, puellas Persicas dolores esse oculorum, verum se illas tanquã statuas præterire. Non Ethnici, sed Christiani, & quidem Deum timentis, voces.

Plutar. V. Nec jactantis esse credite: factum audite. Cùm puella eximiâ specie nocte jam concubia venisset, cum eo dormitura, cogitavit Rex, cur tam serò venisset? Illa cùm respondisset se exspectasse, donec maritus cubitum isset; *Alexander* ministros accitos acriter objurgavit, quòd aditum dedissent, *Reducite*, inquiens: *hanc, ne adulterii ansam mihi præbeatis.* Facem illicò amovit inclytus Princeps, quâ semel accensus, certò proruisset in probrum? Itaque

*Sacer est ignis, credite læsis,*
Senec. *Nimiumq; potens.*

In 1. Reg. 15. Verè *ignis*. Nam ut D. Gregorius inquit, *more ignis libido succenditur; adjacens* De Virg. velan. *stipula velociter inflammatur.* acutè Tertull. *Tales oculi volent virginem videre, quales habet virgo, quæ videri volet.*

Polyb. l. 10. Florus 2. c. 6 VI. Non absimile illud *Scipionis* Romani, qui cùm Hispanicam Carthaginem armis cœpisset, captivas puellas præcipuæ pulchritudinis barbaris restituit, *nec in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis, videretur.* O magnam Ducis Ethnici continentiam! quâ non dubiè factum, ut tota illa Hispaniæ Provincia minus Romanis tùm domita, sine sanguine, lubensque volensque dederetur.

Cõtinentia in Nuptis. VII. Verùm hæc castitas in innuptis apparuit: quænam in maritali conjugio? *Lælium* Scipionis amicum scribunt, nullo veneris congressu; nisi propriæ uxoris Plutar. usum in omni vita unquam fuisse: quod sane quàm rarum in Aulis Principum Ethnicorum. Nam

*Jura, pudorq;*
*Et conjugiis sacrata fides*
*Fugiunt Aulas.*

Gregoras. VIII. Inter Christianos legimus BALDUINUM Byzantii Imperatorem ætatis licet 32. annorum, usque adeò continentem fuisse, ut quamdiu à conjuge aberat, (ita scribit Nicetas) ne libidinoso aspectu mulierem intueretur. Vacabat enim divinis laudibus, necessitatibus afflictos sublevabat, suæ sententię adversantes æquo animo audiebat: & quod maximum est, *bis qualibet septimana vesperi proclamari jubebat, ne quis in suo Palatio dormiret, qui alienam mulierem attigisset.* Imitamini, ô Principes, & manebit vos idem bravium, quod illi jam obtigit, supernæ vocationis Dei.

De quo G. fach. 1. de or. Mag. & dig. Gall. c. 14. IX. Sed & primi *Gallorum Reges* castimoniæ etiam laudem maximè assecuti sunt. Nam, quò regiam suam ab omni impuritate integram servarent, Præfectum quendam Palatii constituerunt, cui id muneris erat, sub vesperam face accensâ investigare, & perscrutari omnes aulæ angulos, & ocyus exigere, si quos, quasvè meretricium, vel lenocinium facientes deprehendisset: is autem *Le Roy des Ribaux* nuncupabatur.

Sed

Sed enim vana isthæc, & irrita omnia dixerim, nisi Princeps ipse suis vitæ integritate castimoniaque præluceat. *Siquidem nisi ipse* (inquiebat ad filium Imp. Basilius) *pudicitiam servaveris, qua fronte eos, qui tuæ dominationi subjecti sunt, ad eam servandam cohortaberis? nam quæ facientem te viderint, eadem quoque permitti sibi facere interpretabuntur. Solent enim ad exemplum Principis mutari subjecti.* Robur huic monito dabit exemplum *Valentiniani*, de quo sic Ammianus: *Omni pudicitiæ cultu domi castus, & foris, nullo contagio conscientiæ violatus obscenæ, nihil incestum. Hancque ob caussam, tanquam retinaculis petulantiam frænarat aulæ regalis: quod custodire facilè potuit;* exemplo nimirum suo, quod novum utique fuit adulatoribus circumsepto.

*Cap.19.Mō.*

*Lib.30.*

X. Verùm, rari Dynastæ hoc ipso nostro ævo quibus non nævi aliqui libidinis intur tot libidinum ministros. At, quibus non libet, proh pudor, esse castis, caveant saltem, ne propalam reseratis flagitii foribus peccent, qua in re bene cautus fuit *Carolus V.* Imp. qui licet ante matrimonium Margarethā suscepisset (quæ Alexandro Medicæo primùm, deinde Octavio Farnesio Parmensium Duci nupsit) post verò uxoris obitum Joannem Austriacum ex fœmina Ratisponensi procreasset, tamen tanta verecundia usus est, ut nisi à penitissimis matris Margarethæ nomen ignoraretur. De Joanne verò nunquam nisi paucis ante mortem diebus locutus sit, cùm eum per amicos Philippo filio commendavit; memorabili inprimis Principibus documēto, quorum vita suis pro exemplo est, ut si quid peccent, clam, & in occulto peccent, etsi quomodo in occulto illius,

Quidam, si non castè, at cautè.

*V. Thuan. l.14. Hist.*

*Quem, quia respicit omnia solus*
*Verùm possis dicere Solem?*

*Boët. 2. de Cruſ. Philo.*

Addidi porrò in textu, Principem hactenus uni suæ uxori addictum esse debere, ut ejus Imperiis obnoxius non propterea reddatur, ut in Claudio Cæsare ostendimus, & annotarunt in *Demetrio* Rege Diod. Siculus, & in *Sfortia* P. Jovius, qui scribit illum adeo uxorium fuisse, ut uxorem gravioribus consiliis interesse pateretur, Præturas demandare, capitalium civiliumq; rerum Judicibus dominari, sibi denique imperitare.

Affectus maritalis esto moderatus.

*Lib. 1.*

Idem in ALEX. SEVERO, at de matre, scribit Herodianus, quem nimio opere matri deditum fuisse ait verbis his: Quippe illi mater *supra modum imperabat: atque is dicto semper audiens fuit. Idque aliquis solum in Alexandro reprehenderit, quòd mansuetudine nimia, & reverentia majore, quàm oportuit, matri etiam in iis quæ displicebant, obsequeretur.* Et alibi ALEXANDER *ipse*, inquit, *ad prælium cum Partho non venit; incertum, metune proprio, an quia mater retinuerit, fœmineo pudore. Omnes enim illius generosos spiritus retundebat, suadens, alios potiùs periclitari pro se sineret, quàm ut ipse in acie consisteret.*

Non ita obsequens MAHUMETES Turcarum Imperator. Nam, cùm à quadā sua pellice, quàm in oculis mirè ferebat, multis precibus & lachrymis rogatus esset, ne belli periculis sese objiceret, tantùm abest ut molli mulieris cōsilio acquiescere,

Laza. Sorã. in Ottom. sceret, quin eo graviter offensus, propriâ manu pellicem necârit, credens eo consilio Imperii Turcici stabilitatem, & firmamentum in dubium vocari.

Talia fœminarum consilia: sed pro eo sexu, mollia, & interdum perniciosa. Itaque affectus iste ad consiliorum communicationem non protendendus. Si facis; orationi succumbis: quoniam Cornix nocturna, ut est in proverbio, quovis Oratore disertior. Benè tibi, & abundè illi erit, si consistat intra fines Oeconomiæ: Ἀνδρὸς γὰρ ἀρετὴ πόλιν εὖ διοικεῖν, γυναικὸς οἰκίαν: Viri enim virtus administrare Rempublicam, mulieri familiam. Pato. Meno.

---

## CAPUT XIII.

### Effusio *Libidini proxima.*

GRande profectò vitium, & imperanti sanequàm damnosum. Dissolvit enim, & obligurit facultates, & opes; nihil ratione metitur; novis deliciarũ illecebris capitur, effrenatis cupiditatibus incenditur; denique nullis honesti, ac moderationis habenis retinetur: ut hîc vera sit illa Timothei in Aristophontem sententia: *Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe.* Cedo, quis nesciat effusionem, rapinas, has verò extremam tyrannidem sequi? *Cùm enim dando egere cœperint, alienis bonis manum inferre coguntur: nec tanta studia assequentur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerint.* Ælian 14. cap. 3. Cic. 2. de Off.

Quare effusiones magna cura vitabit. Plin. Paneg.

*Assuescat Imperator cum Imperio calculum ponere.*

*Assuescat, non plus Imperio imperare, quàm ferre possit.*

*Vt enim fœlicitatis est, quantum velis posse; sic magnitudinis, velle quantum possis.*

Certè, *falluntur, quibus luxuria, specie liberalitatis imponit.* Contrà, prædicantur, qui eâ mensura facultates suas fundunt, ut non debeant postea lacunam eò factam, pecunia subditorum explere. Talis Theodoricus Gothorum Rex, qui de seipso apud Cassiodorum: *Munificentiam nostram nulli volumus exstare damnosam: ne quod alteri tribuitur, alterius dispendiis applicetur.* Laudatur itaque Parsimonia, quæ est *scientia vitandi sumptus supervacuos, sive ars re familiari moderatè utendi.* Tacit. 1. Hist. 7. Var. epist. 17. Senec. 3. de Benef. c. 14.

## EXEMPLA.

I. QUorum classem nobis ducat Regum opulentissimus XERXES, qui *opum regiarum ostentatione eximiâ, eò usque luxuriâ gaudebat, ut edicto præmium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset.* At ille dum deliciis, & profusione delectatur, amplissimo Regno ruinam dedit. *Val. Max. 9. cap. 1. Cic. 5. Tuscul.*

II. Apud Romanos, NERO Imperator adeò perditæ fuit luxuriæ, vt vestem eandem nunquam bis indueret, epulas è medio die ad mediam noctem protraheret, lectis solido auro factis uteretur, & cùm laxare vel remittere animum vellet, aureo rete, purpurâ, coccoque funibus nexis piscaretur. magnus nempe luxus: nec mirandus in eo, qui *diuitiarum* (verba Suetonij) *& pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret; prælautos, vereque magnanimos, qui abuterentur, ac perderent.* Gregario militi in donativum numerari centies iussit HS. id est nostrâ monetâ ducenta quinquaginta coronatorum millia. Sed exitum notare. Ut jam fuit exhaustus & egens, ad rapinas & extorsiones animum adjecit, nulli parcens nec hominum, nec Deorum. Namque *Templis compluribus dona detraxit, simulacraq; ex auro, vel argento fabricata, conflavit.* Qui luxus posteà in causa fuit, ut hostis à Senatu judicaretur, & tandem, ut par erat, ab omnibus destitueretur. *Ex Sueton. c. 30. & seq.*

III. De CALIGULA Sueto. *Immensas*, inquit, *opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies HS. id est* nostrate moneta plusquam 50. milliones *vertente anno absumpsit. Exhaustus igitur atque egens ad rapinas convertit animum, vario atque exquisitissimo calumniarum atque auctionum genere.*

IV. Quid in DOMITIANO eloquar? *ubi varius operum, ac munerum impensis exhaustus fuit* (inquit idem Tranquillus) *nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo bona viuorum, & mortuorum usquequaque, quolibet & accusatore, & crimine corripiebantur. Satis erat objici qualecunque factum dictumq; adversum majestatem Principis,* &c. *Idem c. 12.*

V. VITELLIANA ingluvies quàm Reipublicæ noxia fuerit, collige ex his Taciti verbis: *Epularum fœda, & inexplebilis libido: Ex Vrbe atque Italia, irritamenta gulæ vectabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus.* Exhausti *conuiuiorum apparatibus Principes Ciuitatum. Vastabantur ipsæ Ciuitates, degenerabat à labore ac virtute miles, assuetudine voluptatum, & contemptu Ducis.* *Lib. 1. annal.*

VI. Quid GALLIENVS? qui *cùm Imperium à triginta hostium, & tyrannorum exercitibus oppugnaretur si quando ex temulentia evigilasset: quærere solebat: Et quid habemus in prandio? Et quæ voluptates paratæ sunt? Et qualis cras erit cœ-* *Treb. Pollio.*

*na? quales Circenses?* Vide curam stulti Imperatoris jam ad extremas angustias redacti, sic enim loquitur apud Treb. *Ac ne ejus prætereatur miseranda solertia, veris tempore cubicula de rosis fecit. De pomis castella composuit. Vvas triennio servavit. Hyeme summa Melones exhibuit. Mustum quemadmodum toto anno haberetur docuit. Ficus virides, & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit.*

VII. Sanusne HELIOGABALUS? de quo sic Ælius Lampridius: *Fertur in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse. Nam pro tam furiosa prodigalitate memoratu dignum non est, narrare sexcenta in una cœna struthionum cerebella. Natationes piscinis vino plenis. Summa, olim luxuria fuit navales Circenses dedisse; Hìc vino Euripos navigabiles facit. Vnde verò tanta infamia? Cum Pescennio ita transegerat, ut ille Imperio, ipse verò Heliogabalus voluptatibus vacaret.*

*Athenæ.12.* VIII. Superioribus sæculis ARBACES regnum invasit Asiæ, & transtulit in Medos, causamq; ei præbuisse scribunt, nimias SARDANAPALI delicias ultimi Regis.

*Pet. Thol. 22 de Rep. ex Gag. & Egi.* IX. Quâ occasione usus est CAROLUS MARTELLUS in occupatione Regni Franciæ, Regibus videlicet tunc in delitiis viventibus, & negotia regni per *Majorem domus* gerentibus, qui Morvingorum familiam tunc sceptro dejecerunt.

*Gaguin. l. 7.* X. Itaque D. LUDOVICUS, sapientia, si non ætate prior, animadvertens quantas immoderatus hic luxus, & Principi, & Reipub. procuraret calamitates, filium jam moriens hortabatur, ut suscepta mox administratione, domesticæ impensæ curam sedulò adhiberet, eamque rationis lege moderaretur.

*Val. Max. 4 cap. 3.* XI. Enimverò, nulla alia est causa, quamobrem tot tantisque Respublica quatiatur cladibus, quàm luxuria & prodigentia, quæ ubi in Republica dominantur, non dubiè omnem illius statum subvertunt, atque depopulantur. Exemplo sint ATHENÆ & ROMA. *Nam quæ urbs voluptati plurimum tribuit, Imperium maximum amisit; quæ labore delectata est, occupavit: Et illa libertatem tueri non valuit, hæc etiam donare potuit.* Unde & Aristoteles plures Reges ac Principes periisse scribit, quòd in voluptatibus viventes facti essent contemptui, multasque præberent occasiones opprimendi se.

CAPUT

## CAPUT XIV.

### Moderationem *itaq; sibi præscribat Princeps, imprimisq;* circa convivia.

INcredibile enim dictu, quantum animi subditorum abalienentur, cùm Principem suum vident nepotinis conviviorum sumptibus fisco abutentem ac publicum postputantem commodum præ luxu & abdomine suo, Ecquid mirũ? si quam conferunt pecuniam in subsidium Reipub. in pompam, deliciasq; egestatem mox parituras, converti videant: præsertim, cum sciant omnes, *commodatis à Deo facultatibus Principes uti, & quasi precariò possessores esse.* *Salvian. ad Eccl. cath.*

Prudentes, quorum victus talis est, ut *opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus sit.* Quod quidem ut est pulcherrimum in Principe, sic etiam rarissimum: *Gentes enim facilius est, barbaras impatientesq; alieni arbitrii regere, quàm animum suum continere, & tradere sibi,* nempe quia *deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus: opinionibus, maloq; more delinitum mollivimus.* Imò verò, id quod deterius est, *vivimus ad exempla nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur.* Providendum itaque *ne luxus mensæ, profusis sumptibus exerceatur* in quo non pauci, sed serò decipiuntur. *Capitol. in M. Anton. Senec. 5. de Benef. Cic. 5. Tusc. Senec. epist. 124. Tac. 3. Ann.*

*Assuescamus, à nobis removere pompam, & usu rerum, ornamenta metiri.* Meminerit Princeps Alcmenis sententiæ apud Plutarchum: *Decere eum, qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine vivere.* Et Marii Sallustiani: *Munditias mulieribus, viris laborem convenire.* *Id. de tranq. In Lacon. Iugurth.*

*Fugiat epularum fœdam, & inexplebilem libidinem.* *Taci. 2 Hist.*

Fugiat ebrietatem, *quæ inducit oblivionem rerum agendarum.* *Xeno. Oecõ.*

Tollat etiam obscœnitatem: *Neq; enim obscœna petulantia mensis Principũ oberrare debet: sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorũ honor.* ——— Itaque *oportet versari in convivio sermones ut castitate integros, ita appetibiles venustate.* *Plin. Paneg. Macrob. 1. Satur. cap. 1.*

Denique, vel umbræ dissidiorum, quæ lubentiis conviviorum officere solent, tollendæ. Nam *ut in omni vitæ genere, ita præcipuè in lætitia convivali omne quod videtur absonum, in unam concordiam soni, salva innocentia redigendum est.* *Macrob. 7. Saturn. c. 1.*

Memor illius August. *Assumit* enim quandoque *ebrius inter pocula injusta certamina,* *Ad Sacr. Virgines.*

Itaque, in conviviis pellantur convitia.

## EXEMPLA, & MONITA.

Senec. de Conſ. ad Heluiam. Suet.c.56. 58. Cap. 37. Dio lib.59.

I. QUis exitus C. CALIGULÆ, *quem centies ſeſtertio* (hoc eſt ducentis quinquaginta millibus Philippicorum, ſive Ducatorum Ital.) *cœnaviſſe uno die* legimus? nonne bacchantem illum, atque laſcivientem familiares ad mortem compulerunt? Sed quid gulæ fuerit hominis, audite: *Commentus portentiſſima genera ciborum, atque cœnarum: unguentis calidis, frigidisque lavabatur; precioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorbebat: convivis ex auro panes, & obſonia apponebat*, &c. Ut non mirū ſit, ſi triennii ſpatio vicies ter millies ſeſtertium conſumpſerit, poſteaq; ad incredibiles rapinas animum converterit.

Lamprid. & Alex. ab Al. Genial. dier. 5.c.21.

II. Huius æmulator. ANT. HELIOGABALVS, cuius tanta fuit inſania, verius quàm luxuria, vt nunquam lotis linteaminibus vſus ſit, ſed nouis, ac recentibus ſemper piſcinas roſeâ impleret aquâ, balſamum lucernis infunderet, gemmas nobiliſſimorum artificum manu ſculpatas calceis apponeret, pro obſoniis, linguis (ô perditam nequitiam!) pauonum, & luſciniarum, & ſimilibus magni pretii aſſiduè veſcebatur.

Tranquillus c. 13.

III. Iungendus eſt his VITELLIVS. Is cùm fratris conuiuio interfuiſſet; *in quo duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita erant*, quo eam cœnam ſuperaret, immenſæ magnitudinis patinam dedicauit, *in qua ſcarorum jecinora, phaſianorum, & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes à Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ per navarchos, ac triremes petitarum commiſcuit.* Nec ſatis illi ad explendam gulam, niſi & aliis eundem luxum imperaret. *Indicebat enim aliis*, ait Tranquillus, *eadem die ientacula prandia, cœnas, commeſſationes, ipſe omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine, nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringentis millibus nummûm conſtiterunt* (efficiunt moneta Belgica *decem millia Philippicûm*, Italica *Ducatonum totidem.*) Quis credat ciues Romanos his ſumptibus ferendis, pares fuiſſe? fuerunt tamen, ſiue eius æui opulentia fuit, ſiue luxuria, quæ tandem Rempub. vitiorum ſuorum pondere oppreſſam miſerrimè peſſumdedit. Sed quis exitus noſtri helluonis? *Interceptus à ſuis* (ait idem Suetonius) *veſte diſciſſa, ſeminudus tractus*

Cap. 17.

*eſt in forum, religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laqueo, per totum viæ ſacræ ſpatium, reducta coma, ceu noxii ſolent, quibuſdam ſtercore, & cœno inceſſentibus, aliis* Patinarium *vociferantibus, tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus, atque confectus eſt, & inde unco tractus in Tyberim.*

Sen. de Conſ. ad Heluiam c.10.

IV. Atque hi quidem Principes Romani: nunquid & priuati hanc in inſaniam inciderunt? Quàm celebris APICIVS helluonum ille nobiliſſimus, qui ſub Tiberio Cæſ. vixit? *Cùm ſeſtertium millies* (h. e. vicies quinquies centena millia Philippicorum) *in culinam congeſſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas*

tunc

*tunc primùm coactus inspexit, superfuturum sibi sestertium centies* (h. e. ducenta quinquaginta millia Philipp.) *computauit; & velut in vltima fame victurum, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria fuit, cui sestertium centies ægestas fuit?*

V. Addam unum METELLUM, Hispaniæ Proconsulē, cui *semper epulæ exquisitissimæ, neq; per omnē modò provinciam, sed transmaria, ex Mauretania volucrū, & ferarum incognita antea, plura genera.* Insignis profectò gula, cujus satietatem explere non poterat tota Hispania, nisi remotæ, & dissitæ dapes adjicerentur. *Sallust.*

VI. Tales interdum gurgites helluonum: sed rari; & labes candidi, & prisci illius ævi, quæ, ut videbitis, facilè abstinentia magnorum Principum eluentur. Agè, Romanis insistamus, & ordiamur à primis Cæsaribus, C. IVLIO & AVGVSTO, quorum ille, tantæ abstinentiæ fuit, ut vulgò iactatum sit, *vnum hunc ex omnibus Cæsarem ad evertendam Rempub. sobrium accessisse:* hic autem, præterquam quòd vulgaris cibi semper fuerit, *cœnam ternis ferculis, aut cùm abundantißimè senis præbebat: ut non nimio sumptu, ita summâ comitate.* Abstinentia mira in Principibus. *Suet. Aug. c. 74. Cæs. 53*

VII. Quid TIBERIVS? *ut parsimoniam publicam exemplo suo iuuaret, solemnibus ipse cœnis pridiana sæpè, ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumq; aprum, affirmans omnia eadem habere, quæ totum.* Si hoc in solemnibus cœnis, quid in quotidianis? *Ibid. c. 34.*

VIII. Quem posteà imitatus videtur, DID. JULIANUS Imp. qui tantæ erat parsimoniæ, *ut per triduum porcellum, per triduum leporem dimidiatum divideret, si quis ei forsan misisset. Sæpè etiam nullâ existente religione, oleribus, leguminibusque contentus, sine carne cœnaverit.* Credibilenè est Cæsarem istius abstinentiæ fuisse? sed fides sit Auctori. *Spartian.*

IX. Nec absimilis illi CURIVS DENTATUS, qui cùm à Samnitum legatis adiretur, rapa sibi parare obsonium inuentus est, duosque tantum calones in castris habere, cùm tamen summam Imperij administraret. *Plutar.*

X. CONSTANTIUM etiam Imper. non tantùm cibi minimi fuisse ferunt, sed & *quoties feriatis diebus epulum dedisset, vasa argentea accipiebat ab amicis, ut abacum exornaret. Nam & ipse paucis contentus, fictilibus non abhorrebat.* Magna profectò, & mirabilis continentia, si amplitudinem Imperij Romani, cui præerant isti, pensiculatè consideres. *Ex Temp. Læto.*

XI. TACITVS Imp. taceri non debet. Is adeò vitæ parcissimæ fuit, *ut sextarium vini, totâ die nunquam potauerit, sæpè intra heminam. Conuiuium verò, vnius gallinacei, ita ut adderet, & oua. Fasianam autem, nisi suo, & suorum natali, & diebus festiuissimis non posuit. Præ omnibus oleribus affatim ministratis, lactucis impatienter indulsit. Argentum verò mensale, quod priuatus habuerat, ministerijs templorum dedicauit.* *Fl. Vopiscus.*

XII. Par continentia in AGATHOCLE Rege? qui Sicilia potitus, sine fictilibus cœnauit nunquam: memor paternæ obscuritatis, quòd figulo patre genitus esset. *Plutar.*

 XIII. In-

Paneg. XIII. Insuper THEODOSII moderationem insigniter prædicat Lat. Pacatus: *Tuæ, Imperator, epulæ, mensis communibus parciores, locorum, ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parsimoniæ cultus inolevit, & quiescentibus legum minis subiit quandoque privatim sui pœnitentia. Sic est enim, sic est: Exasperat homines imperata correctio: blandissimè jubetur exemplo.*

Val. Max. l. 2. c. 5. XIV. Talia non pauca inventu facilia, quæ magis miranda, quàm penitùs imitanda. Nimiam profusionem hîc tollimus: abstinentiam, moderationemque tantùm proponimus, id est veterem illam, & inaffectatam simplicitatem. Certè illis sæculis, *viris maximis, prandere, & cœnare in propatulo verecundiæ non erat: nec sanè ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent.* Qui etiam mos Lacedæmoniis eò receptus, ne quis civium continentiæ, moderationisque metas excederet. Namque in conviviis nihil superfluum, aut dapaticum, nihil turpe, vel sermonibus obscœnum; omnia moderata, nitida, casta, honesti.

Plut. & Isoc.

In Cõviviis qui sermones, qui viri adhibendi?

I. Testis esto AGESILAUS, *qui comitatem non dicteriis*, (inquit Xenophon) *sed moribus assequi studebat.*

II. Magnæ quoque moderationis *Cyrus* ille Rex fuit, qui teste eodem Xenophonte, eam semper diligentiam adhibebat, ut in mensa ii sermones usurparentur, qui jucundissimi essent, quique ad bonas laudabilesque actiones incitarent. Non ergo turpes mimorum & histrionum sermones (quibus plerique jam indulgent) admittebat. Et verò audivissetne in cena, quos excludebat è scena?

In Sertor. III. *Sertorius* (ut ad Romanos recurrat sermo) nunquid convivia sua ad honesti normam metiebatur? Certè si Plutar. fides, in iis nec videri quidquam turpe, nec audiri poterat, utpote qui suis mandârat, ut ab omni maledicto, & scurrilitate abstinerent, nisi certarent inter se placidis salibus, facetisque jocis.

Tac. 4 Ann. IV. *Tiberius* autem Cæsar, *liberalibus studiis præditos adsciscebat, quorum sermonibus levaretur.*

Lamprid. V. Quid ALEXANDER SEVERUS? *Cùm inter suos convivaretur, aut Vlpianũ, aut doctos homines adhibebat, ut haberet mensas litteratas, quibus se recreari dicebat, & pasci.*

Epist. 64. VI. Sed vivi illi: en muti acroamatum magistri: *Seneca* de se ipso: *Varius nobis sermo fuit, ut in convivio, nullam rem usq; ad exitum adducens, sed aliunde aliò trãsiliẽs. Lect⁹ est deindè liber Q. Sextii patris, magni, si quid mihi credis, viri, &c.* Ex quo vides litteratas apud antiquos fuisse epulas, non detractionibus proximi ut ferè fit inter Christianos condîtas.

Lib. 3. VII. De *Spurinna* Plinius: *frequenter Comœdis cœna distinguitur, ut voluptates quoq; studiis condiantur.*

Pan. l. 1. c. 16. VIII. ALPHONSUS Arragonum Rex, ut ad recentiores veniamus, apertè profitetur T. Livii historiam longè sibi jucundiorem, suavioremque, atq; erudi-

torum

torum virorum ſermones magis placere, quàm peritiſſimorum muſicorum harmoniam. Egregius herclè Princeps, & opidò his diſſimilis, quibus nihil exoſum, quàm philologia, litterataque ejuſmodi colloquia.

IX. Patrum memoria PAULUS III. Pontifex Max. (cui hoc plus venerationis debemus, quòd Princeps fuerit Sacroſancti Concilii Trid.) non curarum levationem, blateronum atque morionum næniis tempore prandii capiebat, ſed ex honeſtis ſermonibus atque facetiis virorum eruditorum, quibus apprimè delectabatur: Facetiis tamen quæ riſus diſſolutos non cient, qualis Poëta admittit, dum inquit; *A. Scotus in 4 Ann. Tac.*

*Sint modici riſus, parvæq; utrimq; lacunæ,* *Ovid. 3. de art.*
*Et ſummos dentes ima labella tegant.*

X. Denique, honeſtiloquium quoque in menſa filio Principi ſuggerit, ſuadetque Princeps quidam noſtræ ætatis, ſcribitque in ſuo de inſtitutione Regis opuſculo, tam vitandum eſſe ſilentium, quàm turpiloquium: quin dapes honeſtis jucundiſque ſermonibus eſſe condiendas, vel certè aures inſigni aliqua facetaq; hiſtoria demulcendas. Quæ ſententia etiam fuit *M. Varronis*, ſi A. Gellio credimus, ſic ſcribenti: *Nec loquaces, inquit, convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro, & apud ſubſellia; ſilentium verò non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet. Sermones igitur id temporis habendos cenſet, non ſuper rebus anxiis; ſed jucundos atq; invitabiles, & cum quadam illecebra, & voluptate utiles; ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat, & amœnius.* *Noct. Att. 13 cap. 11.*

---

## CAPUT XV.

### *Moderatio quoq; adhibenda circa* Veſtitum ornatumque, *ne nimirum nimii, ſeu immodici ſint in Principe.*

QUantum quemque dedeceat cultus exſuperantia, pulcherrimè Clemens Alexandrinus docet; quem non pigebit ſuis ipſum verbis audire. Ebrioſum eſſe, inquit, & vinoſum, etſi ſunt magna vitia, non tamen tanta, quantum eſt nimium ſui ornandi ſtudium. Menſa plena, & frequentes calices, ſatis ſunt ad implendam ingluviem. Atqui auri, purpuræ, & gemmarum nimio ſtudio tenētur, iis nec quod ſuper terram, nec quod ſub terrâ eſt aurum, ſuffecerit. Dum ergò cupiditatis limites ſibi non conſtituunt, in luxum, & exinde in arrogantiam impingunt, ſi vera eſt Comici Græci ſententia: *Pædag. 3.*

Ὑπερήφανον γίνεθ' ἡλίαν τρυφή: *Menand.*
*Immodicus affert luxus arrogantiam.*

Adde,

*Apolog.* 1. Adde, quod *certum sit argumentum vanitatis*, vel (ut Apuleius inquit) *Infirmitatis, pluribus indigère. Prorsus ad vivendum, velut ad natandum, is melior, qui* *D. Ambros. in Apoc.* *onere liberior.* Benè vir divinus: *Exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est.*

*Tacit.* 3. *Annal.* Esto igitur Princeps *præcipuus adstricti moris auctor, antiquo ipse cultu, victuque.* *Spartian.* Talis quondam Seuerus Imp. quem solitum dicere legimus, *Imperatoriam Maiestatem virtute constare, non corporis cultu.* *Amian.* 25. Talis etiam Julianus, qui *turpe esse Sapienti* dicebat, *cùm animum habeat, captare laudes corpore.* *Senec. de trãq. an. c.* 9. Itaque, *assuescamus à nobis removere pompam, & usu rerum ornamenta metiri. Assuescamus vestes parare in quod inuentæ sunt.*

*M. Varro l.* 7. *de L. l.* Quid ergò? pannosumnè probamus, ac sordidum? nequaquam: nisi pro personâ quam gerit, moderatum & habitu decorum. *Neque enim solùm vestiti esse volumus, ut vitemus frigus, sed etiam ut videamur vestiti esse honestè.* quod *Tacit. Agri.* suprà, vanum sit, & superuacuum: cui præsertim cultu, nihil accedere potest auctoritatis. Quorsum enim Principi *vanus ille adspectus, & auri fulgor, atque argenti?* Spreuerunt certè magni, & veri Principes, id quod sequentia ostendent.

---

EXEMPLA.

*Athenæ.* 1. *Front.* 4. I. EPAMINONDAM Theobanum, tot victoriis clarum Imperatorem, legimus adeò exactæ fuisse continentiæ, vt vnicâ veste contentus ætatem fuerit, & siquando vetustate detritam resarcire opus foret, domi clausum se teneret: & quod mirere, eò redactus inopiæ, ut Thebani publica impensa, & ære collato eum extulerint. Verùm huiusmodi Principes propiùs à Philosophis absunt.

*Lib.* 2. *Cyripæ.* II. Inter quos hoc animo fuit quem effingit Xenophon CYRUS ille Persarum Rex, cui cùm quidam ad eum misisset ornamenta multa, eaque amicis distribuisset, quærentique ab eo, cur nihil sibi reliquisset? *Quoniam,* inquit, *corpus meum his ornari non potest, superest vt amicis largiar, quibus sic ornatis, maximum mihi ipsi ornamentum esse putabo.*

*Plutar.* III. DIONYSIUS, adeò vsque exosam habuit in vestitu luxuriam, vt furciferis ignosceret, si pretiosarum vestium fures essent: quò faciliùs *Syracusani* ab huiusmodi luxu abstinerent.

*Cap.* 73. IV. Romanos rerum dominos adeamus, atque in his magnum illum potentissimumque Monarcham AUGUSTUM; de quo sic Tranquillus Suetonius: *Instrumenti eius, & supellectilis parsimonia apparet etiam nunc* (tempore scilicet Hadriani Cæsaris, cuius Magister epistolarum fuit Suetonius) *residuis lectis, atque mensis, quorum pleraque vix priuatæ elegantiæ sint. Ne thoro quidem cubuisse a-*

*se aiunt, nisi humili, & modicè instrato Veste non temerè alia, quàm domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia, neptibusq́ confecta.* Ex quo magni non tantùm Cæsaris magnam discis continentiam, sed etiam laudabile Romanorum institutum, quo matronæ etiam Illustrissimæ lanificio operam dabant, otii maximè vitandi caussa, ut colligere est ex eodem Suetonio, aliisqúe. *V. Alex. ab Al. lib. 4. c. 8.*

V. Nec dissimilis moderatio in C. CALIGULA, qui eodem tegmine, & vestitu, quo cæteri, induebatur: idq; *ad concilianda* (notate) *vulgi studia*, ait Tacitus. *Li. 1. Annal.*

VI. Sic GERMANICUS Imp. *sine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu.* *Id. 2. Annal.*

VII. VESPASIANUM etiam constat veste, & habitu neglecto fuisse, *& vix à gregario milite differente.* *Sueton.*

VIII. Compar istis SEPTIMIUS SEVERUS, quem scribunt vili amiculo, & exiguâ veste adopertum, & à vulgari nihil differentem, *extra quàm, quod tunica eius aliquid purpuræ haberet.* *Ex Spartia.*

IX. Nescio an strictior AURELIANUS, qui non modò *vestem holosericam in vestiario non habuit, sed nec alteri utendam dedit.* *Fl. Vopisc.*

X. Quidni etiam celebrem ALEXANDRUM SEVERUM? quem qvoque scimus *vestes holosericas nunquam induisse: subsericam nunquam donasse. Immò gemmarum quod fuit, vendidisse; aurum autem in ærarium* (ò rarum Principem!) *contulisse; dicens gemmas viris usui non esse, matronas autē regias contentas esse debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili & unico pallio, auro sparso, & cyclade, quæ sex unciis auri plus non haberet*, at de se inquiebat, *Imperatoriam Majestatem constare virtute, non corporis cultu.* *Lamprid.*

XI. Quid in TACITO dicam? an non & consimili cultu cum aliis fuit? fuit sanè, adeò quòd toga, quâ privatus usus erat, in Imperio nonnunquam uteretur. Holosericâ etiam veste viris omnibus interdixit; Neque id mirum; cum servis & ministris ejusmodi vestes adeòque auratæ relictæ essent. *Fl. Vopiscus.*

XII. Verùm, ne commentitia hæc & fabulosa videantur; haud absimilis continentia in Principibus nostræ, vel superioris ætatis pariter apparebit. CAROLUS ecce V. Imper. vestium incuriosus admodum fuit: adeò, ut non temerè aliter visus sit, quàm in amiculo laneo, plebeque ut scriptum reliquit Guil. Zenocarus consiliorun illius administer. *In eius vita.*

XIII. Secundum hunc, alterius CAROLI Alberti Neapolitanorum Regis patris modestia valdè eminuit. Namque hactenus restrictâ, & subductâ vili tunica utebatur, ut haud fermè tegenda contegeret, eoque spectantibus risum tolleret, cùm alioquin à virtutibus esset admirandus. *Iovius in el.*

XIV. In ALPHONSO eiusdem Regni Rege legitur, cum vestitu, cultuque corporis non multum discreparet à popularibus, admonitus à quodam ut regio ornatu incederet, respondit: *Malo moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ.* *Panor. l. 1. de reb. gest.*

*V. Rebuff. ad Cōst. reg. tr. de Pānis aur. arg. ser n 13. Æn. Sylu.*

XV. Denique LUDOVICUS IX. Galliæ, MATTHIAS Pannoniæ, & ALPHONSVS Neapol. & Siciliæ Reges, nihilo fuere à vulgo elegantiores. Itaque hic quondam reprehensus, quòd parum regaliter incederet, respondit: *Malle se moribus, & auctoritate Regem videri, quàm diademate, & purpurâ.* Magnifica profectò, & idonea tali Rege sententia. Quippè sciebat pro nihilo putandum vestimentorum splendorem, cui quantum est in votis, tantum potest esse ornamentorum.

In publicis tamen cœtibus priuatam Principes excedant elegantiam.

Toleranda igitur, immò probanda in Principibus cultus incuria: etsi etiam in publico sustinenda? negant aliqui, & meo quidem sensu non malè.

*Ad Nicocl.*

I. A quibus stare ISOCRATES videtur: *In vestitu,* inquit, *& corporis ornatu splendidus esto: in aliis actionibus, laborum tolerans, ut Reges decet: ut qui viderint, ob adspectum regno te dignum iudicent.* Et sanè quis non despicatui habiturus est eum Principem, qui crasso aliquo & vulgari amictus indumento, aliis Principibus, eorumvè legatis videndum se præbeat? Non credis?

*Auctor Comin[ae]us.*

II. Crede LUDOVICO XI. Gallorum Regi, qui non aliam ob causam Hispanis (qui cum Rege Castiliæ Lutetiam venerant) ridiculo fuit, quàm quòd vili panno coloris impluviati indutus esset. Quod ipse cùm rescivit, nulli posteà Principi, immò ne Legatis quidem, copiam sui fecit, nisi cultu decoro, & habili ad Regiam majestatem.

*Niceph. l. 14. cap. 2.*

III. Suasit etiam hunc cultum, & puto persuasit, sagax illa, & prudens mulier *Pulcheria* fratri THEODOSIO Imp. suasit inquam, ne unquam in publicum congressum prodiret, *nisi magnificus esset, & splendidus.* Egregium quidem consilium, quod non pigeat cæteros Principes sequi. Quanquam extra cœtum publicum placeat qualis qualis cultus: tantùm cultus placeat animi, qualem ALCIBIADI, Principi longè pulcherrimo, suasit *Socrates* teste Epicteto, qui sic de illo: *Sed vide quid Socrates dicat omnium pulcherrimo, & elegantissimo Alcibiadi? Dato inquit operam, ut formosus sis. Quid ei dicit? Finge comam tuam, & crura tua velle? Absit. Sed ornato voluntatem tuam, malas opiniones abjice.* ô utile dictum! ô Christianum monitum! cui etiam alludit aureum Senecæ metrum:

*Lib. 3. Diss. arria. c. 2.*

*Thy. act. 2.*

*Regem non faciunt opes:*
*Non vestis Tyriæ color,*
*Non frontis nota Regia,*
*Non auro nitida trabes:*
*Rex est, qui posuit metus,*
*Quem non ambitio impotens,*
*Et nunquam stabilis favor*
*Vulgi præcipites movet; &c.*
*Qui tuto positus loco*
*Infrà se videt omnia.*
*Occurritq; suo libens*
*Fato, nec queritur mori, &c.*

CAPUT

# CAPUT XVI.

## *Quod itidem dixerim circa* Ædificationem : *ut in ea etiam restricti sint Principes.*

SUnt enim, qui tantâ tenentur ædificandi libidine, ut nunquam non ædificia ædificijs adjiciant, omnemque operam & curam in architectura, quàm in πολιτεύματι ponant. Nimirum bene illis, & abundè videtur esse, si

*Ædificent auro, sedesq; in sydera mittant.* Petronius.

Hoc tamen immoderatum studium vulgò ingratum: cui demùm is probatur, *qui suæ pecuniæ parcus, publicæ avarus,* effrænatam illi ædificandi cupiditatem (*quæ ædificando non tollitur*) coërcet, & animum in immensa eminentem, in arcto continet, & velut in vinculis habet. Itaque; *tantò acceptior erit vulgò, quantò modicus privatis ædificationibus.* Quod intelligo, rebus inclinatis belliq; tempore. Nam quin pacis tempore, prætoria, palatia, xenodochia, templa, basilicas, tribunalia, aquæ ductus, ædificia denique publica laudabiliter excitent, veteraq; instaurent, haud negandum est. Tacit. 1. hist. D. Bernar. Tacit. 6. Annal.

Siquidem, decet Principem, *sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera, eodem quo exstructa sunt animo, ab interitu vindicare, muta quidem illa, & anima carentia, sentire tamen, & lætari videntur, quod niteant, quòd frequententur, quòd aliquando cœperint esse donum Domini fruentis.* Plin. Pan.

*Talia* quidem certè *posteris non tradere, hoc est, graviter in longa ætate peccare.* Nam quid est, quod *sit manibus humanis elaboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuriâ hominum, vel ipsâ confectrice omniũ vetustate?* Cassiod. 1 Var. ep. 29. Cic. apud Lactan. l. 7. c. 11.

Quocircà, videbit diligenter, an omnia opera, præsertim publica, sarta sint tecta, *vel an aliqua refectione indigeant: & si quæ cœpta sunt, ut consummentur.* Vlp. l. 7. ff. de Off. procons.

Sed maximè, vt Regia usquequaque reniteat: quia *talis Dominus esse creditur, quale eius habitaculum comprobatur.* Ad summum: *non superfluas ædificationes aggredi; nec prætermittere necessarias.* Cassiod. 7. Var. epist. 37 D. Ambros. Offic. c. 21.

Superfluas autem arbitror amœnitates illas villarum & prætoriorum: nam *effœminat quoque animos amœnitas nimia; nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio.* Edictum *Constantini* Imp. memorandum: *Si quis post hanc legem Ciuitate spoliatâ, ornatum hoc est, marmora, vel columnas ad rura transtulerit, priuetur eâ possessione, quam ita ornauerit.* Legem quam magnus edixit Cæsar, sibi dictam alii Principes putent. Senec. ep. 55. L. si quis C. de ædif. priu.

## *EXEMPLA cum NOTIS.*

I. PLATO ille diuinus animaduertens Agrigentinos magnis impensis multa ædificia excitare, dixisse fertur: *Agrigentini quasi semper victuri ædificant, & genio sic indulgent quasi breui morituri.* Notauit autem vanum illum ædificiorum condendorum æstum graui censurâ dignum: cùm mortalium vita brevi curriculo terminetur, naturaque nobis non commorandi, sed diversandi locum dederit.

*Plut. & Alex. ab Alex. lib. 1. Genial. dier.*

II. SCIPIO AFRICANUS, maximus castrorum Rom. Imperator, tantæ traditur fuisse abstinentiæ, ut annis quatuor & quinquaginta, quibus in humanis egit, nihil dicatur ædificasse: atque in tantâ rerum affluentia, opibusqúe quibus Carthaginem, & Numantiam delevit funditus, haud plus tribus & triginta argenti libris, auri verò duabus reliquisse.

*Tranquill. Suet. c. 72.*

III. AUGUSTUS verò Cæsar, quemadmodum in cæteris, ita hac in re quoque continentissimus: ut *qui habitavit ædibus modicis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis: ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, & sine marmore vllo, aut insigni pavimento conclavia,* tametsi apud Romanos vulgaria. Additque insuper Tranquillus: *Ampla & operosa prætoria grauabatur, & neptis quidem suæ Iuliæ profusè ab ea exstructa, etiam diruit ad solum.*

*Val. Max. lib. 8. c. 1.*

IV. Illud Principis, hoc populi severum judicium, quo M. Æmil. Porcinam *à L. Cassio accusatum crimine nimis sublimè exstructæ villæ in Alsiensi agro, graui multa affecit.* Imitetur Princeps politicus, & cupidinem ædificationum, maximè rusticanarum, grauibus exemplis coërceat: quod per eas plerumque ornamenta, quæ Civitatibus debentur, rus transferantur: præterquam quòd belli tempore Reipubl. sint perquàm damnosæ, inducantqúe cives (ut in Florentinis aliquando animadversum) ad turpiter depaciscendum cum hoste. Quin potiùs studeat ut Civitates vsquequaque ædificiis floreant: Quod movit *Constantinum* Imper. legem statuendi, ut ornamenta villarum & agrorum ad urbes transferentur. eodemqúe mentis instinctu *Vespasianus* aliam tulit, quâ vacuas areas, id est possessore carentes, cuicumque permisit: Imò *Diocletianus* areas lapsorum ædificiorum fisco addixit.

*L. 6. Cod. de ædif. priu. L. 4. Cod. de Iure Reip. lib. 11.*

V. Sed quâ dissimilis ab istis, & præsertim à Cæsare AUGUSTO iam dicto, pater ille nepotum NERO? *Non alia in re,* inquit Suetonius, *damnosius, quàm in ædificando.* Nam ecce, in vestibulo ædium suarum *Colossum posuit suâ effigie, centum viginti pedum.* Hoc principium: deinde: *tanta laxitas, vt porticus triplices millenarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum ædificijs ad urbium speciem. Rura insuper, aruis, atque vinetis, & pascuis, syluisq; variâ cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus, cuncta auro*

*Cap. 31.*

*lita.*

*lita, distincta gemmis, unionumq; conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores; & fistulatis, vt vnguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò, diebus, ac noctibus vice mundi circumageretur.* Mira profectò, si singula penita mente consideres, hæc videantur. Sed quis exitus istius ambronis? tandem *exhaustus, & egens*, inquit Sueton. *calumniis, rapinisq; intendit animum.* Qui enim aliter poterat? exhausto enim & exinanito in ejusmodi superfluas impensas ærario, necesse erat qualibet pessimâ arte illud explere. Ut profectò verè dixerit Poëta nescio quis: *Hunc locũ ita restituit I. Lipsius.*

*Ædificare domos, & pascere corpora multa,*
*Ad paupertatem protinus est aditus.*

VI. Nihilò moderatior C. CALIGULA: de quo idem Tranquillus: *In exstructionibus prætoriorum, atque villarum, omni ratione posthabitâ, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur. Et iactæ itaque moles profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, cùm mora culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumq; illud Tiberii Cæsaris vicies, ac septies millies HS.* (id est nostrate moneta quinquaginta quinque & amplius milliones) *non toto vertente anno absumpsit. Exhaustus igitur atque egens, ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.* *Cap. 37.*

VII. Et in ipsis incunabulis Urbis Romæ, laborauit hâc infamiâ TARQUINIUS PRISCUS, qui longiori, & periculoso opere plebem ita vexavit, vt ferè omnes tædium fugientes, sibi ipsi manus afferrent. *Plin. lib. 36. c. 5.*

VIII. Quarè, non mirum si inuidiam, & populi odium sibi tales pepererint: utpotè quærentes sæpè, & corradentes pecunias publicas falsò ædificationis operum publicorum prætexto. Quo nomine notatus HIPPARCHUS filius *Pisistrati*, qui Academiam muro saxit, & magnam auri vim eâ contemplatione ab Atheniensibus impetrauit. *Suidas.*

VIIII. Liceat unum è Sacris nectere. NABUCHODONOSOR Rex Babyleius apud se aliosque gloriabatur verbis his: *Nonne hæc est Babylon Ciuitas magna quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei? cumq; sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transivit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* *Daniel. 4. vers. 27.*

Restringendum itaque istud ædificandi studium. An semper? negant prudentes; meritòque volunt, rem & operam expromi instaurandis operibus publicis, vetustate, vel temporum iniuria lapsis. Quid ita? quia non carent inuidiæ suspicione, qui antiqua decessorum ædificia, per quæ nomen suum æternitati conse- *Loca publica à Principe, excitanda.*

consecrare studuerunt, sarta tecta non tuentur, sed ea, vnà cùm Auctorum memoria & fama perire, collabi, vel intercidere patiuntur. Petamus exempla.

Sueton. c 8. & 17. I. VESPASIANUS Imper. per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quàm propè afflictam, nutantemq; Rempub. stabilire primò, deinde & ornare. Quin, *restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis, manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit.* Quid quòd *plurimas per totum orbem ciuitates terræ motu, aut incendio afflictas, restituit in melius?*

Plin. Pan. II. TRAIANUS autem, licet parcus in ædificando privatim, *publicè tamen magnificus fuit: hinc porticus, indè delubra* &c. Denique tot, & tanta locis oportunis extruxit, ut *Orbem terrarum*, teste Eutropio, *ædificasse videatur.*

Cap. 5. III. DOMITIANUS præteriri non debuit, qui *plurima & amplißima opera, incendio absumpta*, teste Tranquillo, *restituit; in queis erat, & Capitoliũ, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine vlla pristini auctoris memoria.*

Ex Spartia. IV. Quo modestior fuit SEPTIMIUS SEVERUS, qui *Romæ omnes ædes publicas quæ vitio temporum labebantur, instaurauit, nusquam propè suo nomine adscripto; seruatis tamen ubique titulis conditorum.*

Lamprid. V. Quæ moderatio etiam in ALEX. SEVERUM derivata videtur: quippè qui *opera veterum Principum instauravit: & maximè pontes omnes, quos Traianus fecerat. Aliquos etiam novos fecit: sed instauratis, Traiani nomen reservavit.*

AdSabinianum apud Cassiod. 1. Var. epist 25. & 4. ep. 30. VI. TIBERIUS verò II. quàm diligens in antiquorum Principum ædificiis, operibusque publicis instaurandis fuerit, facilè est scire ex iis quæ de se ipse scribit: *Quis dubitet fabricarum miracula, hac provisione servata, & pendenti saxo formatas cameras tegularum tegmine custoditas? Vt antiqui Principes nobis meritò debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longißimam iuventutem, ut pristinâ nouitate reluceant, quæ jam fuerant vetustosa senectute fuscata.*

Dio lib. 57. VII. Sed nec TIBERIUS I. silentio involvi debuit, utpotè qui consimiliter *ædificia*, quæ *ab Augusto inchoata, ad fastigium perduxit, Augustiq; nomen iis inscripsit. quod non in Augusto tantùm, sed & in aliis obseruavit: quorum ædificia cùm instaurasset (nihil enim de novo ædificavit, præter Augusti templum, non suum, sed eorum qui primùm ea exstruxissent, nomen iis inscripsit.* Dissimilis sanè nonnullis nostri temporis magistratibus, qui restitutis aliquot Urbis parietinis, superbè nomina sua inscribunt, & quasi Urbis non dicam Conditores, sed Custodes, insignibus veluti signaculis eam muniunt.

Æn. Picol. in Cõment. de Regno Neapol. c. 60. VIII. Sed, ad recentiora veniamus. In his eminet ALPHONSUS Aragonum, ut cæterà laudatissimus, ita ab hac re maximè prædicandus Princeps, qui infinitas propè urbes, opida, arces, terra motu confluxas, & laceras, sumptu ac diligentiâ incredibili instauravit: ac demùm Neapoli Regiam (cui Nouo Castro fuit nomen) à fundamentis eversam, munitiorem longè ac splendidiorem quàm anteà, erexit, non sine magna civium admiratione atque stupore.

IX. Ve-

IX. Venia ſit, ſi BASILII Imper. pietas in reſtaurandis locis ſacris inſeratur: de qua ſic Europaltes. Baſilius, inquit, Imperator ſacrorum templorum, quæ ſuperioribus terræ motibus convulſa, & conquaſſata fuerant, quædã etiam funditus deiecta, curam dignam ſuſcepit; aliis recens conditis, aliis collabentibus refectis, aliis etiam ornamentum, & decorem adiunxit, &c. Nam præter Dei, magnæ Sophiæ templi aſpidem magnam, ſublimemque in multas partes diſciſſam, ruinamque minantem ſtabilitam, & inſtauratam, Apoſtolorum templum, quod priſtinum decorem amiſerat, ita exornavit & renovavit, ut recenter conditum videretur: idemque præſtitit in templo DEI Genitricis, aliiſque compluribus. *Apud Baron. tom. 10. Annal. an. Chr. 886.*

X. Nec minori ſtudio circa ædificia publica incubuit PAULUS V. Pontifex maximus exactæ ſane quàm ſapientiæ, qui tantæ fuit pietatis atque animi magnitudinis, ut mox primo ſui Pontificatus anno, animum adiecerit nedum inſtaurandis, verumetiam amplificandis, exornandiſque variis Baſilicis, quas Romæ ſummâ cum admiratione cernimus, & porrò poſteritas magis magisque admirabitur & ſuſpiciet, ubi illius ſucceſſores ad exitum, & faſtigium illas perduxerint?

XI. Verùm, quæreretur de me meritò Cardinalis noſter ERARDUS à MARKA, Deus, vt ſi dicam, Tutelarius patriæ noſtræ, niſi etiam in medium cum aliis producatur. Is igitur, ut pulcherrimum fuit fœlicitatis noſtræ Palladium, dum Leodienſem meam patriam, multis bellis ingruentibus liberavit, vindicavitque, ita etiam eam variè propagavit; inſignibuſque ædificiis, quâ ſacris, quâ profanis, illuſtrauit. Quot, Deus bone! eius beneficentiæ clara monimenta? quot ædes ſacræ, quot baſilicæ, quot arces à fundamentis excitatæ, aut egregiæ inſtauratæ? Teſtor Regiam noſtram multis nominibus conſpicuam, cuius laudi fortaſſis inuideant maximi Reges. Arces etiam appello Huenſem, Dionatenſem, Bullonenſem, Stochelmienſem, aliaſque quas injuriâ temporum ſquallidas, pæneque collapſas, affabre expolivit, inſtauravitque. Adeò certè in his munificum atque liberalem ſe præbuit, ut nullum ſit è tanto numero monumentum, quod non beneficiarium ſe clarâ voce etiamnum teſtetur. Quæ quidem minùs miranda eſſent, niſi etiam longè maxima fuiſſet eius in maximos Europæ Principes munificentia. Benè ſit tibi, ô Erarde, & conſimiles porrò tuæ mentes ſucceſſoribus tuis impetra ab optimo Principum Principe Deo.

Laudibus igitur hæc cura, & maximè cùm ponitur in tuendis & ordinandis, ubi à ſacris diſceſſeris, patriæ locis. Natalitia illuſtranda.

I. Ipſum quod ſenſit Heroina quædam ethnica, *Agrippina*, ſcilicet Claudii Cæſaris uxor, quæ urbem Ubiorum, in qua genita erat, appellari à ſe voluit; unde à veteranis ibi deductis *Colonia Agrippina* fuit nuncupata; aliaque loca publica ſumptuoſiſſimis ædificijs exornauit. *Tacit. 12. Annal. Socrat. 1. c. 18. Niceph. 7. c. 49.*

II. Si-

II. Similiter *Constantinus Imp.* Drepanum opidum, in quo genitus erat, egregiè amplificavit, & indè Helenopolim in matris honorem cognominauit.

P. Math.2. Hist. Narrat.4. III. Cosmus quoque *de Medicis*, Magnus Dux Florentiæ urbem suo nomine excitari jussit, quam *Cosmopolim* suo nomine appellari voluit.

IV. Ita Pius II. Pontifex Max. Corsinianum incunabulum suum, in Civitatem redegit, & nomine suo Pientiam fecit.

V. Sic non ita diu Sixtus V. Montealtum patriam suam illustrauit, eique jura Civitatis dedit, & sacris Antistitem præfecit; magnisque impensis non solùm pleraque Urbis loca illustrauit, sed etiam multis in locis Romæ celebriora templa aut instaurauit, aut exornauit: quæ affecta, posteà perfecit Paulus V. Pontifex Maximus.

VI. Novissimè verò Henricus IV. Galliæ Rex locum suum natalitium, multis magnisque ædificiis, & basilicis exornavit, & amplificavit, in eoque Universitatem constituit.

Publicæ viæ, aquæductus, pótes curandi

VII. Ab ædibus sacris, pretium operæ est ut consulant ornamento patriæ, & incolarum commodo, nimirum per vias, aquæductus, munitiones, portus, pontes, fluviorum derivationes, navigationes, cæteraque huiusmodi ædificia necessaria ad commoditatem regionũ: excitando illa, extructave instaurendo, quod quidem diligentissimè à Romanis esse factum, vel in remotissimis regionibus ac Provinciis (quod magnum eorum prudentiæ, & curæ augmentum fuit) historiæ docent. Visuntur in Hispania pontes commodissimi, viarum stratarum, aquæductuum, theatrorum, ædificiorumque multorum vestigia, quæ vix hac ætate imitari Principes vellent, licet magnus alioqui sit ac necessarius eiusmodi rerum usus. Sixti V. Pontificis Max. de quo paullò antè, visuntur hodie in Urbe magnificentissimi aquæductus, qui fidem omnem superant apud eos quorum luminibus subiecti non fuerunt: neque tamen ærarium suum exhauserunt, quinimò, bono publico ad retinendam, & tuendam Sanctæ Sedis dignitatem, & auctoritatem, vix toto vertente anno quo creatus fuit Pontifex idem Sixtus V. (quæ eius erat parcimonia) decies centena aureorum millia in gazophylacio arcis sancti Angeli habuit, ac successori reliquit.

Modus in omnibus adhibẽdus.

Veruntamen in his omnibus mediocritas semper servanda, non minus est vitiosus is animus, qui auersus est omninò ab ædificando, & posteris suis memoriam relinquendo: quàm qui nullis structuris satiari potest. In illo ignauiam notamus; in isto insanabilem ambitionem, & gloriæ cupiditatem, quâ qui capti sunt, facillimè ad res iniustas, ut Cicero inquit, prolabuntur. Itaque destruunt, plerique atque ædificant, mutantque quadrata rotundis: nec intereà considerant horam illam decretoriam propiùs imminêre sibi quâ horâ, relict o omni ædificiorum splendore, solis stipati vermibus, sarcophago contenti esse debebunt: ut verum sit illud Poëtæ,

Iuuenal.

——— *Mors sola fatetur,*
*Quantula sint hominum corpuscula.*

Nec

Nec illa ſemper decora, ſed quæ ſæpè nos cùm minimè exſpectamus, excipit & locis interdum ædium abjectiſſimis, ſordidiſſimisque. Quemadmodum excepit CAROLUM VIII. Galliæ Regem potentiſſimum in ſeceſſu cujuſdam arcis viliſſimo, ac fœdiſſimo. *Cominæus lib.5.de Bello Neap.* CÆSAREM etiam FRIDERICUM legimus mirè periclitatū fuiſſe in ſella familiarica, adeò quod collapſâ cōtignatione, vix ad cancellos feneſtræ ferreos adhæſerit. Periiſſe autem iſtis in ſordibus cùm alios nobiles, tùm *Henricum Schuartzebergenſem* Comitem Krantzius ſcribit. *Lib.6.c.45. de reb. Sax.* En miſeriam humanæ vitæ, quam cogimur deſerere quocumque loco, & tempore juſſerit unicus ille rerum Auctor Deus. Ad quem ô Principes, & ætherea illa animorum acies convertenda: non fragilia iſta, & caduca, quæ non minùs, quàm ipſi nos, ſua die peritura ſunt. *Senec. Conſ. ad Heluiam cap.9.* *Anguſtus eſt animus*, ait ille, *quem terrena delectant*. Verè. Omnia enim hæc magnifica, ampla, ſplendida, quibus vani adſtupemus, quid niſi fumus, & cinis? Adſtruit idem ille Philoſophus, & quis non? *Omnia mortalium opera, mortalitate damnata ſunt.* *Senec.ep.92.* Sed quid? ô cœcam hominum miſeriam!

*——— ——— ferè cuncti magis*
*Peritura laudant.*

---

## CAPUT XVII.

### *Rurſus ad Principis moderationem pertinet*, Gloriæ, *&* Honoris nimii fuga.

CUM nemini dubium ſit, quin vera gloria ex radice virtutum proficiſcatur, non eſt profectò eius, qui virtuti ac rectè factis inſiſtit, gloriam anxiè aucupari, aut ambire, cùm hæc virtutem ſequatur, ceu corpus umbra. *Sapiens*, inquit Philo Judæus, *non fruitur laude per blanditias adulterata, ſed ſtabilita per veritatem.* *Super verb. Evigilavit Noë.* Tales plerique Principes melioris illius ævi: quos legimus *honores ſibi delatos, aut delibaſſe parciſſimè, aut omninò recuſaſſe.* *Plin. Pan.* Sola enim contenti erant virtute, & magnitudine animi, *quæ nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert, rectèq; facti, non ex populi ſermone* & honore *mercedem, ſed ex facto petit.* *Idem lib.1. epiſt.22.* Benè Seneca:

*——— qui favoris gloriam veri petit,* *Thyeſt.act.2*
*Animo magis, quàm voce laudari volet.*

Deus bone! quàm ab his Ethnicis longè diverſi ſumus? internas animi dotes flocci pendimus, nihil ad conſcientiam dirigimus, fictè omnia ambimus, & proinde nec ad vetuſtatem. dicamnè ſalutem? Græcum illud verbum, nimis iam verum: Τιμώμενοι γὰρ πάντες ἥδονται βροτοί: *Menander.*
*Honore gaudet affici ſe quilibet.*

Ambros.lib. Offic.1.c.39. *Caveat itaque gloriæ cupiditatem, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita; semper autem usurpata.* maximè novo Principatu. Prima enim gubernatio, non mediocrem illi invidiam facere solet, quàm augere, parum sani hominis est; extenuare verò, an declinare, valdè prudentis. Istud imbibe: *Omnes recusare honores, ambitionis esse; eligere verò paucissimos, moderationis.* Ad summum: *tantum gloriæ desiderabis, quantum satis est ad conciliandam tibi in rebus gerendis Auctoritatem: quæ inde nascitur, quòd vir optimus habearis.* Atque hoc est, quod voluit M. Tullius, cùm dixit, *Summam & perfectam gloriam constare ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat.*

Plin.Paneg. Plut. Opusc. Philos.cum princip.deb. disp. Li.2.de Off.

## *EXEMPLA & MONITA.*

Plutar. & Xenophon. I. QUorum initium sumam ab AGESILAO Lacedæmoniorum Rege, qui nullius gloriæ dulcedine tangebatur quam non suis sibi laboribus cōparasset, cùmq; mortem obiret in portu, qui *Menelai* dicitur, seriò mādavit his, qui aderant, ne quam vel statuam, vel imaginem in suum honorem erigerent: inquiens, *Si quod præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei; sin minùs, ne omnes quidem statuæ: cùm sint vilium ac nullius rei opificum opera.*

Indidem. II. Ex eadem gente LYSANDER: apud quem iactanti cuidam, quòd ipsum in cœlum laudibus tolleret, atque aduersus obtrectantes tueretur: *Duo*, respondit, *mihi sunt boves ruri; & vel tacentibus ambobus, novi certè, uter ignavus sit, & uter ad laborem strenuus.* Quâ allegoriâ sensit vir magnus, veram virtutem non egere laudibus humanis, cùm ipsa secum ducat suam laudem ac decus. Cæterùm, qui nihil gerunt præclari, his opus est præconibus. Benè quidam: *Inanes utres ventus inflat, sic stultos homines opinio.*

Socrat. apud Stob.

Tranq.c.52. III. Transgredior ad Romanos, apud quos fortiora legimus hujusce virtutis exempla. AUGUSTUS Cæsar, *Dictaturam magnâ vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.* DOMINI *appellationem, ut maledictum, & opprobrium, semper exhorruit. Cùm, spectante eo ludos, pronuntiatum esset à Mimo:* O DOMINUM ÆQUUM, & BONUM! *& universi, quasi de ipso dictum, exultantes comprobassent: statim manu vultuq; indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimè corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel jocò passus est.* Et posteà, *Non temerè urbe, opidove ullo egressus, nisi vespere, aut noctu, nequem officii caussa inquietaret.*

Idi.cap.26. IV. Nec minoris abstinentiæ fuit TIBERIUS eius priuignus; Siquidem initio Principatus, *ex plurimis, maximisq; honoribus, præter paucos, & modicos non recepit.* Nec istud tantum, sed *etiam statuas, atque imagines, nisi permittente se,*

poni

*poni prohibuit.* Immò *nomen* PATRIS PATRIÆ (ſatis alioqui eo æuo receptum) *à populo ſæpius ingeſtum repudiauit: neque in acta ſua iurari; quanquàm cenſente Senatu permiſit. Cuncta mortalium incerta; quantòque plus adeptus foret, tantò ſe magis in lubrico dictitans.* Tacit. 1. Annal.

V. Hac etiam animi moderatione uſum video CLAUDIUM Cæſarem: quem quidem ob ſingularem clementiam, quam ubique exercebat, *Patrem Senatus* porrò appellandum Vipſanius Conſul ad Senatum referebat: *Sed ipſe cohibuit Conſulem,* ait Tacitus, *ut nimiùm aſſentantem.* Annal. 11.

VI. NERO Imp. quanquam Romani Imperii dedecus, certo tamen tempore adeò acceptus fuit S.P.Q.R. *ut menſe Decembri (quo menſe natus erat) annum reverti Patres cenſerent:* verùm, quâ tum erat modeſtiâ, veterum religionem Kalendarum Ianuar. inchoando anno retinuit. Id. 13. Annal.

VII. Sed mirabilior eius temperantia viſa eſt, cum triumpho, qui ei unà cum *Liuio Salinatore* ob devictum *Aſdrubalem* à Senatu decretus erat, uti noluit: quia res in Provincia Salinatoris geſta fuerat. *Sine curru ergò triumphavit, eò quidem clarius, quòd illius victoria tantummodo laudabatur: huius etiam moderatio.* Val. Max. l. 4. c. 1.

VIII. CN. POMPEIUS, cùm poſt in Africa res geſtas, toto conſpirante exercitu, *Imperatoris* nomine honeſtaretur, honorem renuens, nunquam epiſtolis, aut chirographis hoc nomen uſurpare voluit. Plutarch.

IX. M. ANTONIUS, eodem Plut. teſte, cùm Rhodum inſulam vi, ac impreſſione expugnaſſet, & in ingreſſu paſſim ſalutaretur Rex, & Dominus, *Nec Rex ſum,* inquit, *nec Dominus, ſed Regis ac Domini interfector.*

X. Quid de optimo CÆSARE TRAIANO dicam? Huic cùm quamplurimi deferrentur honores, reliquis poſthabitis *Optimi* cognomento contentus fuit, *Fœlicis* enim cognomen rejecit, quod non moribus; ſed fortunæ datur; ſed & *Magni*, cui plus invidiæ, quàm pulchritudinis ineſt. Atque ideò meritò in hunc modum per ſuum Encomiaſten dilaudatur: *Scis,* inquit, *ubi vera Principis, ubi ſempiterna ſit gloria, ubi ſint honores in quos nihil flammis, nihil ſenectuti, nihil ſucceſſoribus liceat: Arcus enim & ſtatuas, aras etiam, templaque demolitur ætas, & obſcurat oblivio, negligit carpitque poſteritas; contrà contemptor ambitionis, & infinitæ poteſtatis domitor ac frænator Animus, ipsâ vetuſtate floreſcit, nec ab ullis magis laudatur, quàm quibus minimè neceſſe eſt.* Plin. Paneg.

XI. Atque iſti quidem Ethnici, qui profectò rubori eſſe deberent pleriſque Chriſtianis, qui ut nihil, aut parum curant animum, ſummum in homine bonum, ita omnia ſtudia, cogitationes, & conſilia ad cupiditatem & gloriam referunt, quæ ſola mentes eorum exagitat, neque non alienat à cognitione veræ gloriæ, ſummique boni. O miſeriam! ò cæcitatem dolendam! *Tela eorum,* inquit ſacer Vates, *non erunt in veſtimentum.* Et ut ſint aliquid, *oſtenduntur iſtæ res* (divitiarum & gloriæ cupiditas) *non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt.* Taxantur ambitioſi. Senec. ep. 111

Quo majore mentis nebulâ involvuntur illi, qui iiſdem ambitionis, & gloriæ ſtimulis agitati, bellis nunquam non vacant, infeſtando vicinas regiones per falſiſſimas cauſas, non ſine ſua, ſuorumq; civium, & calamitate, & pernicie: juſtè quidem ſic retribuente Domino, ut qui aliis unciam damni præbent, libram ſibi ab iis, unde opem accipere deberent, acceſſunt.

*Lib. 7. Comment.* XII. Inter cauſas, quæ CAROLUM *Burgundum*, cognomento AUDACEM, in ruinam, & exitium præcipitem egerunt, præcipuam recenſet Philippus Cominæus illius familiaris, ambitionem, & ad antiquorum Principum gloriam aſcendendi cupidinem: *quæ illum*, inquit, *iracundum reddebat, & promptum ad bellum vicinis omnibus temerè, & ſine cauſa inferendum.*

*Sueton. c. 21.* XIII. Abſimilis AUGUSTO CÆSARI, *qui tantum abfuit à cupiditate quoquo modo Imperium, vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam Barbarorum Principes in æde Martis Vltoris jurare coëgerit manſuros ſe in fide ac pace, quam peterent,* &c. *qua virtutis, moderationisq́ue fama, Indos etiam ac Schytas, auditu modò cognito pellexit* (notate) *ad amicitiam ſuam, populiq́ue Romani vltrò per legatos petendam.*

XIV. Diſſimilis etiam ALBERTO Bavariæ Duci, abavo Ferdinandi (quem honoris cauſa nomino) Eburorum Principi, qui mortuo Bohemiæ Rege *Alberto*, in Regem, procerum communi voto, cùm electus eſſet proceribus gratias egit, eius ſe regni faſtidire inquiens aditionem, cuius Dominus hæredem, & ſucceſſorem reliquiſſet.

*Reuſner. in Oper. Gen. in ſtirpe Legionenſi.* XV. Par moderationis exemplum in FERDINANDO Henrici III. Caſtellæ Regis fratre. Ille enim tutor nepoti ſuo *Ioanni II.* octo menſes nato à fratre inſtitutus, atque in publicis regni comitiis à Caſtellæ proceribus, populoq́ue obnixè rogatus, ut relictâ nepotis tutelâ, ipſe regnare vellet, arbitratus eſt omnia Regum commoda perfidiæ nota, labeque maculata, nihil ſibi commodi allatura: quapropter oblatum ſibi regium cum ipſo regno titulum, renuit, ſprevit, rejecit: unde cognomine JUSTI meritò cohoneſtatus eſt. Quam juſtiſſimi Principis integritatem moderationemq́ue, Deus poſt aliquot annos regnis *Aragoniæ & Siciliæ* compenſavit, & liberos, nepoteſq́ue eius ſummâ etiam fœlicitate cumulavit: nam non ſolùm plurimorum regnorum acceſſione eos auxit (nempe *Neapolis, Caſtellæ, Legionis, Luſitaniæ,* atque adeò totius *Hiſpaniæ,*) verumetiam eorum Imperium ad novum orbem, uſq; propagavit. Potentiſſimus enim Rex Catholicus PHILIPPUS IV. qui hodie ampliſſimæ Hiſpaniarum atq; Indiarum monarchiæ habenas moderatur, trinepos eſt huius juſtiſſimi, & integerrimi Principis FERDINANDI; quibus idcircò illud, quod de juſto, & ſemine eius cecinit Pſalmiſta aptiſſimè convenit: Potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur, & gloria & divitiæ in domo ejus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

XVI. Si CAROLUS ille, de quo paullò antè, hac modeſtiâ præditus fuiſſet, neque

neque per immensam ambitionem, ut Cominæus scribit, & gloriam adjecisset oculos ad Lotharingiam, Sabaudiam, Helvetiam, aliasque regiones, per quas illi pateret via ad Italiam, aliasque Provincias subjugandas, dubio procul tam acerbo non periisset fato in obsidione Nancæana. Discant alii alieno periculo *terminos imperii coërcere*, ambitionem ponere, suo Catone contenti esse: quod consilium suis successoribus Augustum Cæsarem reliquisse, auctor est Tacitus. Demiror quidem aliquos, quos tantò propriores ab animi moderatione esse par esset, quantò remotos & alienos cernimus, incumbere in eam curam, ut oculos & animum in alienas ditiones conjiciant, suas verò interim negligant, ac potiùs perdant. Meminisse deberent Venetam Remp. non aliam ob causam sedente Julio II. Pont. Max. libertatem penè amisisse, nisi quia cæteri, qui ditiones in Italia obtinebant, animadvertentes aut suspicantes ad Imperium totius Italiæ Venetos, Pisanis iam attentatis, adspirare, contra illos icto fœdere conspirârunt. quod prudentiores illius Reipubl. Senatores satis ante providerant: ideoque dum de oppugnandis Pisanis consultabatur, in alia ibant illi omnia, (vt ex Guicciardino prodidit Amiratus) moti totam Italiam jam ipsorum magnitudinem ægris oculis adspiceret, proinde hanc Pisanam affectatam dominationem, cunctis permolestam fore; quin etiam inde vexationes & pericula majora quàm quis suspicari possit expectanda esse, longèque illos aberrare, qui sibi persuadebant, cæteros Principes otiosissimos tanti incrementi spectatores fore, & passuros, ut Veneto Italis jam formidando Imperio, ea Pisanæ civitatis opportunitas adjungeretur.

*1. Annal.*

*Lib. 1 Dissert. polit. Dis. 6.*

---

## CAPUT XVIII.

*Et universè, sic Moderatum decet Principem, ut in omni vita, singularem continentiam moderationemq; servet, ac præ se ferat.*

Verissime siquidem scribit divinus Plato, virum Principem, si Continentiam, modestiamque non habeat, reliquas licet virtutes habeat, incassum laborare ad rectam Reipub. administrationem. Etenim, cùm homines voluptatum illecebris facillimè abripiantur, (*natura* enim *in deterius prona est, & quibusdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat*) siquid in Principe immodestum, siquid immoderatum, aut nimium deprehenderint, neglectâ mox omni virtute illud apprehendent. Ut pictor, manu & curâ facili effingit, quidquid næuorum est in facie, non etiam ipsam: sic nobis in difficili est Virtutis imitatio, vitiorum longè facillima.

*Lactn. 3. Divin. Inst. c. 1.*

Planè, *ad deteriora faciles sumus: nec pronum tantum est iter ad vitia, sed etiam præceps:* maximè autem ubi Principes illuc ducunt, Isocrate asserente:

*Senec. ep. 89.*

Orat. ad Nicloclem. *Nequaquam ignorare debes,*inquit,*totius civitatis mores ad exemplum eorum qui præsunt,conformari. Itaque non postules,ut alii modestè vivant, tuam modò Continentiam aliis exempli vice proponito.* Nempè *quid est negotii, continere eos quibus præsis, si te ipse contineas ?* Cic. Epist. 1. ad Q. Fratr.

Quod ut assequaris, semper & ubique fragilitatis humanæ meminisse debes, & multiplices rerum humanarum casus præter oculos habere. *Quid est,*ut cum Seneca, *quod non fortuna, cùm voluit,ex florentissimo detrahat, quod non eò magis aggrediatur & quatiat,quò speciosius fulget ? Quid illi arduum, quidvè difficile est? ——— Plena est exemplorum vetustas,plena etiam præsens ætas,qui Reges fœlicitatem calamitate mutarint :* Epist. 92. Boët. 3. de Consf. pros. 5.

Sophoc. in Antigone.

*——— Nam rotat omnia*
*Fortuna : præcipites dat, & rursum erigit*
*Iuxta potentes atque miseros.*

O Princeps, salubre monitum est :

Philoct. apud Sophoc.

*——— Extra damna qui pedes habet,*
*Quæ ingruere possunt, prospicere debet mala.*

Herod. lib. 1. Siquidem, *humanarum rerum est velut circulus quidam,qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit. ——— Illi, illi sunt sapientes, qui res secundas in ambiguo ponunt, & adversas iidem moderatiùs ferre possunt.* Thucyd. lib. 4. Hist.

Senec. de Tranq. Enimverò, *tutior eris superbiam detrahendo rebus per se superbis, & fortunam tuam, quàm maximè poteris in planum deferendo. ——— Fœlicitati tuæ impone frænum, meliùs illam reges.* Curt. lib. 7.

Lib. 2. c. 7. Itaque modestia de qua aliàs in cultu aliisque rebus externis usurpanda.

Clau. 6. Hon.

*Publicus hinc ardescit amor, cum moribus æquis,*
*Inclinat populo Regale modestia culmen.*

---

*EXEMPLA secundi membri cum MONITIS.*

Primi mẽbri exempla petantur ex Cap. 9. libri 1. Plutar. & Q. Curt.

I. EN ALEXANDER MAGNUS, qui primis Imperij annis modestus,sobrius, & omnifariam temperans,neque fortitudine,consilio, liberalitate, continentiâ, aliisque virtutibus seu bellicis, seu civilibus sui similem habens neminem,simul atque multis,ac continuis præliis, victoriisque celebratus fuit,immodestus, insolensque factus est, cùm in homines, tùm in Deum ipsum,ut qui non iam Philippi filius, sed Iovis Hammonij dici vellet, atque se uti Ioue genitum adorari; quæ insolentia hac animadversione punita fuit, ut in ipso ætatis flore, hoc est quarto,& tricesimo ætatis anno,veneno,ut nonnulli autumant, mortalitatem expleret, totis triginta diebus sepulturâ carens.

Val. Max. 6.6. c.9. II. ALCIBIADEM Atheniensem quasi duæ fortunæ partitæ sunt, inquit Valerius; altera quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes divitias, formam præstan-

ſtantiſſimam, favorem civium propenſum, ſumma imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantiſſimum ingenium aſſignaret; altera, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret. Nec aut hæc, aut illa ſimul univerſa, ſed variè perplexa, freto, atque æſtui ſimillima.

III. Sesostoris Ægyptiorum Rex, illuſtris admodum, & fœlix, plurimas, & maximas ſibi ſubjecit nationes, atque eo ſucceſſu in protervam arrogantiam ſublatus, currum ſibi aureum pellucidis, pretioſiſſimisque lapillis ornatum fieri curavit, in quo conſidens, quatuor ex devictis Regibus currui, qui eum veherent iugo illis impoſito juſſit. Hoc verò cùm ſæpius fieret, & celebri quodam feſtoque die, ex quatuor iſtis Regibus unus oculis converſis continuò retroſpiceret, & rotæ volubilitatem intueretur, *Seſoſtorisque* eum, cujus rei gratia tàm frequenter oculos in rotam conjiceret, percontaretur, reſpondiſſe is fertur: *Cum ſtupore admiror Fortunæ rotam, cùm eam inſtabili modo ferri, atque alias aliter volvi, & nunc quidem ſublimia dimittentem nunc demiſſa ſublimantem conſpicio.* Seſoſtoris porrò, ubi dictum id intellexit, ſtatuit ne illi poſthac currum traherent, veritus, ne captos Reges elatè ſubjugantem, in ipſo curſu Fortuna mutata, gravior aliquis caſus feriret. *Baron. tom. 9. Annal.*

IV. Dionysius verò Syracuſanus, quale fortunæ ludibrium exiſtit? ecce, ut potentiam ejus adumbremus, naves poſſidebat quadringentas, pedeſtres, copias ad centum millia hominum; equitum novem millia. Civitas verò Syracuſiorum maximis portubus erat inſtructa, mœnibusque altiſſimis munita. Reconditum inſuper frumentum, ad centum modiorum myriadas: atque armamentarium ſcutis, gladiis, haſtis, tibialibus innumeris, thoracibus, & catapultis plenum: ad hæc ſociis infinitis, fœderatisque pollebat. His rebus confidens *Dionyſius*, adamantinum imperium obtinere ſe rebatur. Sed ecce teſtulæ converſionem: poſtquàm eò furoris pervenit, ut fratres ſuos morte mulctaſſet, videt indè proprios filios crudeliſſimè mactari, virgineum pudorem filiabus eripi, atque poſt illa, nudas trucidari: affines, aut viuos comburi, aut diſſecari, inque mare projici: Tandem ipſe in extremà neceſſitate vitam ſenex tranſegit: ſedensque in tonſtrinis, riſum hominibus commovit, atque in media Græcia turpiter verſatus, miſerrimam vitam traduxit. *Ælian. Var. Hiſt lib. 4.*

V. Quid in ſuperbo illo Xerxe? Is exercitum longè copioſiſſimum, utpotè decies centena millia hominum, in Græciam duxerat, tandem ad Salaminem maximam cladem paſſus, parva cymba fugiens, rediit in Aſiam, & aliquantò poſt *Artabani* gladio cervicem ſuam præbêre coactus eſt. *Eod. & Iuſtin.*

VI. De Agide Plutarchus: *Ita, qui breviſſimo ſpatio maximas perpetrauit res, & parum abfuit, quin univerſa uno ambitu potitus ſit Peloponneſo, puncto temporis rurſus ab omnibus excidit.* *In eius vita.*

VII. Apud Romanos perpende mihi Valerianum Imper. potentiſſimum *Aurel. Vict.*

mum: qui ab hoste Persa interceptus, quindecim ipsos annos ignominiosam servivit servitutem: adeò ut quoties equum Rex conscenderet, non manu *Valeriani*, sed dorso ipsius procumbentis adjuvaretur. Idem de BAIAZETHE Turcarum Principe legitur, nisi quod hîc, quo magis despicatui haberetur, catenis vinctus aureis à *Tamerlano* Tartarorum Rege micas sub eius mensa, quò famem sedaret, colligere cogebatur.

*Philip. Leonizer. lib. 1. de Tur. orig.*

*Liu. Plut. Dio.* VIII. Quid prætereo POMPEIUM illum MAGNUM, meritò inter Principes, & Principum casus numerandum? An non Ægyptiorum spadones turpiter illum trucidarunt? Nec satis fuit ad mortem adegisse, nisi & caput ejus, quod paullò ante gentium terror exstiterat, hosti, & quidem hosti socero dono darent.

*Suet. aliiq́.* IX. Taceamnè eius socerum C. JULIUM CÆSAREM? hic præter omnium exspectationem tribus & viginti vulneribus confoditur, vel à suis necessariis, vel fidissimis amicis, atque id frequenti Senatu, quo in loco singulorum ora, singulorum oculos in se dicentem, vel orantem convertebat.

X. Vani esset, & otio abutentis singulorum casibus immorari; cùm satis constet ab Augusto Cęsare ad Constantinum Magnum, curriculo nimirum 300 vel circiter annorum, numerari Imperatores quadraginta tres, qui violētā morte occubuerunt. Ut non mirum sit, si *Diocletianus* Imp. aliiq́; fortunæ mobilitatem cōsiderantes, Imperio sese abdicarint, & in privatā secesserint vitam. *Raro enim permanent usque ad exitum successus. & si primo Augusto fuisse videantur, tamen & acceptæ in Germania clades, & domesticæ libidines* (filiarum) *hominis fœlicitatem turbauêre: & quod minùs fieri debuit, Livia uxor, venenatas porrexit ficos, ut cunctantem in sene animam citiùs educeret.*

*Pomp. Lætus*

*Hester 17.* XI. Ad sacra progredi libet, In his occurrit mihi unus AMAN apud Assuerum Regem, qui tantā pollebat gratiā, & auctoritate, ut ille solus ab Regina Hester cum Rege ad convivium invitaretur, de quo etiam apud suos magnificè gloriabatur. Verùm, quo die in convivio exceptus fuit, eodem strangulatus periit, etiam jubente Rege, cui intimus erat; etiam in gratiam Reginæ, quæ invitaverat; etiam in eodem patibulo, quod Mardocheo parauerat.

*Iudith 13.* XII. HOLOFERNES Assyriorum Dux fortissimus, quâ se nocte beatissimum putabat, & post jucundissimas epulas concupitis amoribus frui sperabat, & Bethuliæ Civitatem, quam diù obsederat, iam iam in manus suas dedendam non dubitabat, eâ nocte ab inermi muliere capite abscisso interiit, totumqúe cum vita exercitum amisit.

*Daniel. 5.* XIII. BALTHASAR ex eadem gente, nihil mali suspicatus, vnâ nocte, & vitâ & regno exsutus fuit.

*Hester 2.* XIV. Idem ASSUERO Persarum Regi accidisset, nisi conjurationem ministrorum Mardochæus detexisset.

XV. De Christianorum verò Regum ac Principum repentino & inopinato inte-

interitu, nihil attinet cõmemorare: cùm & Annales iis referti sint, & nostra etiã ætas & memoria, plurima, proh dolor, suppeditant exempla. Sed insigniora tamen vel dicis causa referantur. Atque ut à Gallia nobis vicina incipiamus, nunquid CHILPERICUS, & LUDOVICUS à subditis regno pulsi fuère? Quid in FRANCISCO I. & HENRICO III. immò, proh Deum immortalem, quid de invictissimo illo HENRICO IV. dicam? an non primus ille post tot insignes victorias tandem victus capitur; alter ab uno monacho trucidatur; hîc verò ab aliquo scurra in mediis viis, in ipso capite urbium Lutetia, ipso triumphi, aut certè sequenti inaugurationis Reginæ die, quâ cuncti mortales ad famam, gloriamque immò & potentiam ejus propalandam, conspirasse videbantur, stupendum in modum confoditur? *Frossard.* *Anno 1610. 14. Maji.*

XVI. In Germania, quis HENRICO item IV. pluribus præliis clarior? si fides annalibus, sexagies cum hoste dimicasse dicitur, atque tamen post decursos amplissimos honores, tandem ab impio filio in vincula conjicitur; nec solvitur, dum anima solveretur vinculis servitutis humanæ. *Ex Annal. German.*

XVII. In Anglia RICHARDUS Principis Gallensis filius, cùm tanto honore affectus fuisset, quantò antè illum in Anglia nullus, in senectute (cui ætati requies maximè necessaria) ab hoste captus, miser & egenus reliquum vitæ spatium traduxit. *Polyd. Virg.*

XVIII. Dani etiam Reges, novercantem pariter fortunã senserunt: CHRISTIERNUS enim Rex, rerum gestarum gloriâ florens, tandem regno exsuitur, & moritur in captivitate. *Indidem.*

XIX. Ipsa Hispania nunquid euadet? Ecce tibi PETRUS unus, in quem cùm impotenter ac sæuiter aliquandiu regnasset, *Henricus* frater copias letiferas parat. Cùm ergò ad manus, & ad pugnam ventum, alter alterum capit, & letaliter percutit, victorque sceptrum capit incolis benevolentibus. *Hayton. de Reg. Hisp.*

Videtis Principes rerum, & fortunæ vicissitudinem: quæ tùm maximè mobilis est, & fluxa, cùm modestiæ & moderationis orbitam transgredi mortales cernit, vel nimioperè secundis rebus fidere, vel efferri. Id quod apertè AMURATHES Turcarum Imperator testatur verbis quidem memoratu dignis: *Omnia sibi licère statuit stolida mortalium temeritas, ubi semel aliquo secundarum rerum incremento delinitus est animus. Inde vix sui cõpos mens, & præsentis iam impatiens fortunæ, modò hac, modò illac pererrans, otia aliorũ turbat, & pro libidine aucupatur bella, donec miserrimo tandẽ exitu, inanium lueat cogitationum pœnas.* Præclarè omnia, & consentanea Sapientis effato: *Multi tyranni sederunt in throno, & post modicum tempus, qui non reputabatur, portauit diadema ipsorum; multi potentes repentè oppressi sunt, & gloria eorum tradita est aliis.* Gloria, quæ certò fluxa est, & sæpenumerò momentanea: *Vidi impium*, inquit Regius Vates, *super exaltatũ sicut cedros Libani. Transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & nõ est inventus locus ejus.* Testatur hoc de se ipse Oedipus: *Ego qui excellui omnes Reges* *Ecclesi. 11.* *Psal. 36.* *Euripid.*

*ſapientiâ, nunc quid ſum, niſi evaneſcens umbra, vel cadaver, vel volatile ſomniũ?* Hæc eſt magni Regis vox, à ſceptro ad ſarcophagum devoluti. Itaque vide, *ne quantò altius elatus es* (quod benè monet Livius) *hoc fœdius corruas.* Nam cuiuis accidere poteſt, quod cuiquam poteſt. Multum ille, & fœliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit. Contine te intrà ſepta modeſtiæ, & tutior utique eris, Siracide Monente: *Quanto maior es, humilia te in omnibus: & coram Deo invenies gratiam.* & hoc, impendiò magis, *quod difficile ſit, cùm quis potentiam ſibi miniſtram habet, moderari ſibi, quaſiq́ue frænos imponere cupiditatibus.* Cæterùm, monui etiam in aphoriſmis, *Modeſtiam* in cultu corporis uſurpandam: quod probemus exemplis.

Lib. 30. Eccleſiaſt. 3. Herodian. lib. 1.

I. AUGUSTI Cæſ. apud Romanos ſingularis notata eſt in veſtitu modeſtia, ſtylo Suetonij expreſſa, *Inſtrumenti ejus, & ſupellectilis parſimonia apparet etiam nunc reſiduis lectis, atque menſis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ ſint. Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili & modicè inſtrato. Veſte non temerè aliâ, quàm domeſticâ uſus eſt ab uxore, & ſorore, & filiâ, neptibusq́ue confecta, Togis neque reſtrictis, neque fuſis, clavo nec lato, nec anguſto: calceamentis altiuſculis, ut procerior quàm erat videretur.* Et iterum: *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula & thorace lineo & feminalibus, & tibialibus muniebatur: Æſtate apertis cubiculi foribus, ac ſæpe in periſtylio ſaliente aquâ, atque etiam ventilante aliquo cubabat.*

Cap. 73. Cap. 82.

II. ALEXANDER verò SEVERUS *Gemmas omnes quas reperit in palatio vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens, viris gemmas uſui non eſſe: matronas autem regias, contentas eſſe debere uno reticulo, atq́ue inauribus, & baccato monili, & coronâ in qua ſacrificarent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade, quæ plus ſex unciis auri non haberet.* Hic cultus hodie vix ſufficit negotiatorum uxoribus.

Lamprid.

III. Ac ut veteres omittamus maximoperè dilaudatur RUDOLPHUS Imperator Auſtriacus. Nam nihil veſtitu, inquit Lipſius, à plebejo differebat. Iſto igitur amictus manè aurâ frigidiore, videt uſpiam in piſtoris domo carbones de fornace recentes ignitoſque. Intrat ſolus fidenter, adſiſtit, calefacit: cùm mulier eum adſpicit, & ex veſtitu æſtimans, *Heus* inquit, *mi homo, parum decet vos ad mulierculas & in alienam domum ſic venire.* Rudolphus: *Mea mater, miles ſum, qui res meas in obſequio & comitatu Imperatoris contrivi; at ille parum benignè me nunc habet, nec pro ſpe aut meritis muneratur.* Mulier ad illud Imperatoris nomen cœpit ſtomachari, & multa mala in Rudolphum dicere: *Quin iſte vir eſt,* inquit, *qui nos & noſtra perdit, pauperum ſcopulus, & exitium. Meritò hæc vobis eveniunt qui adhæretis & ſequimini, atque ut plura eveniant, opto.* Rudolphus delectatus procacia mulierculæ: *Sed mulier,* inquit, *de me miſſum face: vos propriè quâ re læſit?* Ibi mulier: *Illenè? qui omnes paſtores hujus urbis lautos ſatis antea fortunis evertit; nec facilè reſurgemus. At tu bone vir fabulari deſine, nec ultrà moleſtia aut impedimento nobis eſto. Abi.* Aliquid voluiſſet etiam Rudolphus,

I. Lipſius in Monit. pol.

phus, sed illa Amazon vas aquarium in prunas accensas iecit, & fumo, vapore, cinere perfusum ejecit.

Ecce quàm curiosus bonus iste Imperator in cultu, nec solum privatim, sed etiam publicè. At progrediamur, & abstinentiam hanc siue modestiam in subditis, si fieri potest, inducamus.

---

## CAPUT XIX.

*Atque hæc quidem omnia, ut subditi etiam assequantur, curabit per* Censores morum: *qui, ne in victu, vestituq; modum excedant; nevè cupiditatibus, atque pravis artibus indulgeant, legibus propositis providebunt.*

QVemadmodum illa medicina magis probanda, quæ valetudinem integram conseruat, quàm quæ affectam, ac vitiatam restituit: ita leges illæ longè præstantiores, quæ mores cōtinent, quàm quæ corruptos ad sanitatē publicâ animadversione certant revocare. Quoniam igitur boni mores plerumq; corrūpuntur, luxu nimium invalescente, vel dominante, providi Principis erit, in tempore per *Censores* providere, ne subditi temperantiæ metas excedant, sua profundendo: quod quibus in rebus accidat, quique medeatur Princeps, ipso hoc Capite ostendemus. Nam *sicut in corporibus ægris, nihil quod nocitu-* *Curtius li.6.* *rum est, Medici relinquunt, sic nos quidquid obstat Imperio, ut recidantur cavere debemus.*

*Censores* itaque, ac Magistros moribus præficiet: quibus imprimis cura sit circa Convivia; *ne luxus* scilicet *mensæ profusis sumptibus exerceatur.* Quod commodùm faciet reductis, aut novè constitutis legibus: tùm priuatorum mensis, tùm popinis, atque comessationibus modum præscribet. Alioquin, *quæ alia spes* *Tacit. 3. Annal.* *ejusmodi prodigis, quàm in nouis rebus superesse poterit?*

II. Arcebit etiam à vestibus superfluitatem, & impensam gravem; maximè *Id. 15. Ann.* si conditio Reipub. eam non patiatur. Nam cæteroquin sumptuosam illam *ju-* *Sallust. Cat.* *ventutem, ubi familiares opes defecerint, ad facinora incendet.* Immò, *mouebunt composita, & res novas sceleribus acquirent.* Ipsum quod docuit quoque Philo- *Ibid.* sophus, dum inquit: *Fiunt in Repub. mutationes, cùm homines sua consumunt,* *Arist. 5. Pol.* *prodigè viventes. Hi enim tales res novas quærunt.* Id quod accidere tùm maximè solet, cùm animum referunt ad novos, & externos habitus & ritus, quorum usurpationem plerumque sequitur mutatio morum atque ingeniorum: quod indicat Satyricus: *Iuvenal. Sat. 14.*

*——— ——— peregrina ignotaq; nobis*
*Ad scelus, atque nefas quodcumque est, purpura ducit.*

*L.18. C. de Testam. novel. 112.* Itaque, *retinendus est mos fidelissimæ vetustatis.* In quam sententiam Plato: *Pestis Reipub. tum maximè metuenda est cum novis commentis homines delectantur; inusitatos corporis gestus probant, novam vestium supellectilem accersunt.*

*Lib. 7. de legib.* III. Tertiò, *libidinem à juventute prohibebit.* A juventute autem? immò verò etiam à senectute: *Luxuria enim, cùm omni ætati sit turpis, tùm maximè senibus fœdissima est.*

*Sallust. ad Cæs. Orat. 1. Cic. 2 de Of. Cassiod. 1. var. ep. 39.* IV. Postremò, otium, (malorum omnium segetem) è Republ. tollet. *Natura siquidem humana, sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur.* Enimverò, non possum non cum Alcibiade sentire, *civitatem negotiosam, si negotium cum otio commutet, statim eversionem, aut, ut minimum, status mutationem passuram.* Quid ita? quia *Otiosus semper in desideriis vivit.* Itaque rectè Poëta:

*Apud Thucyd. lib. 6. Plato ep. ad Prop. & amic. Dionys. Catul. car. 52.*

*Otium & Reges simul & beatas*
*Perdidit urbes.*

*Tacit. 4 an.* *Nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiat.*

*Sallust. ad Cæs. Orat. 1. Ennod. in Paneg.* Providebit ergò, ut abruptis voluptatibus, *plebs negotia sua habeat, quibus à malo publico detineatur.* Quod ipsum haud segniter curavisse Theodoricum Gothorum Regem legimus, cujus ævo, *nullarum artium cessabat industria: Solers, ubicunque latebat, inquirebatur.* Utinam, Principes, utinam iisdem hodie moribus viveremus! Respublica, (verè sentio) non ita perditis moribus esset, olim ruitura, nisi salutaribus Edictis fulciatur. Rectè enim Romanus Scipio *censebat, non fœlicem esse Rempub. stantibus mœnibus, ruentibus moribus.*

*Apud Augustin. 1 de ciu. Dei. c. 33*

*Cicer. pro Sulla. Tac. 1. Hist.* V. Sed enim sigillatim, & paullatim hæc emendabitis: *Neque enim quisquã nostrûm subitò fingi, neque cujusquam repentè vita mutari, aut natura converti potest,* ——— *Nocet certè antiquus error, & nimia severitas, cui iam pares non sumus.* Vestra itaque sedulitas & prudentia hîc valeat Principes, existimantes, *beatam civium vitam vobis propositam esse:* cujusmodi nunquam erit, bonis nisi moribus condiatur. Veriloquium est: *Imperium iis artibus, &* moribus, *facillimè retinetur, quibus ab initio partum est.*

*Cicer. 5. de Rep. Sallust. in Catil.*

---

## *EXEMPLA, MONITIS aspersa.*

*Noct. attic. 2. c. 24.* Leges sumptuariæ apud Romanos. I. MEmoriæ prodidit AGELLIUS, vir rerum, literarumque veterum peritissimus, parcimoniam apud veteres non domesticâ solum observatione, ac disciplinâ, sed publicâ quoque animadversione, legumque complurium sanctionibus custoditam esse: easque leges, quibus mensarum luxus coërcebatur, singillatim recenset, cujusmodi fuit lex Fannia, Licinia, Æmilia, Antia, Julia; quibus accesserunt Censores, qui vitam, moresque civium examinabant: & in eos animadvertebatur non sine magna ignominia. Quid enim turpius, quàm Sena-

*V. Fenestellæ de Magistr. Rom. c. 17.*

Senatorem, Equitemvè ordine moveri, civem autem tribu deleri? Utinam antiqua illa morum Censura reviviſceret, neque iam sepultæ jacerent tot leges bono publico sanctæ in omnem luxum, libidinem, pravas voluptates.

*Sueton. c. 43. Id. cap. 34. Id cap. 16.*

II. Ubi leges sumptuariæ, quas tàm seriò exercuit JULIUS ille CÆSAR, Romanæ militiæ, simul & eloquentiæ Princeps? Ubi, quas prudentissimus Imperatorum AUGUSTUS tulit? Ubi ille quas NERO, probrosæ alioqui vitæ Princeps, popinis imposuit? Ubi denique aliæ sexcentorum aliorum leges, a quibus luxus, & intemperantia civium Romanorum repressa fuit? Neque apud Romanos tantùm, sed & apud Athenienses ejusmodi leges, qui insuper οἰνόπτας, habebant (magistratus ejus nominis) qui convivia inspicerent, arbitrique essent, & Censores conviviorum, ne quid contra honesti, decorique normam in iis ageretur. Verùm, nescio quis insusurrat: Vetera hæc, & minùs idonea huic nostro æuo; genus illud hominum ferum, an barbarum, & nullâ aliâ arte tractandum nisi hac coërcitione. Vanæ istiusmodi voces, quasi nequiores nos, ac ferociores non ferat præsens ætas, de qua profectò dici potest, quod de sua cecinit Vates:

*Sigon. de Rep. Athen. l. 4.*

*Horat.*

*Ætas parentum pejor avis, tulit*
*Nos nequiores, mox datura*
*Progeniem vitiosiorem,*

Flectenda quædam, & moderanda pro temporibus hodiernis scio: sed ubique, & passim fibulam laxandam, ego, & prudentiores meritò negant.

*Ex Rebuff. ad Cōst. reg. tr. de Pan. aur. & arg. n. 31.*

III. Quis nesciat sumptuarias leges in *Gallia* viguisse? En PHILIPPUM PULCHRUM Regem edicentem, *ne ultra duo fercula, sive duos missus in prandio, vel in cœna consumantur, nevè assæ carnes in prandio apponantur.*

*Anno 1563. & 1577. Vid. C. Henrici IV. lib. 10. t. 10.*

IV. Nostrâ verò tempestate, scimus CAROLUM XI. & HENRICUM III. edicto cavisse, *ne in nuptiis, aliisq; conviviis plus quàm tria fercula apponantur:* constituta in transgressores legis pœna ducentarum librarum Parif. atque etiam in eos, qui interfuerint, nec rem Censori manifestaverint, quadraginta librarum consimilium: quâ etiam tenebantur Censores sive Judices, qui interfuerint, nec è vestigio recesserint, aut certè connivendo dissimularint. Quid quòd in ipsos coquos his edictis animadversum? leges quidem sanè cedro dignæ, & quas annis retractavit superioribus Henricus ejus nominis IV. Galliarum Rex potentissimus.

*Anno 1598.*

*Egnat. l. 2. c. 4.*

V. Neque tantùm in Gallia, verumetiam hâc ipsâ nostrâ ætate Venetijs, Genuæ, aliisque Italiæ Civitatibus, leges ejusmodi sumptuariæ receptæ, sartæ tectæque servantur: fuêreque tales leges in Hispania, præsertim Lusitaniæ Regno nonnullæ, neque non Germania, uti videre est cap. 15. Politiæ Caroli V. Ex quo perspicuum est, quanti sint ejusmodi leges momenti ad sistendam in sua sede Remp. cum nulla alia ratione, pleræq; orbis Respublicæ ad eas promulgandas incitatæ sint, ut ne corruptis intemperantiâ, & luxu civium animis, Respublicâ quo-

*Apud Stob. serm. 41.* quoque omnis vnà pessum iret, immò incideret in discrimen miseriarum. Rectè enim *Pythagoras* dicebat, primùm luxuriam civitates ingredi, deindè saturitatem, posteà contumeliam, postremò exitium. Quis nesciat Asiaticis deliciis Romam advectis, Imperium sensim debilitatum, civilibus, & domesticis bellis concussum, à barbaris verò tandem subversum, funditusque deletum? Lucium, si lubet, Florum audiamus: *Quæ enim alia res*, inquit, *furores civiles peperit, quàm nimia fœlicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes, atque divitiæ afflixêre sæculi mores, mersamq́; vitiis suis, quasi sentina, Rempubl. pessumdedêre.* Quare, quò ejusmodi motus, atque Reipubl. conversiones vitentur, Principum est omni industriâ studioq́;, coërcere civium intemperantiam; hoc præsertim tempore, quo honoris pretium ponitur in luxu, sumptuque Gallonio. Quod ex facili meâ quidem opinione assequentur, si temporum personarumque habitâ ratione, leges sumptuarias sanciant, quibus luxus ejusmodi, superfluitasq; tollatur circa convivia victumque quotidianum. Nam certè quod de sua Urbe olim Seneca, licet de plerisque nunc in Belgio usurpare, & queri: *Nunc conviviorum viget furor, & fœdissimum patrimoniorum exitium culina: Nunc habetur ebrietati honor, & plurimum meri cœpisse virtus est: nunc cultus corporis nimius, & formæ cura, præ se ferens animi deformitatem*, &c.

*Lib. 3. c. 12.*

*Lib. 1. de Benef.*

De luxu in vestibus.

Verùm, veniamus ad *luxum vestimentorum*.

I. Peccatur in populo circa vestimenta in luxu, & superfluo cultu. Postquàm enim graviores fecerint impensas emendis bombycinis, holosericis, phrygianis, aliisque pretiosis vestibus, immobilia vendere, & versuram facere coguntur, damno intereà ad publicum redeunte. Certum enim est Reipub. expedire, locupletes habere subditos; nevè quis re suâ malè vtatur. Quâ ratione Romæ factũ est, ut invalescente tàm conviviorum, quàm vestimentorum luxu, TIBERIUS Cæsar legem tulerit: *Ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent: Ne vestis serica, viros fœdaret.*

*Tac. 2. Annal. V. Sen. 7. de Benef. c. 8. in fin. epist. 19.*

*Dio lib. 49.*

II. AUGUSTUS verò Cæsar, edicto prohibuit, ne quisquam nisi Senator, quique in magistratu esset, purpuram gestaret, quam jam vulgò gestari videbat. Certè quidem purpuram gestare ad Principes tantum spectavit posteriori ævo: Nam THEODOSIUS, ARCADIUS, HONORIUS, & alii Imper. tàm mulieribus, quàm viris cujuscunque dignitatis usu vestium sericarum purpurarum interdixerunt, ut liquet ex eorum constitutione: sancita in venditores pœna mortis, & publicationis bonorum *l. 1. C. Quæ res venire non poss.*

*In l. 2. 3. & 4. C. de Vest. Holou. & aurat. li. 10.*

*Vopiscus.*

III. Quid in TACITO Imp. an non viris omnibus holosericâ veste interdixit? Nunc (malùm) eò luxuriæ ventum est, ut vel proletarii cives eâ utantur, veriùs dixerim, abutantur. Et non portendunt hæc Belgici status si non eversionem, certè mutationem?

*Cap. 8.*

IV. VESPASIANUS ipsam etiam unguentorum fragrantiam insigniter taxavit, si Suetonio credimus sic scribenti: *Ne quam occasionem corrigendi discipli-*

*nam*

*nam prætermitteret, adoleſcentulum fragrantem unguento, cùm ſibi pro impetratâ Præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam graviſſima increpuit, Mallem allium oboleuiſſes: litteraſq; revocavit.* ô benè factum!

V. Nec Romani tantùm è ſua Repub. luxum veſtimentorum ſuſtulerunt, ſed & SYRACUSANI: apud quos lege cautum erat, ne quis ſe auro ornaret, ſupervacaneiſq; veſtibus uteretur, niſi ſe mœchum eſſe fateretur, aut cinœdum. Præclaræ prorſus leges, & nunc ad uſum revocandæ, niſi mœchi & mulierioſi nunc prævalerent. *Athen. 2. c. 6.*

VI. Ac DIONYSIUS Syracuſanorum Princeps, adeò exoſam habuit in omni cultu luxuriam, ut nocentibus, qui ſupplicio afficiendi erant ignoſceret, ſi pretioſarum veſtium fures eſſent. *Indidem.*

VII. Iſtis omiſſis, ad LACEDÆMONIOS veniamus: Hi ſolis meretricibus floridas veſtes, atque aurum mundũ geſtare permiſerunt: propterea quod probas mulieres huiuſmodi ſuperfluum cultum minimè decêre arbitrarentur. Deus, & Superi faciant, ut Lacedæmoniorum exemplo, γυναικόνομον in noſtro Belgio aliquando habeamus, qui luxum fœminarum amoueant, pellantque, eſſet quidem è re honoris & bono patriæ, nedùm parentum, ac maritorum, quibus interdum cum creditoribus, vel uſurariis depaciſcendum, ex quo jurgia cõſequuntur decumana, ob earum intolerandum luxum & ſumptum. *Clemens Alex. Pædag. 2. c. 10.*

VIII. Sanè LYSANDER cùm à Dionyſio Siciliæ tyranno pro filiabus veſtes [pre]tioſiſſimas accepiſſet, illas remiſit, metuens, ne filiarum animus vanitate incontinentiaq; (cuius vexillum eſt luxus veſtium) contaminaretur. *Plutarch.*

IX. LYCURGUS verò juvenibus unâ tantum veſte, eaque obſoleta, & nullo diſcrimine à cæteris, uti toto anno permiſit. Quid fieret hac noſtra diſſoluta juventute, ſi Lycurgus hac lucis uſurâ frueretur? Certè rudimenta diſſolutionis emendandæ ſumeret ab veſtium luxuria: ex qua rapacitas, & libido, & omnis generis impietas procreatur. De his quidem dici poteſt, quod de Romana juventute olim dictum, genitos eſſe, qui neque ipſi habere poſſint res familiares, neq; alios pati: adeò corruptus eſt eorum animus, & luxu, & auaritiâ hiante, eaq; in miſeros ruſticanos redundante. *Alex ab Al. Genial. dier. 5. cap. 18. ex Plutarch.*

X. Ad ſummam, tàm accuratè leges veſtiarias exercuêre jam dicti LACEDÆMONII, ut Ephori, hoc eſt, ſupremi eorum magiſtratus, *quotidie inſpectiones obirent veſtimentorum, ſi quid in illis fortè à decenti, juſtoq; ornatu alienum inveniretur.* Mittamus Ethnicos. *Ælian 14. Var. c. 7.*

XI. PHILIPPUS igitur cognomento PULCHER, Galliæ Rex, varias olim ſancivit leges veſtiarias, & inter eas, *Ne quis veſtes ſericas geſtaret, ſed tantùm veſte lanea uteretur, cujus ulna non excederet valorem viginti quinque ſolidorum.* *Rebuff ad Conſt. reg. de Pan. aur. & argen. 31.*

XII. Et ſuperioribus annis HENRICUS IV. anno nimirum 1601. & ante eum HENRICUS II. circa annum Domini 1549. & quem præterieram CAROLUS IX. anno 1560. edictum promulgauêre, ut qui mercatores pannos ſericos, fidem empto- *Ex Cod. Henrici III. & IV.*

emptoris secuti venderent, legis actione carerent. Prudentes profectò Principes, qui & eò laudabiliores, quò suis exemplis subditos ab ejusmodi vestimentorum luxu avertebant. nam in HENRICO II. fide dignæ narrant historiæ, tibialibus byssinis nunquam usum fuisse: nunc apud infimæ notæ cives in frequentissimo usu sunt, sed mercatorum damno.

*Constit. Imperii cap. 11. & seq.* XIII. Denique CAROLUS V. Imper. tùm in Germania, tùm Belgio usum sericæ vestis, certis modò personis, habitâ nimirum census, & honorum ratione permisit. Quæ lex adeò usque observata fuit Bruxellis, aliisque in locis, vt in contumaces ocyssimè, acriterqúe adnimaduersum fuerit, quod scriptum nobis reliquit Iacobus Curtius, eruditus Iureconsultus. *Lib. 2. Εἰκαστῶν cap. 11.* Quam legem etiam extendit idem Carolus ad ephippia & ornamenta equorum, ut patet 14. Capite Constitutionis Politiæ Imp. Imperii.

XIV. Quid multis? nec adeò ipsi studiosi hîc exleges. namq; *Caroli* iam dicti avus FERDINANDUS Hisp. Rex usu longarum ac sericarũ vestium, neq; non promissorum capillorum studiosis omnibus, ò Deus bone! quid si iam viveret? etiam interdixit. *P. Math. 2. Hist.* Sic in Gallia superioribus annis HENRICUS IV. ne byssini ac serici panni intra limites Regni Gallicani inferrentur, edicto severo cavit.

Sed sunt nonnulli, qui hastis tanquam amentatis armati, in me exsurgent, & objicient, splendidiorem illum vestimentorum usum saltem nobilibus admittendum, ut ab ignobilibus discernantur. Nec id abnuo, dum excessus magniq; sumptus vitentur, qui potissimum augentur duabus hisce de causis. *Prima*, quod diversitas vestium ambiatur: *Altera*, quòd unius, duorumvè annorum spatio, ejusmodi vestimenta innouentur, sic quod quæ ante sesqui annum venerem suam in Aula habuêre, iam exoleta censeantur; quique non ea mutat, vel subsannatur, vel despicatui ab omnibus habetur, quam rem, fraudi esse mercatoribus, apud quos quin abeant in creditum, quis non videat?

Vestimentorum novitas è Rep. pellenda.

I. Inde JOANNES DUCAS Imp. Orientis, tollendi luxus causâ decreto sanxit, ne quis subditorum vteretur vestibus Assyriis, Babylonicis, Italicis, variisqúe artificiis confectis, ut & sericis: nisi is, quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominiâ vellet; sed his contenti essent, quas Romanæ Provinciæ ac manus præberent: id quod præter Bonfidium, scriptum reliquit Niceph. Gregoras. *Lib. 3. Hist Byzant.*

II. Longè dissimili ingenio ac judicio, ANDRONICUS DUCAS ejus filius, sub cujus imperio tanta fuit vestitus insolentia, atque mutatio in aula Constantinopolitana, ut non Græcorum amplius conventus, sed Latinorum, Mysiorum, Tribalorum, Syrorum, Phœnicum colluvies esse videretur: prudentioresqúe non obscurum omen vel mutandi, vel affligendi Imperij inde sumpserint: quod & euentus comprobavit. *Pet. Greg. 4. de Repub. ex Gregora l. 2.*

*Idem ex Q. Curt. 3.* III. Inter præsagia transferendi Imperii Persarum à Dario in Alexandrum Magnum, recensebant, DARIUM *principio imperii vaginam acinacis Persicam jussisse*

*jussisse mutari in eam formam, qua Græci uterentur: protinusq; Chaldæos interpretatos, Imperium Persarum ad eos transiturum quorum arma esset imitatus.*

IV. Prudenti igitur consilio AUGUSTUS Cæsar habitum, vestitumque exoticum è Repub. Romana sustulit, *pristinumq; reducere studuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans. En,* ait, *Suetō. c.40. V.Gell. l.13. cap. 20.*

*Romanos rerum dominos, gentemq; togatam:*

*Negotiumq; Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circovè nisi positis lacernis, togatum consistere.* Toga enim erat ex instituto Romuli, cuius extat lex; *Quisque demissam ad talos usque togam in urbe habeto.*

Transeo ad exempla *Libidinis* fugiendæ. *Vt & libido.*

I. Inter alias causas, quæ AUGUSTUM Imper. moverunt, ut legem Papiam, Poppæam ferret (quâ lege cœlibes ex aliorum testamentis quidquam capere non poterant, nisi intra 100. diem à morte testatoris, matrimonium contraherent) ista recensetur, ut nimirum conjugia frequentarentur, & praua libido hoc pacto ab urbe exterminaretur. Quam legem posteà, ut & alias caducarias primùm Imp. *Constantius,* [a] deinde *Iustinianus* sustulerunt [b]. *Dio 56. Sueton. c 34. V. Alciat. 1. Dispunct. c.3 Lips. in 3. lib. Annal. Tacit.*

II. Huc faciunt Constitutiones Regum Galliæ, quibus cavetur, ne lupanaria urbibus recipiantur, nevè meritoriis puellis ac lenonibus occultè, vel palam cœnacula elocentur: pœna in violatores statuta 120. librarum Parisf. aut in contumaces domus publicationis. Harum legum auctores recensentur *D. Ludouicus* anno 1254. *Carolus V.* anno 1369. *Carolus IX.* anno 1560. & *Henricus III.* anno 1586. ut constat ex Cod. ejusdem Henrici III. quæ Constitutiones utinam, atque ter utinam, jam retractarentur.

*a L.1. C. de Infirm. pœn. cœlib.*
*b L. Vnic. C. de Cad. toll.*

III. A Gallis ad BRITANNOS excurro, apud quos sancitum erat, ut virgo in fornicatione deprehensâ, de rupe præcipitaretur: virginis verò corruptor capite multaretur. *Polyd. Virg.*

IV. Quorum mentione UTOPIENSES occurrunt, apud quos lege cautum erat, ut qui mas, aut fœmina furtivæ libidinis convinceretur, præter acrem animaduersionem conjugio in totum illis interdiceretur, nisi noxam Principis venia remisisset. Sed & pater materque familias, cujus in domo flagitium admissum esset, magnæ obnoxius erat infamiæ. *Thom. Morus l.1. Vtop.*

V. Venia sit, si tempora misceantur, re sunt eadem. JULIUS CÆSAR libertum gratissimum ob adulteratam Equitis Romani uxorem (quamvis nullo querente) capitali pœnâ affecit. *Ex Sueton.*

VI AUGUSTUS ejus successor *Proculum* ex acceptissimus libertis mori coëgit, compertum adulterare matronas. *Indidem.*

VII. AURELIANUS verò, militem qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdemq; subitò dimitteret, ut scissus ille utrinque penderet. *Vopisc. in eius vita.*

*Ast* temporariæ istæ & subitæ pœnæ. quid de æuiternis? Effatum est Pauli

*Gen.6.19.34 Iulio. 20. 2.Reg.17.13. 3. Reg. 11. Tob.3. Dan.13. Num.25.*

Apostoli, *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt.* Exempla in sacris punitæ libidinis obvia sunt. Diluvium toti orbi inductum est: Sodomæ igne de cœlo consumptæ: Hemor subitò occisus: Sichem euersa: tota tribus Benjamin ad internecionem deleta: Amon à fratre Absalon occisus: Salomon idololatra factus: Saræ septem mariti occisi: Senes Susannæ accusatores lapidati: populi Arælitici hominum 24000. interfecti. Ut lubeat cum Hieronymo exclamare: *ô luxuri, ô ignis infernalis, cujus materia gula, cujus flammæ superbia, cujus scintillæ parua colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Sed hæc obiter: neque enim Ecclesiasten ago. Suggessi alibi antidota tetri hujusce flagitij: duo refricare hîc lubet. Continentia & Parcitas: eodem D. Hieronymo suggerente: *Frustra castitatem quæris sine suis comitibus & appendiciis, Continentiâ & Parcitate.* Plura libidinis fugiendæ exempla dabuntur.

De Otio è Republica pellenda.

Superest *Otium:* cujus incommoda exemplis quoque manifestanda.

*Ex Ælian. 4 Var.c.1. Herod.2. Alex. ab Al. Gen. dier.3.c.13. Ora. Arcop. Lib.2. c.6.*

I. Scrutanti mihi eos populos, qui maximè otium, tanquam malorũ omnium scaturiginem, à se exterminarunt, occurrunt imprimis *Ægyptii, Argi,* & *Sardoæ,* apud quos quisque cogebatur Præsidibus palàm facere, quo artificiò victum sibi pararet: qui non faceret, aut otiosè vivere repertus esset, morte multabatur.

II. ATHENIENSES simili planè curâ otium à civibus suis amandarunt: non ignari (utar verbis Isocratis) inopiæ causam esse pigritiam, & per inopiam, plerosque impelli ad flagitia. Itaque *inertia apud eos* (ait Valerius) *in forum perindè, ac delictum aliquod trahebatur.*

*Ant. de Guuar.1. Hor. Princip.c.2.*

III. Apud ROMANOS verò, ævo M. Aurelii Imper. satis constat, in otiosos animadversum fuisse, interdictumque ne quis sine tessera professionis suæ per urbem ambularet: sin secus, opus foret censorium, condemnabaturque malè feriatus, si ita videretur, ad opus publicum, quod sanè mirum videri debeat, si horum temporum licentiam spectes.

*Lib.7.c.2.*

IV. Non ignotum illud APPII CLAUDII verbum: *Negotium populi Romani melius, quàm otium committi. non quòd ignoraret* (ait apud Valerium) *quàm iucundus tranquillitatis status esset; sed quòd animadverteret præpotentia imperia. agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari; nimiâ quiete, in desidiam resolui. Et sanè negotium nomine horridum, civitatis Romanæ mores in suo statu cõtinuit; blandæ appellationis requies, plurimis vitiis respersit.*

*Plutar. in Scipio.*

V. Quo judicio M. CATO, cùm captâ Carthagine, in Senatu deliberaretur, nùm urbs funditùs deleri deberet, contra Scipionem censuit, non tollendam esse æmulam Imperii: ne, eâ sublatâ, deesset quæ lacesseret, & exerceret milites Romanos; futurum enim ut milites, deficientibus externis bellis, moverent bella civilia, patriæ perniciosa.

*Ex epist. Indic.*

VI. Ac SINENSES quidem populi Indici, barbari alioqui, & religionis nostræ expertes, tantùm ab otio, ceù peste quadam sibi cavent, ut neminem unum

pros-

prorſus feriari patiantur, ſic omnibus occupatis, ut majornè opificum induſtria, an litteratorum ſedulitas dubium ſit. Certè tertium genus hominum, hoc eſt otioſorum, apud Sinas nequaquàm invenitur. Immò ſcribit Apul. adeò veteribus Indis exoſum fuiſſe otium, ut non priùs adoleſcentibus edulia apponerentur, quàm facta diſquiſitione, quid à lucis ortu didiciſſent, vel feciſſent; qui nihil reſpondebat, impranſus foras triclinio extrudebatur. *Lib. Florid. 1.*

VII. Verùm, ut Ethnicos prætergrediar, ſcimus CAROLUM IX. & HENRICUM III. Galliæ Reges edicto caviſſe, ne qui cauponariam exerceret, neminem quenquam incolarum, vel potiùs civium, cujuſcumque conditionis ad ſe potitandi cauſſa recipiant, niſi extraneo, vel eo, qui ibi domicilium non habeat comitatum: pœna arbitraria in tranſgreſſores legis ſtatuta. *Vid. Cod. Henrici III.*

Utinam, atque bis utinam, ejuſmodi aliqua lex apud Belgas uſu eſſet recepta; neque enim videremus quotidie tot marcida otii mancipia in popinis deliteſcere, in quibus poſtquam nefariè perdiderint rem familiarem, ad homicidia, cædeſque deſperatione convertunt animos, immò ad furta, ſacrilegia, ſeditiones, aliaſque prauas artes, quibus lacunam nequitiâ, & inertiâ factam explere poſteà coguntur.

Vidi ego Lutetiæ, non ſine riſu, murcidos, deſidioſos, & validos mendicantes inſtar aſinorum plauſtris ligari, ad adſportandas civitatis ſordes. Res magnis & frequentibus civitatibus imitanda.

VIII. Quid multis? cùm domo, familiâq; ſuâ propria, ceu peſtem quandam animorum, optimi, & laudatiſſimi Principes otium ſemper exegerint. Teſtis CAROLUS MAGNUS, quem conſtat ita filios inſtituiſſe, ut primùm liberalibus ſtudiis erudirentur, tum quamprimùm ætas patiebatur, equorum regimine, armis, ac venationibus exerceri feciſſe: filias verò lanificio aſſueſcere, coloq; ac fuſo, ne per otium torperent, operam dare, & ad omnem honeſtatem erudiri iuſſit. atque id fortaſſis imitatione AUGUSTI Cæſaris, quem *filiam & neptes ita inſtituiſſe, ut etiam lanificio aſſuefaceret*, Tranquillus Suetonius auctor eſt. *Belleforeſtus in ejus vita.* *In Aug. c. 64.*

Tollat igitur è ſuâ Repub. otium, aliaque hactenus commemorata quæ fraudem ſibi ſuiſque adeoque Reip. ſucceſſu temporis afferre poſſent. *Hoc enim fine,* inquit Xenophon, *eligitur Princeps non ut ſe molliter curet, ſed ut per ipſum ii qui eum elegerunt, benè beateq; agant.* Appoſitè ille ingenii & eloquentiæ Princeps dixerit: *Vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic moderatori Reipub. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* Hortantur Principes ad cenſuram morũ. *Cic. lib. 8. ad Att. epiſt. 11.*

I. Ut meritò Plutarch. factum Perſarum prædicet, quorum Reges dicit habuiſſe Præpoſitum, qui manè illos ſurgere admoneret, ad curandum populum ſibi commiſſum. Laudabili herclè inſtituto. Nam, ut omittam affectum, quem ſubditis debent; ignavia & ſocordia viros non decet Principes, ſed vigilantia, laborque, vera generoſi animi nutrimenta.

Latin. Pacat. Paneg. II. De THEODOSIO Imp. legitur: *Vt indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit: ita tu Imperator continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es.*

Plin. III. Nec absimilis TRAIANUS, ad quem alter Panegyricus scriptor: *Assumptus es in laborum curarumq; cõsortium: nec te læta & prospera stationis istius, sed aspera & dura ad capessendam eam compulerunt.*

Pomp. Læt. IV. Talis quoque JULIANUS, qui *insomnes noctes aliquando, cùm utilitas Reipub. posceret, ducebat, & musis vigilias impendebat*, an non & emendandis civium moribus?

Sueton. V. Consimili vigilantiâ TIBERIUS Cæs. corrigebat publicos mores, *si quâ desidia, aut mala consuetudine labarent.*

VI. Quid in MAXIMINO dicam? eum cùm Tribuni monerent, quòd tam assiduus esset, tantoque opere laboraret, præclarè respondisse ferunt: *Ego quò maior fuero, hoc magis laborabo.* Virilis sanè vox, & viro Principe digna.

Spartian. VII. HADRIANUS verò, & in concione & in Senatu dictitabat. *Ita se Rempub. gesturum, ut scirent populi rem esse, non propriam.*

a L. Vnica. §. hæc autem. C. de Caduc. toll. b L. 23 C. de Nuptiis. VIII. Quo sensu etiam JUSTINIANUS noster edicit: *Quod communiter omnibus prodest, hoc rei privatæ, & utilitate Principis præferendũ*, & [a] alibi: *Imperialis benevolentiæ proprium esse, omni tempore subjectorum commoda investigare.* [b] Plausibiles certè Constitutiones, sed commendatiores cum facto præstantur.

Ex Annal. Lunemb. IX. Hoc sensu ERNESTUS Dux Lunemburgensis, symboli loco, facem jubebat ardentem depingi, cum hac inscriptione: *Aliis inservio, meipsum consumo.* Indicabat hoc problemate vir magnus, Principem ad instar facis aut candelæ esse: nam, ut hæc omnibus lucem præbet, & seipsam conficit, sic verum Principem omnium negotia, etiam valetudinis, nedum rei priuatæ detrimento sustinere.

X. Eodem mentis instinctu ALEXIUS ANGELUS Orientis Imperator, cùm serò cibum caperet, & moneretur cavendum esse, ne eâ re valetudinem læderet, respondit: *Homini privato quodvis tempus ad cibum capiendum esse idoneum: Regi verò tot curis distracto, si nomini suo respondere vellet, satis esse si vesperi curare corpus liceret.* Choniates lib. 2 de reb. gest. Alexii.

XI. Itaque, concludo Principatum rem laboriosam esse, non otio ac continuâ animi remissione, sed curis ac laboribus abundantem. Hoc etiam magnus ille q. Armeniorum Rex *Tigranes expertus cùm esset; oblatum sibi venerabilem illum pannum quo Regius vertex coronari solet, manu diu versatum aspiciens ait: ô nobilem magis quàm fœlicem pannum! quem si quis penitus agnoscat quàm multis laboribus ac periculis sit refertus, ne humi quidẽ jacentem velit attollere.* Quod probè quoque intellexit inclytus ille Cyrus Persarum Rex, qui boni Pastoris, & boni Principis officia similia esse dicebat: ut enim boni Pastoris est bene pascere, sic Val.

re, sic ad bonum Principem spectat, ut diligenter gubernet cives sibi à Deo concreditos, omniaque legibus prohibeat, quæ in Reip. perniciem, cedere aut propendêre possunt. Sed quid? Principibus non deest animus, libido non parendi adest subditis: & hinc bella & calamitates.

## CAPUT XX.

*Verùm, quoniam unicuique* relaxationes animi *necessariæ sunt, ideò ad ludos, & exercitationes, quæ eius dignitati congruant, animum revocabit.*

QUis enim est, qui non sciat, ac potiùs sentiat, *nostram omnem vitam in remissionem, ac studium esse divisam?* Quemadmodum jugi cessatione mens humana marcescit, atque deficit: ita etiam assiduâ rerum tractatione, ni quandoque instauretur otio, facilè conteritur, atqve flaccescit. Miscenda sunt itaque ista, & alternanda, otium, & Reip. cura: Plut. de lib. educ.

*——— ——— Vires instigat; alitq;* Sat. 4.
*Tempestiva quies: major post otia virtus.*

Cæteroquin, *nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor.* Itaque optimum est, immò omninò necessarium, negotiis interponere publicis laxamenta: viris præsertim Principibus, qui *multis curis quotidiè, ac timoribus conficiuntur, & molestissima quæque identidem & vident, & audiunt, & sentiunt.* Sen de Trãquill. animi. Dio. lib. 52.

*Alia ex alia cura fatigat,* Sen. Agam.
*Vexatque animos nova tempestas.*

Tullius tamen Romani eloquij Princeps, laxamentis istis moderationem adhibendam censebat: *Ludo autem & ioco,* inquit, *ut illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tum, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Ipsumq; genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum, & facetū esse debet.* Lib. 1. de Off.

Itaque cauendum *ne gravitati ac gerendis rebus, ullum ex iis impedimentum sequatur.* Deinde, *ut ne nimis quis omnia profundat, elatusque voluptate, in aliquam turpitudinem dilabatur.* — *Multi enim tota errant via, qui quoties in laboribus & fatigationibus fuerint versati, tum maximè dant operam, ut corpus voluptatibus solvant, atque emolliant; rursum autem post voluptates, denuò distringant, atque intendant.* Itaque, *remissum aliquando animum habeant, nunquam solutum.* Videant mihi Principes, videant, *ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahatur.* Tacit. 2. hist. Cic. de Off. Plut. de tuend. Valet. Sen. de Consol. ad Polyb. Plin. Paneg.

Raræ id quidem, sex maximæ laudis, cùm *virtutes specie dispares, prudentia iunguntur.* Cic. de Perf. Orat ad M. Brut.

II. Videant etiam ne ſpecie otii, aut laxamenti debita eorum vigilantia nimioperè remittatur. Sunt enim Aulici qui cogitationum ſic periti ſunt, ut paulatim Principes flectant, *ad vitam procul urbe, id eſt, amœnis locis degendã, & negotia urbis, populi accurſus, multitudinem affluentium increpent, extollentes laudibus quietem & ſolitudinem.* Hâc ſapientiâ, his Philoſophorum præceptis hâc vtili aſtutiâ *intra paucos annos regiæ amicitiæ, tot millia ſeſtertiûm parant.*

*Tacit. 4. Annal.*

*Idem ibid.*

*Id. 13. annal.*

III. Adhæc abſtineant à ludis vetitis: *Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur?* præterquàm quod pleriſque *ludis magnificentia, & opes amittantur, non quærantur.*

*Iuſtinia. ep. ad Anteceſſ.*

*Iuſtin. 3. hiſt.*

IV. Meo ſenſu, ſtudia venandi non indigna Principibus videntur. Namque præterquàm quòd *cum re militari conſonantia ſint*, maximarum etiam rerum meditationi materiam præbent, ſi Plinio fides: *Mirum eſt* (inquit) *ut animus à cogitatione, motuq; corporis excitetur: nam & ſylvæ, & ſolitudo, ipſumq; illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt.*

*Xenoph. 5. Cyrop.*

*Lib. 1. ep. ad Corn. Tacit.*

V. Equeſtris præterea exercitatio non contemnenda: quippè *quæ in ipſa pugna conferat, quoties in acie, ordineque certandum; & tùm maximè, cùm acies diſſolvuntur, & ſingulari certamine oportet vel inſequi repugnantem, vel invadentem repellere.* Multos enim vel equi lapſu, vel imperitiâ illum flectendi, incitandivè aut retinendi, captos, aut etiam ab hoſtibus cæſos, aut periclitatos eſſe legimus.

*Plato in Laches.*

VI. Ad remiſſiones etiam animi *Saltationem* pertinere volunt, quam *Bellicrepam* nominabant antiqui, *Bellicrepam ſaltationem dicebant, quando cum armis ſaltabant.* quam ſaltationem Græci πυρρίχαν vocabant à Pyrrho Rege illius inventore.

*Feſtus in voce Bellicrepam.*

VII. Sed nec Muſica improbanda: ut quæ, *Euripidis opinione, animi curas pellit, & triſtitiam.*

*Ariſt. 8. Polit. cap. 5.*

VIII. At, etiam atque etiam laudanda ſedatior iſta relaxatio, quæ ſumitur ex quotidianis ſermonibus virorum eruditorum: quippè quòd ſit *quædam virtutis exercitatio, cum bonis viris converſari:* qui quidem facetiis utentes, mentem demulceant, & ſimul acuant ad præclara facinora mixtâ ſalubrium monitorum inſtillatione.

*Theogn. apud Ariſt.*

Abſtinendum tamen à ſalibus inhoneſtis: Nam *oportet verſari in convivio ſermones ut caſtitate integros, ita appetibiles venuſtate.* Eliminet Aulâ ſuâ, & Civitatibus ſuis ſcenicos & ſpurcidicos ludos.

*Macrob. 1. Satur. c. 1.*

Quid? non tam meum eſt quàm Xenophontis monitum, qui cenſuit, ὅλως αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως ὥσπερ, ἄλλο τι τὸν νομοθέτην ἐξορρίζειν: *turpiloquium ut alia mala, penitus ab urbe exterminanda.* Pulchrè Tertullianus: *Theatra ſtruprandis moribus ortis: tot illic immundi ſpiritus conſidunt, quot homines theatrum capit.* Prorſus verè, ſed acute ad hanc rem Nazianzenus: *Dicere, audire, facere, brevi diſtant intervallo.*

*Lib. 7 c. 17.*

*De Spectac.*

VIII. Sed

VIII. Sed quibus utatur Princeps laxamentis, & quorum opera, diligenter videndum, cùm *multi sint qui Principum amicitia prosperè, pauci benè utantur.* Proindè rectè Isocrates: *In amicitiam tuam admitte, non omnes qui se ingerunt; sed eos, qui te digni sunt; neque cũ quibus jucundissimè tempus conteres, sed quorum operâ adjutus, urbem melius gubernes.* Super omnia lascivia fugienda: *ut & scommata in conviviis: quòd tectam intra se habeant injuriam.* *Tacit.* *Orat. ad Nicoclem.* *Macrob. Satur. 7. cap. 3.*

---

## *EXEMPLA & NOTÆ.*

QUibus dabimus, prô Deum immortalem, exempla remissionis animorum? an his, quibus est Respub. ludus & jocus? quibus segnities & pingue magis otium placet, quàm negotiorum tractatio? an Sardanapali vitam agentibus, qui tempus vel in aleam conferunt, vel in gynæceis mulierculärum toti desides jacent, & animum non tàm remittunt, quàm solvunt, uel potiùs perdunt? Næ his talibus vacantem hunc calamum, perque historiarum vagantem minùs donem, sed negotiosis tantùm, quibus otium instillandum est, *ut tempestivâ laboris intermissione ad laborandum fiant vehementiores.* *Macrob 1. Satur. c. 1.* *Val. Max. lib. 8.*

I. Dixit, senique ANAGAGORAS laudabile esse, honestis lusionibus oblectari, quò vegetior, alacriorque ad Philosophiam animus reddatur. Quod ipsum facto etiam comprobavit, dum repudiatis omnibus honoribus, qui ipsi publicè deferebantur; solum postulavit, ut quo die mortem cum vitâ commutaret, pueris qui disciplinis, & artibùs operam darent, permitteretur feriatis otiari & ludere, sentiens ingenia assiduo labore frangi, refocillatione autem, & recreatione ad novos labores instaurari. *Plut. Polit. ad Traian.*

II. Hinc SCIPIO, & LÆLIUS remittendi animi gratiâ conchulas, & umbilicos lectitabant in littoribus: idque se Crassus ex socero suo Q. Scæuola, qui gener Lælii fuit, audiuisse sæpenumerò prædicauit. *Val. Max. l. 8. c. 8.*

III. SCÆVOLA verò, cùm à forensi labore fessus esset, pilæ ludo se aliquantulum instaurabat, quod quidem Cicero, & Val. Max. monumentis suis commendârunt. *Val. d. loco. Cic. de Clar. Orat.*

IV. CLAUDIUS Cæsar, cùm assiduum laborem hominem nequaquam ferre sentiret, non tantùm ipse lusibus operam interdum dedit, sed aliis quoque lusorium opus conscripsit. *Alex. ab Alex. l. 3. c 21.*

V. DIONYSIUS quoque tyrannus, & ALEX. MAGNUS, pilâ & folliculo summoperè delectabantur: sed ille, ut erat ad sæuitiam factus, etiam inter ludendum, pusionem quem unicè adamabat, interemit; hic verò contra, collusores suos muneribus afficiebat. *Indidem.*

VI. Apud Ægyptios AMASIS Rex maximè celebratur, quod à curis civilibus interdum potitaret, genioque liberius indulgeret, quo nomine à quibusdam repre- *Diod. Sicul.*

reprehensus, respondit, animum perinde, atque arcum quandoque laxandum: alioquin si semper intendatur, fore ut nulli rei aut negotio aptari possit.

VII. SOLONEM etiam, atque ARGESILAUM, neque non CATONEM vino indulsisse Seneca scribit: qui nec ipse dissuadet liberaliorem nonnunquam potationem, *non tamen*, inquit, *ut mergat nos, sed ut deprimat curas. Eluit enim curas, & ab imo animum movet, & ut morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur: Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inventor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit.*

*De Tranq. animi.*

VIII. PLINIUS ipse de se ad Atrianum amicum: *Vt in vita, sic in studiis pulcherrimum & humanissimum existimo severitatem comitatemque miscère, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat, quâ ratione ductus graviora opera lusibus iocisque distinguo. Ad hos proferendos & tempus & locum opportunissimum elegi, atque iam nunc adsuescerent, & ab otiosis & in triclinio audiri.*

*Lib.8.ep.21.*

Moderatio remissioni adhibenda.

Ast moderatio hîc tenenda. nam alioqui, quid fœdius, in eo maximè qui cæteris exemplar & gravitatis & continentiæ esse debet, quàm lasciviâ, temulentiaque dissolvi.

I. Quibus vitiis insigniti fuere VESPASIANUS & TIBERIUS Cæsares: quorum ille dicacitati super cœnam, & iocis scurrilibus usque ad ineptias vacabat; hic verò propter nimiam vini aviditatem, pro TIBERIO, *Biberius* dictus est, pro CLAUDIO, *Caldius*: pro NERONE, *Mero*.

*Ex Sueton.*

Remissiones honestæ tantùm usurpandæ.

Nec in vino tantùm, sed in omni genere laxamenti modus adhibeatur, ne dissolutus magis, quàm remissus Principis animus videatur. Qui ne ad stultas, vanas, ineptas, & Principe indignas remissiones traducatur, cavebit quidem, si curæ pretium in honore ponet.

I. Quid enim ineptius illo *Macedoniæ Rege*, qui fabricandis lucernis, & imaginibus cerâ aut gypso fingendis, otium consumebat?

*Alex.ab Al. Gental dier. lib.3.cap.21.*

II. Pari stultitiâ laboravit ATTALUS quidam Asiæ Rex, qui nonnumquam fundendis statuis sese occupabat, hortum etiam pro delitiis colebat.

*Indidem.*

III. Quid de Alchimistis nostri temporis eloquar, qui non modò tempus, rerum omnium pretiosissimum, inani arte consumunt, verumetiam omnem substantiam profundunt, vel in maximam suorum captionem? quid? nisi ut cum Demetrio Phalereo dicam, an indigner, *quod frequenter certis consumptis, incertorum gratia, quæ se capturos sperabant, non cœperunt; quæ verò habebant, abjecerunt.* Itaque, *spondent, quas non exhibent divitias, pauperes alchimistæ: pariter, qui se sapientes existimant, in foveam incidunt, quam fecerunt.* Martinus quidem Delrius, vir in nostra memoria Societ. IESU doctissimus lib. 1. Disquisitionum Magicarum, scripsit, Alchimiam Principibus tum esse permissam, cum ea sunt Philosophiæ cognitione imbuti (hæc enim scientia est de occultis Philosophorum) & tàm acri præditi ingenio, ut fraudibus & imposturis non pateant: & eâ pietate, vt à proximi, & Dei offensione se abstineant: & denique eo sub-

*Apud Athen. lib.5. Can. Spondent in extrau com. l 5. de Crim. falsi.*

eo subditorum amore, ac Dei timore, ut publicum regimen, vel pauperum subventionem propterea non negligant, & habenas à Deo sibi creditas ipsi abjiciant, & aliis planè tradant. Hæ ubi adsunt circumstantiæ, licitam esse Principibus Alchimiam, non etiam aliis, quibus hujus artis exercitium in conscientiâ non permittitur, nisi cum circumstantiis quas idem Auctor planiùs persequitur nec hîc affero, brevitatis caussa.

IV. Sed nec ea animi laxamenta probanda, quæ transferuntur ad nescio quas *larvarum* ineptias. Certè præterquàm quòd Principis auctoritatem plurimùm elevent, non minimo carent periculo ejusmodi laxamenta. Ipsum quod experimento didicit CAROLUS VI. Galliæ Rex, qui quò se, aliosque qui epulo nuptiali cujusdam aulici intererant, recrearet, vestes cum quinque aliis personatis villosas sumpsit, carbaso pice compactas, ad instar bruti cujusdam animalis. Fortè autem accidit, ut scintilla face emissa carbasum peteret, inflammaretque. quò factum est, ut omnibus circa regis incolumitatem impeditis, duo ex sex personatis ambusti è vestigio fuerint. Ut profectò mirum sit animos quorundam Principum sic à voluptatum ministris deliniri quod vidimus, ut actores nedum spectatores se præbeant talium ineptiarum. Quas ut tolleret amplissimus Ordo Parisien. edicto postea cavit, ne cuiquam fas esset ementitas illas facies divendere.

*Belleforest in vita Caroli VI.*

*Lucius lib 6 Placi. tit. 17*

Sic etiam ludos communiter vetitos, cujusmodi est *aleæ ludus*, si non à Principibus, certè subditis fugiendos esse, meritissimò volunt. Nam, ut rixarum & alternorum jurgiorum omittam maximam segetem, quam non raró ludentibus præbet hic ludus, quis non sciat bonam temporis partem, quæ seriis gravioribusque negotiis tribuenda esset, hac tam inani atque damnosâ delectatione consumi?

Ludus aleæ non admittendus.

*Diod. Sicul.*

I. Quod ÆGIPTII considerantes, civibus suis, si non Principibus, interdicebant aleæ lusu; adeò usque, ut aleator omnibus accusare volentibus obnoxius esset, nec talioni subjaceret accusator.

II. JUSTINIANI verò constitutione, omnibus Romano Imperio subjectis, hic ludus prohibetur: negatâ insuper actione victori, immò & victo facultate concessa pecuniam amissam condicendi, neque ulla obstet præscriptio, nisi annorum quinquaginta. Quæ tamen constitutio abrogata est, teste Rebuffo, contrariâ generali consuetudine totius Franciæ, vel potiùs orbis terræ. Quanquàm existimarim, hanc consuetudinem minimè valere (quicquid afferat Io. Andr. in cap. pen. de Vitâ & honest. Cler.) utpote quæ materiam delinquendi præbeat, sitque irrationabilis, & contra bonos mores, & quam proindè tollere deberent in suis ditionibus boni Principes, reductis, & novè restitutis optimis legibus & Constitutionibus, quæ passim habentur toto titulo pand. & Cod. de Aleæ lusu, & Aleator.

*L. Alearum usus C. de Aleæ lusu, & aleat. Ad Cõsuet. reg. in Proẽ. glo. nu. 36 Barb. in addit. ad Bald. c. 1. Qui feud. dare poss.*

III. Quem igitur ludum planè circumſcripſerunt veteres, verumnè erit à Chriſtianis eum modò recipi? in quo præſertim non ſolum honeſti nihil ineſt, ſed eo etiam ad iram, ut dixi, deterrimaque facinora ſæpe incitantur, aut certè in contemptum apud alios incidunt: cujus rei teſtis etiam eſſe poteſt AUGUSTUS Cæſar, qui tametſi in oculis eſſet civium Romanorum, tamen quòd plus æquo indulgeret aleæ, hoc ſcommate notabatur.

*Apud Suetó. cap. 71.*

*Poſtquam bis claſſe victus naves perdidit,*
*Aliquando ut vincat, ludit aſſiduè aleam.*

Vidi ego mea ætate Regem, qui ſeſquihoræ ſpatio ſexdecim aut ſeptendecim aureorum millia hoc ludo perderet. An non ſatiùs longè fuiſſet pecuniâ iſtâ munificentiam in benemeritum aliquem, vel in baſilicas ſacras, vel in pauperes ipſos exercere?

Nec ludi ſcenici.

Improbandi etiam, atque amovendi *ludi ſcenici*: qui revera haud mediocriter ſubditorum, nedum Principum animos depravant contaminantque; & proindè ſeriò è repub. explodendi.

*Plutar.*

I. Quod & ſenſit ALCIBIADES Athenienſis, qui propter verſus quoſdam *Eupolim* Comœdum in mari juſſit demergi, cum hoc elogio: *Tu me in ſcenâ ſæpe merſiſti Eupoli, ego te ſemel in mari.*

*D. Aug. 2 de Ciu. Dei c. 13 & 14.*

II. Et ROMANI ipſi, cum artem ludicram, ſcenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiã tribu moveri, notatione cenſoria voluerunt. Cur ita? nempè, quia *nihil tam moribus alienum eſt*, ait Seneca, *quam in ſpectaculo deſidere.* Utinam, PHILIPPI AUGUSTI Galliarum Regis ingenium, cæteri orbis Chriſtiani Principes comprobarent qui tantum abeſt, ut comicis, mimis, petauriſtis, & ejuſmodi impuris nebulonibus operam daret, quin potius urbibus uti prohiberet, eoſque intromiſſos exterminaret, atque optimo herclè inſtituto. Nam, *hiſtrionum impudiciſſimi motus* (ait Lactantius) *quid aliud, niſi libidines docent, & inſtigant; Quid de mimis loquar, corruptelarum præferentibus diſciplinam; qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera: quid juvenes aut virgines faciant, cum & fieri ſine pudore, & ſpectari ab omnibus cernunt; admonentur utique, quid facere poſſint, & inflammantur in libidinem, quæ aſpectu maxime concitatur.* In quam ſententiam non minus præclare Franciſcus Petrarcha: *Ad ſummam, hoc teneas velim, pudicitiam ſpectaculis ſæpe ſtratam, ſemper impulſam vidimus: & multarum ibi fama periit, pudorq́ue: multæ inde domum impudicæ, plures ambiguæ rediere, caſtior autem nulla.* Iccircò, iidem Romani hiſtriones omnes Urbe pepulerunt, ne paulatim patrii mores funditus everterentur.

*Lib. 6. c. 20. Diuin. inſti*

*Lib. 1. de remed*

*Tacit. 14. Annal.*

Probatur Venatio.

*Venationem* magis Principi proponamus, virilem nempè & eo dignam exercitationem: quòd ſimilitudinem quandam cum arte militari teneat, ſi Xenophonti fides. Dum enim membra laboribus aſſueſcit, dum locorum ingenia ediſcit, dum

saltus pererrat, & excutit cubilibus feras, dum æstum, frigus, famem quandoque perfert, quid nisi bellicæ artis rudimenta capit? *Lib.1.Cyri*

I. Viderunt hoc, & probe considerarunt LACEDÆMONII, atque CRETENSES, PERSÆque, qui longe maximam ea re posuere curam in venatione: namq; & ii pueros venatione ac cursu exercebant, ut Xenophon, & Plato scriptum reliquere. *Cyropædi & lib. de Venatione.*

II. ZENO Polemonis Regis ponti filius, Armeniorum gratiam sibi concilia vit quod prima infantia instituta, cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant proceres plebemque juxta devinxerat. *Tacit. lib. 2*

III. Contra VONONES apud Romanos datus obses, moribus romanis inhærens( qui vix venatione utebantur) odio habitus est, inter cætera, *quod raro venatu utebatur.* *Indidem*

IV. Apud illos tamen ævo posteriore nihil certius eorum Principes venationi operam dedisse, & præ cæteris ANTONINUM PIUM, quem legimus neglectis aliis laxamentis, venationi, & si fides historicis, piscationi indulsisse. *Iul. Capitol.*

V. TRAIANUM quoque ab influentibus negotiis animum hîc laxasse Plinius scribit: *Quæ enim remissio,* inquit, *tibi, nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immesa montium juga, & horrentibus scopulis gradum inferre nullius festigio adjutum?* *Paneg.*

VI. ALBERTUS Imperator ut veteres omittam, dicere solebat, *venationem utilem esse, saltationem muliebrem, seque voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.* Saltationem improbat potius mollem illam & muliebrem quam virilem, qualis erat pyrrhica, de qua post paullo dicemus. *Æn. Syl. de gest. Alphon*

Veruntamen, venatio, ista atque aliæ animorum relaxationes suum modum habeant necesse est: neque enim iis animus ita addicendus, aut mancipandus, ut optimæ horæ Reipub. negotiis destinatæ negligantur. Moderatio in venatu adhibenda.

I. Quâ in re nimium offendit Imper. VERUS, qui Syriis defectionem cogitantibus, immò Oriente jam inclinante, in apulia venabatur, & apud Corinthũ, & Athenas inter symphonias & cantica navigabat. *Iul. Capitol.*

II. HADRIANUS etiam Cæsar ,adeò venationi addictus fuit, ut assiduitate crus debilitârit, immo mutilârit. Urbem porro, quam ædificavit in Mysia, Hadriani venationes appellavit. Denique, Borysthenì equo, quo in venationibus utebatur, mortuo, monumentum cum epigrammate ædificavit. ô Cæsaris bella occupatio. *Xiphi l. Dio 4.*

III. Nec absimilis MAXIMUS, utpotè qui solus venationibus legiones ipsas & quidem frequenter exerceret. *Iul. Capitol*

IV. Notatur denique in VITELLO, *nunquam ita ad curas* verba Taciti, *intentum fuisse, ut voluptates oblivisceretur.* Utinam, atque ter utinam non essent in Repub.

*Tract. de Orat. cap. 18. num. 53.* Repub. Christianâ tales: *Nam* præterquam quod ex hac socordiâ, seu potius effrenata voluptate, magnam interdum Reipub. perniciem procurant, suam etiam salutem in magnum discrimen adducunt, teste Navarro.

V. Legimus in magno illo FERDINANDO II. Imper. non ita diu è mortalium cœtu erepto, semel dumtaxat venationi, aut aucupio per septimanam vacasse, tum ex præscripto Medicorum, ut valetudini suæ consuleret, ac ad labores rediret vegetior, tum verò etiam ut sese cœli aërisque injuriis ferendis assuefaceret; tum denique quod multi in Regum Cæsarumque Aulis existerent, quibus otium locum facit ad improbas actiones. Hos venatione, aut alios recreationis genere occupari debere dictitabat, ne alibi desipiant, & œstro fortè Veneris divexentur. Verùm, hoc notatum, quod pridie eius diei quo venaturus erat, subscribebat quibus erat scribendum, efficiebatque ut postridie qui à secretis erant toti occuparentur. Vespere reversus, ab his acta perlustrabat, signabatque. Mira herclè in tanto Cæsare, & providentia & vigilantia.

Pyrrhica saltatio. Porrò inter exercitationes & animi laxamenta, Pyrrhicam illam veterum saltationem proposui, quæ erat gladiorum collisio, saltabantque bellicum quiddam & entheon, & ut quisque nobilitate putabatur excellere, ita saltandi artificem haberi pulcherrimum honestissimumque censebat. Unde in Suetonio legimus, *Cæs. c. 39.* Pyrricam saltavisse Asiæ Bythyniæque Principum liberos, eaque potissimùm pertinebat ad disciplinam militarem. Pyrrhica, inquit Plato, est quæ motiones corporis imitatur, ictus jactusque declinantis, & vitabundi omnifariamque cedentis, in altum etiam subsilientis, & sese succiduó poplite demittentis. Cujus etiam *Lib. 14. c. 13.* meminit Athenæus, qui scribit Pyrrhicam saltationem militarem fuisse: opus enim est velocitate in rebus bellicis, ad depugnandum cominus & eminus, ad insequendum & fugiendum, &c. Et licet hoc exercitationis genus exoletum modò videatur, non defuêre tamen superiori sæculo magni nominis viri, veluti Iulius Cæsar Scaliger, aliique belli Duces expertissimi, qui ea festivè, decenter, & utiliter usi sunt.

Nec musica contenenda. Musicam quoque in Aphorismis suprà commendavi, ut quæ ad delectationem & animi curas affectionesque pellendas mirè possit.

I. Quod quidem probè considerarunt antiquissimi ARCADÆ qui tanto in honore Musicam habuerunt, ut in eorum Repub. pueros & adolescentes ad trigesimum usque ætatis annum necessariò exerceri vellent, homines alioqui vitæ difficilis & peraustеræ.

II. SOCRATEM virum sapientissimum, tanti fecisse Musicam memoriæ proditum est, ut jam grandævus discere nequaquam erubesceret.

III. Hinc etiam ferunt ACHILLEM fervidam illam animi iracundiam, quâ sæpe inflammabatur, harmoniâ solùm compescuisse: neque id mirum, cùm musica affectus excitatos componat, remissos autem excitet, erigatque: quâ ratione legimus

mus Alexandrum, citharam laxamenti caussa sumpsisse, quæ cùm citharœdus monuisset, quam cordam, & quo modo pulsaret, diceretque, *quid si hanc pulsarem?* tùm citharœdus: *Si istud quæris tanquam mox Rex futurus, nihil refert: si ut artifex, plurimum interest.*

IV. Inter recreationes magni illius FERDINANDI II. Imper. cuius paulò antè meminimus, illa non in postremis fuit, quod cantu & Musicâ delectaretur, Musicos optimos idcircò conquireret, tùm ut animo recreato, publica faciliùs, feliciusque pertractaret, tùm verò & maximè ut Musicorum operâ & arte, divina in sacris ædibus magnificentissimè peragerentur: id si assequeretur, bene pecuniam positam arbitrabatur, nihil unquam nimium honori & cultui divino impendi existimans. Scenicis actionibus quæ pudori aut pudicitiæ adversabantur, minus delectabatur. Lubens spectator erat historiæ Alexii, Cæciliæ, Augustini, Martyris alicuius pro religione fortiter occumbentis. Actorem si quem piè & cum plausu egisse indicavit, eum gratiâ, favore, ac benevolentiâ complectebatur. Prorsus egregiè & Christianè.

Cæterùm, nulla exercitationum utilior eâ, quæ ab acroamatis hominum eruditorum sumitur, cùm bonorum hominum conversatio exercitium sit virtutis; pravorum verò destructio, ut Socrates apud Xenophontem inquiebat. Caput exercitationũ acroamata eruditorũ.

I. Enimverò *Dionysius Syracusanus*, tametsi ad sævitiam natus videretur, apprimè tamen consortio Aristippi afficiebatur: eò præcipuè, quòd vir ille & facetus esset, & loco ac tempori optimè inservire sciret, jocisque atque salibus animum ejus oblectaret. *Ex Plut.*

II. *L. Cæcilius Epyrota*, qui primus Romæ Grammaticæ ludum aperuit, primusque Virgilium, & alios Poëtas perlegere cœpit, tàm familiaris, ac carus Iulio Cæsari fuit, ut cum eo pila nonnunquam lusitarit. *Macrob.*

III. AUGUSTUS jam dicti *Iulii* nepos, *cœnam præbebat, ut non nimio sumptu, ita summâ comitate. Nam, & ad communionem sermonis tacentes, vel submissim fabulantes provocabat, & aut acroamata, aut etiam ludos, ac frequentissimè aretalogos interponebat.* *Sueton.*

IV. NERO, quo nequior nemo unquam fuit, consueverat etiam *sapientiæ Doctoribus* (si Tacito credendum) *post epulas tempus impertire.* *Annal. 14.*

V. Sed & super epulas Trajanus Cæsar, auctore Plinio: *Ergo non aurum* (inquit) *nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum, sed suavitatem tuam, jucunditatemque miramur, quibus nulla satietas deest; quando sincera omnia & vera & ornata gravitate* & patentiùs alibi: *Adhibebamur quotidie cœna, erat modica, si Principem cogites, interdum acroamata audiebamus, interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur.* *In Paneg.* *Lib. 6. ep. 31.*



VI. Pa-

*Tacit. 4 Annal.* VI. Parum refert si tempora misceantur. Tiberius Cæsar cùm è turba hominum laxamenti caussâ se amoveret, *socios secum assumebat, Cocceium Nervā Iurisconsultum, & alios liberalibus studiis præditos, quorum sermonibus levaretur.* Dissimilis sanè multis nostri ævi potestatibus. quæ secessus comites sibi sumunt aliquot vel aulœdos, vel moriones, vel stultos, quorum numero aulæ dehonestantur;

*Claud.* ———*Laus maxima, risum*
*Per varios movisse sales.*

Cur Aulici secessus Principibus proponant. Et hi tales, præterquam quod *enervant*, ut loquitur D. Ambrosius, *gravitatem illam virilem*, quæ maximè Principibus convenit, specie laxamenti, prætoriis & hortorum umbraculis eos includunt, quò aditus non solùm in suâ habeant manu, sed etiam vendant, atque ita soli sint arbitri rerum, Principe intereà precario imperante Luculentū *Sejani* aulicorum astutissimi & vaferrimi exemplum nobis suppeditat Tacitus, de quo ita: *Hùc flexit Tiberium*, inquit, *ut ad vitam procul Roma, amœnis locis degendā impelleret. multa quippe providebat, sua in manu aditus, litterarumque magna ex parte se arbitrum fore: mox Cæsarem, urgente jam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius transmissurum*, &c Cogita quisquis es; & fortè invenies in aula Principis tui non neminem cum moribus & natura Sejani congruere: qui tametsi animo sit perambitioso & turbulento, nihil tamen aliud quam otium, & quietem crepabit, & in illam cautè Principem suum ablegabit. Bene Seneca:

*Offic. c. 20.* *Annal. 4.*

*Oedip. act.*
*Certissima est regnare cupienti via,*
*Laudare modica: & otium ac somnum loqui.*
*Ab inquieto sæpè simulatur quies.*

Digressio ad Aulicos, ut restricti sint in jocis, facetiisque. Verum, ne diutius his insistam, quæ tamen Aulicis notanda, in eo monendi mihi sunt majores Principum administri & asseclæ mensarum, ut in ejusmodi secessionibus *abstineant ab asperis facetiis, quæ ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.* Notent non tantum meliores, sed & potentiores. quia *Principes facilius vulgarium, quam aliqua dignitate præstantium libertatem tolerant*

*Tacit. 15 An*

*Dio. lib. 59. Plutar. Iustinus lib. 8.* I. Quod expertus Callisthenes, Aristotelis auditor, qui Alexandro Macedonum Regi non aliam ob causam invisus fuit, nisi quod extra modum liberior esset & loquacior: Præceptoris moniti immemor, ut *aut rarissime, aut quam jucundissime cū Principe loqueretur.* Itaque ex Salomonis scito: *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam, statue cultrum in guttere tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.*

*Proverb. 23.*

*Tacit. 15. Annal* II. In Romanis, fuit Vestinus magnæ vir auctoritatis, atque adeo Consul, & Neroni perfamiliaris, verum hîc tandem apud eundem Neronem in odium & exitium vocatur, quod acerbis facetiis (*quarum apud præpotentes*, ait vere Tacitus,

citus, *in longum memoria est*) ei illusisset.

III. HERMIAM etiam legimus (ut ab Romanis abeam,) qui Atarnæi Dynastes fuit, tametsi cætera mitis esset, iniquiore tulisse animo, siquis inter jocandũ appellasset illum *cultrum*, vel *sectionem*, vel *exsectionem:* quia nimirum eunuchus erat. *Demet. Phaler. de Elocut.*

Plura è veteribus suppetunt, quæ tædii vitandi prætermitto. Unum tantùm, & alterum è novitiis nectam.

IV. Legi in historia Gallicâ Petri Mathei Historiographi Regii Ducem *Bironium*, ocellum illum Henrici IV. Galliarum Regis, eò insolentiæ provectum esse, ut postquam magnis illis, & novis dignitatibus, quas etiam in recenti memoriâ habemus, donatus fuit, passim Regem beneficum carperet, vellicaretque, Admonitus ergò amicè à Rev. Hetæriarcha Cœnobii Phemensis, ut nisi ab eiusmodi salibus abstineret, fore aliquando uti ipsum pœniteret, adeò ipse non curavit, ut Præsuli objectarit, *Ecquis esset, qui sibi nocere posset?* hìc Præsul: *A quo tibi non times*, inquit. Rogatus, ut explanatius loqueretur, apertè, nec dissimulanter dixit (& oraculo verius dixit) forè aliquando, ut capite minueretur, nisi ejusmodi jocis abstineret: quod ei non ita diu post (additis aliis atque aliis libertati noxis) evenit. Stultus est qui ut alios oblectet, seipsum perdit, aut ridiculum præbet. *Li 1. Narra 8.*

V. Cùm ad *Bavariæ Ducem*, admodum religiosum Principem verba facturus Erasmus Rot. facetiis minimè facetis jocaretur, se stomachum habere Lutheranum, sed mentem Catholicam, obvertit tergum Bavarus, & diserti hominis orationem deseruit. *Marsel. lib. 2 de leg.*

VI. Dum legatus quidam Maurorum Regi litteras tradidisset, quibus non sat titulorum inscriptum erat, quos ille sibi tribuendos putabat, audiit, *Sus has peperit: scilicet*, ait Legatus, *ne iis vescaris*: Abstinent siquidem Mauri suilla, sed non utique semper verberibus, quæ tum in incauti Legati tergum ubertim pluerunt. *Idem.*

VII. Sed & apud Cromerum legi fuisse VLADISLAO Polonorum Regi, admodum familiarem *Petrum Damum* Comitem Scrimiensem: qui cum totum diem cum Principe suo venationi operam dedisset & utrique sub vesperam defatigati, in tuguriolum quoddam divertissent, & humi stratis penulis cubituri essent, tum Vladislaus: *Mollius*, inquit, *nunc Petre uxor tua cum Abbate Scrimiensi cubat quam nos* Petrus contra, ut jocum joco retunderet: *Fortasse*, inquit, *& tua cum Dobesso*. Erat autem Dobessus juvenis ex æquestri ordine non inelegans: quò familiarius Christina Vladislai uxor utebatur, ita ut mussitaretur vulgo eum cum illa clam consuevisse. Tetigit id dictum Principis animum, & domum reversus, uxori blandienti rem detexit. Christina vindictæ cupida, eum è filiæ nuptiis abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcidit. Sic ei liberior cum Principe jocus malè cessit. Signa igitur hoc Aulice: alioquin ex oraculo Vatis: *Cromer. li. 6*

Ωχύ-

*Homer. apud Laert. lib. 3.*

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι οἷ' ἀγορεύεις.
*Talia nate loquens, haud multo tempore vives.*

De jocis & ſalibus, deque jocandi modo, natavi alicubi verſus Poetæ neſcio cuius, non pœnitendæ lectionis:

*Primò igitur de quo poſſis, liceatque jocari*
*Perſpice, delectus ſemper habendus erit,*
*Interdum ſiluiſſe licet, nocet eſſe jocatum*
*Parque pari minimè velle referre decet.*
*Nempe ubi præpollens aliquis virtute, potenſque,*
*Ingenua de te luſerit arte ſales.*
*Namque animi indicium eſt agreſtis, ad omnia dicta*
*Mutua, & ad lepidos verba referre jocos.*
*Tu concede aliquid majoribus, artis idipſum eſt*
*Et benè, quæ noſti diſſimulare queas.*
*Verùm, apud æquales æqualibus utere verbis:*
*Cuique jocis licet hic reddere poſſe jocos.*
*Sed tamen invidiæ morſus rapidiſſimus abſit,*
*Omnibus in dictis ſemper apertus eris.*
*Hoc moneo tantùm, ſalibus mediocriter uti,*
*Vt certum poſſis impoſuiſſe modum.*



IOAN-

# IOANNIS à CHOKIER DE SVRLET,

*CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEOdiensis Canonici, & Vicarii generalis, Abbatis secularis Ecclesiæ Visetensis.*

## THESAVRI POLITICORVM APHORISMORVM

## *LIBER SEXTVS.*

---

Superioribus Libris videbar explevisse desiderium meum; quibus tractavi, quæ amplectenda, quævè fugienda Principibus, eorumque Administris. Cæterùm, quia nihil dùm de *Mutatione Imperii*, deque *Imperantium interitu*, atque *Remediis* eorundem, dictum est, certum est, hæc sequenti Libro complecti.

### CAPVT I.

*Omnes Principatus naturâ temporarii sunt: nec minus, quàm ipsi homines occidunt, desinuntq́;*



Emini non exploratum est, nihil esse, quod ortus sui principiũ habuit, quod non mutationi, corruptionique sit obnoxium. *Solius Dei numen natura mutationis expers est, tanquàm increatum, & semper existens*; creata omnia, sive ratione & animâ præditâ, sive inanimâ, & rationis expertia, suapte natura mutantur & dissolvuntur. testor Philosophum: Συνεχὴς πράγμασι γένεσις ϗ φθορά: *Continua est rebus generatio & corruptio.*——*Inest*, inquit Tacit. *rebus cunctis, quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita* *& mo-*

*D. Damasce Dialog. cont. Manich.*

*Arist. de gen. & corrup. 12 c. 10*

*3. Annal.*

*& morum vertantur*. Itaque, sicut plantas, animalia, homines ipsos videmus sensim mutari, adque interitum vergi, inclinarique: ita & Respub. quarum uti initiũ, sic finis est. Atque id quidem, sive fato, seu naturæ quadam, ut dictum, institutione, quæ omnia à se producta mutat, invertit, & certis temporum intervallis disperdit.

Cic. de Div. Vidit hoc Coriphæus Oratorum: *Idipsum*, inquit, *à Platone, Philosophiaq́ʒ didici, naturales esse conversiones Rerumpub. ut eæ tùm à Principibus teneantur, tùm populis, tùm à singulis*: immò, ut tandem à nemine teneantur, sed ut animalia omnia certo temporis ambitu occidant, intereantque. Breviter, ac verè Seneca: *Omnia mortalium opera, mortalitate damnata sunt: inter peritura vivimus*. Adeò, *ut quidquid longa series multis laboribus: multa Deûm indulgentia struxit, id unus dies spargat, ac dissipet*.

Epist. 92. Epist. 91. Livius.

Et quid multis?

Prudent. lib. post. in Sym.

——— *Sicut variæ nascentibus*——— ———
*Contingunt pueris animæ, sic urbibus affert*
*Hora, diesque suum, cùm primùm mœnia surgunt*
Man. 4. Ast. *Aut fatum, aut genium*. Planè, planè,
Ovid. ——— *certum est, & inevitabile fatum*, quod
——— ——— *ratio vincere nulla potest*, quodque
——— ——— ——— *omnia certo fine gubernat*.
Boetius. ——— ——— ——— ——— *Sic omnia verti*
*Cernimus, atque alias assumere pondera gentes;*
Ovid. *Concidere has*.

Apul. Met. Et quidem peccatis & sceleribus mortalium. *Quis enim miretur*, inquit Cyprianus: *in pœnam generis humani iram Dei crescere, dum crescit quotidie quod puniatur?*

Nicet. in Balduino. Itaque, legibus invictæ Necessitatis ruunt, vel transferuntur Regna, Respub. Provinciæ. Μηδὲν γὰρ τῆς ἀνάγκης βιαιότερον: *Necessitate enim nihil violentius*. Et ut apertè Arnobius. *Rationibus fixis peraguntur res Dei; & quod semel decretum est fieri, nulli potest novitate mutari*. Quid quæris? *neque consilio prudenti, neque remedio sagaci, divinæ Providentiæ fatalis dispositio subverti vel reformari potest*. Videte Principes, *ne ille regna dispenset*, & evertat, *cujus est orbis & homo ipse qui regnat; ne ille Civitates extollat, aut deprimat, sub quo fuit aliquando sine Civitatibus genus humanum. Ille*, inquam, *qui mutat tempora & ætates transfert Regna atqʒ constituit*.

Lib. 2. adv. gentes. Tertull. Ap. con. gēt. c. 18. Daniel. 2.

Iccircò,

——— *Nemo temerariè credat*
*Fortuitòve geri mundana negotia casu:*
*Omnia lege meant, quam lege Conditor illis*
*Sanxit ab æterno*.

Cæte-

Cæterùm, civili experientia duo hic obſervantur. Primò φιλέει δὲ προσημαίνειν ἐστ' ἂν μέλλῃ μεγάλα ἢ πόλι ἢ ἔθνει ἐτέσθαι: *quoties ingentes ſunt venturæ calamitates vel Civitati, vel nationi, ſolent ſignis illæ prænunciari.* Secundò, ſolet malum extremum *Diſcordia* præ cedere. docente & aſſerente Vegetio: *Civile odium ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad utilitatem ſuæ defenſionis, incautum.* Rectè: *nam in civilibus diſcordiis, haud dubiè ab utraque parte Reſpub. detrimentum capit.* Atq; ea quidem *Diſcordia* oritur ab rebus plerùmque nimiùm lætis, & ad ſummum felicitatis gradum perductis. *Namq;*, ut Tacitus inquit, *arduum eſt, eodem loci potentiam, & concordiam eſſe.* Ideò, *indicium eſt imminentis exitii maturitas, & appetit finis, ubi incrementa conſumpta ſunt.* Hinc Plato ſcribit quod *nihil maneat in ſuo ſtatu, ſed circumvolutione quadam mutentur omnia.* Quod & vidit D. Hieronymus. *Poſt certos*, inquit, *temporum circulos ea quæ fuerunt rurſum fieri, nihilque in mundo fieri novum.* Quid multis? magna imperia ad inſtar ſunt æſtus maris, quò cùm venerunt ſiſtunt ſe, & retroeunt.

*Herod. lib. 6.*
*Lib. 3.*
*Dio lib. 41.*
*Tacit. lib. 3.*
*Seneca Conſolat. ad Marciam.*
*Lib. 1. de Rep.*
*Apolo. adv. Ruffinum.*

Iam firmemus hæc exemplis.

---

## *EXEMPLA & MONITA.*

I. SEX omninò perfectas rerum civilium converſiones eſſe, paſſim Politici docent: nimirum à Monarchia ad popularem, à populari ad Monarchiam: ab optimatibus ad populum, à populo ad optimates. Item à Monarchia ad optimates, ab optimatibus ad Monarchiam. Ipſa Reſpub. Romana, ſatis palàm facit his mutationibus laboraſſe: ut cujus imperium initiò penes Reges fuerit, mox penes Conſules, & Senatum, & tandem poteſtate Tribuniſplebis communicata, penes plebem ipſam. Ita prorſus accidere ſolet in omnibus Rebuſpub. ut dominatus, civileſque ſtatus varient; immò tandem naturæ quadam, ut ſic dicam, œconomia, concidant, atque ad nihilum redigantur. Quis *Aſſyriorum* atque *Perſarum* Imperium delevit? Quis *Athenienſium* opes evertit? Quis potentiam *Macedonum* excidit? Nihil aliud certè fuit in cauſſa, quàm natura rerum humanarum, qua nihil eſt in terris imbecillius. Etenim ſi Cyrus Aſſyriorum imperium (utor Oſorii ſententia) non deleviſſet; ſi *Alexander* non fregiſſet potentiam Perſarum; ſi Romanorum armis *Macedones* atque cuncta Græcia minimè corruiſſet, tamen neceſſe erat, ut omnia iſta imperia, vel aliorum viribus conciderent, vel ætate conſeneſcente tandem interirent. Ut enim lyræ, aut arcus nervi, inquit Plutar. ita mundi quoque concentus viciſſitudine quadam intenditur, & in rebus humanis nihil ſynceri, nihil puri, nihil certi. Itaque poſteaquam ultra progredi nequeunt, neceſſe eſt, ut fiat naturalis, ſive fatalis converſio, & ita regrediantur, corruantque res humanæ.

*Lib. 1. de Rep.*
*Lib. de Nobilit. 3.*
*Apol. adv. Ruffin.*
*De Tranqu. animi.*

Lucan.1. *In se magna ruunt: lætis hunc numina rebus*
*Crescendi posuêre modum.*

II. Vide mihi superbam illam ROMAM (ut imperia omittam (in qua XII. thermæ erant amplissimæ, balnea privata innumera, Amphiteatra amplissima II. quorum unius adhuc vestigia restant admiranda, Theatra totidem: Ludi V. Naumachiæ totidem: Nymphæa XI. Arcus Marmorei XXXVI. Circi II. Septizonium Severi; Moles Hadriani, Augusti Mausoleũ: Quid de tẽplo dicã Capitolino? Quid de Panthei, Pacis aliisque? quid commemorem Fora Romana? quid ædificiorum splendorem? quid denique suburbiorum magnitudinem? ne multis: tantus ejus Propert. lib. 3 splendor, atque amplitudo fuit, ut Vates meritò inclamaret:

*Omnia Romanæ cedant miracula terræ*
*Natura hîc posuit, quicquid ubique fuit.*

Ubi porrò ista omnia? evanuerunt, conciderunt, immò non fuisse diceres, nisi quæ etiam supersunt parietinæ, & veterum scripta aliud clamitarent. *Vbi nunc* (utar aureo stylo S. Chrysostomi Serm. in 5. Tom.) *inclytus ille Consolatus splendor? ubi illustres illi fasces? Vbi applausus illi & choreæ, epulæq; & facti conventus? ubi coronæ & aulea? ubi strepitus urbis & ille Circensium spectatorum faustæ acclamationes? Omnia illa perierunt, procella vehemens folia dejecit, arborem spoliatam reddidit jam radicitus vacillantem.* Urbem relinquamus: *Imperium* ipsum, quomodo jam discerptum, & divulsum videmus Gothorum, Vandalorum, Hu- Lucret. l. 5. norum, Arabum denique & Turcarum bellis atrocissimis? An non idem de *Thebis Hierosolimisq;*, de *Tarento. Metaponto*, & aliis sexcentis dici potest? potest sanè; & providentiæ divinæ, simul & potentiæ hunc veluti lusum esse, à quâ primordiũ & incrementum omnium non solum Urbium, sed Regnorum etiam, ut & familiarium occasus dependent:

*Vsque adeò res humanas vis abdita quædam*
*Obterit, & pulchros fasces, sævasq; secures*
*Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.*

Porrò, *Fati* voce, cùm in hoc Capite, tùm in aliis nonnunquam, veterum sententias retinens, utor (ne quis me calumnietur,) sed intelligo Deum ipsum, Lib. 5. de Ciu Dei. c. 1. & 9. vel cum D. Augustino, divinæ mentis veluti vocem, & sanctionem. Intelligant alii Ethnicè, si volent; ego cum Christianis Orthodoxis ita sentio, nec voce Fati, vel Necessitatis quidquam intelligi volo, quod Providẽtiæ divinæ, aut libero ar- Lib. 2. de Rep c. 29. bitrio vim affarat: quod quidem est contra impii Machiavelli dogma, scribentis multa in rebus humanis accidere, Fato ita urgente, ut iis obviam ire nemo possit, Machiauel. refutatur. quamvis in promptu remedia fuerint, id quod probatur conare ex clade Gallicâ quam populus Rom. Camillo duce accepit, cujus exitium Fato imputat, quod scilicet Gallis non restiterit: imò etiam ipsis stellis tribuendum, quod Dictatorem Cap. 1. de. Providenita non fecerint, quod Tribuni castra non munierint, quod nec auspicato, nec litatò aciem instruxerint, &c. in quo deterior est homo impius, Ethnico Senecâ qui res

qui res humanas non imputat cursui siderum, aut Fato urgenti, sed providentiæ divinæ: *Quis enim*, inquit, *credat sine custode tantum opus stare? & hunc siderum cursum discursumque fortuitos impetus esse?* Ita eventus rerum bellicarum non vult imputari Onosonder fortunæ: quin, inquit, *stulti sunt qui rebus malè gestis solam fortunam non etiam militum ignaviam & imprudentiam accusant.* *In Præfat. Straget.*

III. Et in hac consideratione etiam excelluit FERDINANDUS II. Rom. Imper. sicubi rebus humanis affli&abatur, ad conversionem illam rerum divinitus præscitam & ordinatam recurrebat, familiaribusque suis reponebat ista: *Res mortales omnes suam habere periodum, nasci, crescere, deficere: fieri posse ut Austriacorum Imperium in ipso concludatur, & si Deo ita visum est; se non modo non refragari, sed nec tristari; Deum suo arbitratu ac voluntate his illisuè dare Imperia & Regna: humanis ad hoc aut opibus aut potentia non egere, quas dare & auferre potest cum lubet. Adhæc, Rudolphum I. à Deo evectum esse ad solium, cujus tum nec opes, nec vires possent cum iis conferri, quibus hodie Archiduces Austriæ Dei beneficio pollent.* *Guiliel. Lamormianus de Virtuti Ferdi II.*

*Hoc intereà animadversum nonnullis, ejusmodi mutationes circà 500. annum, ut plurimum evenire.*

I. In ASIATICO Imperio, satis constat illud fuisse penes assyrios 520. annis: post quod tempus Medi illud occuparunt. *Herod.*

II. ATHENARUM etiam Imperium à Cecrope usque ad Codrum annis durasse 490. & post illa in Democratiam immutatum. *Isocr. Symm*

III. Totidem annis floruit LACEDÆMONIORUM Respub. sub Regibus Heraclidis à Lycurgo (qui etiam reipub, formam primus constituit) usque ad Alexandri magni ætatem, sub quo concidit. *Idem.*

IV. Annis circiter 500. ab expulsis Regibus usque ad Monarchiam Augusti, rexerunt rempub. romanam consules, formâ gubernationis mixta ex Aristocratia scilicet & Democratia.

V. Anno 500. post devictum ab AUGUSTO *Antonium*, & constitutam rursum Monarchiam. cæso Romæ *Valentiniano*, ultimo occidentis Imperatore, Imperium occidentis dilaceratum concidit, & esse desiit: Vandalis, Alanis, & Suevis primò Galliam, deinde Hispaniam, tandem & Africam, & in ipsâ Italiâ Urbem Romam, Genserícho Duce invadentibus, occupantibus, ac diripientibus: Scotis & Anglis Britanniam: Burgundionibus & Francis Galliæ partem: Gothis partim Italiam, partim Galliam Narbonensem, Aquitaniam, & veterum Cantabrorum sedem, ac Celtiberorum in Hispania; Longobardis Galliam Cisalpinam adorientibus, & obsidentibus. Nec post hunc Valentinianum certa aliqua, & firma fuit Græcorum Imperatorum in Occidente potentia. Ideò paullò post relicta urbe Româ, constituerunt Exarchatum Ravennæ: quem etiam citò destruxerunt, & everterunt Longobardi.

*Nonnulla tamen Imperia dimidiatam tantùm periodum 500. annorum exegisse deprehenduntur.*

I.Ut Persicum,quod à Cyro uſque adDarium ultimum,annos 230.vel circiter opibus,atque potentiâ floruit, tandemque Alexandri magni impreſſione corruit.

II.Græcorum etiamMonarchia,annos circiter 250.perſeveravit:verùm poſt longa,& maxima prælia,ad diſtinctos Macedoniæ,Syriæ,Ponti,& ÆgyptiReges fuit devoluta.

III.Romanorum quoque prima mutatio,quâ Regibus Imperium abrogatũ, cecidit circiter annum 250.hoc eſt anno ab V.C.244.

IV. Regnum Longobardorum in Italiâ everſum à Carolo Magno , ultimo Rege Deſiderio , cum conjuge, & liberis Leodium relegato duravit annos 240.

*Quinimò ſæculares,ſive centeſimas Periodos eſſe regnis,Rebuſp.Regiis ſtirpibus,oſtendunt hiſtoriarum monumenta.*

*V.P. Greg. 21.de Rep. c. 5.&Greg. Richt. in Axiom.Pol.*

I. Ecce centeſimo poſt Chriſtum natum, & Auguſti Cæſaris Imperium anno , cœpitRomanaReſpub.per extraneosPrincipes regi,& translata illa primùm poteſtas adNervam, Trajanum,Hadrianum natione Hiſpanos.

Ducenteſimo dehinc anno poſt Chriſtum natum, deletum Parthicum Imperium.& ortum novumPerſarum per Artaxerxem Regem.

Trecenteſimo, ad Principes Chriſtianos translatum Imperium Romanum ad Conſtantium,Conſtantinumque Magnum.

400.anno cœpit dividi, & lacerari Imperium, unde nova alia regna orta in Italia,Gallia,Hiſpania,Africa,Aſia,Anglia.

Anno 500.OccidentisRomanorumImperium exſtinctum,uſque ad Carolum Magnum,& contractum in Conſtantinopolitanum,ſive Græcorum.

Anno 600. Mahometis, & Saracenorum impietas ſimul & horrendum imperium productum eſt.

Anno 700.Saracenorum, Arabum,Turcarum,Maurorum,nova &diverſa regna,quæ habuerunt ſuos Principes dictosCaliphas,ſive Sultanos in India, Syria , Aſia,Ægypto,Lybia,Africa,in Inſulis maris Mediterranei,OceaniÆthiopici,Indici,Athlantici.

Anno 800. Imperium novumOccidentis per Francos Septentrionales gentibus ſalutare,&Chriſti prænuncium.

Anno 900. Imperii Occidentis è Francis ad Longobardos translatio, ſedi Apoſtolicæ diu luctuoſa.

Anno 1000. nova regna, Poloniæ, Ungariæ, Bohemiæ, & Septentrionalium populorum.

Anno 1100.nova Regna Occidentalium Chriſtianorum,præſertim Francorũ, in Aſia,Syria,Iudæa,& alibi.

Anno 1200. novum Imperium, & barbaricum gentis Tartarorum, cum Indicorum , & totius Orientis magna Regnorum calamitate.

Anno

Anno 1300. novum, servile, & ferum imperium Othomannorum, ab Othomāno primo ejus nominis Imperatore dictum.

Anno 1400. novum Imperium Tamberlani Scytæ: quod feritatem Turcarum aliquantum repressit.

Anno 1500. nova imperia Sophi in Perside: item Lusitanorum & Hispanorum in Indiis, & novo orbe.

Anno 1468. Civitas nostra Leodiensis, quæ me jam sui memorem reddit, funditus à Carolo Burgundo eversa fuit: emenso autem dehinc centesimo ferè anno à Principe Aruan, *Sectariorum* Duce, rursum (etsi nequidquam) obsessa fuit.

Deus faciat, ut currente hoc sæculo eam mutationem experiamur in Republ. Christiana, qua pace ubique inter Principes stabilita, eorum imperium quàm latissimè in latissimas, & potentissimas publici Christiani nominis hostis ditiones protendatur, quidus haud dubie non diu incubaret Tyrannus, si sociatis Principum Christianorum viribus, quæ jam variè distrahuntur, seriò oppugnaretur.

Futuras calamitates Deus piis prænunciat

Sed nolo diutius huic argumento, quod pleniore manu alii prosequuntur, immorari. Neque enim mihi fit verisimile ejusmodi mutationes præsciri posse, nisi quatenus Deo visum fuerit: ut fere solet res maxime admirandas hominibus prænuntiare: id quod facit Vatibus suis sive Prophetis, vel signis & prodigiis, aliisque modis, ad captum nostrum, quæ ejus est clementia, convenientibus. solet, inquam, benignus ille Deus, *Dare significationem timentibus se, ut fugiant à facie arcus.* Ut in Loth testatum facit Scriptura, qui monente Domino cum filiabus fugit è Sodomis: & Noë, qui cum familia arcam ingressus est, imminente iam diluvio. Ita instante Hierosolymæ excidio, plerosque Christianos, nedum Iudæos, signis variis à Domino priùs monitos, in alias regiones se recepisse, clarissimus Annalium Ecclesiasticorum scriptor testatur. Nè multis: idem ille benignus Deus per Danielem futuram Persici regni eversionem prædixit, & inclytam Alexandri Magni victoriam, per visionem Arietis & Hirci, aliaque edocta mysteria. Verùm, nimius essem, si variorum exempla prodigiorum referam, quæ passim in historiis occurrunt: suffecerit in memoriam revocasse varios Cometes, qui nobis Belgis sub initium mutationum seu bellorum civilium apparuerunt, & simul prænunciarunt non dubias & securas postea calamitates: quarum vim acerrimam totis LXX. & quod excurrit annis, non sine magno animi mœrore sensimus, quotquot Belgæ sumus. Ita *terræ motus* prænuncios esse, & calamitates denunciare in confesso est, teste ipso Plinio, dum inquit inter alias, *Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventus prænunciū esset.* Tacitus scribit statim ab excessu Augusti 12. celebres urbes collapsas nocturno terræ motu, quo improvisior graviorque pestis fuit. Causas motus terræ necdum certas, ne quidem inter Physicos inquit A. Gellius: licet eas inquirere conetur Seneca. Ut ut sit, satis constat veras esse Superûm punitiones severas; quod ipsi censuerunt Ethnici, qui pro *motuum terræ cessatione* Neptuno rem divinam obire solebant; Nos Belgæ

*Psal. 59.*
*Genesis 19. & 6.*
*Genesis 7.*
*Baron. tō. 1.*
*Daniel. 8.*

Anteābulū ruinarum Rerūpubl. Dissensus domesticus

*Lib. 6. Ann.*
*Lib. 6. Nat. quæst.*

Belgæ nuper experimento didicimus mense Aprili 1640. hosce terræ motus futurarum calamitatum præsagos esse. In quo Caput obsignarem, nisi viderem superesse ultimum textus nostri aphorismum exemplis firmãdum; nimirum, proximum ad mutationem, vel eversionem Rerumpubl. gradum, internam esse discordiam, siue ciuium dissensionem. Agè, paucis expediamus.

*Orat.1. ad Cæs.*

I. Producatur imprimis ipsa ROMA, quæ priusquam ad unius arbitrium delata esset, infinitas incredibilesque passa fuit clades atque calamitates, per domestica dissidia, diversasque partes Cæsaris, & Pompei, quibus è medio sublatis, exarsisse etiam Remp. factionibus Triumviratus, nemo non nescit. Animadvertit hoc Cæsar, cuius apud Sallustium legitur vaticinium hoc: *Ego sic existimo,* inquit, *quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate Vrbi Romanæ fatum excidii adventaverit, cives cum civibus manus conserturos ita defessos & exsangues Regi, aut nationi prædæ futuros. aliter, non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ movere, aut contundere queant hoc imperium.* Præsagus fuit, sed non sui interitus.

*Isocrat. in Panath.*

*Herod.*

II. Quid in Græcia, nonne dissensionibus quoq; civilibus pessimum publicum sustinuit, maximasque clarissimarum urbium eversiones exorto Peloponesiaco bello exitiali?

*Krantzius. 1 Norvagia.*

III. CARTHAGO etiam, quæ antè Romanis semper formidabilis, nunquid ab eadem caussa in ruinam acta est?

*Lib.34.*

IV. Quid GOTHARO Norvagiæ Regi dedit animum Danos invadendi, nisi dissensus ille, quo capitaliter, à suo Rege diffidebant? autem iis vello, lector, qui pronuper exitio suo propiores fuêre.

*Comineus. in Comment*

V. Quid quoque Turcam HUNGAROS aggredi incitavit, nisi dissidia civilia, quibus irretiti defensivum (ut Bosinius inquit) quàm offensivum bellum gerere constituerunt?

*Anno 1648.*

VI. Ac ut magnis & dissitis, minutas & vicinas urbes nectam, scimus superiori ævo *Dionatenses* atque *Bovinos*; tametsi antè invictos, propriis tandem dissidiis ab *Philippo* Burgundo suppressos fuisse.

VII. Quid vicinos alloquor? & tu, ô mea Eburonum LEGIA, sensisti in tuo illo excidio quantum malum afferat, sejunctio & discordia, quæ te in manus non dicam hostiles (pudet enim Christianum fuisse) sed Vulcani dedit, qui te, te inquam splendidam licet, & Clero spectabilem, in flammam dedit. Ut meritò postea illud usurparis;

*Stare diu nescit quod non fulcitur ab alto:*
*Et discors in se regnum durabile non est.*

*Lib.2.*

Usurpas quidem meritò: sed vide, ut hac calamitate docta, aliisque, reipsa tandem depreceris symboli malum. Enimverò, nihil verius illa Livii: *Opulentis civitatibus venenum seditio: magna imperia mortalia reddit.* Quod alter etiam historicus Romanus animadvertit, technas Drusi considerans, *Haud leve decus Drusus quæsivit illiciens Germanos ad discordias.* Sciebat enim cum Vegetio, sapientis

*Annal.2.*

Ducis

Ducis eſſe, diſcordiarum inter hoſtes cauſas ſerere, cum illud veriſſimum ſit, *ne minimam quidem nationem poſſe ab adverſariis deleri, niſi propriis ſimultatibus ſe-ipſam conſumpſerit.* Hinc cauto, licet minus ſalutari conſilio nonnulli ſuggerunt (quod, proh dolor vidimus) ut quos ſive vicinos, ſive alios potentiâ valere, aut neceſſarios eſſe deprehendunt, horũ vires minuere ſatagant, diſcordias inter eos ſerendo, illudque Hiſtorici, ceù oraculum pronis auribus excipiunt: *In regnis quæ nobis ſunt formidoloſa & ſuſpecta ſerendas ſeditiones & diſcordias, ut tuti adverſus ea ſimus, & frangantur eorum vires.* Sed, ut aſtutia hæc Chriſtianis hominibus pernicioſa eſt, ita longè pernicioſior cùm ab hæret: aliiſq; à fide Chriſti alienis auxilia ſuppeditantur, aut inter Catholicos fœderatos diſcordiarum ſemina feruntur, ut ab hoſtibus hoc pacto ſeparati & diſcincti, rem ſuam promoveant aut ſtabiliorem reddant: quod uberius oſtendimus ſupra cap. de fœder.

*Veget. lib. 3. cap. 9.*

*Tacit. 2. Annal.*

*Amor Scot. in Tacit.*

VIII. Quid quæſo ſuperioribus annis rei bene gerendæ curſum, vel potiùs conficiendæ in Turcam impedivit, niſi æmulatio Hiſpanorum & Venetorum? qui ſanè ſi bello illo ſociali, de quo mox, concordes, & unanimes permanſiſſent, haud dubiè actum fuiſſet de potentiſſimo Chriſtiani nominis hoſte.

*Liuius lib. 32*

IX. Ita prioribus ſeculis cum Romanis compertum eſſet Græciam invictam fore quamdiu ſtaret ſocietas Achæorum, Gallo Proconſuli in mandatis dederunt ut modis omnibus ſocietatem illam dirimeret: neque id fruſtra tentatum: nam pleræque Civitates querebantur, fœderis æqui ſpecie, ſibi Imperium ademptum fuiſſe: inde Gallus occaſione captâ Civitates defectionem meditantes acriùs inflammavit.

*Paulus Iovi. Lib. 1.*

X. Genuenſes, qui cuncta quondam maria pervagati, relictis clariſſimis ubique victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore navali gloriâ ſuperarant, cùm domi ſeditioſi, atque diſcordes eſſe cœperunt in Sforzianorum clientelam conceſſerunt.

*In Licin. Liciniano Imp*

Longum eſſet ſigillatim omnes Urbes atque Provincias enarrare, quibus conſtare poteſt propriis diſſidiis atque ſimultatibus in jus & poteſtatem hoſtium deveniſſe. Itaque liceat mihi quæri cum Pomponio Læto, qui adverſus injurias ſui ævi ſic indignabatur: *Mali dæmones ſic implicuere noſtras mentes, ut relictis veris hoſtibus, quos longa pace frui permittimus, in nos noſtrorumq; membra armatas & ſanguinolentas convertamus manus. Interea culpandine ſint Principes, qui ad tam pernicioſum facinus ſtipendia ſolvunt, judicent alii. Illud verò auſim dicere, Chriſtianos omnes ſub uno ſigno Crucis militare; noſtram Religionem unicam eſſe, Remp. unicam, ipſius Dei urbem, cujus nos cives ſumus, & bellum inter nos eſſe non poſſe, niſi civile.*

Exhorta. ad Sacrũ bellũ

Ergò, ô Chriſtiani Principes poſitis diſſidiis, & levibus fugacibuſque irarum incitamentis, quibus illarum ergó inter vos ſævitis, & Europam metu completis, in immanem illum communem Chriſtiani nominis hoſtem potiùs arma convertite, tot ejus cruentas de patribus veſtris reportatas victorias cogitate, miſero-

rum Christianorum Christi sanguine redemptorum præduram servitutem attendite, fletus amaros, & juges ejulatus audite, sanguinolenta ejus in vos consilia frangite. Quamdiu severitati ejus, ac potius tyrannidi indormietis? excitet, vos ô Principes, & moveat, longè lateque fusum ejus Imperium, quod nisi communi repagulo contineatur, viresque ejus confringantur, plus plusque indies serpet, & in ditiones aliquando vestras dissensionibus vestris protendetur. Non arma, non vires desunt, modò postpositis simultatibus, firma inter vos stabiliatur societas; qualis quondam Godefridi Bullonii, Roberti Comitis Flandriæ, Hugonis Philippi Galliæ Regis fratris, Roberti Ducis Nortmanniæ, Ioannis Hunniadis, Matthiæ Corvini Hungariæ Regis, aliorumque Principum vere Christianorũ, id est Christianæ libertatis vindicum & defensorum. Tandem initâ, & firmatâ ejusmodi societate, Tibi ô Magne Cæsar, per Danubium petere licebit cum Regibus Daniæ, Bohemiæ, Poloniæ, Thraciam; & inde fines Constantinopoli, quæ sedes est Imperii Ottomannorum. Tibi porro, REX CHRISTIANISSIME. cum magno Britanniæ Rege, Venetis, Helvetiis, Principibusque Italiæ icto fœdere, Brundusium adspirare licebit, ut inde secundis remigibus in Albaniam, & Walachiam Te penetres, Græciam post illa oppugnaturus. At verò, Tu PHILIPPE Magne Rex Catholicæ, majorum tuorum vestigiis insistens, cum Vicario Christi URBANO VIII. Pontifice, ut sapientissimo, sic potentissimo, non difficulter Constantinopolim, quà mare spectat, adoriri poteris; & qua fœlicitate Pius V. cum Avo Tuo *Philippo II.* & Venetis, memorabili illâ naumachia Selimum II. profligavit, eadem terra marique de statu sui Imperii Barbarum modò exiges. Sed prius de fœdere inter Principes Christianos ineundo tractandum, adeoque occurrendum simultatibus ac diffidentiis quæ inter Hispanos & Rempub. Venetam nescio quo genio foveri solent: quod fiet arctissimis societatis legibus: quæ res facultatem habitura esset, si prudentissimus & sapientissimus idem Vicarius Christi in terris exemplo Pii V. S. pariter Pontificis suam interponeret potentiam & Authoritatem. Cùm enim illi filios se Ecclesiæ glorientur, vocem haud dubiè parentis & auctoris tanti boni, quo saltem pax inter eos coalesceret, audirent; neque magnitudini suæ officerent morem gerendo monitis ejus, quem culmen obtinere dignitatum, ac repræsentare personam Christi (per quam ipsi regnant) lubentes agnoscunt. Concurrent hoc sacro bello omnes Orthodoxi, id est Clerus ipse pro modulo suo, Nobilitas, aliique, ut quemadmodum nascente Christo totus iste Orbis tenebris alioqui infidelitatis occœcatus, pace altissima fruebatur, ita nunc decrescente mundo & ad interitum vergente, pulsis omnibus infidelibus, ubique renascatur avita fides, & sub uno Catholicorum Pastore in extrema, hac periodo postliminio redeat, ut cum Beatis omnibus in CHRISTO JESU Domino nostro pace tandem potiamur æternâ.

*Anno 1571. Illa pugna. 117. triremes hostiles cum 13 navibus à nostris intercepta 140. partim absorpta, partĩ fugatæ, diversa tormẽta maiora 383. capta occisorũ numerus 32. millia è nostris 7. millia desiderata*

Quare ô Principes Christiani, præsertim vos qui coronas invincibiles geritis, ponite diffidia, simultates, aliaque irarum incitamenta, quæ ab *Idolo status* procedunt,

cedunt, & animis concordes viribusque coadunatis, immani hostis potentiam extinguite, atque opprimite. Sidera ipsa & portenta favere videntur: si quidem verum est quod nunciatum mense Augusto quadragesimo primo supra sexcentesimum, Constantinopoli aparuisse ostenta & prodigia mira, ac in aëre visiones quas Græci φαιτάσματα vocant extitisse, horrendos in aëre exercituum sonitus, faces in cœlo, quod ardere videbatur, passim crinitas sanguinolentasque stellas sive Cometes, sagittas ardentes & cadentes super Palatium Turcæ, cui etiam in somnis apparuere quoque duæ visiones, quarum una Leonum ingens numerus, à quibus videbatur dilaniari: quod quidem illum sic exanimem reddidit ut tantum non vita consisteret; altera visus videre est furentes Centauros inter se depugnare, & truces gryphos, qui Aquilæ ductu Centauros illos oppugnabant atq; exterminabant. Itaque his territus Turca, Astrologos, sive Ariolos consulit, qui obscura & horrida ista insomnia interpretarentur: Isti aperte nec dissimulanter sic rem aperuerunt. Per signa illa cœlestia designari status tui certam mutationem atque inter Subditos tuos dissensiones maximas: Leones porro, Christianos Principes designare, qui viribus inter se junctis & fœdere coadunatis, bonam Monarchiæ tuæ partẽ usurpabunt: Centauri inter se decertantes, subditi itidem sunt tui, quorũ præcipui rebellabunt adversus potentiã Tuam ob fidem Christianam, quæ te, tuasque Ditiones subdet tandem Imperio Catholicorum. Porrò, Aquilam designare gladium, quem Tibi, ô maxime Principum, ibit ereptum Imperator Occidentis, quique Te è solio ad sua genua circumaget: unde ut venia Tua libere sensum nostrum edicamus, ultimus es Turcarum Imperator. Ita illi. Verum quod præmium assecuti sunt isti? non quod promissum à Rege Balthasare Danieli *Pro*phetæ purpura & torques aurea circa collum ejus, sed obtorto collo ducti ad bustum & crurifragio incendioque damnati sunt.

Atque hæc equidem ceù minimus navicularius Serenissimis Reipub. Christianæ Navarchis inter obscuros & decumanos calamitosi hujus sæculi fluctus agitatis, ὀδ ὃ παρεργον suggerendum demisse censui, & ad bellum illud sacrum exhortari, ut olim eminentissimus Card. Barberinus, modo URBANUS VIII. Pontifex Max. versu prorsus eleganti; cujus extremum ita concludit:

*Nos armet pietatis amor, roburq; ministret,*
*Vt meritas pœnas gens inimica luat.*
*Fac precor ô Deus, ut coeant in fœdera Reges,*
*Fidentesq; tuâ nos tuearis ope:*
*Hæresis infestas frangat tua dextera vires,*
*Dissipet & Turcas, Odrisiasq; rates.*
*Tu Deus Omnipotens justi sis sanguinis ultor,*
*Perde truces hostes, qui fera bella volunt.*

Ita in floridâ ætate canebat, & Christianam Rempub. amabat S. D. N. URBANUS ejus nominis VIII. modò fœlix Ecclesiæ Romanæ Rector & Protector.

Porro Imperiorum & Principum interitus & occasus accidunt vel ab INTERNIS CAUSIS, vel ab EXTERNIS. Illæ partim ex *domesticis dissidiis*, partim ex *Impotentia regnantium*: cùm nimirum legibus spretis pro libidine sua, cuncta gubernant; partim ex superbia eorum, pravisque moribus constant ( unde METUS *subditis* ingeneratur) quibus ex rebus ODIUM & CONTEMTUS nascuntur; atque inde INSIDIÆ, CONIURATIONES, PRODITIONES; *Quæ tamen ut plurimum, vitantur* Indagatione, & Coërcitione. *Deinde* Custodia, *sive* Satellitio: *adhæc,* Diffidentiâ, *ac* Dissimulatione. *Postremò*, Innocentia, *& subditorum* Benevolentia. EXTERNÆ *verò prodeunt, tum à* VI SUPERIORE, *Principis nimirum potentioris: tum à* VI MAIORE, *id est, necessitate, sive Fato.* quod nos Christiani *Providentiam divinam* appellamus. *Quæ omnia sigillatim explicanda*; *& primùm præter jam dictas de* CAUSIS INTERNIS.

---

## CAPUT II.

### Quarum prima sit *Impotentia Regnantium,*

MAGNUM quidem sanè in Principe malum animi *Impotentia.* Cùm enim potentiæ suæ fiduciâ magnos sibi spiritus sumit ad nocendum, non solùm alienæ potentiæ incrementum non fert, verumetiam suum populum crudeli, & violentâ dominatione præmit, quo nomine non tam Principis quàm Tyranni indigitatur. Namque veri Principes, Philosophi ac omnium sapientum sensu, *Secundum leges imperant*, ——— *quibus etiam alligatos se profitentur*; Tyranni vero legibus neglectis, violenter, & omnia ex libidine administrant: adeòque *omnia sibi, & in omnes licere putant*. Quid quæris? apud eos,

*Arist.5.Poli. cap.10. Imp.lib.4. C.d.leg. Suetoni Senec.Herc fur.Act.2.*

*Ius est in armis, opprimit leges timor.*

*Cic.2.deOffi.* *Quem* autem *metuunt, oderunt, & quem quisque odit, periisse cupit.*

Itaquè, non immerito primum ad ruinam constituo gradum *Impotentiam*, sive *Injuriam*. Quæ quidem, vel subditorum *facultatibus*, vel *existimationi* infertur. *Facultatibus*, cùm illas subditis, citra jus, fasque detrahit, ut Homericus ille Agamemnon:

*Odiss.4.*

Εἰ δέ μί δώησιν ἐγὼ δέ κιε ἀυτος ἕλωμαι :

*Ipse quidem eripiam, si tradere fortè graventur.*

Cavete ô Principes: cùm eâ re æquè offendantur subditi, atque si vita ipsis eripiatur. Nam, ut Comicus ille Græcus ait:

*Antiphan.*

Τ'αργύριον ἐστιν ἄιμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς :

*Polit.c.6.* *Sanguis hominibus & anima sunt pecuniæ.*

Aper

Aperte Philosophus: *Per ablationes rerum*, inquit, *conjurationes instituuntur*, & his affinia, injusta bellâ.

*Hoc placet, ô Superi, cum vobis vertere cuncta* Lucan.lib.9
*Propositum, nostris erroribus addere crimen,*
*Cadimus, irruimus, nocituraq; poscimus arma.*

Injuriâ autem *Existimationi* factum itur, vel per probrum, cùm scilicet, attrectantur subditorum uxores; vel contumeliam, cùm ipsi contemnuntur; vel denique injustam corporis coercitionem; cum scilicet, aut plagis mulctantur, aut vitæ ipsorum insidiæ parantur. O Deus immortalis! quàm *parum tunc tuta fides, aut amor; immò, metu, ac necessitate huc illuc impelluntur*. Itaque, talem Principem *à tergo sequitur eversio. Odio, veneno, gladiis, tàm multis periculis petitur, quàm multorum ipse periculum est: privatisq; nonnunquam consiliis, alias verò consternatione publica circumvenitur.* Tacit.1.Hist Senec.1.de Clem.c.21.

Enimverò, libidinis & adulterii cultu qui agitantur, horum animi imbelles redduntur, deq; sede omnis honestatis ejiciuntur. *Quid his vitiis*, inquit Valerius *fœdius, quid etiam damnosius quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnantur?* Lip.9. cap.1

Attendite igitur, & vim dominationis cohibete, *parceq; utimini potestate, quo semper ea uti possitis*. Nam: *in magna fortuna minima licentia est*, ut Sallustius inquit. M.Cataqud. Plutar.

Itaque, Catil.
*Errat longe, mea quidem sententia,* Teren.Adel
*Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,*
*Vi quod fit quam illud, quod amicitia adjungitur.*

Vidit Poeta:

*——Peragit tranquilla potestas* Claud.Pan. Theod.
*Quod violenta nequit.*

*Oportet* ergò *vos, o Principes, nihil facere per injuriam; sed nec omnino facere videri. Nam privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere: Principibus, ne quidem suspectis esse licet.* Dio.in Orat Liviæ ad Augustum.

Bene monet Tragœdus: Thyest.act.3

*Vos, quibus Rector maris atque terræ,*
*Ius dedit magnum necis atque vitæ,*
*Ponite inflatos tumidosq; vultus;*
*Quicquid à vobis minor expavescit,*
*Major hoc vobis Dominus minatur;*
*Omne regnum sub graviori regno est.*

## EXEMPLA.

Lib.5. OMnes Græciæ Civitates (ait Dion. Halicarn.) initio sub Regibus erant: at postquam eorum nonnulli abuti potestate cæperunt, & in rebus administrandis, non tàm rationem, quam suam libidinem consectari, regni tædio magna pars statum publicum immutavit in leges, ac magistratus, omni potestate ac dominandi ratione transcripta.

Ex Herod. II. Consimilem in modum mutatam legimus Aristocratiam *Mytelenensium* in Democratiam, ob injuriam scilicet potentiorum & optimatum in tenuiores.

Liv.5. Florus 1.c.7. III. TARQUINIUS PRISCUS apud Romanos, nunquid regno exutus, quod pacta conventa, quibus ad Imperium receptus, violaret? quod Senatum contemneret? quod satellitum armatorum præsidio magis, quam civium benevolentiæ fideret? quod cognitiones rerum capitalium sine consiliis per se solus exerceret quod sine justâ causa alios occideret, alios in exilium ageret? alios bonis mulctaret, in quæ ipse invaderet? unde factum ut mutata sit Regia potestas in Consularē.

IV. Ita SYLLÆ & CINNÆ non fuit diuturnum Imperium. Dominatio enim violenta neutiquam longa.

I. Capitol. V. Atque sequentibus quidem sæculis, cum iidem Romani MAXIMINI Impotentiam, atque sævitiam ferre amplius nequirent, eum destituerunt, suffecto in ejus locum *Gordiano* gravissimo viro.

Sueton c.30. & 58. VI. C. CALIGULA, ut tempore prior, ita sævitia non posterior, quale enim & quantum crudelitatis virus in eo esse debuit, cujus fuit votum Populum Romanum unicam cervicem habere, ut uno quasi ictu universos exstinguere & delere posset; Sed ostenderunt illi Romani, multas ipsis esse manus, unicam illi cervicem. Deprehensum enim in angiportu seu crypta, triginta eum vulneribus confecerunt.

Lib.18.c.55. VII. De PHOCA Nicephorus: *Mirum vero*, inquit, *quanto in illum odio multitudo flagrarit; adeò ebrietati ac sævitiæ deditum, ut effuso hominum sanguine continuo gauderet, & tollere è medio omnes in animo haberet, in quibus nobilitatis, aut gloriæ, aut prudentiæ indicium inesset.*

Sabell.8.c.9. VIII. Antiqua hæc, propiora secula videamus. Veneti nobis primùm occurrunt, & in iis PETRUS CANDIANUS Dux: quem legimus, quod legitimum magistratum in tyrannidem vertisset, sibi & liberis superba regiminis forma exitium peperisse. Siquidem populus suæ libertatis memor, domum ejus injecta flamma incendit, tyrannum inde deturbavit, deturbatum trucidavit: filium, quod magis est, in nutricis gremio jugulavit, & tandem amborum corpora foras canibus lanianda projecit.

IX. Ita FERDINANDUS Neapol. Rex, quod nullum non genus crudelitatis, & libi-

V. Comina. l. 2. de. bel. Ne.

libidinis in suos exerceret tandem à nobilitate desertus, miserrimè regno exterminatur, recepto in ejus locum Carolo VIII. Gallorum Rege.

Lessius Episc Rossensis li. de Reb. & mor. Scot.

X. Scotiam petamus: ibi occurrit ROMANUS XXVI. Rex Scotorum, is cùm crudelis admodum esset, variisque facinoribus coopertus, tandem nobilium conspiratione oppressus interiit.

Surg. Anna sub. an. 1532.

XI. In Dania, CHRISTIERNUS memoratur ob sævitiam, quæ tandem quoque illum regno pepulit. Cum autem decimo post anno sui exilii, conscripto milite conaretur ditiones suas recipere, & in Noruegiam & Daniam venisset, dolose interceptus, in carcerem conjicitur, in quo etiam naturæ concessit.

Lib. 3. de gest. Franc.

XII. In Gallia, CHILDERICUS in eadem classe nominatur, de quo sic Gaguinus: *Childericus malis moribus juvenis, dum plurimos pessundaret, quendam Bolidum, sive ut alii, Bolidonem, supremæ nobilitatis hominem, palo, licet innocentem, alligatum crudelissime verberibus affici jubet, quo dimisso, reliqui proceres cum eo conjurant, cujus conjurationis primarii fuerunt VVigolbertus, & Amalbertus. Hi igitur Childericum in sylva venantem circũsistunt, atque occidunt; una cum Vlcide Regina prægnante,* surrogato in ejus locum Theodorico, teste clarissimo Annalium Ecclesiasticorum scriptore Baronio.

Sub An Chr 671.

An. Hisp.

XIII. PETRUS denique cognomento CRUDELIS, Legionis Rex & Castellæ, quod in suos plurimum desæviret, communi procerum & popularium consensu, è regno pulsus est, atque in ejus locum suffectus *Henricus* frater, tametsi nothus.

XIV. Alia studiose prætergredior, etiam novitia quæ sub manu sunt exempla: quibus quidem clare constat, maximos Europæ Principes in extremam miseriarũ lineam adductos ab hoc uno belluino vitio, animi nimirum impotentia. Tantum obiter & demisse monendi Sereniss. hujus ævi Principes, & magnates omnes, ut attendentes ad præscripta, eaq; quæ historiarum quotidie occurrunt monumentis exempla, aliorum periculis sapere discant: id quod facile assequentur, si cum *Claudio* Cæsare, *non dominationem & servos, sed rectorem & cives sibi ob oculos ponant.* meminerint etiam sententiæ illius Galbæ Cæsaris: *Vtilissimus, ac brevissimus bonarum malarumq; rerum dilectus, cogitare, quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris. Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totã libertatem.* & denique Sapientis illius Hebræi: *Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis, quasi unus ex ipsis.* Ipsum quod etiam amici seniores Davidis Regis Roboamo suadebant, ut nimirum *Comiter populum alloqueretur, & posito aliquantisper fastu regio, ad captandam multitudinis gratiam sese accommodaret. Hac arte captos, facile illum amaturos: quod natura ita comparatum sit, ut subjecti delectentur Regibus mansuetis, & de suo fastigio nonnihil se demittentibus.*

Apud Tacit

Eccles. 32.

Iosephus Antiq. c. 3.

Sed & ad Impotentiam atque injuriam regnantium referri potest Contemptus & Innovatio Religionis, ex qua ut plurimum seditiones, & conjurationes oriuntur. Nam, *quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam*

inquit

Regum & regnorum eversio, innovatio Religionis.

inquit Theodosius Imperator. HincTh. Palæologus, quòd in urbe Constantinopoli imagines evertere vellet, à civibus communi omnium conspiratione, in ipsâ æde sacrâ, in qua pessimum consilium exequi conabatur, fœde occisus est. Nec Reges tantum, sed & regna ipsa turbat, immò plerumque evertit, contemptus aut neglectus Religionis, ut præter mutationem status in Africâ, Arabiâ, Persiâ, Hungariâ, testatum faciunt innumera bella, cùm civilia tùm externa, in Galliâ, Germaniâ, Belgio nostro: cujus plusquam sexagenarias calamitates, quis est tam obstipæ, & obscuræ mentis, qui non ab impia fraude, idest hæresi, acceptum referat? Ideo Ethnici ipsi summam accuratissimamque semper habuere rationem suæ, quamvis falsæ, religionis, si Livio fides: *Quoties*, inquit, *hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent? Sacrificulos, vatesq; foro, circo, Vrbeq; prohiberent? vaticinos libros conquirerent, cõburerent, omnemq; disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent. Iudicabant enim prudentissimi viri omnis divini humaniq; juris, nihil æque dissolvendæ religionis pronum esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.* Verum de Religione, quique exitus maneant Principes illius contemptores, supra lib. 1. Cap. de Religione abunde diximus.

L. 4. C. de Heret.

Lib. 39

*Libido* etiam, pestis tùm blanda, tùm etiam exitialis maximè cohibenda; ut quæ & Reges, & regna ipsa perdat, evertatque, ut in aphorismis brevi ostendimus: & jam exemplis probabimus.

Herod. 2.

I. Quis nesciat TROIANI regni excidium ex adulterio promanasse? *Paris* filius *Priami* Menelai Spartani Regis (à quo hospitio exceptus fuerat) uxorem *Helenam* rapuerat. quam injuriam vindicaturi Græci Principes, maximis copiis Phrygiam occuparunt, & decimo tandem anno post gravissimas utrinque acceptas clades, Trojam expugnatam funditus everterunt. Ferunt autem eo bello ex Græcis octingenta, & octuaginta hominum millia, ex Trojanis sexcenta octuaginta sex millia interiisse.

Diod. Sicul. 3 c. 7.

II. SARDANAPALUS insignis ille & famosus lustro, an non monarchiam perdidit, quod illam contaminaret libidinum, quas in gynæceis muliercularum assidue exercebat, spurcitiâ infamiâque? nam post eum, ab assyriis ad Chaldæos translata fuit.

Val. Max. 9. c.

III. Quid nequius PTOLOMÆO? *qui sororem natu majorem communi fratri nuptam sibi nubere coegit?*

Id.

IIII. Amplius, scimus & THEBAS propter *Aristippi* stuprum, & incestum *Oedipi* deletas esse.

Iud. 20. Genes. 6. 19. Tob. 3. Daniel. 13. Num. 25.

V. Atque, ut sacra profanis misceam, inter causas excidii urbis *Hierosolymitanæ* Ecclesiasticæ historiæ, adeoque Hieremias Propheta, adulteria libidinesque recenset. & ne istis immorer, nunquid Tribus ipsa Benjamin ad internecionem deleta ob vitiatam Levitæ uxorem? Sichem etiam eversa, Sodomæque igne consumptæ? Saræ septem mariti occisi? Senes Susannæ accusatores lapidati? populi deni-

denique Iſraelitici hominum 2400. interfecti? Pluribus quid opus?

VI. Decurramus ad recentiora, Rodericus Gothorum Rex, in Hiſpania, *Iuliani* Comitis Calabriæ filiam per vim ſtuprarat. Qua injuria motus pater, ingentes adverſus eum Saracenorum, & Maurorum copias in Hiſpaniam advocavit, à quibus *Rodericus* cum filio eſt interfectus: quò factum eſt, ut imperium tunc temporis Gothi in Hiſpaniâ amiſerint, feruntur autem cæſa, ex utraque parte ſepties centena millia hominum: atque ita ruina & mutatio regni Gothici extitit à libidinis pœna.

*Io. Magnus*

VII. Culculenus autem Scotorum Rex, cùm vitam flagitiis infamem diu exegiſſet, tandem regno & vitâ ſpoliatus fuit: autore conſpirationis *Cadhardo* quodam, cujus filiam paullo ante violarat.

*Hector Boetius 2. hiſt Scot.*

VIII. Oddo Urbinatium Dux, cùm per libidinem (ita ferunt) in matronas nobiles debaccharetur, nec modum licentiæ faceret, populari tumultu interfectus eſt. Incentor nequitiæ, & adoleſcentiæ ſuæ corruptor Protonotarius Carpenſis, nobili quidem genere ortus, ſed ingenio peſſimo, qui nuptis ac virginibus quamplurimis vim intulerat, ac per omnia ſcelera ad ſummum vitiorum pervenerat, eadem nocte cum diſcipulo ſuo necatus, exhauſtæ libidinis pœnas dedit, non ſine magnis contumeliis in exangue cadaver injectis.

*Æn. Picolom c. 57. Comm*

IX. Verbo producam Rodoaldum VIII. Longobardorum Regem, quem in adulterio deprehenſum, à marito adulteræ interfectum fuiſſe ſcribunt.

*V. Paulum Diac.*

X. Non minoris admirationis iſtud: Galeotus Forolonii Princeps, uxorem duxerat *Ioannis* Bentivolii filiam, à quo dum ipſa ſperneretur, ſimulatâ ægritudine, ſicarios ſubornavit medicos, qui eum in cubiculo confoderunt. Ut verè quæratur in his talibus Poëta:

*O quam cruentus fœminas ſtimulat dolor,*
*Cum patuit una pellici, & nuptæ domus!*

XI. Roderici Hiſpaniæ Regis libido adeo ad ultionem inflammavit Julianum Tingitanum, cujus filiam contumelia affecerat, ut Mamolinum Saracenum in Hiſpanias evocarit. Unius itaque intemperantia primò rebellionem, deinde bellum, poſtremo ſervitutem multorum ſæculorum nobiliſſimis regnis intulit.

*Ex Volaterrano.*

XII. Denique, ut per indicem plures referam; ſcimus Dionyſium juniorem & Hieronymum Siciliæ Reges, Carneadem Perſarum, Piſiſtratum Athenienſiũ Childericum, Carolum Craſſum, & Theodoricum Galliæ, Lugiacum, & Megalum Scotiæ, Rodoaldum Daniæ Reges Carum & Andronicum Impp. denique Io. Galeatium Sforziam Mediolan. Alexandrum Medicæum, Senen. Reip. moderatores, miſerrime, & ſummâ cum infamiâ, ac turpitudine mortalitatem expleſſe. Itaque libet Poëtæ metro finire, & cum illo conqueri & indignari:

*Sed quam cæcus ineſt vitiis amor omne futurum*
*Deſpicitur, ſuadentq; brevem præſentia fructum:*
*Et ruit in vetitum damni ſecura libido.*

Damni quidem putat se securam, nisi fallitur, nam non temere invenias eam sine damno comite, præsertim ubi in Principibus viris dominatur; contra quos eam ob rem injuriosi existunt (ut sunt mortalium animi ad vindictam proni) plerumque subditi; ut infra etiam Cap. vj. ostendemus: aliaque punitæ libidinis exempla supra lib. v. Cap. xjx. retulimus.

---

## CAPUT III.

*Jugurt.*

### *Impotentia comes est Superbia,* commune, ut Sallustius inquit, Nobilitatis malum.

ADEO quidem ingens, & pestiferum, ut nihil letalius Principi contingere possit, cùm semel animo radices egit. Quid enim est tam sanctum, quod non contemnat, aut quid tam justum, quod non violet tumidi, & elati viri animi? Lumen enim rationis, ac prudentiæ exstinguit Arrogantia: quæ simul animum vel civilis viri occupavit, jam omnis humanitatis oblita, in lentam sævamque mutatur naturam; pronam prorsus interturbare, spoliare, rapere, concutere omnia: unde fit, ut regimen illius negligat Deus, agatque præcipitem in ruinam & Odysseam miseriarum. Monuit probe divinus Plato: *Superbus, inquit à Deo deseritur: desertus autem omnia interturbat: nec multo post pœnas superbiæ solvens, sibi ipsi & familiæ, & rei denique publicæ pestem perniciemque accersit.* Quid Romanus historicus? *Superbiæ, & Credulitati, si seræ, non tamen leves veniunt pœnæ.* Ut non male Poeta vaticinatus sit.

*4. de leg.*

*Liv. lib. 1*

*Senec. Herc. furc. act. 2.*

*Dominare tumidus, spiritus altos gere,*
*Sequitur superbos ultor à tergo Deus.*

Quippe quod nihil sit ei ægrius arrogantiâ, immo acrius ac diutius exsequatur nihil, ut qui extra se nihil altum velit, nil magnum & excelsum, & proinde ei proprium,

*Chilon apud Laert.*

Τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῦν.
*Erecta dejicere, dejecta erigere.*

*Herod. lib. 1.* *Quemadmodum fulmen eminentia quævis, & celsissima dejicit, parcit autem arbustis: sic Deus, superbos ubique prosternit, amat humiles.*

Itaque, ô Princeps, patere ut hæc sapientiæ documenta Tibi in memoriam reducantur, utilesque isti versus ob oculos ponantur:

*Sophocles Vlisse.*

*Non insolenter te geras, si pluſculum*
*Quam cæteri, dextrâ, vel auro polleas:*
*Mortalium res auget, vel premit dies,*
*Amant modestos, execrantur Dii malos.*

*1. Cæsar 1. Comment.*

Habe in animo; & impendio magis, quod Dii *consueverint, quo gravius homines*

*nes ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorũ ulcisci volunt, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* Val. Max. 4 cap. 7.

Veriloquium est: *Optima vindex insolentiæ, varietas humanæ conditionis.*

Solent autem superbos tres sequi pœnæ: una, error in consiliis; altera, infœlicitas eventuum in rebus gerendis tertia Dei vindicta, quod exemplis mox ostendemus.

---

## *EXEMPLA & MONITA.*

QUis superbior, insolentiorque ANTIOCHO Syriæ Rege? quis eo miserior? *qui paullo ante sydera cœli se contingere arbitrabatur, eum jam* (sicpote à Deo punitum) *nemo poterat propter insolentiam fœtoris portare.* quam miseriam, & arrogantiæ exemplum hismet ipse verbis deplorat: *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum; qui jucundus eram, & dilectus in potestate mea & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* 2. Machab. 9.

II. In eadem sorte, & regno SENNACHERIB, qui cum secundis rebus volitaret, tolleretque alte supercilium jn Civitatem Hierusalem, tandem sic à Deo per Esaiam Prophetam compellatur: *Cum fureres adversum me; superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis & reducam te in viam per quam venisti.* Isaiæ. 37.

III. Quid in tumido illo & ventoso NABUCHODONOSORE? cum secum hunc in modum sermocinaretur: *Nonne hæc est Babylon Civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Ecce vox de cœlo: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus dejicieris, & cum bestiis, & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos cōedes; & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Daniel. 4.

IV. Quale animi impotentis DARII ultimi Persarum Regis argumentum! Ille se *Regem regum, & Deorum consanguineum* vocabat & insuper Alexandrum Magnum, ceù famulum suum indigitabat. Sed quid? parum misellus, parum prævidit inconstantiam rerum humanarum, hoc est, vita se & regno, uti fuit paullò post, exsuendum. Q. Curt 2.

V. Nec supprimendus CLEARCHUS ille Ponticus, Heracleotarum tyrannus, qui divinos sibi honores haberi voluit, vestes Deorũ induit, filiũ suum *Ceramion*, id est, fulmen appellavit, & talia pleraque superbe usurpavit: verum meritas arrogantiæ pœnas tulisse, utpote occisum à Clyone Platonis necessario, certò non arbitrariò tradunt. Suidas

VI. Apud Romanos quid evertit I. CÆSAREM, nisi fastus & arrogantia? quâ

Sueto. c. 76. *non modo honores nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, Præfecturamq; morum; insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris Patriæ, statuam inter Reges, suggestum in Orchestra; sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: Sedem auream in curia, & pro Tribunali, Thensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulachra juxta Deos, pulvinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit.* Quæ omnia ad intolerandum fastum eum erexerunt, & simul ei necem, si Dioni credimus attulerunt. Lib. 44.

Sueto c. 45. VII. De AUGUSTO illius successore legitur, *Ludos circenses aliquando spectasse è pulvinari,* scilicet inter simulachra Deorum, *& quidem cum conjuge ac liberis sedens,* de quo etiam Tacitus: *Cum se templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli vellet,* non tamen in Urbe, sed in Provinciis.

Sueton. c. 22. Dio. lib. 59. VIII. Nec minore arrogantiâ C. CALIGULA, ut qui constitueret se mediũ inter simulachra *Castoris & Pollucis*, & adorandum se vehementius exhiberet, seque *Pium, Castrorum filium, Patrem exercituum, & Opt. Max. Cæsarem, & Latialem Iovem* salutari pateretur. quid quod templum propriũ, sacerdotes & hostias exquisitissimas, veluti aves, delicatas, & magni prætii ipse sibi ordinavit? &, si Xiphilino fides, in eam tandem prolapsus est insaniam, ut etiam Deorum vestimenta indueret, in quibus nunc bellicosam virginem, nunc mulierem, nunc alios deos repræsentaret. Scitum est Galli cujusdam sutoris in eum scomma: hic cum pro excelso tribunali sub specie Iovis jus dantem vidisset, cachinnumque eo sustulisset: rogatus, quidnam ipsi esse videretur? *magnum deliramentum,* inquit verius, *monstrum* dixisset. Dio 59.

Cap. 13. IX. Ac videte mihi DOMITIANI frontem. Is anno Christi 89. appellari & scripto, & voce ab omnibus voluit, *Dominus, ac Deus,* id quod idem Tranquillus tradit. Unde Martialis *Edictum Domini, Deique nostri.* Additque Philostr. eum decrevisse, ut pro filio *Palladis* reputaretur & vocaretur à cunctis.

Euseb. X. Sed, quæ insolentia, vel potius insania MAXIMIANI & DIOCLETIANI? ille quasi ab *Hercule* prognatus esset *Herculeus*; hic vero quasi à *Iove* genus duceret, *Iovius* dici voluit. Ecce, quo arrogantiæ processerint hæc portenta, ut passi sint, immò voluerint, se ut Deos coli. Plura ejusmodi Principum deliramenta legantur cent. 1. antiq. obser. c. 29. qui liber propediem, Deo dante videbit lucẽ Verum quas superbiæ illi pœnas dederint, perspicuum est eorum vitas legenti. Certe vel jugulati omnes, vel veneno sublati: summa, nullus horum morte naturali, & sicca, ut Poëta loquitur, è vivis excessit. Ut merito dictum sit ab Artabano Xerxe Rege: *Propterea quidam, contra quam sua dignitas postulabat, in calamitatem inciderunt, quia Deus neminem alium, quam se ipsum, sinit magnifice de se sentire.* Vidit hoc præter alios Herodes, qui, *quod non dedisset honorem Deo, consumptus à vermibus exspiravit.* Herod. 7. Actor. 12. Sigon. lib. 6. Imp. Occid.

XI. Nec omitti debuit impietas & superbia JULIANI APOSTATÆ, qui ad

Impe-

Imperium mortuo Constantino evectus Legationibus remotissimarum gentium cultus, & nuncio victoriæ Aquilejensis elatus supra hominis spirare conditionem cæpit. Ita qui primo omnibus facilem se præbuerat, post paullo Christianis acerbior esse instituit. Nam Constantinopoli gantilium sacra renovari ac patefieri templa præcepit: & CHRISTUM appellans, *Galilæum* ad contumeliam nominavit; & Christianis ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores litteras aut docerent aut discerent interdixit. nimirum ne quæstum ex iis artibus facerent quarum religionem respuerent, aut ne doctrinis Gentilium eruditi adversus eos abuterentur, qui vero à Christiana fide non recesserant, eos & Palatio expulit, *Proverb.16.* & militiæ munere spoliavit. At quàm fœdè, & horrendè ab hac animi elatione *Iob 41.* mortalitatem explerit, nemo non nescit. Neque sanè id mirum: cùm *abominatio* *Apocal.16* *Domini sit omnis arrogans.* immò vexillum Diaboli sit: cùm ille habeatur dicaturque *Princeps super universos filios superbiæ.* odit autem Dominus eos *qui caractere bestiæ sunt insigniti.*

XII. Ac ne veteribus ulterius insistamus, inter causas, quæ in ruinam egerunt *Lib.7.comm* CAROLUM cognomento *Audacem* Burgundiæ Ducem, Philippus Cominæus, vir magnæ apud eum auctoritatis, Arrogantiam enumerat, neque non ambitionem quæ ferum illum & iracundum reddebant, pronumque ad bellis vicinorum infestandas regiones. Excepta vox ejus ambitionis plena, quâ dicebant Helvetiis qui medii cis alpes intercederent, bello subactis, unum se futurum Principem qui ab Oceano Britannico ad Superum atque Inferum mare productis Imperii finibus Christianam Rempub. ab immani Turcarum tyrannide ( ô speciosum prætextum ) exercitibus in Græciam & Macedoniam transportatis vindicaret. Ab *Cap.21.* similior profectò Princeps iste Octaviano cæsari, qui *tantum abfuit* ( verba Tranquilli) *à cupiditate quoquo modo Imperium, vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum Principes in æde Martis Vltoris jurare coëgerit, mansuros se in fide, & pace, quam peterent.* Verum, ut diversis isti fuere moribus, ita dissimili prorsus exitu periere: Hic communi & naturali, ille verò, violento, dum apud Nancæam, caput urbium Lotharingiæ, miserè trucidatur. Itaque verè *Proverb.18* dixit Regius Vates: *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliaur.* Quidam monumento sepulchrali Caroli hoc distichon inscripsere.

*Te piguit pacis, tæduitq́; quietis in vita,*
*Hic jaces Carole, jamq́; quiesce tibi.*

Caveant proinde Palatini, ceterique Magnates ab isto inhumano, cunctisque inviso vitio, ne si, non in hominũ, at in Dei manus, quòd magis timendũ, incidant: qui tametsi hodiernis temporibus, sermonis communionem, ut priscis illis sæculis, nobiscum non habeat, repræsentat tamen hominibus superbis meritas insignibus exemplis arrogantiæ pœnas: Testatur Poëta Græcus & quis non? *Menander.*

Ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην:

*Pœnam arrogantiæ effugit nemo suæ,*

Proverb.16. Quid quæris? stylo veritatis scriptum est: *Sedes superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Liceat veriloquium confirmare versu Prudentii antiqui Poetæ Christiani:

In Psychom.

*Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum*
*Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.*
*Disce supercilium deponere: disce cavere*
*Ante pedes foveam; quisque sublime minaris.*
*Pervulgata viget nostri sententia Christi:*
*Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.*

Denique, ne quid omittam, dixi in Aphorismis superbiæ tres esse pœnas, quarum una est, error in consiliis, altera infœlicitas eventuum, tertia Dei vindicta: qui quidem permittit justo suo judicio dissensiones, bella sequi, ex bellis vastationes & Imperiorum occasus, quod quidem deprehendimus in M. Antonio, Julio Cæsare, Pompejo. Goliato, Amano, Nicanore, Antiocho, Pharaone, Nabuchodonosore, Herode, aliis sexcentis, qui omnes miserrimè mortalitatem hanc, præter Proverb.16. 18. bonorum & famæ jacturam, explevere. Itaque, veriloquium sit illud Sapientis: *Ante ruinam exaltatur cor hominis.* Prosequamur, & dicamus.

---

## CAPUT IV.

Iuvenal.

Vnicum Superbiæ remedium pervulgatum illud, sed quod
——— *è cœlo descendit*, Γνῶτι σεαυτόν,
*Figendum, & memori tractandum,*
*Pectore.*

NIHIL est quidem profectò, quod æque supercilium cogat nos ponere, quam crebra nostri cogitatio, hoc est, mortalitatis, & humanæ conditionis consideratio. Cogitet mihi serio, quisquis altum spirat, quis ipse scit, Plin. Proe. 7. Nat. Hist. quibusque superbiat rebus; repetat memoria originem suam, & quibus principiis editus in lucem: nunquid *nudus in nuda humo abjectus, ad vagitus statim, & ploratum?* Planè: *ut nullum animalium aliud pronius ad lachrymas, & has protinus* Id. *vitæ principio. Natus* igitur miserè *jacet manibus pedibusq́, devinctus, flens animal cæteris imperaturum; & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob caussam, quia natum est. Heù dementiam! ab iis initiis existimantium ad superbiam se genitos.* Talis non Regum ille, quot sunt, quot erunt opulentissimus juxta ac sapien- Sapient7. tissimus, qui sic de se ipse: *Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram: & primam vocem similem omnibus emisi plorans. In involumentis nutritus sum, & curis magnis Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam; & similis exitus.* Et habebunt

bunt ex his initiis mortales, unde supercilia attollant?

Sed nunc *considera, ubi sis, & ingemisce: quo vadas, & contremisce.*——*Nam etsi cæteris hominibus dignitate antecellis, tandem tamen cum cæteris habes nascendi, & moriendi conditionem.* D. Bernar in vita Anton.

Jam non vides, quibus sis naturæ, sive fortunæ impedimentis, æquè atque mortalium cæteri, involutus & obnoxius?

*Optima quæque dies miseris mortalibus ævi* Virgil.
*Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus.*
——*Festinat enim decurrere velox* Iuve. Saty. 9
*Flosculus, angustæ, miseræq; brevissima vitæ*
*Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta puellas*
*Poscimus, obrepit non intellecta senectus.*

Pulchre itaque Seneca: *Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti.* Epist. 25.

Quid de incertis casuum dicam? Nisi illud Comici: Mimus.

*Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.*

Asserit, monetque idem ille inclytus Philosophus: *Scito omnem conditionem*, inquit; *versabilem esse, & quicquid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere.* Crede Princeps, eventibus rerum humanarum. *Plena est exemplorum vetustas, plena etiam præsens ætas, qui Reges fœlicitatem calamitate mutarint.*——*Quâ opinionem si quotidie in memoriam revoces, teq; demittas ab excelsa potestate ad ista humilia, ita te quadantenus adæquabis subditis, ne quid unquam offendat disparitas.* Enimverò, *Nimia magnitudo est, suam intelligere parvitatem.* Senec. de Tranqui. 11. Boet. 3. de Con pros. 5. Philo. lib. de iurisiur. rel. Cassio. lib. de Anima. Liv. lib. 30.

Quare, *Modum imponere secundis rebus, neque nimis credere serenitati præsentis temporis, prudentis hominis & fœlicis est.*

---

## EXEMPLA.

I. QUorum initium sumatur ab scito STRATONICI Musici Apophthegmate. Is, cùm intelligeret TIMOTHEI Regis matrem summa cum difficultate partum edidisse, facete inquit: *Bene est, abunde est, quod Deum peperit: nam si opificem, hui! quales emisisset inter pariendum voces!* Salse irrisit vir prudens Magnatum imprudentiam, qui tametsi idem vitæ initium à miseriis nobiscum auspicentur, sibi tamen divinos honores deferri, & adscribi volunt, quæ certe magna vanitas est: quando non minori cum difficultate, periculoque Regum matres partum edant, atque subditorum. Quare Plinius illacrymans miseriæ, atq; vanitati magnatum, qui tumidi, fastidiosi, suique nimium pleni, & in alios insolentes esse solent: *Miseret*, inquit, *atque pudet* Athenæus. Lib. 7. cap. 7. Nat. Hist.

Ortus & vita hominis quantis periculis subjecta. *pudet æstimantem, quam sit frivola animalium superbissimi origo, cum plerumque abortus caussa sit odor à lucernarum exstinctu. His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis; tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem existimas, sed partum; tu cujus semper in victoria est, mens; tu qui te Deum credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti: atque etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente; aut etiam ut Anacreon poëta, acino uvæ passæ, ut Fabius Senator poto in lactis haustu uno pilo strangulatus* Hactenus Plinius, qui hæc claudit eleganti prorsus, & notanda sententia: *Is demum profecto vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.* Idcirco Romanis solemne fuit, ut triumphanti in sublimi curru adstaret quispiam, qui identidem illud à tergo suggereret, *Respice post te, hominem memento te.*

Tertul. Apo

Plut. Solon. Herod, 1. II. Consulenti CROESO Lydorum Regi potentissimo Delphicum oraculum quanàm semitâ posset ad fœlicitatem pervenire, responsum ad hunc modum fuisse legimus *Si te ipsum cognoris*: Effati versus est hic:

Σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων κροῖσε περάσῃς:

*Cognoscens te ipsum fueris sic Crœse beatus.*

Quam sententiam si serio imbibisset *Crœsus*, minus postea se nsisset fortunæ acerbitatem prælio superatus ab *Cyro*, atque mox, nisi providentia abnuisset, rogo exurendus.

Ex Ælian 8. Var. c. 15. III. PHILIPPUS Macedonum, famâ & belli gloria inclytus Rex, cum tandem in Chæronea Athenienses fudisset, metuens ne rebus præclare gestis sui oblitus supra humana extolleretur, puero hoc muneris delegavit, ut singulis diebus, priusquam foras prodiret, vel sui copiam alicui faceret, humanitatis memoriam renovaret, ter hoc ei proclamans: *ô Philippe, homo es; memento mortis.*

Lycosth. ex. Ælia. 13 Var c. 30. IV. Cujus superstes uxor OLYMPIAS, cùm *Alexandri* filii corpus multis diebus insepultum jacuisse inaudisset, à gravi & amaro gemitu in hæc verba prorupit: *O fili, tu cum in numerum Deorum referri volueris, & id perficere summo studio conatus sis, nunc carere debes, quæ sunt mortalium omnium communia, Terra; & Sepultura,* magna nempe metamorphosis. *Alexander* vivus ambiebat divinos honores: defuncto, nec ultimus illi obtigit honos, quem quivis homo persolvit homini quamlibet humili. narrant enim historici, *Alexandri* corpus multis diebus insepultum jacuisse, ob graves Procerũ concertationes de successione principatus.

Q. Curt. & Plutarch.

Bapt. Fulg. 7. cap. 2.

V. SALADINUS Asiæ, Syriæ, atque Ægypti Sultanus, hominem tandem seriò si sero se agnovit, jubens morti jam vicinus, ut interiorem tunicam hastæ prælongæ impositam pro omni pompâ funebri per castra deferrent, cum acclamatione hac: *Hoc unum linteum ex totius Orientis opibus Saladino restare.* Vidit ille in extrema vitæ periodo, nihil esse, cur vel opulentissimi superbiant; & hujus sæculi pompam, & gloriam nihil præter vanitatem, nugas, fabulas esse; vel *Philo-*

Senec. epist. 91

sophi

ſophi opinione: *Æquat enim*, inquit, *omnes cinis, impares naſcimur; pares morimur. Conditor ille juris humani, non natalibus, nec nominum claritate diſtinxit, niſi dum ſumus.*

VI. Quod ipſum probè conſideravit Maximus Cæſarum AUGUSTUS, qui jam jam animam emiſſurus, amicos percunctatus eſt, an non mimum vitæ in hac mundi fabula commodè egiſſet? atque moriens ſubjecit: *Date plauſum & omnes vos cum gaudeo plaudite.* Magna vox, ſi ipſe Chriſtiana fide illuſtratus fuiſſet, atque integritate vitæ floruiſſet. *Sueton. c. 99*

VII. GELIMER Wandalorum Rex in Africa, cùm per Belliſarium Juſtiniani præfectum victus eſſet, & cum vxore, familiaque ad Imper. Conſtantinopolim duceretur, pleno ore ſemper riſit. Quærenti autem, cur doloribus circumſeptus, riſum ederet; reſpondit, ſe ridere fortunæ humanæ viciſſitudinem, illud identidem uſurpans: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Rectè: ſi varietatem hanc fortunæ non tribuiſſet: cujus ridentis aut ſævientis imperium nullum eſt: cùm Dei nutu & voluntate, excluſo peccato contingant omnia. *Ex Pōp. Læto in Iuſtin.*

VIII. Cuidam ſubtilis judicii Regi de quo Valerius, traditum diadema referunt, qui priuſquam capiti imponeret, retentum diù conſideraſſe, ac dixiſſe: *O nobilem magis, quam facilem pannum! quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis ſollicitudinibus, & periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.* Haud equidem ſcio, an Antigonus Rex fuerit; ut qui diceret, *regnum nihil aliud eſſe, quam nobilem ſervitutem.* *Val. Max. 7. cap. 2.* *Ælian. lib. 9 Var. Hiſt.*

IX. Comprobavit hoc, facto ſatis ridiculo, ſupradictus ille AUGUSTUS Cæſar, qui equite quodam Romano mortuo, ære grandi alieno oppreſſo, cùm res ejus auctioni ſubjicerentur, emi ſibi mandavit culcitram ejus cubicularem: mirantibusque hoc præceptum: *Habenda eſt*, inquit, *ad ſomnum conciliandum, in qua ille tanto ære alieno obſtrictus ſomnum capere potuit.* Sit ridiculum; conſtat Cæſarem ob ingentes curas ſæpe maximam partem noctis inſomnem duxiſſe. *Macr. 2. c. 4.*

X. Quarum conſideratione TIBERIUS ejus privignus, Imperium offerentibus, ægre admodum & quaſi coactus recepit, quærens miſeram & oneroſam ſibi injungi ſervitutem. verum accepit tandem; ſed hactenus, ut quandoque deponeret: verba ipſius (referente Tranquillo) hæc ſunt: *Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum poſſit videri, dare vos aliquam ſenectuti meæ requiem.* Sed an ſimulatè, (ut erat diſſimulationum architectus) cogitet prudens lector. *Sueto. c. 24.*

XI. Jungendus illi DIOCLETIANUS, qui ſecum ſæpenumero contemplans fortunæ mobilitatem, decrevit ſe Imperio abdicare, & in privatam ſecedere vitam: geſtorum Pompei admonitus veteranus Princeps, cùm quiſque de rebus futuris ambiguus ſit, non exſpectavit incertæ viciſſitudinis aleam: raro enim permanent uſque ad exitum ſucceſſus ſecundi. *Pompe. Læt. de Nemeſi Dea.*

XII. Atque, ut porrò domeſtica ſcrutemur, CAROLUS V. Imper. memor hujuſce fragilitatis, diu ante mortem, adminiſtratione Reipub. ſe ſponte ſubmovit:

I. Lipsius 2. Monit. & Exēp. poli. c. 14 P. Greg. 6 de Rep. c. 3.

& cùm in filium jam validum ævi & animi, curas contulisset, secessit in Hispaniã, & in Divi Iusti monasterio, septem à Placentia milliaribus, se abdidit, cum duodecim duntaxat familiaribus, Deo, & quieti vacuturus. Interdixit autem, aliter se quàm Carolum appellari, Cæsaris atque Augusti illa nomina cum rebus animo exsuens, & totum hoc honorari contemnens. Immò hoc amplius ferunt, diu ante Imperium à se abdicatum, sarcophagum sibi construi jussisse, cùm funebri supellectile deportandum, clanculum tamen, quocunque iret; quem apparatum habuit apud se quinque annis ubicunque locorum esset, secretissimè, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, illudq; diligẽtissimè singulis noctibus semper conservavit, atque reponi jussit. Arbitrabantur autem quidam, qui circa eum erant, thesaurum aliquem illic detineri & conservari; alii nonnihil librorum, quibus historiæ veteres continerentur: alii aliud quidpiam magni. Cæsar verò sibi conscius in quem usum secum deferret, subridendo, in rei cujusdam sibi omnium carissimæ usum, id secum deferri dicebat. Sic assiduè mortem ante oculos sibi reposuit, & sibi semper capulum funebrem adesse voluit, ut perpetua mortis cogitatio eximeret à corde vanum huius mundi fastum, sanctas autem actiones agendas, dum viveret, admoneret.

Mirum elogium Maximiliani I. Imp.

XIII. Quin etiam ab eodem prorsus facto celebratur avus ejus *Maximilianus*, primus Imperator Austriacus, qui insuper hoc testamento cavit, ut exanimum corpus suum rudi linteo involutum, sine ulla exenteratione sarcophago (quod triennio ante mortem parari curarat) imponeretur, naribus, ore, auribusque viva calce oppletis. Quid sibi voluit magnus vir? nisi monumentum illud assiduè in oculis habere, quod diceret: *Cogita mori.* quod amplius diceret: *Quid te dilatas & extendis? quid multa possides, plura appetis? Quem tot provinciæ, & regna non capiunt, loculus iste capiet.* Cur autem & calcem cavis illis partium immisit? en aromata quibus condiretur! Sed hoc spectavit, ut corpus putredini natum, ea quoque consumente, & exedente materie, citius consumeretur, & iret in suam terram. *Maximiliane* magnus fuisti, & res tuæ dicunt, tùm & hæc circa mortem.

XIV. Taceo *Anastasium II.* Imper. *Theodosium III. Isacium* Comnæum, *Manuelem* Comnæum, *Lotharium* Ludovici Pii F. *Bambum* Hispan. Principem *Vermundum* Castellæ, *Rammirum* Arragoniæ, *Sigisbertum* Northumbriæ. *Henricum IV.* Daniæ, *Carolomannum* Alemaniæ, *Ethelredum* Merciorum in Anglia Regem, *Rachisium* Longobardorum, *Inatem* Britanniæ insulæ, & alios Scotiæ, Armeniæ, Galliæ, Bohemiæ Reges, præter multos alios potentiss Orbis Christiani monarchas, qui humanas res, earumque fastigium despicatui habentes, & ultrò deponentes, privati conditionem acceperunt, & quod reliquum vitæ erat, in monasteriis sibi & Deo victuri, traduxerunt. Egregii sanè Principes, & omni præconio dignissimi. qui assiduâ mortalitatis & fragilitatis humanæ, æternæque vitæ, memoriâ, non solùm intra orbitam modestiæ, atque humanitatis sese continuerunt, verumetiam postposito omni splendore, in solitudinem sub exitu vitæ secessêre,

cesſère, relicta etiam immò pesſundata, ut melius ſibi, Deoque viverent, Imperii dignitate.

---

## CAPUT V.

### *Sed &* Odium, *atque* Metus *cauſſa ſit ruinæ Principum, & mutationis Rerumpubl.*

LATENS & occulta res *Odium*, & ideò magis imperio exitioſa. Cùm enim ſubditi in metu propter imperantis impotentiam verſantur, non dubiè ſinguli acrioribus odii ſtimulis concitantur: illi ad vindictam propter injuriam jam acceptam, hi propter inferendam: ille teſtatur gemitu graves dolores, hic autem *exſecratur, atque inſidiatur.* ——— *Exin, promitur quod multorum intimis queſtibus tegebatur.* *Horat.* *Sen. de Clē.* *Taci. 3 Ann.*

Quid illud? niſi, quod abominor, conſulta cædes?

Audio ſermones: *Metus*, vires & audaciam non dabit,

At,

*Dolor, ira, mœror, miſeria, luctus dabunt;* *Senec. Oct.*

Et verò, nunquid *armis arma irritantur?* Certè, *fruſtra terrore te ſuccinxeris, ſi ſeptus charitate non fueris.* Denique, ſenties *multorum odiis nullas opes poſſe reſiſtere.* Immò, *nullam vim tantam eſſe, quæ premente odio ac metu poſſit eſſe diuturna.* *Plin. Paneg.* *Indidem.* *Cic. 2. de Off.* *Ibid.*

*Cole* ergò *Humanitatem: non timori cuipiam, non periculo ſis.* *Sen. de Ira. in fi.*

Siquidem,

*ſecuritas ſecuritate mutua paciſcenda eſt.* *Id. 1. de Clē.*

Cole Clementiam: quia, ut idem Seneca ſcribit, *Salvum Regem in aperto Clementia præſtat.* *Ibid.*

Fuge igitur rigorem, fuge nimiam ſeveritatem: & præſertim in ſuppliciis. Sit apud te *parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis.* Sit apud te ſtatutum, *non pœnis malorum, ſed bonorum præmiis bonos facere.* Denique, *flexus ſit animus tuus, pronus ſit ſemper ad veniam.* Quòd ſi quandoque de nocentibus ſumenda (ut ſunt) ſupplicia, cura, ut tui exiſtiment, *te tamquam invitum cum magno tormento ad caſtigandum venire:* ——— &, *non tam delicta velle punire, quàm tollere.* *Indidem.* *Plin. Paneg.* *Enno Pane. Theod.* *Sen. 1. de Clē.* *Caſſiodor. 1. Var. epiſt. 30*

## EXEMPLA.

Sueton.c.14. I. QUid JULIO CÆSARI, non paucisque aliis Principibus Romanis exitium præbuit, nisi odium impotentiâ natum? Julio, inquam, illi, qui tot tantaque bella gesserat, tot hostes profligârat, Imperii fines produxerat, tandem ob suspicionem affectati imperii, in odium apud Romanos vocatus, ab amicis atque necessariis sine ulla perfidiæ suspicione trucidatur.

IdSuet.c.14. II. Consimilem etiam exitum sortitus DOMITIANUS Cæsar, qui per nimiam arrogantiam, ferociamque, *terribilis cunctis, & invisus, tandem oppressus est amicorum, libertinorumq; conspiratione, simul & uxoris.*

E. Reusner' Genea. Imp. German. III. Quid in ADOLPHO Nassovio Imperatore dicam? Is tantum odium animi impotentiâ atque effrenatâ cupiditate (quâ in facultates Marchionum Misniæ ferebatur) sibi comparavit, ut subditi communi omnium suffragio, imperiali eum dignitate privarint; & tandem pro Imperio decertantem contra *Albertum*, quem in ejus locum cooptarant, in acie victum trucidarint. Adeò verum est, quod Plinius scribit: *Malorum Principum exitus docuit, ne à Diis quidem amari, nisi quos homines ament.* Paneg.

Senec. Oedi. act.3. IV. Probè igitur verèq; Poëta:

*Qui sceptra duro sævus imperio regit,*
*Timet timentes: metus in auctorem redit.*

Sueton. Exemplo sit jam dictus DOMITIANUS, qui scelerum conscientiâ, & mutuo semper metu pavidus atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commovebatur, quod ferè accidere solet omnibus, qui impotenter dominantur, adeò, *ut in carcerem quodammodo ipsi se includant, nulli fidant, nō liberis, non uxoribus.* Exemplum aliud affert M. Tullius DIONYSII scilicet tyranni Syracusiorū, qui cùm esset, inquit, bonis parentibus atque honesto loco natus, abundaretque æqualium familiaritatibus, & consuetudine propinquorum, haberetque etiam (more Græcorum) quospiam adolescentes amore conjunctos, credebat eorum nemini, sed iis quos ex familiis locupletum servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, & quibusdam convenis & feris barbaris, corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem carceribus quodammodo sese incluserat. Quin etiam ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit, ita sordido, ancillarique artificio regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam & capillum patris: & tamen ab his, cùm essent adultæ, ferrum removit, instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus, barbam sibi, & capillum adurerent. Cùmq; duas uxores haberet Aristomarchen, civem suam, Doriden autem Locrensem, sic noctū ad eas ventitabat, ut omnia specularetur, & perscrutaretur ante. Et cùm fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, ejusq; Cic.5.Tusc.

fossæ

fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum, cùm fores cubiculi clauserat detorquebat, idemque cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Hactenus Cicero, de *Domitiano* verò Cæsare (de quo ante) Tranquillius scribit eum *parietes porticuum, in quibus spatiari consueverat, Phengice lapide distinxisse, è cujus splendore, per imagines, quidquid à tergo fieret, provideret.* *Cap. 14.*

V. Fuit etiam nonnemo ex *Regibus Galliæ*, cui sub exitu vitæ proprium fuit, uni arci includere se, neminique quamlibet amico fidere nisi medico; à quo nec quidem se tutum rebatur: nec mirum. Nam, quos assiduè lancinat, conscientia male actæ vitæ, nunquam tutam & securam vitam agunt, etiamsi undique armis septi sint stipatique. Immò plerumque major ab his ansa timendi: cùm non raró tales ab his, quibus unice se crediderant, perfidè jugulentur, uti *Antonius* à *Martiali* custode corporis sui: & *Alex. Magnus* à proprio Ministro *Cassandro*, veneno sublatus, aliique multi farinæ ejusdem, quorum haud fermè quisquam interitum similem effugit. *Cominæus.* *Herod. 4.* *Q. Curt. 10.*

VI. Ne multis: Timorem immoderatum exitii Principis causam esse, Lampridius docet, exemplo COMMODI Imperatoris, qui cùm tollere è medio statuisset, LÆTUM Præfecto Prætorio, ELECTUM cubicularium, & MARTIANAM concubinam, atque hoc ipsi fortè fortuna inaudissent, prævenerunt eum sequenti nocte: nam facta in eum conspiratione, manibus & viribus junctis eum jugularunt. *In eius vita.* Metum à se avertat Princeps.

VII. Ita causa cædis GALBÆ Cæsaris, metus quoque fuit: nam *in communi omnes terrebantur*, inquit Tacitus, *Nec remedium in cæteros fuit; sed metus initium, tanquam per artem, & formidinem singuli pellerentur omnibus suspectis.* *Taci. 1. Hist.*

VIII. Eandem itidem ob caussam ad mortem adactus fuit ANTONINUS CARACALLA; quod nimirum esset *Macrino*, viro alioqui bellicosissimo, qui ex Apollinis oraculo Imperator futurus dicebatur, necem minitatus. Magna herclè improvidentia Sapiens enim faciet vulnera, post facta loquetur, ut quidem dictitant. *Spartianus.*

IX. Longè saniore & candidiore judicio *Antigonus* Macedoniæ Rex, quem constat (provecto præsertim imperio) ab omni severitate, nedum vindicta, ac injuria etiam clandestina abhorruisse. Itaque mirantibus novo Imperio asperiorem fuisse, extremo verò clementiorem: *Prius*, inquit, *regno, ac potestate opus fuit, nunc gloria, ac benevolentia subditorum.* Sentiens Imperium vi quidem & armis parari, sed non nisi honestâ opinione & fide, nequenon benevolentia civium retineri. *Ex Plut.*

X. Scitum *Agasiclis* apopthegma, qui interrogatus, qua ratione Princeps absq; stipatoribus & satellitibus vivere posset. *Si*, inquit, *subditis ita imperet, ut pater filiis.* Ita enim semper metus aberit, charitas autem retinebitur. Atque hoc interest *Idem.*

inter Tyrannum, & Regem, quod ille malefaciendo suis cum terrore imperet; hic vero benefaciendo omnibus cũ liberalitate atque clementia subjectos gubernet.

*Dionys. Halicarn. l. 6*

XI. Merito itaque LARGIUS Dictator, *Optimum, & firmissimum esse imperium* dixit, *quod subditos beneficiis magis, quam suppliciis in officio contineat, illi enim benevolentiam; huic metum esse comitem. quidquid autem timetur, id necessitate naturali exosum esse omnibus.*

XII. Quàm pulchrum PHILONIS monitum, & omnibus Principum aulæis inscribendum! *Si vis bonus esse Rex, cum fortitudine benignitatem, & mansuetudinem serva, ut non formidolosus, sed reverentia dignus tuis subditis videaris.* Quo video Pytagoram allusisse, sic inquientem: *Malis eos, qui tecum conversantur, revererite, quam metuere: siquidem reverentiam admiratio, timorem odium comitatur.* Signent Principes, præsertim recens ad Principatum evecti sunt. Nulla alia res GALBAM Cæs. vita, & Imperio spoliavit, quam metus, ut diximus, sævitia natus, quam principio gubernationis indictâ caussâ exercebat in optimates, & viros consulares.

Et Clementiã usurpet *Stob. ser. 46.*

XIII. Quare, haud immerito, prudens illa Augusti Cæs. LIVIA, maritum hortabatur, ut reis insidiarum veniam & impunitatem daret: *Non enim omnia gladius*, inquit, *conficit, sed ut corpus abolere alicujus potest, ita cæterorum animos à cædis auctore avertit, qui quidem non propter supplicium sumptum vindicem amare, sed ob metum mali odisse solent. Contra, quibus delicti venia est donata, pœnitentia ducti, benefactorem lædere in posterum verentur, sed spe consequendi majora præmia, cum officiis colunt. nempe, quis eum beneficia non compensaturum credat, qui si injuria affectus, salutem tamen inferenti eam concedit?* Itaq; Principes

*Apud Dion. lib. 55.* Prudens, ac notandum muliebre monitum.

*Senec.*

———*Inhibete dextras,*
*Laudis est, purum tenuisse ferrum.*

---

## CAPUT VII.

### *Succedit* Contemptus *Odio peraffinis, & non minor pestis ad ruinam Imperantium,*

ODIUM grave quidem, ac virulentum malum, at *Contemptus* longe gravius, letaliusque. Quod enim oleum flammæ, sulphur incendio, flagellum Furiæ, hoc *Contemptus*, ubi odio & livori semel dextram dedit. Istud enim clancularium est, & proinde minus audax: at ille, aperte faces præfert ad audendum, & facit, ut quo plurimum retinetur osor, metum excutiat, & non cogitet jam, sed audeat & attentet. Grandis ergo Imperatorum pernicies *Contemptus*, & odio (quod dixi) validior: etiam Philosophi sensu: Δύο δὲ οὐσῶν αἰτιῶν, δι' ἃς

*Arist. 5 Poli. cap. 10.*

δι ἃς μάλισ' ἐπιτίθενται ταῖς τυραννίσι, μίσοις καὶ καταφρονήσεως, θατέρων μὲν δεῖ τούτων ὑπάρχειν τοῖς τυράννοις, τὸ μῖσος. ἐκ δὲ τοῦ καταφρονεῖσθαι πολλαὶ γιγνοῦνται τῶν καταλύσεων: *Cum duæ caussæ sint, ob quas insurgitur in Tyrannos, Odium & Contemptus: alteram earum adesse Tyrannis oportet, Odium è Contemptu verò plurimæ fiunt eversiones.*

Potissimum autem oritur Contemptus, aut *Forma Imperii*, aut *Moribus Imperantis.*

I. *Moribus*, si nimirum libidini, lasciviæ, temulentiæ, ignaviæ deditus sit. d. cap.10. *Qui enim voluptuariam vitam traducunt*, inquit idem Stagirites, *ii certe facile despiciuntur, multasq; dant impetui faciendo opportunitates.*

II. *Forma* verò *Imperii* fit Contemptus, si nimis remissa, & assidue lenis. Cum enim Princeps plus æquo indulgentior est, non dubiè *cives deteriores reddit.* nempè, quia *evadunt ad majus malum per impunitatem.* ——— *Quotidieq; ad majora facinora prosilient, audaciaque nutrietur.* Nam, quis eum metuat, ac potius vereatur; *apud quem conditum, immò constrictum ferrum est?* Cic.2.de Rep Lactan.de Ira.c.18. Senec.1.de Clementia

III. Adhæc, si magnos nonnullis honores, eosque diuturnos conferat. *Istis enim honoribus deteriores fiunt, & ferre secundam fortunam non omnes possunt.* Breviter juxta ac vere Dio: *Longiora, ac diuturniora Imperia multos attollunt, & ad res novas impellunt.* Oraculum igitur puta; *Nihil tam utile, quam brevem potestatem esse, quæ magna sit.* Aris.5.Poli cap.8. Lib.52. Latro apud Sene.7.con.

IV. Rursum, Contemptio incumbet Principi, si aliorum arbitrio Rempub. gerat, & quasi precario imperitet. hoc enim est, *vim principatus resolvere.* Namque, *ea demum est imperandi ratio, ut non aliter constet, quam si uni reddatur.* Itaque, *contemnuntur ii, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est.* Tac.2.An. Id.1.Annal cic.2.de Offi

V. Par caussa fit, morum & Civilitatis neglectus: *Incompositio enim corporis*, ut ait Augustinus, *inæqualitatem indicat mentis.* cap. clericus 41. distinct.

VI. Ut & familiaritas nimia: *Dum enim nimia servatur humilitas* (ait idem Præsul) *regendi frangitur auctoritas.* quæ tamen, ô Princeps, nihilò diligentius tibi servanda, quam vita. *Nihil enim potestas Regum valet, nisi prius valeat Auctoritas* cap. Quand. 85.dist. Q.curt.l.2.

VII. Denique, ad despicientiam inducunt fortuita quædam: qualia, casus adversi. Quod indicat Cæsar: *Res adversæ*, inquit, *auctoritatem Imperatorum imminuunt.* Accedunt orbitas, valetudo infensa, corporis vitia, & ejusmodi minuta: sed, *ex quibus magnarum sæpè rerum motus oriuntur.* Lib.7. comment. Tacit.

EXEM-

## EXEMPLA.

QUæ sigillatim producantur, & primò Contemptionis *à libidine.*

*Athena &
Plut.*
Contempt⁹
à libidine.

I. *Diodes* Pisistrati Atheniensium tyranni filius, cùm nobilem quandam virginem perditè priùs à se amatam per impressionem violasset, adeo in odium contemptumq; suorum incidit subditorum, ut non modo circumscriptum eum cuperent, verùm etiam omnino mortè multatum, quò factum est, ut reipsâ desiderium tandem explerent, insigni conspiratione in eum susceptâ.

*Herod. 1.*

II. *Heracides* Lydorum Rex, quòd pravâ voluptate uxorem formâ alioqui cõspicuâ, nudam Gygi satelliti ostendisset; regno & vita privatus fuit, à quo? ab ipsa thori, & regni socia, quæ hoc facto irritata, Gygem in virum & homicidam mariti elegit, & porrò se, regnumque ei dedit, & addixit.

*Greg. Turõ.
2. Hist. c. 20.*

III. In eadem sorte *Eorius* Gothorum Rex, quem cùm nimiam contemptionẽ sibi nimia libidine conciliasset, Romam, ne à suis conficeretur, petiisse legimus: ubi cùm etiam solitò nequior esset (adeó difficile est inveterata vitia exsuere) & mulieres Romanas contrectaret, tandem lapidibus obrutus, vita spoliatur.

*Refert Eod.
ex Leo. Afr.*

IV. Superiori ætate, duæ Africæ vrbes potentissimæ à *Rege Fessarum* defecerunt, propterea quòd Præfectus sponsam alienam Regis exemplo rapuisset: quo statim occiso, Rex ipse Fessarum *Abusagitta*, cùm sex liberis cæsus est à domestico servo, quòd ejus uxori stuprum intulisset.

*Arist. 5. Pol.*

V. *Dionysium* etiam juniorem contemptu à libidine enato *Dion* invasit, cùm videret ita affectos cives, & illum semper ebrium.

A temulentia etiam
Contempt⁹

Ergò à *temulentia* Contemptus, doceamus exemplis.

*Polyb. lib. 4.*

I. Imprimis producatur in medium *Ptolomæus Philopater* Rex Ægypti, *qui ob maximas, & frequentissimas ebrietates multos brevi tempore vitæ simul ac regno suo insidiantes invenit.*

*Athen. Dipnos. lib. 10. c.
11. & 12.*

II. ALEXANDRVM quoque Regem plurimum bibisse legimus, ita quidem ut ob temulentiam frequenter duos dies dormiret, & totidem noctes, ejusq; patrem PHILIPPVM bibacem & moribus intemperantem fuisse, ita ut multos semper scurras circum se haberet, ut & musicos aliosque scurrilia proferentes.

*Lib. 60.*

III. *Claudio* Rom. Imp. fraus maximè, (si Dioni credimus) parabatur in compotationibus ac re venerea, quibus utrisque apprimè deditus, iis occasionibus facillimè circumveniebatur.

IV. Consimilis causa consilium præbuit *Basilio* de inferenda nece *Michaeli* Orientis Imperatori: cùm enim Michaël (inquit Zonaras) vino in cœnâ obrutus torpêret,

pêret, somnoque profundissimo oppressus jacêret, egressus cum conjuratis clau- *Apud Baron to. 10. annal.*
stra cubiculi Imperatorii confregit, ne fores à cubiculariis claudi possent, deinde *An Chr 867*
cum conjuratis advenit iis autem, qui ante cubiculum excubabant, percussores aditu prohibere conantibus. orto tumultu Imperator experrectus, quidam stricto gladio ingressus manus sustulit, quibus illi ambabus resectis, ad cæteros rediit. At *Michael* cum ex vino titubans, ebrietate impediente fugere non posset miserabiliter ejulans jacebat. In quem alius quidam ex Basilianis vivere adhuc conspicatus insiliit, ensemque ita in ejus pectus adegit, ut ventre etiam trajecto intestina elaberentur. *Athena. 12.*

V. Inter caussas, quæ *Arsacem* genere Medum moverunt, ut Assyriorum Imperium invaderet, transferretque in Medos, delitias narrant SARDANAPALI, veri Epicureorum, non Assyriorum Regis hic enim monumento suo sepulchrali inscribi jussit versus hos: *Cic. 15. Tusc*

*——————Ede, bibe, lude,*
*Cum te mortalem noris, præsentibus exple*
*Deliciis animum: post mortem nulla voluptas:*

Quos cum forte legisset Aristoteles, substitit, exclamavitque: *Ecquid aliud in bovis sepulchro scripsisset?*

VI. Certè usu vini Regibus olim, & omnibus qui clavo Reipub. assidebant, interdicebatur: quod de ATHENIENSIBUS atque INDIS præter Platonem & Plutarchum narrat Alex. ab Alexandro. Idque quia hominibus mentem adimat vinum, aut certè obruat, & obscuret nebula socordiæ ignaviæque. inde mater Lamuelis Regis apud Sapientem: *Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum.* Intemperanter scilicet, ut obruantur. Apud ÆGYPTIOS legem fuisse ferunt, ut certa vini subtaxata mensura Regi quotidianis ferculis daretur: ultra quam excedere non liceret: ne sui impos per occasionem, & licentiam turpitudini, sordibusque vacaret, *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor,* ut sacris proditum est litteris. Hinc ROMANI ad virilem usque ætatem vino abstinebant, hoc est, à pube usque ad trigesimum quintum ætatis annum: neminique quamvis natalibus claro, per id tempus usus vini concedebatur: Nam experientiâ constat, nimio vini usu, animi lumen, id est, rationem exstingui, sine quâ nihil rectè, nihil consideratè, atque consultè fieri potest. Meritò igitur laudatur illa *Hieronis* sententia, apud Xenoph. *Vinolentiam, & ignaviam haud aliter, quam insidias, suspecta habeto.*

*4. Geni. dier l. 3. & 6. c. 11. Proverb. 31. Alex ab Ale d. c. 11. Ælia. 2. Var Hist. c. 38. In Hieron.*

VII. Unde apud Locros, teste Athenæo, si quis vinum sine Medici imperio medicamenti gratiâ bibisset, capitis mox damnabatur. In Hispania, teste Ioan. *Lib. 10. c. 9.* Gutierres si quis ebriosus sit, testimonii dicendi honore privatur. In Italiâ, ludibrio habetur, & infamis judicatur. In Germania, licet ejus incolis probro non ducatur temulentia, tamen non defuit Cæsaribus voluntas illam eliminandi, uti videre est in Constitutione Maximiliani Augustæ Vindelicorum in Comitiis

anni 1500.& Coloniæ anno 1512.item Caroli V.rurſum Auguſtæ anno 1548.quarum ſeriem qui volet legat apud P.Contzen lib.3.c.14.

Gradior ad nimiam & præpoſteram lenitatem, quæ feneſtram etiam aperit ad contemptum.

Ab immoderata lenitate. I. Teſtis eſto GALBA, qui ſub exitu vitæ adeò remiſſus fuit in puniendo, ut paſſim non vitia modò uſurparentur, ſed etiam multis placerent. Immò, *Pop. Romano* (ut ſcribit Sueto.) *depoſcente ſupplicium Haloti, & Tigillini ſolos ex omnibus Neronis emiſſariis, vel maleficentiſſimos incolumes præſtitit: atque inſuper Halotum Procuratione ampliſſima ornavit.* Hinc orta animorum alienatio, hinc rebellio in eum, hinc ad extremum cædes. Ut vere dixerit Fronto apud Dionem: *Malum quidem eſſe Principem habere, ſub quo nihil ulli liceat, pejus vero eum, ſub quo omnia omnibus.*

*Cap.15.*

*In Nerua.*

*Lib.5.* II. C. *Lælius* Romanus Conſul tametſi rerum civilium peritiâ (ut refert Dio Halicar.) cæteris præſtaret, ineptus tamen viſus eſt, qui dictaturam acciperet; eò quia remiſſior erat ad ſupplicia & lenior, quàm dictatura poſtularet.

*Alexi⁹ Hiſt. Reg. Caſtil.* III. Verùm, magis damnoſa fuit lenitas *Henrico III.* Legionis & Caſtellæ Regi: quippe dum aſſiduè lenis eſt, patiturque noxios vulgò graſſari, tandem fulcrum ipſum Imperii amiſit, Auctoritatem. Unde ſubditi metu & reverentia Principis excuſſa, adminiſtratione Reip. eum poſtea ſubmoverunt, ſurrogaruntque in ejus locum Eliſabetham Ferdinandi V. Regis uxorem, mulierem, quæ regeret eò aptiorem & ſeveriorem. Itaque cum Cicerone, *ſegnities in Principe reprehenſione digna, quàm clementia, pati hebeſcere aciem ſuæ auctoritatis.*

Ab ignavia. Cui auctoritati injuria factum itur, ſi quod in Aphoriſmis dixi, non tam Principes, quàm ejus aſſeclæ, quique circa eum ſunt imperitent.

*Sueton.* I. Expertus hoc *C. Caligula*, qui quòd nimioperè faveret iis quorum ſtudio teneretur in talem invidiam apud ſuos vocatus fuit, ut ea è veſtigio cædis illi cauſam præbuerit, & quis miretur? cum legamus Pantomimo cuidam tantùm tribuiſſe, ut non ſolùm ſummis eum dignitatibus admoveret, ſummamque rerum, cæteris neglectis, ei tribueret, quin (eò proceſſit inſaniæ) ut frequenti ſpectaculo eum etiam oſcularetur.

*Annal. Saxon.* II. Atque ab hac ipſa cauſſa conſpirarunt *Saxones* in Henricum IV. Imperatorem, quòd nimirum domi, & in umbraculis hortorum deſideret, aulicis interea publicam rem gubernantibus.

*Bapt. Fulg. lib.3. c.5.* III. *Carolus IV.* Bohemiæ Rex, magnis virtutibus ad imperium vocatus, Catholicæ fidei cultor, animi plenus & doctrinæ habitus eſt. Itaque non pacatum ſolum tenuit Imperium, verùm etiam virtute ſua obtinuit, ut Romanorum Rex *Venceslaus* filius creatus, paterni Imperii ſucceſſor deſignaretur. Sed cùm pro virtute venerem voluptateſque amplexus, paternos mores deſeruiſſet, & mortuo patre non eſſet, qui virtute ſua filii errata tegeret, ob ſcelus & ignaviam non modò pa-

tri-

tri in Imperio non ſucceſſit, ſed etiam ea, quam jam aſſecutus erat, dignitate, ut indignus eſt privatus.

IV. *Alphonſus* inclytus Aragonum Rex, perabſurdum ſibi videri dicebat, Reges ab aliis regi, Duces ab aliis duci. notabat nonnullos Principes & Magnates, qui cùm imperia & Principatus ſibi vindicent, alieno tamen conſilio regantur, imò à conſiliariorum arbitrio ita dependent, ut *per hos audiant* (quod verè ſcribit Plinius) *per hos loquantur, per hos Preturæ etiam, & Sacerdotia, & Conſulatus, imò & ab his petantur.* *Lycoſth. ex Pan.* *In Paneg.*

V. Utinam pronis auribus excipiant Chriſtiani illius Præſulis monitum ad CAROLUM CALVUM Imperatoris Ludovici filium: Ne vos ita cuilibet ſubjiciatis, ut ad ejus arbitrium omnia faciatis. Cur enim Regium nomen prætenditis, ſi regnare neſcitis? ut pace cunctorum dixerim, non expedit vobis & populo, ut aliquem vobis æquetis, nedum præponatis: quoniam Deus, qui ſcit quid ſit in homine, præmonet: *Ne des poteſtatem in filiis tuis in vita, quia melius eſt, ut illi te deprecentur, quàm tu illos.* Si filiis hoc non eſt concedendum, quanto minus aliis? *Apud Barō. to. 10. annal. an. Chr. 850* *Eccleſ. 30.*

Amplius, dixi contrahendas poteſtates, nec uni alicui nimios honores congerendos. Contempt⁹ ut maximè vitetur.

I. Clarè & explicatè pro hac ſententia Philoſophus: *Etiam qui ſe putant*, inquit, *Imperium poſſe obtinere, quodammodo contemptu aggrediuntur ad impetum faciundum. Potentia enim freti, neglecto periculo, facilè adoriuntur Imperatores, Duceſque copiarum eos, qui ſingularem obtinent principatum, veluti Gyrus Aſtiagem, cùm & vitam ejus, & potentiam ejus contemneret, quòd potentia ejus conſenuiſſet, ipſeq; molliter viveret.* *Ariſt. 5. Pol. cap. 10.*

II. Ita *Sejanus* cùm à *Tiberio*, *Perennius* à *Commodo*, *Plautianus* à *Severo* ſummum ad potentiæ dignitatiſque gradum evecti eſſent, factionibus imperium invadere tentarunt. *Dio Tacit. Lamprid.*

III. Et ſi priora ſæcula repetas, nùmnam LABIENUS magnis divitiis & honoribus ab I. CÆSARE cumulatus, tandem eum deſtituit, inque alias partes transfugit? *Cæſar 3. Comment.*

IV. PIPO Florentinus, ut veteres omittam, ex familia Strozziorum, plurimis rebus præclarè geſtis, & bellis propè infinitis ſumma virtute confectis, apud Hungaros tanti habitus eſt, ut alter ab Imperatore paſſim diceretur, quo audito dixiſſe fertur SIGISMUNDUS: *Facilè jam* PIPO, *ſi volet, pera tantum ac ſcipione ſociatum, regno boniſque exſutum me videbit.* Bene providebat acutus Imperator, periculoſum eſſe privati hominis nomen, ut Tacitus inquit, juxta Principis attolli. Id quod commodius deducam, cap. ſequenti in fine exemplorum. *Æn. Sylu. 4 Comment.*

Vides hîc pericula. At quî cavebuntur? inquies. Primò cavebuntur, ſi ſummas poteſtates Athenienſium & Romanorum exemplo, præfinitò & ad tem-

Lib.4.Idē q; sentit Mœce. apudDionē. 52. &Catul apudeūdē 36

pus modo concedas. nam, ut scriptum reliquit Dio. Halicarn. *Imperandi, parendique vicissitudo reprimit mentes fastuosas, & gloriæ cupidas, neque sinit inebriari nimiâ potentia. Secundo,* ut cautim & maturè tollas quos incautè ad summam potentiam evexisti.

Cap.65.

I. Veluti TIBERIUS fecit, qui *Sejani* potentiam Imperium jam respicientis sensim & dissimulanter evertit. Tranquillum audi: *Sejanum res novas molientem, quamvis jam & natalem ejus publice celebrari, & imagines aureas coli passim videret: vix tandem & astu magis, ac dolo, quàm principali auctoritate subvertit. Nā primò ut à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumpsit in Consulatu, quem longo intervallo absens, ob idipsum susceperat: deindè spe affinitatis, ac Tribuniciæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est, &c.*

*Tertiò*, cavebuntur, si liberi eorum qui ad regimen promoventur velut obsides Principes apud retineantur.

I. Hinc COMMODUM Imper. legimus solitum fuisse retinere apud se liberos eorum qui ad regendas provincias cum imperio proficiscebantur.

Osor. lib. 4. Rer. Eman.

II. Eodem consilio in aula Regis Æthiopum Principūm filii quos Rex habet stipendiarios, nutriuntur, tum ut illis ceù obsidibus, Rex horum parentes in fide contineat, tum ut ea educatione Regem debitâ fide & amore prosequi studeant.

Xenophon in Oecon.

III. PERSÆ non omittendi, qui modum etiam tutissimum habebant sibi cavendi, dum præter Satrapas, qui totas provincias regebant, quosdam Urbibus alios Urbium arcibus præficiebant, ne uni eidemque Urbis & arcis custodiam committerent.

A fortuitis etiam Contemptus.

His succedant fortuita quædam, ut casus adversi, quæ etiam contemptionem Principi parant.

Ex Iustin.3.

I. Testis potentissimus, XERXES Persarum Rex, qui cum ante terror gentium diceretur, bello in Græciâ profligatus, ita contemptui à suis habitus est, ut *Artabanus* quidam ejus Præfectus, consulto nonnullorum consilio eum ceù ineptum qui imperii habenas deinceps regeret, in ipsâ regiâ, quæ jure amicitiæ semper ei patebat, jugularit.

Antiq.15 c.12. Lib.2.

II. De HERODE Iosepus: Adhæc accedebat populare inRegē odium, *quod fere soleat calamitatum culpa in eos rejici, penes quos est regimen Reipub.* Itaque verè scripsit Guicciardinus: *Dependano in gran parte della reputatione i successi delle guerre, la quale quando declina, declina insieme la virtù de gli soldati.*

Ab adversa denique valetudine.

Insuper valetudo infensa, senium, corporis vitia, &c.

cominæus 10 comment.

I. Sic Turcarum Imper. MAHOMETUS diuturno morbo affectus, sese reclusit, & in curru quodā fabrefacto se continebat, ne quàm esset macer & extenuatus videri posset, atque etiam ne sui contemptus aliquis ex eo nasceretur.

Dio.lib. 47. 1.Histor.

II. Ac ut novitiis prisca inseram, VATINIUS *propter morbum contemptus deseritur, militibus* ( bello illo civili ) *ad Brutum transeuntibus.*

*III. Ipsa ætas* GALBÆ *Cæsaris* ( verba Taciti ) *& irrisui, & fastidio erat, as-*

*suetis*

*ſuetis juventa Neronis: & Imperatores forma, ac decore corporis, ut eſt mos vulgi, comparantibus.*

IV. FLACCUM quoque ſpernebat populus (ſcribit idem alibi) *ſenecta, & debilitate pedum invalidum.* Lib.3. Lib.9.

V. LUDOVICUS XI. denique Galliæ Rex poſt diuturnum morbum, Turoni ſe totum abdidit (inquit Cominæus (adeò, ut vix à quoquam (familiares enim omnes à ſe removerat) conſpiceretur: omnibus male ſuſpicans, & valde metuens ne imperium ſibi adimeretur. Sciebat enim pleroſque Principes Galliæ inimico in ſe fuiſſe animo, & ex reliquis ordinibus, multos eſſe exacerbatos, nam priorum Regum, nemo Galliam ſic afflixerat ut ipſe. Ita Cominæus.

VI. CAROLUM VI. ejuſdem oræ Regem terrorem antea gentium, ingraveſcente jam ætate, tædio rerum adverſarum, mente paululum immutatâ, labefactatiſque ex parte ſenſibus adeò contemptui fuiſſe ferunt: ut deficiente quotidie Regis Majeſtate, Galliæ Principes in ſpem Imperii adducti ſint, dum imperare ſinguli cupiunt, imperium pæne omnes perdiderunt. Siquidem *Henricus* Rex Angliæ velut ex ſpeculâ quadam Galliæ regno inſidiatus, dum illorum contentiones alit, auxilium modo his, modo illis ferendo, victos pariter, victoreſque ſubire paulatim Anglorum ſervitutem cogebat, ac revera cœptam pertendiſſet victoriam, niſi virago illa *Ioanna* Aurelianenſis (hiſtoriis notiſſima) in libertatem priſtinam Aurelianenſes bellis pœne ſubactos, adeoque ipſam Galliam aſſeruiſſet *Hiſt. obſid. Aurel.*

Conſilium eſt, ut qui aliquo invaletudinis, vel imbecillitatis genere tenentur, vividum præ ſe ferant animum, & rebus gerendis etiam idoneum. Indecorum non eſt tremulis eſſe manibus, vel pedibus, mens modo firma ſit, & vegeta. Valetudinarii Principes animi alacritatē prę ſe ferāt

I. Ecce SEVERUS Imperator *cum pedibus* (ita Spartianus) *æger eſſet, idq; milites anxiè ferrent, ejuſq; filium Baſſianum Auguſtum feciſſent, tolli ſe, atque in tribunal ferri juſſit; adeſſe deinde omnes tribunos, centuriones, duces &, cohortes, quibus auctoribus id acciderat: ſiſti deinde filium, qui Auguſti nomen acceperat: cumque animadverti in omnes auctores facti, præter filium, juberet, rogareturq; omnibus ante tribunal proſtratis, caput manu tangens,* ait; *Tandem ſentitis caput imperare non pedes.* *In eius vita*

II. Ita JULIUS Cæſar: *tametſi infirmus valetudine eſſet, obibat tamen munia Ducis* *Velleius, l.2.*

III. Quid SCIPIO? *Lecticula in aciem illatus conflixit, nec dubia victoria fuit.* *Livius l.24*

IV. Ita denique ALBERTUS Auſtriæ Dux, ejus nominis V. flagitantibus ſubditis, belli Ducem, quod in Bohemos gerebatur: *Si alium, quam me,* reſpondit, *ductorem exercitus petitis, fruſtra me Auſtriæ Ducem appellatis.* Conſimilior, animo certe, Imperatori illi apud Plutarchum, qui ſciſcitanti, *quis eſſet, cum neque arma, neque arcum, neque cetras ferentium in ordine cenſeretur,* magnificè reſpondit. *ſe eſſe, qui hiſce omnibus imperaret, atque uteretur.* *Æn. Sylu. in geſt. Alphon* *Lib de Fortuna*

## CAPUT VIII.

### *Porrò, ab his veluti gradibus, ad* Insidias, *atque* Conjurationes *devenitur,*

Q.Curt.l.4. ILlæ, ut plurimùm unius, vel paucorum, istæ multorum: & utræque tam occultæ, quàm perfidiosæ. Nempè quis nescius est, *patêre* (ut perditi sunt hodierni mores,) *vel unius insidiis Reges* vitâ præsertim probrosos? Namque cum variis horum flagitiis incolæ alienantur, odium mox concipiunt, ab odio verò contemptum, unde illæ dimanant *Insidiæ* atque *Conjurationes.* Quæ quidem tantò diligentius, ac solertius præcavendæ, quantò minus prævidentur. Verum enim est, *aperta odia, armaque palam depelli: fraudem, & dolum obscura, eòque inevitabilia.* Tac.4.Ann.

Idem 1. hist. Sallu.1Hist. Cic.2 inCat Sed, qui potissimùm illas machinentur, videamus. Comperior interdum hos, *qui turbatis rebus alacres sunt,* hoc est, *quibus afflicta fides in pace;* sive, ut alter Historicus inquit, *quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt.* Siquidem isti *honores quos quieta Republica desperant; perturbata, consequi se posse arbitrantur.*

Tac.4 Ann. Velleius l.11 Sallust.Cat. Taci.1.Hist. Ampliùs, *qui fortunæ inopes, & moribus turbidi sunt.*——*Ita se res habet, ut publica ruina quisque malit, quàm sua proteri, & idem passurus minus conspici,* Quid quæris? *odio suarum rerum mutare omnia student.*——Insuper, *diu sordidi, repente divites, qui mutationem fortunæ male tegunt, accensis enim egestate cupidinibus immoderati sunt:*

——*Vixq; tenent lachrymas, cum nil lachrymabile cernunt.*

Polyb.lib.6. Postremò, arrogantes, elati, præpotentes, & ambitiosi ministri: *Etenim insidiosa adversus Principes conjuratio, non est ex infimi subsellii hominibus, sed ex generosissimis, & iis, qui animi magnitudine, & confidentia valent, propterea quod tales imperantium sibi contumelias, & insolentiam minimè ferre possunt.* Adeò quòd Agrippa dixerit, *fieri non posse, ut vir animo sublimi, ac magis spiritibus præditus, libertatis cupidine non ducatur, Dominumq; suum oderit.* Apud Dio 52.

Sen.epist.74 Id. 2. de Benef. c.27. Caveant etiam Principes, ne quenquam unquam evehant ad proximam suæ dignitatis sedem, ni velint ea se deturbari. Quippè, ambitiosis *non tam jucundum est, multos post se videre, quam grave aliquem ante se.* Nimirum, *ultrà cupiditas se porrigit, & felicitatem suam non intelligit, quia non unde venerit, respicit, sed quò tendat.*

Soph.Oedip. Breviter ac verè Tragicus:

——*Non nisi morte*
*Satiatur amor dirus habendi.*

Summa,

Summa,

Κοινὴ φυλακὴ πάσης Μοναρχίας τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν: *Communis imperii custodia est, neminem unum magnum facere.* *Arist. Pol. 5*

Præscinde ergo cupidinis & magnæ potentiæ segetem: magnos honores ad tempus deferunto, perpetui ne sunto. Nam eccè, Mamercus dictator, magnam esse Reipublicæ curam censuit, *Si imperia magna diuturna non essent.* Quid ita? quia *longiora & diuturniora imperia multos ad res novandas acuunt atque extollunt.* *Apud Liv. lib. 4.*

---

## EXEMPLA & MONITA.

I. SI quis veterum omnis ævi rerum gestarum pervolvat monimenta, comperiet certis quibusdam progressibus, & veluti gradibus ad *Insidias & Conjurationes* perveniri: quod cùm in omnibus tyrannis, tùm in Cæsare NERONE utique elucescit. Nam ecce, si *Impotentiam* & *Crudelitatem* spectes, quæ major uspiam quàm in eo, qui matrem, uxorem, amitam, fratrem, præceptorem interemit? si *superbiam*, satis quidem apparet, dum divina humanaque jura proculcat, omniaque propria libidine regit, evertit, disperdit. *Odium* autem in eum apparebit, si personam Lucani, Annæi, & Plautii Laterani spectes, quorum alterum propriæ caussæ accendebant, alterum amor Reip. sociabat. Porrò *Metus*, in Persona Fenii Rufi Præfecti Prætorii exstitit, qui apud Neronem Agrippinæ adulterii falsò criminatus, non raro metuebat, ne desiderio ejus ultioni intentus esset Cæsar.

Postremò,

CONTEMPTUS & INDIGNATIO, in persona Volusii Proculi, & Senecionis: huic Contemptum ingessit nimia Neronis familiaritas: illi indignationem: impar sceleris remuneratio, quòd scilicet cùm inter ministros matris occidendæ fuisset, non ita uti conceperat animo, exque magnitudine facinoris provectus esset. En gradus & faces Conjurationum: quæ si non singulæ Neroni, at sexcentis allis exitio fuerunt. *Ex Corn. Tac. 15 Hist.*

II. Percurre mihi Cæsarum vitas, haud temerè quemquam invenias, ejusmodi insidiarum & conjurationum expertem fuisse. Testis mihi *I. Cæsar*, testis *Claudius*, *Domitianus*, *C. Caligula*, *Vitellius*, quid *Augustum* prætereo, optimum alioqui & modestissimum Principem? quem ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione caruisse Tranquillus scribit. Sequenti verò ævo, ab *Ælio Pertinace* (qui octogesimo Imperii die, à militibus Juliano auctore occisus est, qui & ipse septimo occupati Imperii mense à Septimio Seuero obtruncatus fuit) usque ad *Numerianum* Cari filium nonaginta circiter annorum spatio, viginti circiter Imperatores suorum insidiis atque conspiratione perierunt. *Cap. 19.*

Cæte-

Conspirationes à vilibus & turbidis hominibus.

Cæterùm, machinari interdum conspirationes istas dixi per unum aliquem de multis.

I. Fidem facit idem ille OCTAVIANUS Augustus, Cæsarum potentissimus: cui insidiæ factæ ab uno vilissimo mulione, immò & ab uno abjectissimo lixa, si Suetonio credimus, de eo sic scribenti: *Ne ultimæ quidem*, inquit, *sortis hominum conspiratione, ac periculo caruit. Telephus* (mulio) *quasi debita sibi fato dominatione, aggredi ipsum, unà cum Andasio atq; Epicado destinaverat. Quin etiam quondam juxta cubiculum ejus lixa quidam ex Illyrico exercitu, janitoribus deceptis, noctu deprehensus est cultro venatorio cinctus: imposne mentis, an simulata dementia incertum, nihil enim exprimi quæstione potuit.*

d. cap. 19.

II. Denique, quis non sciat socios Catilinariæ conjurationis, quæ non solùm Ciceroni, aliisque primatibus, sed toti Reipublicæ extremam perniciem afferebat, abjectissimos & flagitiosissimos quosque fuisse, novandarumque rerum admodum cupidos? Taceo Curiones, Milones, cæterosque Novatores atque turbatores, quorum opera ipsis nocuit, non Reip. profuit.

*Dio lib. 37. Cic. 2. Cat.*

Et maximè à magnis ambitiosisque ministris.

Sed & magnos, & præpotentes ministros, quique Principibus maximè intimi sunt:

Quod ipsum plusculis exemplis firmari potest:

Veluti *Julii Cæsaris, Augusti, Tiberii, C. Caligulæ, Domitiani, Severi, Commodi, Aureliani*; qui omnes experti fuêre conjurationes potentissimorum ministrorum, & maximè sibi familiarium, quos alioqui evexerant ad eos honorum gradus, ut præter solos imperii fasces, nihil eis deesse videretur, quos ut compararare possent, in levi habuerunt conflare exitiosas in Principes suos conjurationes.

Exemplis insuper doceamus, & maximè recentiorum.

*Baron. tō. 5. Annal.*

I. Regnante ARCADIO Imperatore, Præfecturam Prætorio, summum in urbe magistratum, administrabat RUFFINUS. Hic cùm præter sceptrum nihil sibi deesse videret, animum & oculos ad illud adjicit, quo consilio? Cùm ejus esset, quos vellet Provinciis præsides dare, conjuratos sibi creavit Provinciarum Rectores, & inter alios Græciæ Proconsulem designavit Antiochum, & Hermophilarum angustias Geruntio tradidit custodiendas, ut eas ambo cederent advenientibus Gothis sub Duce Alarico militantibus: quod quidem isti præstitissent, & exsecuti fuissent, nisi sceleris hujus auctor trucidatus fuisset. Quod accidit divino planè miraculo, ut dum optimus Imperator adversus impietatem indefesso studio salutares leges opponit, eodem tempore, Deus dissiparit consilia gentium: ipse verò Ruffinus execrandi sceleris architectus miserrimè trucidatus, atque ludibrio totius populi expositus, qui omnibus terrori ante fuerat.

*Apud eundē Baron. tō. 7.*

II. Nec IUSTINIANUS noster (optimus alioqui pro tempore Imperator) minimè exsors fuit nobilium, atque adeò propinquorum conjurationis, de quâ sic Ammianus Marcellinus: *Hypatius, Pompejus & Probus, Anastasii Imper. Nepotes*,

quòd

*quòd Imperium sibi singuli indigna ambitione exoptarent, Idibus Januariis cum plerisque nobilium conjuratis, omnique fastidiosorum turba, armis, donisque ministratus illecta, dolis invadere tentarunt: atque per quinque continuos dies urbem regiam,* (Constantinopolim) *rapinis, ferro, igneque per sceleratos cives sine certo Interrege discurrentes, hostili impietate (ipsi se fideles Reip. in Palatio dissimulantes) depopulati sunt. Quinta verò hujus nefandi sceleris die, dum de foro Hypotius, sceleratorum comitantium manibus, torque redimitus aureo, & Pompejus Comes sua sub veste loricatus, ad invadendum, tenendumque Palatium ascendunt, uterque ante fores Palatii captus est, atque statim piissimi Principis nostri nutu catenatus, trucidatus, pœnas luit: & ante Imperium perdidit, quàm haberet, innumeris passim in Circo populis trucidatis, & tyrannorum sociis continuò proscriptis.* Triginta hominum millia trucidata Procopius refert.

III. *Petrum* etiam *Gambacurtium*, Pisanorum Principem, Petri Appiani perfidiam atque conjurationem expertum fuisse legimus, à quo etiam Imperio spoliatus est, tametsi eum à prima juventa liberaliter eduxisset, posteaque ad multos & magnos honores, præter ejus meritum evexisset. *Suicciard.*

IV. *Comes Bernicensis* eò auctoritatis & potentiæ excreverat, ut *Eduardum* Regem Angliæ ob nonnulla dissidia armis summa cum perfidia pressum fermè ad incitas redegisset nisi ægrè aufugisset. *Cominæus lib. 4.*

V Eadem perfidia usus est *Richimer* potentissimus Magister militum adversus *Anthemium* Imperatorem, nam cùm ei Cisalpinæ Galliæ Præfecturam *Anthemius* dedisset, & eum affinitatis quoque vinculo devinxisset, generum scilicet sibi asciv isset, arma in socerum ac dominum movit, violataque pace, quam per Epiphanium Papiensem Episcopum juraverat, urbem Romam ingressus, eum cæpit, variisque cruciatibus affectum occidit. *Ennod.*

Ideo Romani sibi accuratè cavebant, ne magnas Provincias uni soli committerent, quin longe lateque dissitas pluribus dividebant. Unde apud illos Consulares Principes fuere Hispania citerior, Hispania ulterior, Gallia Cisalpina, Gallia transalpina, Illyricum, Dalmatia, Cilicia, Syria. Prætoriæ verò in Sicilia 2. Sardinia & Corsica 3. Africa & Numidia 4. Macedonia, Achaia & Græcia 5. Asia, & Lydia, & Caria cum Mysia & Jonia 6. Pontus & Bythinia 7. Creta, 8. Cyprus. Romanorũ prudẽtia in distribuendis honoribus.

Ex his igitur aliisque, quæ ætate etiam nostra occurrunt exemplis, discant Principes (hìc enim plerique decipiuntur) ad evitandas ejusmodi conjurationes, eos maximè metuendos, quos multis maximisque beneficiis exornarunt. Prudentius longè fecerint, si nunquam præpotentibus familiaribus tribuant proximum à suâ dignitate locum, cæterùm locum aliquem relinquant veluti intermedium, quo (relicto supremo fastigio) ad illum adspirent. Ita enim majori, & fide, & affectu tenebuntur: Nam, ut possint in Principis dignationem pervenire, & tandem dignitates illas Principatui proximas adipisci, nullum non obsequium & cultum Monentur Principes.

Principi deferent. At verò, quid si jam sint in excelso & fastigio magnarum dignitatum?

Summæ potestates quo modo concedēdæ

*Primò*, consilium est, ut præpotenti ministro, alium ei parem vel majorem adjungant, ut hoc modo mutuò sese observare possint, & ex quadam æmulatione impedire, si quid in Principem gravius fortassis alter decernere velit. Etenim ut verè Polybius scribit: *Quotquot natura ad imperitandum propendent, & studio libertatis tenentur, indesinenter in se dimicant, eò quòd indivulso studio huc contendunt, ut priores habeantur.* Quod ipsum bene consideravit *Commodus* Imper. qui cum PERENNII insidias evasisset, (qui solus erat Præfectus militum, & jam jam erat illum occisurus ut regnaret) sumpto de eo ejusque filio & sociis supplicio, mox duos constituit Præfectos, tutius fore ratus, tantam illam potestatem nō uni duntaxat credere, sed dissectam in partes, imbecilliorem contra Principem reddere.

*Lib. 5.*

*Herod. 1.*

*Lib. 4. Rer. Eman.*

*Secundò*, consilium est, ut eorum filii qui magna cum potestate ablegantur, in Aula retineantur. Hinc apud Osorium legimus, in Regis Æthiopum aula illorum filios quos habet stipendiarios nutriri, tum ut illis obsidibus Rex illorum parentes in fide contineat, tum ut ea educatione Regem debita fide & amore prosequi studeant. Sic etiam mos fuerat COMMODO Imper. retinere apud se liberos eorum qui ad regendas Provincias cum imperio proficiscebantur.

*Tertiò*, consilium est, ut tales specie honoris vel legationis, vel aliorum obsequiorum principalium aliquò ablegentur.

*Æneas opusc. Tact. & obsid. cap 10.*

Exemplo sit, quod *Dionysius* fecit, qui *Leptinem* fratrem habens Syracusanorum populo valdè gratum magnis præsidiis fultam ejus potentiam cùm animadverteret atque ejus fidem suspectaret, traducere eum aliò cupiens, palam ille quidem fratrem ejicere non instituit, gnarus civium benevolentiam magnam illi vires conciliaturam, & omninò tumultum aliquem exoriturum. Igitur *Dionysius*, *Leptinem* hac arte aggreditur, mittit illum cum exigua stipendiariorum manu in urbem Himeram, cum mandatis ut ibi præsidium educeret, & novum induceret. Ubi Himeram *Leptines* pervenit, misit *Dionysius*, qui juberent tantisper ibi manere, usque dum ipse acciret. Hoc stratagemate periculum, quod sibi à fratris potentia impendebat, à se avertit.

*Lib. 36.*

*Quarto & postremò* videndum est, ut prægrandes ejusmodi dignitates ad tempus tantùm concedant, ita sentit differitque CATULUS apud Dionem: *Primum, inquit, hoc, & præcipuum dico, non debere uni alicui viro tot imperia unum ex alio committi: quòd & leges hoc prohibent, & experientia deprehensum est, rem eam esse longè periculosissimam. Neq; enim* MARIO *alia caussa fuit, cur talem se gereret, quàm quòd brevi admodum temporis spatio tot bellorum administratio ei credita Consulatus sexies intra paucissimos annos mandatus est, neque* SYLLÆ, *quàm quod postea*

*posteaquàm multis annis absque ulla intercapedine præfuisset Dictator, postea, ac deinde Consul creatus fuit. Ea quippe est natura animorum humanorum, ut non modo juvenes, sed & ætate provectiores, posteaquam multum temporis in potestate transegerint, patriis moribus haudquaquam sibi vivendum ducant.* Ita quoque sensit *Carolus V.* Imper. dum in extrema vitæ periodo cõmonefecit filium suum *Philippum*, ne permitteret magnarum Aulicis dignitatum diuturnum exercitium, sed potius majoris notæ & potentiæ Aulicos apud se retineret. Atque hæc quidem in Aulis, nam Præfecturæ Provinciarum diuturnæ esse debent. Unde *Augustus* Præfecturam Urbis pene perpetuam fecit. Sic & Persarum Reges Satrapas in longis Imperiis perpetuos fere habuêre, atque ante eos *Chaldæi* atque *Assyrii*. Excipio in Provinciis subjugatis: quarum administratio diu non debet committi iis, qui in Ditionem sui Principis eas redegerunt. Ita Ferdinandus Castiliæ habenas Indiarum Occidentalium diu non reliquit Christophoro Columbino, qui eas pervestigaverat, Dominioque sui Regis adjecerat, facilè enim tales, possunt delinire populos subactos, suique Domini Imperium excutere. Atque hic finis esto hujus cap. de *Insidiis* atque *Conjurationibus*.

---

## CAPUT IX.

### *Quibus agnata* Proditio *est, occulta illi molitio, si non in Principem, at in ejus res, & facultates.*

GRANDE profectò, & periculosum malum, & nihil perinde noxium Rebuspublicis & Imperiis evertendis. Cùm enim omnem perfidiam proditor tacito sinu alat, urbes, arcesque quamlibet munitas, cauto consilio deserit, arcana Reipublicæ hostibus detegit, adeoque Imperium ipsum, Claud. 2.

*——— quod mille Ducum peperêre labores* Rufin.
*Proditor unus iners angusto tempore vertit.*

Verùm, qui maximè in hoc perfidiæ genus propendeant, operæ est examinare.

Video inprimis avaros: quorum *animus ubi se cupiditate devinxit mala, necesse est*, ut Terentius inquit, *consilia consequi consimilia.* Asserit in re nostra Tacitus: *Ubi magnitudo quæstuum spectatur, rarò fides integra manet.* Heaut. Annal. 11.

His proximi sunt improbi, & sequioris vitæ homines, quippe, *in turbas, & proditiones pessimo cuique plurima vis.* 4. Annal.

Adhæc occulti & versipelles. *Neque enim fidum esse potest multiplex & tortuosum ingenium.* Enimverò, talia ingenia plerumque *fidem in parvis simulant, ut majore pretio te prodant.* Nempè, magna fallendi species. Cic. de Ami. Tac. 4 Ann.

Plin. 1. ep. 16 Cave igitur, & attende. *Gratia malorum*, ô Princeps, *tàm infida est, quàm ipsi*. Pro qua sententia bene Tullius, *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm eæ quæ latent* Cic. 1 in Ver. *in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine: nam eum qui palam est adversarius, facilè cavendo vitare possis; hoc verò occultum, intestinum, ac* Xenoph. in Hieron. *domesticum malum, non modò non existit, verumetiam opprimit, antequam perspicere, atque explorare potueris*. Jure ergò Græcus ille scriptor: *A nullis plus insidiarum Regibus tenditur, quàm ab his, qui se simulant amare maximè*.

---

## EXEMPLA.

QUid an testimoniis vel exemplis opus, ut firmem fraudibus, proditionibusque Reges, urbes, oppida, provincias, regna ipsa concuti, everti, adque alios dominos transferri? Quid frequentius in hoc mundi theatro videre una nefaria proditione, vel potentissimos Principes à sceptro ad ferulam dejici? Examinemus nostram ætatem, repetamus patrum memoriam, videbimus affatim exemplorum, quibus extitisse sceleratos & corruptos hac pestilentia homines, impios dico patriæ, & optimorum Principum proditores constat. Sed, ut in morbis, certi sunt humores, qui homines sensim ad illos disponũt: ita in hisce animi vitiis, certæ sunt affectiones, quibus paulatim à parvis (nemo enim fit citò turpissimus) ad maximum atque deterrimum hoc scelus pertrahuntur. Ac in re nostra, quis nesciat cupidis ambitiosisque magnam prodendi segetem præbere, malorum omnium, ut sic dicam, metropolim, pecuniam? Tu quisquis dolum, fraudem times, cave tibi, cave ab istis aurifugis: quippè nihil tam sanctum atque munitum, quod non aggredi, moliríque illos faciat auri sacra fames. Verùm demus, pro more nostro, exempla.

Proditiones ab avaritia, & ambitione.

Lib. 5 in bell. Neapol. I. Refert Philippus Cominæus, vir rerum civilium sanequam peritus, ENTAGRIUM quendam, inexplebili virum natura, cupiditate adeò pecuniæ illecebris captum fuisse, ut brevi temporis spatio, plurimas urbes in Italia, quibus nomine CAROLI VIII. Galliæ Regis præerat, prodiderit, videlicet: Sarezanam Genuensibus, Petramsanctam Lucensibus, Libramsactam Venetis, aliisque alias complures vendiderit. Et unde illud? nisi quòd pecuniam potius, quàm fidem præter oculos haberet? Quò factum est, inquit, ut universum regnum Neapolitanum, magnis paulò ante belli sudoribus partum, à Gallis deficeret.

Ex Guicc. lib. 4. II. In eadem classe BERNARDINUS CURTIUS Papiensis, qui arcem Mediolanensem ab LUDOVICO SFORTIA sibi commissam, GALLIÆ REGI, citra ullam oppugnationem, magna pecuniæ vi, aliisque muneribus acceptis perfidè tradidit.

III. Ideoque prudenter admodum CAROLUS V. Imper. FERDINANDUM GONZAGAM, quòd in avaritiæ suspicionem venisset, Imperii Mediolanensis administratione submovit, & insuper auctor PHILIPPO filio fuit, ut eo consultore in magnis negotiis uteretur: sibi enim ipsius prudentiam, & in consiliis dandis sagacitatem abundè perspectam esse, ceterùm ne ei provinciam ullam administrandam, aut munus aliquod committeret mandavit. *Thuanus li. 13. Hist.*

IV. Celebris à perfidia *Papus* quidam Florentinus. Is cum *Sigismundi* Ungariæ Regis auspiciis præclara facinora contra Venetos gessisset, tandem pecunia ab his corruptus, in Ungariam redit, fidem ibi mox exsuere statuens. At detecta viri perfidia simul & avaritia, comprehendi hominem jubet *Sigismundus*, & infuso in os auro enecari. *Bonfin. 3. decad. 13.*

V. Turpe, ac detestandum facinus *Frothonis* Danorum Regis: quippè qui domesticum quendam pecunia corrumpit, quò fratrem suum occultè è medio tollat. Explet cruciarius ille impium sui Regis desiderium, & manus violentas in optimum Principem affert. Capit igitur impius nequam aurum promissum: sed, ut est in proverbio, Tholosanum, nam paulò post, ne scelus vulgaretur, Regis mandato trucidatur. *Ex Annal. Sax. lib. 7.*

Notent scelerati proditores, & discant perfidiæ præmia apud ipsos nunquam, aut certè non diu permanere.

Satis sit in hisce perfidiæ sordibus inhæsisse: cùm nihil crebrius occurrat historicorum libris ejusmodi exemplis, quæ testatum faciunt, nullos æquè machinari Principibus proditiones, quàm avaros, Zoilos, ambitiosos.

Ambitiosis affines dixi fucatos amicos, & versipelles: quorum fallacia plus damni consequi Principes, quàm ullà hostium impressione, atque feritate, negari non potest. *Etiam à vafritie, & amicitia fucata.*

I. Quod ipsum malò suo sensit *Xantippus* Lacædemonius, vir alioqui manu strenuus, rerumque gestarum magnitudine inclytus. Is enim ab Athenienfibus, de quibus optimè meritus erat, fraudulenter & summa cum perfidia circumvenitur; quando qui specie officii se fingunt illum domum reuehere, in mare præcipitem agunt. *Herod. 5.*

II. Apud Romanos MUMIUS LUPERCUS Legatus, dum in Germanos rebelles, auxiliares copias advocat, & in his Batavos, Duce CLAUDIO LABEONE, insigni astu ab iis decipitur. Nam, qui antea Germanis corrupti essent, fidem tamen simulabant, quò majore pretio & securitate, urgente necessitate, ROMANOS, quod factum, destituerent proderentque. *Tac. 1. Hist.*

III. Talis defectio, & proditio in CAMPOBACHIO Neapolitano, CAROLI Ducis Burgundiæ intimo Consiliario, annotata est, utpote qui in expeditione Nancæna, Ducem suum, à quo variè affectus fuerat honoribus, *Cominæus 7. Comm.*

deseruit:qua ex re,& Duci,& exercitui cædem & cladem longe maximam importavit.

Crantzii Saxon.l.9.

IV. PHILIPPUS Austriæ Dux,cùm bellum adversus CAROLUM IV.Imper. administraret, nunquid similiter eorum quibus maximè tribuebat,fallaciam expertus est, stabant utrinque acies in procinctu, tantùm non pugnaturæ : Imperator viribus impar, ac inde sibi metuens, evocat clam tribunos tres hostilium copiarum:quos impenso pretio sollicitat, uti duci suo renuncient, persuadeantque se speculatum ivisse, atque CAROLI exercitum triplo suo majorem deprehendisse, proinde è re sua esse,ut quàm citissimè cum copiis se recipiat, ni cum illis velit periclitari. Dictum ac factum,redeunt,& Philippum circumscribunt, uti conventum erat : atque ita nocte proxima coactis copiis,re infecta & amissa hostis profligandi occasione,fugit *Philippus*,hostem(ridiculum)metuens,fugæ alioqui propiorem,

Serm. 9. de Quad.

Itaque instar oraculi habendum istud Leonis Pontificis Max. *Plus plerumque est periculi in insidiatore occulto,quàm in hoste manifesto.*

V. Verùm, quî detegantur ejusmodi *Conjurationes* & *Proditiones*,diligenter considerandum. Imprimis illud suggeritur, ut sint secreti corycæi & inspectores personarum suspectarum, an tales alicunde litteras, & quibusnam scribant. Venetiis non illaudatur mos ille ut rebus dubiis ponant truncos in diversis Palatii S. Marci,aliisque Civitatis locis,in quibus fas est omnibus secretò schedas ponere, quibus significant, quam contra Statum,aut Ducem machinari factionem intellexerint. Quòd si plurium relatu unus reddatur suspectus, tum summa cum diligentia in illius actiones,vitam,& mores inquiritur,& si aperto marte quis denūcietur,bona pensione à Republica donatur. Quoad arces autem,& loca munita, hoc statutum est à Genuensibus pro avertendo proditionis periculo,ut quos Præfectos in illis constituunt,singulis sedecim mensibus alios substituant.In statu Ducis Florentiæ neminem unum egredi arce patiuntur nisi singulari Ducis jussione, imò neque scribere, neque recipere litteras auderent, nisi prius iis communicatis qui tutelam arcis gerunt. Præfectus militum Urbis Mediolanensis la Roque,quod uno & altero passu arce egressus esset, vocatus fuit in suspicionem proditionis. Apud nos optimè statutum est,ut Præfecti per se resideant,non etiam per substitutos:unde à multis annis nullus suspicione proditionis, aut conjurationis laboravit. Interea notandum reos illorum criminum coërcendos esse, sed modo qui jam designabitur.

CAPUT

## CAPUT X.

*At, qui vitabuntur insidiæ, fraudes, conjurationes, proditiones? vitabuntur imprimis solerti* Indagatione, *& acri* Coërcitione.

ILLAM meritò præpono, nec impono: nam cùm insidias, atque conjurationes, secreta sæpenumero colloquia præcedant, & difficulter *silentium & fides in tot consciorum animis & corporibus servetur*, quidni Principi exploratores, delatoresque concedamus, unde inaudiat, undecumque quid quisque dicat, faciatve. *Grandis cautio est*; inquit ille, *adversarii animum cognovisse: etenim hostem protinus sensisse, superasse est.* Tac. 15. An. Anthemius Imper. apud Baron. tom. 6. Annal.

Hac itaque via occulta fraudium ex facili vitabit Princeps, nihilque rei erit tam abditæ, qui in illam se per illos penetret, maximè si indicii, & accusationis præmium aliquod proponat. *Pecuniæ enim cuncta sunt difficultates perviæ*: vel ut Historicus noster ait, *Cruciatu aut præmio, cuncta sunt pervia*. Prorsus vere, namque ab illo imbelles facile vincuntur, ab hoc verò, cupidi quàm citissimè impelluntur. Apul. 9 Met. Tac. 15. An.

Veruntamen, hac in re cautio est, ut non temerè Delatoribus istis & Auricularíis credas. *Quis enim innocens esse poterit, si accusasse sufficit?* Sunt enim nonnulli, qui sive præmio inducti, *locupletissimum quemq; deferunt*, sive livore & odio impulsi insontes criminantur, & *verba pravè detorquent, & convivialium fabularum simplicitatem in crimen ducunt*. Ideò, *non solis accusatoribus credendum, quamvis digni videantur quibus fides habenda sit, sed alteram aurem integram Reo servandam putes.* Ammian. Marcell. Hist. 2. Theodor. 1. Hist. c. 33.

Enimverò, haud oportet indicta caussa accusatos rapere, vinculisque (quod sæpenumero fit) mancipare: sed nec *omnibus, quæ ab his talibus dicuntur, fidem adhibere, quin acriter ea examinare, & discutere oportet*, eos interea sistendo, dum caussam peregerint. O quàm notandum Senecæ præceptum! *Ne sint aures criminantibus faciles: hoc humanæ naturæ vitium suspectum, notumque nobis sit, quod quæ inviti audimus, libenter credimus: & antequam judicemus, irascimur.* Haud ergo temere Delatoribus credas: cùm immatura credulitas, *mater sit erroris, noverca consilii, Iustitiæ inimica.* Dio lib. 52. 2. de Ira c. 22 Ammian.

At, quid si vera referant? Vindica scelus, & exsequere. *Impia proditio* (inquit ille) *celeri pœna vindicanda est*: nimirùm, *invenit æmulos infelix nequitia: quid si floreat, vigeatq;?* Itaque, Val. Max. 9. cap. 6. Tac. 4. Hist.

——————*malos sine*
*malè disperire.* Philoct. apud Sophoc.

Et qui-

Taci.1.Hist. Et quidem citissimè: *festinandum antequam crescat invalida adhuc conjuratio paucorum.*

Cic.pro Mil. l.Quisquis C ad l.Iul.Ma. iest. Immò etiamsi affectum tantùm, & cogitatum sit scelus. Nam, *non exitus rerum solùm, sed & hominum consilio legibus vindicantur.* Ratio aperta, quia *in ipsa deliberatione facinus inest, etiamsi non ad id pervenerit.*

Idē 3. de Off. Puni igitur, sed cum triplici hac cura.

Sen.1. de clē. Cassiod. Tac.14 Ann. I. Ut ne in ultionem properus sis: *Prope enim est, ut libenter damnet, qui cito.* Et ut hoc non sit: *non potest esse temperata justitia, ubi est fervida vindicta.* Adde, quòd *sæpe modicis rebus, primi motus consedere.*

Tac.14 Ann. II. Quid, quòd etiam sepe alieno tempore deteguntur insidiæ, ut non tam pœna repræsentanda sit, quàm mora interponenda? Quid item si nobilis aliquis, vel præpotens vir inter reos delatus? Quid si propinquus quispiam, & necessarius? Dissimulabis, gnarus *optimum insidiarum*, quandoque *remedium esse, si non intelligantur.*

Val.Max. 6. cap.3. III. Si tempus patiatur ut puniatur, cito exsequere, *& citeriorem delicto præbeas ultionem, ut potius caveas injuriam, quam vindices.*

Tac.15. Ann. Indidem. IV. Addo legem, *ut indicia, ac confessiones damnatorum ad alios Principes transmittas:* Nam alioqui supplicium in invidiam invertent multi, & *vulgi rumore laceraberis, tanquam viros insontes ob invidiam, aut metum exstinxeris.*

Livius l.38. Idem. V. Ut capita tantum conjuratorum, è medio tollas: *ut ubi orta culpa est, ibi pœna consistat.* Benè est, abunde est, *si nefariæ conjurationis auctores sanguine luant, quod admiserunt.*

Ennod. Pāt. Theod. Quoad cæteros, *flexus sit animus tuus, pronus sit semper ad veniam.*

Siquidem,

Cic.l.15. epi. *Omnibus est amori clementia:*

Sen.1 de Clē. Immò *salvum Regem in aperto clementia præstat.*

Tac.11 Ann. *Connivere* igitur *aliquando oportet, & securitati antequam vindictæ consulere.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

Lex Papia de Delatorū præmiis cur promulgata

INter alia, quæ veteribus sanciendæ legis PAPIÆ de Delatorum præmiis ansam præbuerunt, fuère clandestinæ in Principes perditorum & facinorosorum hominum conjurationes, quæ cum occultis eorum machinamentis impunitè, ut plurimum essent, utile visum est quosdam instituere, qui facta dictaque subditorum clam exciperent, ut eò proclivius occultum illud animorum virus pateret, magnis quidem eam ob rem delatoribus constitutis præmiis, quæ postea NERO Imperator ad quartam partem bonorum accusati reduxit, & inde *Quadruplatores* dicti, quòd

quòd quartam partem de proscriptorum facultatibus,quas detulerant,consequerentur. Inventum herclè comprimendis monarchomachis aptum:quòd licet hoc ævi ferè exsoletum,operæ pretium tamen esset in usum revocari, propter non infrequentes fraudium istarum architectores. Quamquam hæc minus à me dicuntur,ut bonorum Principum animos ad temerarias suspiciones , atque sævitiam informem , sed ut eorum vitæ , quæ instar Palladii est felicitatis nostræ consul- Quatenus usurpanda?
tum eatur. Hoc inquam fine Delatores Principibus propono ; quibus etiam suadendum ut inanes quasdam accusationes potius contemnant , quas vario sæpe fuco esse adumbratas animadvertent. Ut enim canes nonnullos videmus clanculùm mordentes,sic vafros quosdam aulicos,aliosve pessimæ notæ homines secretis criminationibus infamare ignaros , & quò incautiùs decipiant, palam ante laudatos. Ammian. lib.14.

I. Cujusmodi plures fuêre temporibus C. Cæsaris , quem ob nimiam credulitatem in maximam lapsum esse crudelitatem scribunt,suspectos habens optimos amicorum,ex levibus delationibus,vel criminationibus invidorum,vel adulatorum.

II. Priori verò sæculo,eodem laborarunt vitio *Tiberius* & *Domitianus* Cæsares, Sen.3.de Benef. c.26.
quorum ille lucri & quæstus caussa, tantum tribuit Delatoribus , ut nemini non crederet,seu quid veri seu falsi referrent. *Excipiebatur* enim inquit Seneca, *ebriorum sermo ,simplicitas jocantium, nihil erat tutum:omnis sæviendi placebat occasio:* Sueton. in Domitiano.
hîc verò rapinæ supra modum studiosus ac cupidus,ita aures calumniatoribus patefecit,ut delator delatorem timeret, & causidici causarum actionibus posthabitis,ad delationes sese conferrent.

III. Sed nec HADRIANUS Cæs. caruit hac reprehensione, quippè quòd vel amicissimos , vel eos quos summis honoribus antè evexerat , per nimiam credulitatem hostium loco habuit, veluti *Tatianum, Nepotem, Septicium, Clarum*: aliosque. Ex Spartian

IV. Ita, & HERODES Antipatri filius , adeò usque delatoribus credidit & indulsit, ut innocentissimum quemque è vestigio raptum trucidaret. Iosep.1 bell. Iud.c.17.

V. Nunquid etiam *Anastasium* CONSTANTINUS in exilium pepulit, nimim delatoribus credens? v Baron.tō. 3.Ann. ann. Chr.336.

VI. Ac ut vetera omittam, in Anglia *Edoardus II.* nimia notatus fuit credendi temeritate, qua non solùm delatoribus exitium, sed & sibi infamiam longe maximam importavit, Nam ecce falsis eorum criminationibus inflammatus , duos & viginti nobilissimos Angliæ Barones ad supplicium rapuit,conjugem quoq; suam (mirum dictu)una cum filio Anglia pepulit,quid inde? Regina tandem amicorũ fide & opera postliminio reversa cum filio , non solùm delatores omnes ( illos quidem nobiles ex familia Spensiorum)atrocissimis punivit suppliciis, verumetiã Regem maritum ceu inutilem regno, variis gravissimisque de causis, ex populi & Senatus auctoritate,custodia continuit. Quo facto nobilissimus Heros,filius op- Frossa. vol.1

timus pessimi parentis, qui cum matre relegatus erat, sceptro donatus est, & Edoardus dictus ejus nominis tertius

*Li. 5. de bello Neapolit.*

VII. Peccarunt etiam hîc (id adeò verum est hunc morbum in familiis Principum regnare (GALLIÆ REGES: usque eò, ut à Carolo Magno (ut auctor est Cominæus) vix pauci Galliæ Reges: annum ætatis sexagesimum excesserint, collecta sæpe ægritudine ex suspicionibus, & iis quæ clanculùm ac falsò essent delata: Nam plerumque, nedum illi, sed & omnes

*Senec. Oedi.*

——— *Dubia pro certis solent*
*Timere Reges*:

*Cominæus.*

VIII. Sed maximè Principes illius oræ, ut constat in *Ludovico XI.* qui delationibus & suspicionibus tantum indulsit, ut nulli prorsus homini fideret, & omnes insidiari (ô ultimam miseriæ lineam!) sibi putaret. Ejus verò pater, cùm decumberet ægrotus, persuasum habebat paratum sibi esse venenum, ideoque ab omni cibo abstinuisse dicitur.

IX. Imò etiam in *Carolo VI.* cujus eò fuit deterior conditio, quòd deliraret, ac mente captus esset, dum iis quæ deferebantur, priùs quàm oportebat, crederet.

Cominæi de Delatoribus sententia.

Quare ex sententia ejusdem Cominæi, *prudenter facturi sunt Principes, cùm aliquid ad ipsos occultè defertur, si delatorem sistant, & fidem sibi fieri jubeant ejus quod sit delatum. Hac enim ratione multò vivent tranquillius: quando nullus eò sit progressurus amentiæ, ut quod probare non possit, de eo sit alicui facturus calumniam. Sed sunt nonnulli ex iis adeò stolidi, & ignavi, ut etiam jurejurando promittant se nihil enuntiaturos, atq; interim anguntur animis, & ab impuris hominibus persuasi incipiunt illos odisse, quos pro ipsorum virtute, ac merito debebant amore & benevolentia complecti.* Hactenus ille.

Longè aliter bene instituti Principes. Etenim haud temerè ejusmodi Sycophãtis credunt: imò capitali, aut certè extraordinaria eos pœna afficiunt, si crimen illatum minus probent.

*L. fin. C. de Calũniat. et tit. de Accus. l. fin.*

I. Quod in *Honorio & Theod.* Impp. apparuit, quorum exstat Constitutio hæc: *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi: cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Antiqua lege *Remnia* Calumniatori litera C. in fronte inurebatur, qua indicabatur, eum calumnia usum esse.

*Capitolin in Macrino Ci. pro Roscio.*

II. Credisne maculosum illum NERONEM ab hac animi moderatione prædicatum? Audi Plutarchum super eò scribentem: *Exercebantur*, inquit, *miris modis inter Neronem & Thraseam inimicitiæ: verùm cuidam multa criminosè jactanti, atq; Thraseam perperam judicasse causam suam asserenti, obstitit Nero, tantumque abfuit, ut criminibus de inimico contra veritatem assentiretur, ut exclamarit: Vtinam tam me Thraseas diligeret, quàm Iudex æquus, & rectus est.*

*Li. Polit. ad Trajan.*

*F. Vopiscus.*

III. Quid in *Aureliano* & *Trajano* dicemus? Horum ille *delatores ingenti severitate persequebantur*? hîc verò calumnias in optimos amicorum apud se jactas

flocci

flocci faciebat: nam, cùm quondam ei significatum esset, LICINIUM SURRAM in eum conspirasse, vespere ejus diei invocatus ad eum TRAJANUS cum duobus solùm comitibus cœnatum se contulit, radique ab ejus tonsore voluit, atque oculos ab ejus medico inspici. Eidem postea, cùm de conspiratione rursum affirmaretur, ridens respondit: se nullo modo, ut crederet adduci posse, quòd eo die periculum fecerat, ut SURRA, si voluisset, id quod insimulabatur, agere potuisset. Ita in amicitia firmus perstitit, nec multò post Tribunatum eidem SURRÆ detulit. *Ex Dione Cass. in Traia.*

IV. TITUS verò VESPASIANUS eosdem delatores mandatoresque assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam, partim subjici in servos, ac venire imperavit, partim in asperrimas Insulas avehi. *Sueto. c. 8.*

V. Itaque haud facilè debent Principes verbis delatorum fidem adhibere, præsertim si magnos aliquos viros, vel religiosos criminentur. Certè meritò prædicatur MAURITIUS Saxoniæ Dux, quem scribunt nunquam solitum fuisse calumniatorum delationes excipere, nisi ipsi sponderent, affuturos se coram, quando accusatus esset allocuturus. Nec possunt etiam Sycophantæ refutari meliùs, quàm si jubeantur ea coram dicere in faciem præsentibus, quæ de absentibus deferunt. Multi boni viri talibus delationibus prægravantur: quia non audiuntur excusationes ipsorum, & nimiùm delatoribus assentiuntur Principes, re non explorata. *Auctor Axiopolit.*

VI. Quod probè intellexit *Titus* Cæs. quem patrem suum Vespasianum *orasse* legimus, & quidem *multo tempore ne criminantium sociis temerè accenderetur.* Credulus enim nimiopere erat, & quoties Cæsar sine arbitris erat, credulas suas aures falsis criminationibus impleri patiebatur. *Tac. 4. Hist.*

VII. Eodemque mentis proposito *Augustum* à Mœcenate monitum Dio scribit, quem non pigeat referre, digna enim prorsus sunt Principis memoria: *Quoniam*, inquit, *Auscultatores, & Exploratores habere te oportet, quorum opera omnes Imperii tui res cognoscas, ne quid custodia aut emendatione indigens te fallere possit, memento non omnia statim, quæ ab his referuntur credenda, sed diligentem considerationem adhibendam esse: permulti enim eorum, vel odio aliorum, utpote bona eorum affectantes, vel in gratiam quorundam, vel irati ob postulatam, & non acceptam pecuniam, falso crimine seditionis tentatæ, aut contra Imperatorem alicujus facti, vel dicti improbi eos onerant. Ideoq; non temerè fides eis est adhibenda, sed omnia accuratè examinanda. Quòd si enim tardiùs fidem adhibueris: nullo tuo magno id fiet damno, festinando autem fieri potest, ut peccatum aliquod irreparabile admittas.* Hæc Dio: cujus sententia firmari potest exemplo. *Lib. 52.* Mecœnatis opinio de Delatorib⁹.

VIII. MARGARETHÆ Henrici VI. Anglorum Regis, quæ cùm æmulorum falsis delationibus præproperè credidisset, ac HUMFREDUM Glocestriensem Ducem, virum optimum, regni administratione submotum, & in vincula *Polyd. l. 24.*

 conje-

conjectum indicta causa strangulari permisisset, haud multò post ab *Eduardo IV.* maritus ejus captus, filius optimæ indolis, & magnæ exspectationis trucidatus, ipsa in exilium ejecta, innocenti sanguini pœnas dedit.

IX. Prudentiori multo consilio *Henricus IV.* Galliæ Rex non ita diu nefario scelere ab impio parricida malis furiis agitato, interemptus, cui cùm delati essent nobiles & spectabiles viri de *Chaseul*, & *du Bourg*, quasi eum ex insidiis adoriri statissent, ejusmodi delationes tanquam ab æmulis confictas, qui ægrè tulerant eos sibi anteferri in expeditione Subaudica, sprevit, contempsitque. Quinimmò, cùm cerneret, (quæ singularis erat humanitas & prudentia) eos angi animis, & discruciari falso illo accusationis objecto, erexit eos, solatusque est allocutione hac:

*Pet. Matth. tom. 1. Hist.*

*Bono estote animo: Nam, quæ de vobis ad me delata sunt, equidem tam falsa judico, quàm quæ falsissima. Et quò videatis ita sentire meque sinistræ opinioni non indulgere, agedum in tantæ calumniæ suspectos inquirite, & proferte, quæstionem animadversionemque citam deprehendetis, quin potius pergite in legendo milite, & herclè videbitis graviùs eos livore interno plecti, atque si atrocissima pœna admoneantur.*

Qua in re maximum præbuit magnus Rex acerrimi sui judicii argumentum. Quippe qui nescius non erat eam esse occultorum hostium vafritiem, ut quò ministrorum manustrenuorum opera Reges priventur, falsò eos criminentur.

Ita FRANCISCUS SFORTIA cupiens ab ALPHONSO Rege TROILUM & PETRUM Bruniorum præclari, & inclyti nominis Duces avellere, epistolam ad eos conscripsit, seu potius finxit, in cujus extremo monebat, ut nulla interjecta mora quod pepigissent, strenuè & ocyssimè præstarent, quibus litteris compositò ad Regem, qui forsan alicunde suspicionem de ipsis animo conceperat, delatis, in custodiam ambo rapti sunt, missique Cataloniam, unde præclarissimorum militum opera destituto Rege, consilium hostis ex voto successit.

Quid si probentur delationes quis tum Judex?

Atque hactenus ut credendum Delatoribus. Quid verò, si vera referant? dixi, facinus ocyus exsequendum. Quis Judex? Princeps, an alii? Verius est, ut alii: ne jus in re propria dicere videatur.

*Q. Curt.*

I. Docuit *Alex. Magnus*: qui aliis reliquit cognitionem criminis læsæ Majestatis, de quo, *Callisthenes*, aliique accusabantur.

*Dio 52.*

II. Et magnus ille *Mecœnas*, qui Augusto Cæsari auctor fuit, ut insidiatorum causas cognitioni Senatus relinqueret.

*Lib. 5 de Rep*

III. Hinc superiori ætate LUDOVICUS XI. Galliæ Rex sententiam in PETRUM NAUCLERUM Britanniæ, & THOMAM Flandriæ Comites læsæ Majestatis Reos ferre noluit, teste Ioanne Bod.

*P. Matth.*

IV. Quemadmodum nec nostra tempestate HENRICUS IV. etiam Gal-

liæ

liæ cognitor esse voluit criminis læsæ Majestatis, cujus insimulabatur Dux Birronius.

V. Ut nec ante illos PHILIPPUS cognomento Longus caussæ *Roberti* Comitis Flandriæ, rei quoque læsæ Majestatis, judicem se præbuit: ab eadem cum cæteris ratione, ne causæ propriæ Iudex videretur. Immò legimus in horum causis, Placita Parium Curiæ, non Regis nomine lata, etsi alioqui in judicio præsentis. Placiti formula ejusmodi est: *Nos pares Franciæ ad requestam, & mandatum Regis, venimus in suam Curiam Parisios, & tenuimus Curiam cum aliis viginti duobus personis, &c.* v. Bod. 4. de Repu. c. 6.

Sed an semper jure, & judiciorum formulis utendum? Distinguendum: ut si in seditiosa & turbulenta Repub. Princeps verseur, vel alias via ordinaria illi damno sit futura, nullus sit servandus judiciarius ordo: hactenus tamen, si notorium sit crimen & manifestum. An aliquãdo indicta causa puniri possint?

Ita TITUS Cæsar *Cecinnam virum Consularem ad cœnam vocatum, & vixdum triclinium* (verba Suetonii) *ingressum confodi jussit: utpote urgente discrimine, cùm etiam Chirographum ejus præparatæ apu milites conjurationis deprehendisset.* Cap. 6.

Quâ vindictæ quoq; specie usum esse *Alex. Magnum* adversus familiarẽ suum Parmenionem, & multos alios egregios bello viros, & tot gentiam secum domitores, quos indicta causa occidisse legimus: quam tamen vindictam alios imitari nolim, utpote perfidiæ pœnis obnoxiam. Q. Curt. l. 3.

At, quid si etiam pacata in Repub. Princeps verseur? longè quidem consultiùs est, ut judiciorum formulæ serventur: ut in Silano TIBERIUS Cæsar, de quo Tacitus: *Non quidem sibi ignara, quæ de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum.* Annal. 3.

Atque ita vindictam juris ordine servato sumat necesse est: modo tamen conditio temporum patiatur.

Nam quemadmodum Medici certis temporum intervallis, scilicet propter caloris vel frigoris excessum, ægrotis catapotia non præbent, ita publicarum rerum curatores, certis temporum interstitiis abstinere debent à morborum civilium curatione.

I. Sic JULIANUS Imperator, cùm multa falsè & procaciter in se dicta, nonnullis hircum illum appellantibus (utpote barbam præ se ferentem hircinam) aliis Victimarium, propter crebritatem hostiarum quas Diis immolabat, aliis Idolianum, & Tauricremum, aliis purpuratam simiam; aliis loquacem talpam nuncupantibus, plurimaque alia contumeliosè in se dicta animadverteret, coactus fuit dissimulare pro tempore, tametsi non mediocri ira interius inflammaretur. Ammi. l. 22

*Ex Dione 37 & Salluſt. Catil.*

II. Hac ratione non fuit de *M. Craſſo*, tametſi inter ſocios conſpirationis Catilinariæ, ſumpta vindicta: quòd ejus morte, utpote viri primarii, plus turbarum in Repub. ſuſcitaretur.

*3. Reg. 2.*

III. Ne multis: Regius Propheta DAVID, ne pacem regni ſui turbaret, cum JOABO, qui ABNERUM & AMASAM (magnos, & potentes Principes) interfecerat, connivendum putavit. Nam JOABUS caſtrorum Dux erat, plurium affinium atque amicorum præſidio munitus, ejuſque opera tunc temporis Rex egebat.

Itaque SALOMONI filio mandavit, ut de eo pœnas ſumeret, cùm neque tam potens eſſet, neque ſeditionum metus impenderet: quod etiam à Salomone factum eſt.

Nocentibus ſupplicia repræſentanda.

Aliàs, ſupplicia nocentibus repræſentanda, nam qui veterem fert iniuriam, ut dicitur novam irritat.

*Lib. 5.*

Ideò prudenter admodum ſcriptor hiſtoriæ Byzantinæ dixit: *Oportere eos, qui citra periculum velint vivere, antevertere, & occurere malis impendentibus; & ſi in præſentia creſcentis plantæ radicem facilè præcidere poſſis, non eſſe tamen cunctandum, neque exſpectandum, ut acceptam injuriam cum periculo ulciſcaris, cùm adverſarii malè cogitantis conatus opprimere liceat*, hactenus Grægoras. Demus, quod ſub manu eſt, exemplum.

*Ex Cuſpiã.*

I. *Berengario* Regi ſtruebant inſidias per *Flambertum*, gratia alioqui apud eum potentem, Veronenſes. De qua re certior factus Rex, Flambertum advocat, & pro ſupplicio, præmium ei proponit, ratus hoc pacto hominis animum placatum iri, ſibique devinctum. Itaque jubet generoſum vinum aureo poculo infundi, eique propinari: *Bibe*, inquit, *amorem dilue rancorem, ac aureum iſtud poculum ob noſtri amorem tibi: ac tuis ſerva.* At nihilò ſedatior *Flambertus*, coquit iram, & æſtuat innocentem Regem tollere. Is conſuerat ad galli cantum plerumque ſurgere, ac templum petere, ibique laudes Deo dicere. Igitur conjurat ſcelus in optimum Regem, & aſſumptis ſociis, noctu templum petentem ex inſidiis invadit, & romphæa occidit. ô facinus infandum! Notent ergò Principes ut è veſtigio tollant talia monſtra, prorſus facta ad necem & interitum Principum, & Rerumpublicarum.

*Zenocarus l. 5. Caroli.*

II. Admodum itaque ſignificanter *Carolus V.* Imp. identidem inquiebat, ut idē Sol ceram liquefacit, & lutum indurat, ita eandem Regis clementiam alios reddere meliores, alios ingratiores, & nequiores.

Proindè, ut in omnibus actionibus prudentiæ, occaſio eſt conſideranda, ita etiam in iſtis animadverſionibus cōditio temporum, perſonarum, regionum maximè attendenda eſt. Itaque utendum eventu, ne intempeſtivis remediis delicta accendantur.

At, quid

At, quid ſi in hanc furoris amentiam devenerint Principis affines aut conſanguinei, an pari jure cum cæteris tractandi, coërcendi, & mox extinguendi? negat Auctor libro de Republica, qui ſcribit, nihil perinde Galliæ Reges ſecuros atque indemnes conſervaſſe, quàm clementia, quâ uſi fuêre erga Principes ſanguine junctos, tametſi inter reos relatos, adeoque damnatos crimine læſæ Majeſtatis.

*Quid ſi delati Principum conſanguinei.*

I. Ita Joanni II. Duci Alenſonio jam convicto atque damnato ignovit Carolus VIII Rex, ſeriò prohibens, ne exſequeretur. Multi quidem hanc manſuetudinem, ceu Principi damnoſam ac pernicioſam damnarunt, verùm non ſatis iſti conſiderarunt Principem, qui conſanguineos in manus carnificum conjicit, vel clam tolli præcipit, ſicam in ſe acuere atque fabricare, namque ſatis conſtat veteres & novitios Imperatores Orientis, & non paucos Hiſpaniæ & Angliæ Reges, qui amicorum ſanguine manus ſibi commacularunt, violento ac cruento fato poſtea periiſſe. Aliter atque boni Principes: in quibus David Rex Hebræus qui licet à Socero Saule mirum quantum exagitatus eſſet, tamen inclamat: *Nunquid ſupereſt de domo Saul, ut faciam cum eo miſericordiam Dei?*

*Ex Annal. Belleforeſt.*

*3. Reg. 9.*

Extra conſanguineos cæteros puniat, quamvis nobiles, quamvis potentes, quãvis bene de Rep. meritos: neque enim delictum excuſandum dignitate, vel magnis in Remp. meritis, imò potius aggravatur delictum.

*l. 1. Cubi Senat. vel clar l. null⁹ C. ad l. Iul. maieſt Tira. de pœnis cauſ. 31.*

Hinc apud Rom. M. MANILIUS, unde Gallos depulerat, inde ipſe præcipitatus eſt: quia fortiter defenſam libertatem nefariè opprimere conatus fuerat. Cuius juſtæ ultionis nimirum hæc præfatio fuit: *Manlius eras mihi, cùm præcipites agebas Senones: poſtquam mutari cœpiſti, unus factus es ex Senonibus.*

*Val. Max. 6. cap. 3.*

Verum, in puniendo duplex proviſio eſt adhibenda. *Prior*, ut indicia, & Confeſſiones damnatorum palam faciat: adque ad alios Principes tranſmittat: Quid ita? primò, ne ob invidiam, vel metum claros viros extinxiſſe videatur? Deinde, ne alii Principes eos qui in reos relati ſunt, in præſidium ſuæ fidei recipiant.

*Cautio duplex in puniendo.*

I. Ita *Octavius Farneſius*, celebratæ memoriæ Dux Placentiæ & Parmæ, totius conjurationis *Landanorum*, & conſciorum ſeriem, Europæ Principibus viſendã permiſit, idque cum elogiis, teſtimoniis, & confeſſione uniuſcujuſque conjuratorum.

*An. Scotus in Cõment. in Tacit.*

II. Neque aliter ſe noſtra memoria geſſit HENRICUS IV. Galliæ Rex, in conſpiratione in eum conflata per Ducem *Birronium*, alioſque conjurationis ſocios.

*Anno 1602.*

*Altera*, ut capita tantum conjurationis tollat.

I. *Auguſti* exemplo, qui affectis ſupplicio aliquot conjuratis, reliquis pepercit: atque adeò ipſi *Cinnæ*, quem dimiſſum ſummis etiam honoribus & beneficiis variè

variè exornavit, devinxitque. Cùm enim *Cinna* capitalem sententiam, ac supplicium exspectaret, hac oratione adversus eum usus est: *Vitam tibi Cinna*, inquit, *iterum do: prius hosti, nunc insidiatori, & parricidæ. Ex hodierno die amicitia inter nos incipiat, contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas.*

Sueton.

II. Ita *Trajanus* Imp. *Licinii Suræ* domum ingressus est, & cum eo pransus, tametsi inter reos conjurationis delatus, imò creavit illum Consulem, monuitque ne porrò Imperium affectaret, quod fato dari solet.

Plin.

III. Nero exorta Puteolis seditione plebem inter & magistratum, eaque tam grandi, ut *ad saxa & minas ignium progressa, necem & arma pelliceret, C. Cassium adhibendo remedio delegit, imò fratres Scribonios data cohorte Prætoria: cujus terrore, & paucorum supplicio, rediit opidanis concordia.*

Tacit. lib. 13 Annal.

IV. *Blæsus* cùm seditiosos affici verberibus & claudi carcere jussisset, flagrantiorem inde vim fecit, & plures seditioni Duces: Drusus contra primùm seditiosos dissociavit, quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatus est, & amor obsequii rediit.

Tac. ann. 15.

V. Æque prudenti consilio *Valens* Imp. Batavos tumultuantes in officio continuit *animadversionem paucorum.*

Id. 1. Hist.

VI. Dux Farnesius de quo paulò supra, paucis ante ejus obitum annis, conjuratione in eum exorta, quamvis multi accusarentur, noluit in omnes inquirere, sed solùm confessos & convictos puniri permisit, cæteros silentio oblitterari.

Ann. Scotus in 1. Annal. Taciti.

Atque id quidem providè.

Etenim imprudenter faciunt Princpes, qui post detectam in se conspirationem aut seditionem popularem, non contenti sunt in auctores animadvertere, sed ultra, ab abdictis supplicio, correos perquirunt.

VII. Qua in re eundem Neronem pristinæ suæ sagacitatis immemorem, graviter offendisse, Tacitus scribit: utpote qui detecta in sui exitium conjuratione, omnes quæstionibus ac tormentis conjurationis conscios exquisivit, per quæ nihil aliud effecit, nisi quòd accusari viderit, ac referri inter reos plurimos sibi cójunctissimos, quos omnes æqua lance mortis supplicio condemnare debuit: quæ severitas postea in causa fuit, ut pleræque legiones ac provinciæ pene omnes ab eo deficerent, qua de re idem Cornelius Tacitus, si lubet, videatur; & quæ supra scripsimus cap. 2.

Lib. 14. An.

CAPUT

# CAPUT X.

## *Effugient insuper Principes periculum Insidiarum, si seditiones populares quantocyus tollant.*

EXcitantur seditiones illæ plerumque ideò *quod pauperes diffideant à ditioribus*, inquit Dio. Halicar. *& tenues ab Illustribus, quorum illi potentiam ægris oculis intueri solent*: quò fit ut pertæsi sortis suæ, varia excogitent & moliantur, quibus allecti spe melioris conditionis, damno tandem potentiorum queant emergere. *Lib. 6.*

Huic itaque malo (quod magnis Civitatibus exitiosum est) quibus remediis occurrant Principes, paucis dicendum. *Tacit. 1. Hist.*

Imprimis præcaveant, ne seditiones morâ adolescant: *Nihil* enim *in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consilio opus est.* Præsertim ubi Monarchiæ mixta est Democratia: in qua ex facili excitantur seditiones.

Itaque: *Stat. lib. 5.*

*——— primo in limine siste*
*Conatus scelerum atque animos infanda parantes.*

*Omne* enim *malum nascens facile opprimitur, inveteratum, fit plerumque robustius.* *Cic. Philipp.*

Causa ejus rei duplex: quod longiore morâ plures quadam veluti contagione inficiantur: & pauculi illi auctores seditionis eò audentiores redduntur, quo se vident à pluribus asseclis coli.

*Optimum* itaque est *inimicitiarum & ambitiosorum certaminum fomitem statim rescindere; imò nec nomina nova, aut aliud quippiam ex quo dissidia oriri possint ipsis permittere.* *Mœce. apud Dio. lib. 52.*

II. Ne lateat Principem quid quisquam subditorum faciat, dicatque, *Plerique* enim *libertatem & speciosa nomina, ut vidimus, prætexunt, ac præferunt.* *Tac. 4. Hist.* Unde habeat necesse est κατασκόπους, corycæos inquam, *qui dicta, opinionesque persentiscant, & auscultent, an conventicula ineant, cum suspectis commercia habeant, denique quid rei uspiam gerant, fideliter referant.* *Arist. 5. Pol.* Bene Anthemius Imperator. *Grandis est cautio adversarii animum cognovisse: nam hostem protinus sensisse, superasse est.* *Apud Baro. Tom. 6.*

III. Mittat viros graves, *quibus mulcendi vulgum artes & auctoritas adsit.* Neque enim par est Principem tumultuanti plebi se ingerere, *neque se periculis obnoxium reddere.* *Taci. 3. Hist. Id. 1. Histo.*

 IV. Quod

*Liv.lib.28.* IV. Quod si ablegati luserint operam, fortioribus utatur remediis, sed lenioribus & parcioribus, satis sit, *si nefariæ seditionis auctores sanguine luant, quod admiserunt*: æquum est, ut *unde culpa exorta est, ibi pœna consistat*: vel sensu Poëtæ:

*——————Ignoscere pulchrum*
*Iam misero, pœnæq; genus vidisse precantem.*

*Tac.4.Hist.* V. Serenda potius inter seditiosos diffidia, quàm sævitia utendum: ita *tutissimo hoc remedio consensus multitudinis extenuabitur.*

Itaq; cohærentes præcipuorum animos distrahe, & à se invicem divelle. Quid ita? quia ut Poëta Græcus inquit:

Συφερτὴ ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.
*Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.*

*Tac. Agric.* VI. Alienigenas etiam & Hæreticos fomitem præbere seditionum haud dubium est. Non enim fide, non affectu tenentur, quod de advenis ostendit Arist. *5.Polit.c.3.* dum inquit, *quotquot advenas receperunt ferè seditionibus esse jactatos.* De Hæreticis quid clarius? *Raban.* *Fierine potest, ut sint inter eos jura pacis, inter quos est bellum fidei?* ergò exterminandi, aut potius non admittendi, ut diximus libro primo, capite quinto.

VII. Tollat itaque Princeps, aut quisquis imperitæ multitudini dominatur, seditiones illas populares dum adhuc in herba sunt, ut diximus, neque ullatenus succrescere patiatur:

Siquidem:

*Senec.Thye.* *Serum est cavendi tempus in mediis malis*
*Philoc apud Sophoclem.* *——————Extra damna qui pedes habet*
*Quæ ingruere possunt prospicere debet mala.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

*Cap.11.* I. Diximus in Aphorismis seditiones inter plebeculas exoriri spe melioris cōditionis. Et mecum Aristoteles lib. 4. de Republica, qui scribit eum Civitatis statum optimum esse, in qua cives sunt mediocri fortuna præditi, eò quod ejusmodi Civitates minùs sunt obnoxiæ seditionibus, nihil enim magis ad seditionem impelli animos pauperum constat, quàm spes lætioris fortunæ, juxta Emblema Alciati:

*Anguillas quisquis captat, si limpida verrat*
*Flumina, si illimes ausit adire lacus,*
*Cassus erit, ludetq; operam; multùm excitet ergo*
*Si creta, & vitreas palmula turbat aquas,*

*Dives*

*Dives erit, sic iis Respublica turbida lucro est*
*Qui pace, arctati legibus, esuriunt.*

II. Ita CATILINA seditiosus ille Romanus, cui certum erat Rempubl. Romanam perdere, eorum maximè uti voluit opera, *quorum domi aflicta erat res*, ut veridicus scriptor inquit, *homini enim potentiam quærenti, egentissimi quique ac temerarii opportunissimi sunt: quòd odio suarum mutare omnia studeant*, id quod extraneis exemplis nobis minùs est probandum, quibus domestica suppetunt satis. *Sallustius.*

Gandavenses tamen memorandi, quorum status sæpius eversus fuit ob temeritatem quorundam audacium qui plebem res futuras nullo modo prospicientem, præsentes parum cernentem concitabant, obtendentes boni publici, & privilegiorum ac immunitatum defensionis studium, & sese Principum immoderatis cupiditatibus opponere jactantes: quamvis hæc falsò prætexerent; cùm potius rebellionem longè graviorem & intolerabiliorem ut nonnulli volunt invehere conarentur. Jacobus & Philippus Artevellius nescio qui, ambo artifices, plures ducentis millibus in perniciem illo pacto ceu cæcias nubes attraxerunt. Ita plerumque evenit ut seditiones ejusmodi à paucis turbulentis iisque egenis & nullius pretii hominibus commoveantur. Nam ut anguillæ haud fermè capiuntur stagno nisi turbato; ita homines obscuri & audaces quorum res domestica accisa est, emergere haud possunt, nisi Republica turbata & commota, & tales conantur auram popularem, illiusque studium (quod est tyrannidi longè nocentius) aucupari. *Frossar. l. 2.*

III. Tollenda ergò quamprimùm seditionum exordia. Nam sæpe modicis remediis primi motus consedere, moraque semper damnosa est, præsertim cùm accedunt odia, & partes factionibus armantur;

Appositè alludit Ovidius: *Lib. 1. de Reman.*

*Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,*
*Quo posita est primum tempore, virga fuit.*
*Tunc poteras manibus summa tellure evelli,*
*Nunc stat in immensum viribus aucta suis,*

IV. Hoc satis & super magnus HENRICUS IV. Galliæ Rex consideravit. Nam cùm inaudisset Pictones variis in locis seditiones agitare ob grandia vectigalia, iter mox ad eos suscepit, effecitque ut omnes motus sua solius præsentia sopirentur. *Pet. Matth.*

V. Diximus insuper, ùt *exorta seditione mittantur viri graves & eloquentes*. Ita *M. Popilius* Consul Romanus, cùm sacrificium publicum cum Lenâ faceret, erat enim flamen Carmentalis, plebis coram patre concitatione nuntiata, ut erat Lena amictus, ita venit in concionem seditionemque & sua auctoritate, & oratione sedavit. *Apud Virg. 2. Æneid.*

VI. Amplius, *Corycæos* habendos *qui dicta factaque auscultent* in Aphorismis diximus: nam Alexandrum Magnum legimus nonnullos misisse, quò per literas suorum qui in Macedoniam scripsissent, arcana rimaretur: quod hodiernis temporibus nimiopere frequentatur.

*Polyæn. l.4.*

VII. Notandum quoque, si per ablegatos nequidquam Princeps effecerit ad acriora remedia recurrendum, & in auctores seditionis tantum sæviendum, testor Valerium Levinum apud Livium, cujus verba audiamus: *Quoniam auctores defectionis meritas pœnas à Diis immortalibus & à vobis habent P. C. quid placet de innoxia multitudine fieri? Tandem ignotum est.* Ita I. Cæsar capita seditionum è medio tollebat. Alexander contentus fuit coërcitione tredecim militum seditiosorum, & rursum apud Livium *Attella Colatiaque in deditionem accepta: ibi quoque in eos qui capita rerum erant animadversum.* Et iterum in illa deditione, quam idem Livius memorat: *Certabatur utrū in auctores tantum seditionis xxxv. animadvertetur, an plurium supplicio vindicanda defectio magis esset: vicit sententia lenior, ut unde culpa orta esset, ibi pœna consisteret. Ad multitudinis castigationē satis esse, quàm in ultionem & castigationem propendere, pronusq; magis sit in donando, quàm abnuendo.*

*Lib.26.* *Curt.* *Lib.26.* Capita tātùm seditionum plectenda.

VIII. Insuper notavimus in Aphorismis *cavendum ab alienigenis & hæreticis.* Alienigenas esse plerumque fomites seditionum scriptum reliquit Aristoteles. Quemadmodum cùm Troezenii cum Achæis unà Sibarim incoluerunt; nam postea in majorem numerum crescentes Achæi Troezenos pepulerunt. Ita Apolloniatæ Ponti incolæ seditionibus ab exteris agitati sunt. Hæreticos autem nihil nō moliri ut popellum adversus suos Principes commoveant, luce meridiana clarius est, idque experientia docet: Rosas enim illi loquuntur, & cum Psalmographo: *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Si blandiloquio haud quicquam efficere possint; aperto Marte suos Principes aggrediuntur. Unde in libello contra Turcas negat Lutherus, *Cæsarem caput esse Reipubl. Christianæ, & defensorem Evangelii, aut fidei. Oportere sanè Ecclesiam alium habere defensorem, quàm sint Imperator, & Reges, eos namq; esse pessimos hostes Christianismi & fidei.* Quid de Calvino? is eodem vecordiæ œstro inflammatus, sic inquit: *Hodie ut ferè Reges omnes fatui sunt & bruti, ita etiam sunt quasi equi & asini brutorum animalium*: additque *si Reges & Principes nolint Deo parere & suam sequi religionem, subditos solutos esse lege obedientiæ, ipsisque licitum in illos insurgere.* Cujus sententiæ plura cumulavi exempla in mea Parænisi ad Hæreticos, ubi videbitur qui deterrimi isti Hæresiarchæ Cæsarem, Reges, Principes, quâ sacros, quâ profanos convitiis lacesciverint: ut nihil verius de ipsis dici possit, quàm illud Judæ Apostoli, *Dominationem spernunt:* vel ut legit S. Hieronymus *Dominationes despiciunt*, concitando nimirum plebeculam in Principes, apud quam miris artificiis eos in invidiam vocare satagunt, ut tandem acephali, religione per seditio-

Cavendum ab exteris, & hæreticis. *Lib.5. Polit.* *Psalm.27.* *In cap.5. Daniel.* *Cap.5.* *2. Epist. c.2.*

nes

nes exterminata in omni libertate vivant, bonaque Catholicorum surripiant. Conspiciamus Angliam: Ubi nunc Archiepiscopatus Cantuariensis? ubi Wintoniensis? ubi Eliensis? ubi Abbatia Westimonasteriensis Regum sepulchris destinata? Ubi in Germania tot centena quâ Regularium, quâ sæcularium Ecclesiasticorum domicilia? Ubi in Scotia, Dania, Suevia, Batavia, tot præclara cœnobia?

IX. Abeant ergò procul à cœtu hominum malovoli & maledici hæretici; quos Princeps, in tempore exiget, aut potiùs non admittet, exortasque per illos seditiones vestigio tollet, ne morâ libertatem, quam nusquam non crepant, excussa obedientia usurpent, & vicini fortè potentes dominatu potiantur; ut olim Vestones, Livones, Fimingi, Curetes, Ulmenugi, aliæque potentes gentes ausæ fuerunt Gothorum, magnitudinem domestica seditione labefactatam, continuis bellis impugnare. Equidem præsentissimum ruinæ, & excidii cujuslibet Reip. vel Civitatis indicium esse autumo, ubi talia dissidia exoriuntur & mecum Sallustius: *Ego, inquit, sic existimo, quoniam orta omnia intereunt; quâ tempestate Vrbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conserturos: ita defessos & exangues Regi, aut nationi prædæ futuros.* *Olaus Mag. Hist. Goth* *De Rep. ord. ad Cæs.*

Nihil veriùs. Ut Hespero exoriente nox præcipitat; ita ubi dissidia, mox calamitatem & mutationem Reipublicæ præ foribus certò credas.

Ideoque cum eodem Sallustio censeo, *Firmanda esse Concordia bona, & discordia mala expellenda. Id ita eveniet, si rapinarum licentiam dempseris, non ad vetera instituta revocans, quæ jam pridem corruptis moribus ludibrio sunt.* Non tam gutta guttæ, quàm nostra sunt istis similia tempora. Periculum ex aliis faciamus, quod nobis ex usu sit, cæteroqui cum Isaia vaticinabor: *Pugnabit iterum vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, Civitas contra Civitatem*: quod proximè vidimus. heu posteri! negabitis fidem. Attendite, si rursum redeat dissensionis genium, certò non arbitrariò dico ruinam habebitis, aut certè status mutationem. quæ si eveniat, accepto referenda erit nonnullis hæreticis, qui turbas, qui seditiones, qui cætus noxios amant ac quærunt, & ut Cæcias ille calamitosas nobis attrahunt nubes. Prospiciamus itaque, atque amemus unitatem, & timeamus separationem. *De Rep. ord. Cap. 19.*

Majores nostri in hoc sibi caverunt dum sarctam, & tectam Religionem avitam Catholicam in hac Civitate studiosè conservarunt. quinimò icto inter se fœdere, jurejurando adstrictos fuisse de tuendâ adversus sectarios fide satis superque constat. Nam ad nostra usque tempora pervenit antiquissimus & laudatissimus ille usus, quo tota Ballistarum civium societas, finitâ supplicatione diei festi Venerabilis Sacramenti in prisco Ecclesiæ Leodiensis choro, præsentibus ibidem Præposito, Decano, Scholastico, aliisque Illustribus istius Ecclesiæ Cathedra- Zelus Leodiensiũ erga fidẽ Catholicam.

thedralis Canonicis, hanc jurandi formulam maximo cum zelo emittit : *Nous jurons que les armes qu'avons és mains, & pouvons avoir ailleurs, sont appertenantes à nous, & que les emploierons en toutes occurrences où besoin sera à l'honneur de Dieu, & pour la conservation & defense de la Religion Catholique, Apostolique, & Romaine, pour le service de S.A.Serenissime nostre Prince, du Venerable Chapitre, & de ceste Cité de Liege, & promettons retourner l'an qui vient cestuy mesme jour, & en ce me mesme lieu pour prester & faire le mesme serment : Ainsi nous ayde Dieu, & tous les Saincts de Paradis.* Enimverò ô Cives! quamdiu reipsa uniti inter nos erimus, fidemque avitam jam à S. MATERNO S. PETRI discipulo continua serie ad nos derivatam servabimus, DEUS & Sancti nostri tutelares nos haud dubiè adversus eos tuebuntur qui malas nobis sutelas ac fraudes contexunt. Simus ergò cum Apostolo *sollicitè servare Unitatem Spiritus in vinculo Pacis, unum Corpus, & unus Spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

*Ephes. 4.*

---

## CAPUT XI.

*Principes quoque declinabunt Coniurationes* CUSTODIA; *si corpus milite muniant : animum autem* DIFFIDENTIA, *atque* DISSIMULATIONE.

*Lib.3.Polit.* PRORSUS verè scribit Stagirites, rationi consentaneum esse, Principem præsidium aliquod habere, tùm ut subditos possit in officio continere, tùm ut munitus sit contra apertam vim, occultasque insidias perditorum & seditiosorum subditorum. Etenim quis non sciat, *maximæ potestatis viros, quique communem hominum sortem excellunt, æmulationi, invidiæque aliorum obnoxios esse?* non historicus Patavinus, qui idcircò in re nostra scribit, *Majestatem nunquam sine viribus tutam.*

*Dio lib.38.* *Livius 2.* *Curtius 9.*

*Livius 2.* Verè, nam,

*Regum exitus si reputaverimus, plures à suis, quàm ab hostibus interemptos reperiemus.*

*Senec.1 de Clem.*

Ideoque cùm *periculosum sit in tot humanis erroribus, sola innocentia vivere*, Stipatores habeat necesse est, *qui somnum ejus nocturnis excubiis muniant, latera objecti, circumfusique defendant, incurrentibus periculis sese opponant.*

Nec tantùm in Principe *Custodiam* pono, sed & *Diffidentiam* utiliter propono atque

atque *Dissimulationem*. Cùm enim *fraudis, atque insidiarum, & perfidiæ plena sint omnia*, raròque invenias, cui cor idem sit, eademque facies, necessariò ejusmodi cautio assumenda, per quam valeat occulta insidiarum vitare. Devitabit autem *Diffidentia* atque *Dissimulatione*. Illa parum credere, & multa cavere jubet. rectè: nam, si ubique apertus, candidus, & incautus, nimium quantum fraudibus erit obnoxius: *Q. Cic. de Petit. Cons.* *Eurip.*

Σώφρονος δ' ἀπιστίας οὐκ ἐστιν ἄλλον χρησιμώτερον βροτοῖς:

*Sapiente diffidentia non alias res utilior mortalibus.*

Enimverò, juxta illud Sophocleum: *Apud Plut. in Artax.*

Ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ:

*Persuasio magnum ad malum ducit cita.*

Siquidem, *Sen. Oedip. act. 3.*

*aditum nocendi perfido præstat fides.*

Theognidi de se querenti, an sibi gratulanti crede:

*Res mihi fracta fide, res diffidendo retenta.*

Quare Ἐπιχάρμειον illud teneto: *Nervos atque artus sapientiæ, non temerè credere.* ——— *Est tamen utrumque in vitio, & omnibus credere, & nulli.* *Q. Cic. de Petit. Cons.* *Sen. epist. 3.*

Diffidentiæ assidet *Dissimulatio*. Illa est, quæ *frontem aperit, mentem tegit*. Quæ nec indecora Principi, si magno magni Regis suasori credimus, dum inquit: *simulare, cum tempus postulat, haud dedecet Regem.* *M. Cic. pro Planc.* *Isocrat. ad Nicoclem.*

At cavendum, ne pelluceat *Simulatio*: sed sit, ut Philosophus inquit, ἄνευ ἀβελτηρίας: *absque stultitia*, id est, *callida, & astuta.* ——— *Non enim est rectus & constans Iudex* (aut Princeps) *cujus animum vultus detegit.* *Lib. Polit. 5. cap. 11.* *L. 19. ff. de off. Præsid.*

Deinde, ut in publicis tantum negotiis admittatur, aliter atque in privata vita: de qua simulatio omnis averruncanda. Nam in publicis rebus, quin *utilis simulatio in tempore assumi* possit, nemo negabit: imò divinos quosdam viros quondam assumpsisse, non abnuit vir planè divinus. *D. Hieron. c. Vtilem. 22. quæst. 2.*

Enimverò, *nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est Respublica, qui ut ad effectum consiliorum suorum veniant, multa simulent oportet inviti, & dissimulent cum dolore.* Appositè D. Gregorius: *Hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare.* *Cic. pro Mil.* *Id. lib. 9. Ep.* *Lib. 10. Mor. cap. 27.*

EXEM-

## *EXEMPLA cum NOTIS.*

TEstor imprimis magnum illum Cæsarem AUGUSTUM, qui tametsi urbem Romam, Italiam, ipsum denique Imperium variis magnisque beneficiis demeritus esset, haud minus tamen mille fraudibus, mille insidiis perditorum &abjectissimorum hominum, vel in privatis parietibus obnoxius fuit: insuper quâ re cum apud *Liviam* uxorem quæreretur? probe ac prudenter illa respondit, spem primam in satellitio, & præsidio esse ponendam. *Perniciem*, inquit, *tibi creari, neque mirum est, neque ab humana sorte alienum; multa, ut in tanto imperio agenti, multosque offendenti. Nimirum fieri non potest ut Princeps omnibus placeat, & ne vel justissimè regens permultorum in odia incurrat, &c. Itaque nobis caveamus necesse est; Sunt multi milites nobis, quorum alii hostibus opponantur, alii te stipent ac te custodiant, ac domi, forisque securitatem nobis præstent.* Cui Augustus: *Multos sæpenumerò à suis interfectos esse verbis opus non habet. Nam inter cætera hoc difficillimum est in Imperio, quòd non reliquorum more tantum ab hostibus nobis, sed ab amicis quoque timemus, quodq; multò plures ab his, quàm ab alienis perniciem invenerunt. Dies enim noctesque adsunt; nudis etiam ac dormientibus, & cibum, potumque ministrant: contra hostes quidem, amicos opponere licet; contra hos, nullum est auxilium. Ita semper nobis; & solitudo est gravis, & hominum frequentia: vacare custodia, periculosum, periculosissimum, esse inter stipatores hostes molesti: molestiores amici, quos ut etiam bonos quis nanciscatur, nunquam tamen tantum eis fidei tribuere potest, ut cum eis puro, curisque & suspicionibus vacuo corde conversetur.*

Ex Dio l. 55.

Livia Augusta marito Stipatores proponit.

Idem lib. 52.

Hæc ille.

Vicit tamen LIVIÆ sententia, atque adeò MOECENATIS, qui illum quoque eodem impulit, & porrò auctor fuit, ut duos Equites satellitio præficeret, qui in omnes nedum stipatores, sed per totam Italiam, milites jus ac potestatem haberent.

*Tranquill. cap. 10.*

II. Augusti institutum cùm alii, tùm Imp. GALBA secutus est, nam sub initium principatus, *delegit Equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasq; circa cubiculum suum, vice militum, agerent.* Hanc porrò militum stationem non immeritò, *Vim dominationis*, appellat Tranquillus.

*Herod.*

III. Ita consultè *Dejoces* post sibi à Medis delatum regnum, priusquàm illud susciperet, voluit sibi stipatores corporis sui adjungi, quorum delectum fecit ex omnibus Medis.

IV. Plura submanu sunt, & quid opus? cùm perpauci sint è veteribus, & nostris nulli

nulli Principes potentes, qui præsidio se non muniant contra insidias perditorũ & scleratorum hominum, quorum nimium est ferax præsens ætas. Nam sicut alii, vel inculpatissimi, & innocentissimi, quique linguis obtrectatorum obnoxii sunt, (ejusmodi enim sunt hodierni mores) ita Principes, ceù iniquiore stella nati, plerumque ab nefariis quibusdam sicariis, nulla aut certa minima ex caussa, ferro excipiuntur. Quare præclarè *Sigismundus* Imper. dicente *Alberto* Austriæ Duce, suo genero, Principes amore civium tutos esse oportere: *Et fida custodia*, respondit, *infortunium excludit.* Nimirùm verè. Si enim in aperto & præsente hominum cœtu & clara luce, ut vidimus in *Henrico IV.* Galliæ Rege insidiæ quandoque exstruuntur, quantò proclivius arbitris domi remotis? Itaque benè quidam dicebat: *Amorem inermem quidem incedere, dormire autem loricatum.* Indicans Principes, si benevolentia civium floreant, nunquam tamen debere committere, ut noctu citra præsidium somnum capiant.

Porrò, in delectu stipatorum, docent Politici, & in his Arist. externos magis assumendos. Nam cùm in exercenda justitia Principes apud plerosque subditorum in invidiam vocentur, salutem suam illis committere temerarium videtur. Itaque *Monarcharum securitas* (verba Polybii) *omninò in peregrinorum militum benevolentia ac viribus consistit.* Unde fit ut plerique Europæ Principes, Helvetiis, armis virisque claris & fide spectatis utantur. Stipatores exteri sunto. 7. Polit.

I. Hinc NERONEM, *Germanos excubiis miscuisse (ut quibus magis fideret, quasi externis.* Cornelius Tacitus scribit. Lib. 11. Annal. 15.

Ad custodiam etiam referenda munitio contra venena atque toxica. Videant, ut libata pocula cibumque diligenter exploratum, prægustatumque à fidis ministris accipiant. Nullum locum, nullam regionem, nullam affinitatem, nullamque necessitudinem satis tutam esse à veneno putent. Virus quidem ac toxicum vix unquam nisi à familiaribus (ut verè notavit Franciscus Parritius) miscetur. Scitum est, quod vulgò dicitur: *Nullum regnum sine parricidio fuit:* Cavendum etiam à toxico. Lib. 7. de Regno.

Atque ut Satyricus inquit: Iuven. 10.

*——————Nulla aconita bibuntur*
*Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes*
*Gemmata.*

Unde meritò subjeci Diffidentiam assumendam. Etenim, Hinc Diffidentiam propono.

I. Princeps (sensu Lisandri) leonem & vulpem agere debet: illum ad terrefaciendum hostes; hanc verò, ad evitandas illorum insidias. Plut.

II. Ita APOLLONIUS rogatus à Babyloniæ Rege, qua ratione tuto regnare posset? *Si multos*, inquit, *honoraveris, paucis verò credideris.* nec falsus fuit vir magnus. Siquidem plerique, quibus cum Principe negotium est, tecti sunt, callidi, vafri, futiles, dolosi. Nimirum, ut piscem sine spinis, sic nec hominem facilè invenias, qui non dolosum spinosumque quiddam admixtum habeat, ut verè Architas dictitabat. Ex Philo. 1.

*Epist.* III. Rectè ergò *Quintum* fratrem monebat M. Tullius: *Paucis credendum, nec nisi iis quorum longo usu cognita tibi fides fuerit.*

Sed cum modo. Moderanda tamen esto Diffidentia. Nam *utrumque*, ut diximus, *in vitio est, & omnibus credere, & nulli.*

*Sueton.* I. *Domitianus* Imper. adeò timidus, deque aliis diffidens fuit, ut porticum in qua deambulare solebat, Phengite marmore incrustaverit, ut ei lapidis illius fulgore veluti in speculo, non minus eorum qui à tergo, quàm qui à fronte se offerrent, imagines eodem tempore repræsentarentur.

*Phil. Comi. 5. de bel. Nea* II. In eo etiam offendit LUDOVICUS XI. Galliæ Rex: quippe qui paullò antequam obiret, ita diffidentiæ indulsit, ut nulli prorsus homini fideret, omnesque insidiari sibi putaret.

*Indidem.* III. Quo animi vitio similiter infectus fuit CAROLUS VII. ejus pater. siquidem tota ægritudine, quâ decumbebat, omni prorsus cibo abstinuit, idque veneni metu, quod sibi paratum existimabat. Tales sunt instar Midæ Regis:

——— ——— *Quem falsa calumnia verbis*
*Aversum retrò, credere falsa facit.*
*Huic geminæ assistunt dextra, lævaq; puellæ*
*Consona quæ propriis nomina rebus habent:*
*Prima loco motam tenet Ignoratio mentem:*
*Altera Suspicio, credere falsa docet.*

*Q. Curt.* Tempera igitur: aut si exorbitandũ, in fiduciam magis inclina, ut *Alexander* Macedonũ Rex, *qui cùm legisset epistolam matris, quâ admonebatur, ut à veneno Philippi Medici caveret acceptam potionem non deterritus bibit, plus enim sibi de amico suo credebat.*

*Senec. 2. de Ira. 23.* *Tollenda* itaque *ex animo suspicio, & conjecturæ fallacissima irritamenta*, quod in animum inducant Principes, & quidem prudentiores: qui ita sæpiculè affecti ut neminem quemquam credant amicum, neminem syncerè benevolum: ex quo immane quantum animis discruciantur. Fugiant ergò, hæc nutrimenta afflictionum.

Deniq; Dissimulationẽ Postremò Dissimulationem attexui.

*Æn. Sylvi. 1. de reb. gest. Alphonsi.* I. Haud mediocriter amatam *Sigismundo* Imperatori, qui prudenter ac identidem ajebat, eum regnandi imperitum, qui simulare nesciret, quo innuit multa Principibus simulanda, imò magna cum molestia interdum dissimulanda.

*Orat. de Agesilai laud* II. Ita AGESILAUS prudens ille Lacedæmoniorum Dux, *sese ita assuefecerat*, (verbis Xenophontis) *ut metuens hilaris videretur, secundisq; in rebus longè timidissimus esset.*

*Lib. 57.* III. Magnus Dissimulationis architectus fuit apud Romanos *Tiberius* Cæsar, imò ingenii penè ad hoc peculiaris: *Nam neque præ se ferebat*, (ait Dio Cassius) *quæ cuperet, & sermone ab animi sui sententia diversissimo utebatur, negando quæcunq; desideraret, annuendo iis, quæ odio haberet; iratum se cùm minimè succenseret,*

*æquo animo esse, cùm maximè ĩdignaretur, simulabat: nimirum quos supplicio afficeret, iis misericordiam ostentabat; infensum se iis quos venia prosequeretur, exhibebat: inimicissimos ferè vultu quammaximè benevolo, amicissimos summè abalienato intuebatur. Denique, Principis animum nemini cognitum esse debere censebat: dicere solitus, eum intellectum, multorum ac magnorum caussam esse malorum; contra, dissimulatum, plura, ac majora commoda consequi.*

Dictum Tiberii Principis animũ nemini cognitũ esse debere.

Neque sanè abhorret *Simulatio* (mendacio modò careat) ab sacris legibus, canonibusque, ut videre est in c. 2. de præsumpt. & 22. q. 2. c. utilem. & c. Nec artificioso, & apud Decium l. Ea est natura de Reg. jur.

Confirmaturque non paucis sacræ Scripturæ exemplis.

I. Nunquid SAUL Rex, vestitum mutat & tanquam privatus duobus comitatus viris, consulit *Pythonissam* de belli eventu? *1. Reg. 28.*

II. Quid non dissimulabat JUDITH pro salute publica? fingit se adorare *Holofernem*, in cujus nece tota occupabatur. *Iudith. 11. 12. & 13.*

III. An non GABAONITÆ (ut in acervum multos congeram) per fictionem salvantur? nunquid VAS ELECTIONIS comam totondit, & Timotheum circumcidit? nunquid PSALMOGRAPHUS vultum suum coram *Achis* Regem immutat? & JOSEPH cum fratribus sermones copulat plenos simulationum? Sed satis sit talium: modò ad remedia Insidiarum, Conjurationum, Proditionum, stylum deflectamus. *Iosue. 9. Act. 18. Act. 16.*

---

## CAPUT XII.

### *Amplius*, Innocentiâ, *atq; subditorum* Benevolentiâ, *Insidiæ, Conjurationes, proditiones avertuntur.*

QUod enim certius esse potest præsidium, quæ tutior custodia, quàm virtus, quàm probitas, quàm innocentia? Virtus enim suis ipsa viribus nitens & omni culpa carens, technas hominum non reformidat; imò de perfidia quantumvis armata, quantumvis occulta triumphat. Ut verissimè cùm Plinio dixerim, *fidissimam esse custodiam principis, ipsius innocentiam, hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere.* *Paneg.*

Addidi *Benevolentiam* haud temerè: siquidem, *nulla alia res perinde hominis animum conciliat, quàm si is non modò nulla injuria sed etiam beneficio afficiatur.* *Dio lib. 52.*

*Non sic excubiæ, non circumstantia tela,*
*Quàm tutatur Amor.* *Claudianus*

Breviter, ac verè Sophus noster: *Unum est inexpugnabile munimentum, Amor civium.* Quid hæsitas? *frustrà te terrore succinxeris, ni septus charitate fueris: armis enim arma irritantur.* *Sen. 1 de Clē.*

*Conc. Trid. Sess. 13. de Euch. Sacr. c. 1. de Refor. Sen. 1 de Clē.*

Benevolentia igitur paranda: *cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm potestas.*

Paratur autem *Charitas* & *Benevolentia*, duplici hac via, *Lenitatis*, & *Beneficentiæ.*

Illâ, quia *remissius imperanti, melius paretur.*

*Id. de Bre. vi*

Istâ, quia *melius beneficiis imperium custoditur, quàm armis.*

*Epist. ad Oppium.*

Hoc testatur Cæsar, dum ait: *Hæc nova sit ratio vincendi, ut Misericordia ac liberalitate nos muniamus.*

*Tac. 2 Ann.*

*Amorem* ergò *apud populares, metum apud hostes quæramus.*

*Isocrates ad Nicocl. Reg.*

Ex quibus efficitur, quòd Coryphæus Græcorum Oratorum sapienter ait: *Tutissimam Regum custodiam, non turribus, propugnaculis, mœnibus, satellitibus, aut armis contineri, sed amicorum præsidiis, civium benevolentia, propriaq; virtute: quibus quidem opibus, regna & imperia non modo conservari, verùm etiam indies augeri, atque propagari.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

Securitas à benevolentia.

I. AGASICLES, inclytus ille Lacedæmoniorum Rex, interroganti quo pacto quis imperare nullo stipatus satellitio posset? prudenter respondit, *Si sic imperet suis, ut pater liberis.* Nempè quia metus semper aberit, ut ait Cicero, caritas autem retinebitur. Sanè, ut Xenophon scribit, *Nihil interest inter Principem bonum, & bonum patrem.*

*Plut.*

*Li. de lege & Iustitia.*

II. Ideò laudatum ARCHYTÆ dictum: *Oportere virum Principem non rectè tantùm imperare scire ac posse, sed etiam humaniter: turpe enim fuerit, pastorem oves odisse, & pecoribus suis infensum esse,*

*Ex Xiphil.*

III. TITUS VESPASIANUS Romanorum Imper. (qui ob suam modestiam suo tempore dictus est *Amor, ac deliciæ generis humani,*) cùm audisset suos antecessores in imperio multis injuriis à subditis affectos esse: *Nemò,* inquit, *me injuria afficere, aut contumelia potest. quia nihil ago, quod alios lædere possit:* Quo ostendere voluit vitæ innocentiam, non linguis hominum obnoxiam, imò adversus eas summum præsidium esse.

*Bapt. Fulg. 2. cap. 5.*

IV. *M.* verò *Antoninus Philosophus* adeò Romanis civibus acceptus fuit, & carus, ut vel eo mortuo velut sacrilegus putaretur, qui domi ejus imaginem non haberet: dignum duce pres, ut aut metallo, aut saltem pictura, ejus virtutis servarent memoriam, cujus vitam, (militari scilicet præsidio munitam) natura diuturniorem passa non erat.

*Liv. lib. 28.*

V. *Scipionis* laudabilis vox excepta: *Equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hìc statim ante oculos vestros morerer, nec vita juvaret invisa civibus, & militibus meis,*

VI. Al-

VI. *Alphonsus* Aragonum, magnæ & secundæ Rex existimationis, percunctatus à suis, cur sine satellitibus sæpenumerò incederet, *se innocentia associatum incedere* respondit. Sensit enim eum demùm bene munitum ab injuria, qui propriam innocentiam haberet comitem, eos verò nullibi tutos esse, qui malè sibi conscii etiam pericula sibi fingunt, ubi planè nulla sunt.

*Panor. in eius vita.*

VII. Et ne præproperè veteres omittam, *Marcus Antoninus* Imp. cùm in omni vita, tum ultima hora qua naturæ concessit, sensit utique Principes non tam à præsidio & satellitum multitudine, quàm civium amore tutos esse. *Neque enim* (inquit) *aut pecuniæ vis, aut stipantia satellitum agmina tueri Principem possunt: nisi illi ipsi quos regas, animum imperanti benevolentiamque accommodent. Quippe ii demùm tutoq; imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate civium suorum animis instillant.* ô vocem auream & idoneam, quæ mentibus Principum inscribatur.

Vires sine amore nil prosunt.

*Apud Hero. lib. 1.*

VIII. *Philippi II.* Hispan. Regis omissum prætergredi non debuit, laudabile vafRamentum. Is quò filio Principi subditorum benevolentiam conciliaret, edictum quoddam fabricatur admodum subditis ingratum, invisumq;, & quasi mox promulgandum in publicum simulatè proponi jubet, mussitantibus inter se subditis intervenit filius, ceù Tribunus quidam plebis intercessurus, quibus etiam promittit, effecturum se, ne edictum ejusmodi promulgetur. Reapse præstat, & opponit se, imò atrociter palam minitatur, qui illud perrogabit. Itaque benignum filii animum omnes exosculantur, in cœlum laudibus tollunt, se denique, fortunasque suas illi devovent. Factum herclè magni Regis imitandum: non nescientis subditorum affectu utilius nihil Principi, sine quo quantamlibet potentiam incassùm recidere: quod ante ex Herodoto à nobis ostensum est.

*Ex Hist. Gal P. Matth. l. 1. Narrat. 5.*

IX. Quid impio *Pharnaci* audaciam dedit *Mithridatem* patrem, virum profectò manustrenuum obsidendi, invadendi, atque adeò regno & vita spoliandi? an non quia sciret eum parùm à suis, etiam satellitibus, amatum? Cætera illi abundè suppetebant; vires, opes, stipatores, innumerabilesq; copiæ: sed unum illi, quo cætera pro nihilo sunt, defuit: *Amor subditorum*. Itaque parum providit (ait Dio) Rex alioqui sapientia clarus, *nihil neq; arma, neq; multitudinem subditorum, sine eorundem benevolentia conducere: quinimò hæc ipsa, si fides & affectus absit, tantò minus tuta esse, quantò sunt plura.*

*Ex Dio l. 37.*

X. Testis *Philippus* Macedonum Rex potentissimus, qui à *Pausania*, toto exercitu spectante, trucidatus fuit.

*Q. Curt.*

XI. Testis etiam filius ejus *Alex. Magnus*, quem à proprio ministro *Cassandro* Antipatris filio, veneno sublatum legimus.

*Idem.*

XII. Testor deniq; *Maximinum* Imp. qui cùm armis, opibus, viribus confideret, frequenti theatro versus hos audiit à vilissimo quodam & gregario milite:

*Capitol.*

*Elephas grandis est, & occiditur,*
*Leo fortis est, & occiditur,*

*Tigris fortis est, & occiditur,*
*Cave multos: si singulos non times.*

De Clem. 1. Qui ab uno nō potest occidi, à multis occiditur. Unde Sen: *Armis vallatur tyrannus, ut magno timore magna compescat odia, nec tamen illas ipsas manus, quibus se commisit, securus adspicit,* ut in *Petro Aloysio* Placentiæ tyranno notatum est, quem in sua ipsius arce Prætorianorum militum præsidio stipatum conjurati necarunt. ô quàm verum est igitur illud Senecæ! *Vnum est inexpugnabile munimentum, amor civium.*

Sabell.

1. de clē. c. 19. Constet igitur, nullum Regem, nullum Principem à periculo vacuum tutumque, nisi *Innocentia*: atque civium *Benevolentia* munitum. Hanc bifariam parari in contextu dixi: *Lenitate* atque *Beneficentia*. Age, exemplis hæc illustremus: & primum *Beneficentiæ*.

Benevolentiam lenitate, ac beneficentia parari.

Beneficentiæ exempla.

I. Quâ maximè claruit inter Romanos Imperator *Fl. Vespasianus*. Nam cùm quondam ab amicis admoneretur, ut caveret sibi à *Metio Pomposiano* insidiatore: non solùm sibi non metuit ab illo, sed & Consulem fecit. Id admirantibus amicis: *Erit*, inquit, *memor aliquando tanti beneficii.*

Tranquill.

II. Elegans quoque Theopompi Regis Spartanorum Apohpthegma, qui objurganti uxori, quòd regnum humiliùs, ac minus amplum filiis esset relicturus quàm accepisset: *Hactenus igitur majus, quò diuturnius.* Optimè: quæ enim moderata sunt in longum tempus durant, & hoc ipso meliora sunt.

Plut. in Lic.

Idem. III. Nec silentio involvendus Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, quem legimus, summis eos honoribus evexisse, à quibus impenso odio prosequebatur, & hoc quidem optimo consilio: nempè, ut hac arte eos placaret, & ex clandestinis hostibus amicos redderet.

IV. Haud absimili ingenio *Ludovicum XI.* Galliæ Regem fuisse, Philippus Cominæus testatur, *quippè quos vel metueret* (ejus verba) *vel à quibus aliquid speraret, eos omni ratione traducere ad se studebat & si fortassis repulsam ferret, nihilominus & donis, & magnis pollicitationibus instabat* ô sagacem & providum Principem, & *Alexandro Severo* Romanorum Imp. simillimum! qui quondam interrogatus, quis esset Rex optimus? *Qui*, inquit, *amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit & reconciliat.*

Lib. 1. Cōm.

Panorm. V. Jungendus Alphonsus Aragonum Rex non satis memorandus, & qui identidem dicebat *canibus oblatrantibus, & rebellantibus offulam objiciendam.* Sētiens malè affectos cives lenitate, atque beneficiis esse vincendos. Sed satis sit talium: plura qui volet hujus notæ exempla, petat è l. 2. c. 17. de Beneficentia.

Gradior ad Lenitatis exempla. ô quàm multa passim occurrunt eximia quidem & omnibus Principibus imitanda! sed quandò alibi plena manu adhuc suppeditavi, non inquiram, aut insistam, extra quam in uno aut altero, quod est in memoria.

I. Et im-

I. Et inprimis *Alex. Magni*, qui infinitos habet hujuſce ſuæ virtutis buccinatores. Is igitur cum *Poro* Indorum Regi victo, obtuliſſet ſe daturum quidquid peteret, & Porus, ut regaliter tractaretur, petiiſſet, ſubridens Alexander, *Faciam hoc*, inquit, *non tua ſed mea cauſſa*. Non ignorabat magnanimus Rex, nihil adeò decere & ornare virum Principem, quàm ſi clementia utatur etiam erga eos, quos novit hoſtes fuiſſe atrociſſimos.

Lenitatis exempla.

*Bruſon. ex Plut.*

II. Sed, & *Antigonus* etiam Rex Macedonum hortantibus amicis, ut ſi Athenas caperet, validis illam præſidiis communiret, ne fortaſſis quandoque deficerent, reſpondit, ſe ſemper in ea fuiſſe ſententia, ut exiſtimaret nihil lenitate atque clementia validius ad ſubditos in officio continendos.

*Id. Plut.*

III. Id quod probè intellexit ſagax illa, & prudens *Livia* Auguſti? cujus verba cedro planè digna non pigebit referre. *Ego*, inquit, *ita judico, plus clementiã, quàm ſævitiam proficere: nam miſericordes non ii tantùm quibus delicti gratia facta eſt, caros habent ac gratiam referre ſtudent, ſed reliqui etiam omnes reverentur ac colunt, ita ut nemo eos deinde lædere auſit; at qui ira inexorabili vtuntur, non modò eos odio habent ii, qui metuunt ſibi, ſed cæteri quoq; infenſi inſidiis ſtructis ſuam perniciem evitare ſtatuunt. Videſnè, ut medici rariſsimè ſectiones & ignes adhibeant, ne ipſa videlicet vitia corporis magis exaſperent? pleraque etiam lenibus corporis exercitiis, & mitibus medicamentis molliunt ac ſanant? neque enim putandum eſt, quod hæc corporum, illa animorum ſint vitia, ideò eſſe inter ſe diſsimilia, &c. Neq; tamen omnibus ex æquo noxiis parcendum eſſe dico, ſed audaces inquietos malitioſos, ac ſiniſtri conſilii homines immedicabilique & continuæ malitiæ aſſuetos, exſcindere te jubeo, exemplo earum corporis partium, quæ medicinam non patiuntur: aliquos qui propter ætatem, imperitiam, imprudentiam, aut alio caſu quodam vel volentes, vel inviti peccant, verbis caſtigare, minis corrigere, aliave tolerabili ratione tractare, atq; ut in aliis rebus modò graviores, modò mediocres pœnæ irrogantur, ſic in hac quoq; re, citra periculum, exiliis alios, alios ignominia, vel pecunia mulctare, aut in diverſa loca, urbeſque relegare licet*, &c. Hactenus Livia: cujus oratione ita commotus fuit Impe. *ut reos omnes inſidiarũ verbis caſtigatos, indemnes dimiſerit, Cornelio etiam Conſulatu donato, eoq; facto, ita ſibi omniũ animos devinxit, ut non modò inſidiæ cõtra ipsũ nullæ exinde componerentur, ſed opinio quoq; oĩs eorũ intercideret.*

*Apud Dionẽ lib. 57.*

Aurea Liviæ Auguſti conjugis oratio Clementiam commendantis.

Lenitatis modum præſcribit.

IV. Atqui hîc obſtrepent rigidæ quædam & contumaces mentes, dicentq; *Lenitate* contemptum conciliari, eòque ſatius eſſe metum, quàm affectum ſibi comparare. Falſum ſententiæ Plinium audiant. A*n contemnitur, qui imperium, qui faſces habet, niſi qui humilis & ſordidus, & qui ſe primus ipſe contemnit? malè vim ſuam poteſtas aliorũ contumeliis experitur: malè terrore veneratio acquiritur: longèq; valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor*. In quo deſinerem, niſi B. Ambroſii ſententia ſub manu eſſet, ſic Principes, & qui ſupra communem hominum ſortem ſunt, ad lenitatem exhortantis: *Noverimus nihil tam utile, quàm diligi; nihil tam inutile, quàm non amari. Nam odio haberi, exitiale ac nimis*

Reſpondetur objectionibus.

*Lib. 8. ep. 24*

*Lib. Offic. 2. cap. 7.*

*nimis capitale arbitror. Itaq; id agamus, & omni sedulitate commendemus existiationem, opinionemque nostram; & primum placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilq; quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione praecepti, & affabilitate sermonis, verborumq; honore, patienti quoq; sermonum vice, modestiaque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solùm in privatis, sed etiam in ipsis Regibus, quantum facilitas blanda affabilitatis profuerit, aut superbia, verborumq; obfuerit tumor, ut regna ipsa labefactaret, & potestatem solveret. Iam si quis consilio, usu, ministerio, officiis popularem comprehendant gratiam, aut si quis periculum suum pro universa plebe offerat, non est dubium quod tantum caritatis à plebe in eum transfundatur, ut populus salutem ejus & gratiam sibi praeferat.* Hæc ille, quæ confirmat pluſculis ſacri Codicis exemplis.

*Atque hactenus dictum sit de caussis Regnis, & Regibus mutationem & interitum* intrinſecus *afferentibus, deq; remediis quibus adversus eas Principes utantur: alias nunc caussas breviter subditis attexo, quas dixi* extrinſecus *oriri, partim à* vi ſuperioris, *partim à* vi majore.

## CAPUT XIII.

### *Priorem vim explicemus, quæ plerumque est Tyrannorum.*

QUod tigris baſiliſcus, aſpis, ac cæteræ deterrimæ feræ, ſerpenteſque letiferæ humano corpori, hoc Tyrannus in regno: obruit, quatit, convellit, diſperdit omnia, aut quod minimùm, ſuſque deque fert quid civibus fiat, dũ cupiditati, voluptatique inſerviat ſuæ.

*Val. Flacc. 9.* ——— *Nec vulgi cura Tyranni*
*Dum sua sit modò tuta salus.*

*Lib. 6. Hist.* Clarè aſſerit Thucydides: *Viro* (inquit) *Tyrannidem occupanti, nihil quod utile sit à ratione alienum est.*

Verùm, quibus notis inſigniantur, ſigillatim diſquirendum.

*Tac. 2. Hist.* Principiò, ſatis conſtat incolas melioris notæ *indicta caussa occidi*, & plerumq; *Ibid.* occultè, *vitata locorum & temporum celebritate.*

Itaque ſub illis,

*Clau. 4. Hi.* *Prodigio par est in nobilitate senectus.*

Et obtinet illud Senecæ:

*Oct. act. 2.* ——— ——— *Quidquid excelsum est, cadat.*

*Sallust. Cat.* Nam & virtutem faſtidiunt, utpote quibus *aliena virtus semper formidolosa.*

*Clau. 4. Hi.* ——— ——— *Sors ista Tyrannis*

*Convenit,*

*Convenit, invideant claris, fortesque trucident.*

Quinetiam, Doctrinam, & juventutis institutionem, nempè quia *virtutem, & bonum alienum oderunt.* Livius 35.

Insuper, involant in facultates civium; ut Agamemnon ille, qui palàm jactabat:

Εἰ δὲ καὶ μὴ δώησιν, ἐγὼ δέ κεν ἀυτός ἕλωμαι: Apud Hō. I.

*Ipse quidem eripiam si tradere forte graventur.*

Quid quæris? *Id esse regni maximum pignus putant,* Sen. Agam. act. 2.
*Si quidquid aliis non licet, solis licet.*

Leges violant. Nam quæ cura legum iis, qui *omnia sibi, & in omnes licere putāt?* Suet. Calig. Tralatitium illud I. Cæsaris verbum: *Si violandum est jus, Imperii gratia violandum est, aliis rebus pietatem colas.* Apud Cic. c. 3. de Offic. Itaque *Iustitia tunc vacillat, vel jacet potius.* Ibid.

Ampliùs, libertatem eripiunt. *Nam sentire quæ velis, & quæ sentias dicere, non licet.* Taci. 1. Hist. Hinc *passim delationes, & locupletissimus quisq; in prædam rapitur.* Hist. 2. Hinc *dicta, scripta facta somnia recitata, & quæ dumtaxat sunt meditata, in crimen læsæ majestatis, vel religionis læsæ rapiuntur.* Indidem. Itaque *plena omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine.* Tac. Hist. 1. Quid multis? *arduus est rerum omnium modus, imò silentium ipsum est contumax, libertas suspecta.*

Atque hi affectus non aliundè quàm à Conscientia & Metu, quibus perpetuò illi laniantur. Siquidem, *ad omnes suspiciones pavidi sunt—metuunt turbam, metuunt solitudinem, metuunt satellitii absentiam, metuunt etiam ipsos custodes: nec armatos illos apud se, nec inermes vident libenter.* Tac. 1. Hist. Phalereus apud Stob. Ne multis, *omnia semper suspecta, atq; sollicita sunt, nullus amicitiæ locus.* Cic. in Læl. *—tantum metuunt, quantum nocent: nec ullo tempore metu vacant.* Sen. ep. 105.

Caussa ejus rei duplex: *Prima* sit, quam jam dixi Conscientia scelerum: Diphilus.

Ο συνιςορῶν ἀυτῷ σι, κἂν ἦ θρασύτατος:
Η σύνεσις ἀυτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ:
*Sibi conscium licet virum audacissimum,*
*Timidissimum facit ipsa conscientia.*

*Altera* est commune Odium, unde Metus: sciunt enim ab omnibus timeri se, *quem autem quisq; metuit, periisse cupit.* Cic. 2. de off

Bene Seneca: *Tyrannus invisus est: quia timetur, & timeri vult.* 1. de Clem.

Hinc fit ipsorum dominatum haud diuturnum esse: utpotè quod *nulla vis imperii tanta sit, quæ premente metu possit esse diuturna.* 1. Cic. 1. de Offic.

Oraculum est Senecæ Tragœdi: *Invisa nemo imperia retinuit diu.* Oct.

Et ut Satyricus: Iuven. 10.

*Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci*
*Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.*

Uno verbo: *Tyrannorum execrabilis ac brevis potestas est.* Sen. 5 de Clē.

## EXEMPLA, & NOTÆ.

*Isocrat. ep. 7 ad Timoth.* PRima Tyrannorum facinora in ingressu Tyrannidis cædes esse optimorum civium, aut certè exilia, docet his verbis Græcorum præstantissimus Oratorum: *Tyranni*, inquit, *in hoc unum intenti sunt, ut cum summa licentia voluptates, atque libidines suas expleant: ejectisq; aut interfectis civibus optimis & prudentissimis, reliquum vulgus exactionibus deglutiant:* nihil verius: & fidem fecit super sexcentos alios:

I. *Tarquinius Superbus*, qui quondam consultus à filio per internuncium, quid *Val. Max. 7. c. 4. Flor. 1. c. 7.* facto sibi opus foret devictis jam redactisque in potestatem Romanorum *Gabiis*, verbis quidem nihil (utpote fidei nuntii parum credens) sed facto respondit, quo seducto in hortum nuncio, tacitus obambulans, maxima & altissima papaverum capita baculo decussit. Nuncius longiore fessus morâ, simul etiam ludibrio se haberi reputans, dimissionem postulavit; itaque ad Gabios, & filium Tarquinii rediit: cui, rem ut viderat, ordine narrat. Filius cognito patris ingenio, pariter & facto, caussam altioris argumenti pervidit: nec ignoravit præcipi sibi, ut excellentissimum quemque Gabiorum, aut exilio submoveret, aut morte consumeret. Enimverò suspectos habebat, ut cæteri omnes tyranni, optimos quosque, quorum cum aliquem crescere viderint dignitate, opibus, favore & studio populari, mox è medio tollunt, velut æmulum imperii. Quò fit, ut sæpissimè affectum & benevolentiam simulent, quò cautiùs talem interimant.

*Sueto. c. 49.* II. Inter Romanos unus *Caligula* legitur binos sibi libros confecisse, quorum alter gladius, alter pugio dicebatur, in quibus omnes consignabantur quicunq; iis armis necandi destinabantur.

III. Videte mihi *Herodem* Judææ Tyrannum (sub quo optimus noster Redemptor nasci dignatus est) cùm affinem suum *Aristobulum* ad summum Sacer- *Ex Iosepho.* dotium evexisset, & postea intellexisset, quo favore populus illum sacra facientem in festo Tabernaculorum excepisset quantisque cum gratulationibus, vitæ illius cœpit insidiari. Quare cùm maximum amorem & benevolentiam erga *Aristobulum* simulasset, astu in hortum Regium abductum, in proximam piscinam mergi, suffocarique curavit.

IV. De ACROTATO Spartiata, Diodorus Siculus: *Ad extremum Solistratum exulum clarissimum, qui sæpe copiis præfuerat, ad cœnam vocatum dolo inter-* *Lib. 19.* *fecit: habens alioqui nihil omninò, quod eum accusaret: sed volebat è medio tollere virum strenuum, & qui insidiari iis posset, qui imperium malè administrarent.*

V. Eandem ob caussam *Vitalianum* jugulari fecit *Anastasius* Imperator: *nam, &*

*nam, & potentiam ejus extimuit, & ancipitem fortunam, quæ in bellis cerni solet, & nominis ejus celebritatem, quæ in omnium ore fuit, & imperii, qua flagrabat: cupiditatem. At cùm conjectura perspiceret, idque sanè verissimè, se non aliena ratione posse eum vincere, nisi amicitiam erga eum simularet, vultu mirè ad fraudem composito, quæ facilè deprehendi non posset, unum ex Ducum numero, qui præsentes vocantur, eum designat, & quo magis id persuaderetur* VITALIANO, *& facilior aditus ad fraudem pateret, ad Consulatus quoque honorem effert. Qui Consul factus, cùm in palatio versaretur, in porta quadam post Aulam posita, per dolum illicò cæsus occubuit.* *Evagrius 4 Histor. c. 3.*

VI. Ne multis: nunquid *Andronicus* tutor datus *Alexio* Emmanuelis Orientis Imp. filio, postquam Imperium sibi usurpavit, exstincto priùs crudeliter pupillo, proceres omnes trucidavit? Plane, verùm in hoc violento Imperio non diu perseveravit; ut qui annis modò duobus Remp. administrarit. *Cario. chr. 3*

VII. Ita ergò semper dolosi, semper violenti, semper sanguinarii Tyranni, & denique ejus prorsum ingenii, quo crudelis ille VITELLIUS Romanorum Imperator, qui transiens per Campos, in quibus acriter pugnatum fuerat, videretque quosdam qui circa eum erant, tabem cadaverum abhorrere, non erubuit illos hac voce confirmare: *Optimè olere occisum hostem, sed meliùs Civem.* O naturæ monstrum & haud dignum, quod inter homines tam turpem sævamque vitam traduceret, minùs multò sumeret tantum imperium ac potestatem. *Ex Sueton. cap. 10.*

Neque boni tantum, & excellentes, sed & opulentiores (ut in Aphorismis dixi) suspecti Tyrannis Causa apud Aristotelem: *Ne opum affluentia, vel reddantur insolentes, & contumaces, vel habeant otium, & occasionem movendarum Turbarum & Seditionum.* *II. Opulentiorum.* *5. Polit. c. 11.*

I. Cujus dogmatis ratio probè intellecta *Dionysio*, Syracusanorum Principi, & penè coryphæo Tyrannorum, qui amicis utebatur, ut utribus: plenos suspendebat, inanes abjiciebat. *Laert. lib. 6.*

II. *C. Caligula* sævus ille Rom. Imp. nunquid locupletes quosque, si non vita, at pecuniis, facultatibusque spoliavit? imò conficto interdum crimine insidiarum, aut novarum rerum, plerosque necabat, quibus hoc solum crimen erat, *Divitiæ.* Hoc quidem est, quod Cornelius noster inquit: *Nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine: & ob virtutem, certissimum exitium.* *Dio lib. 59.* *Sueton. c. 38.* *Lib. Hist. 1.*

III. NERO, quo nullus rapacior & crudelior nunquid præter rapinas rerum privatarum *templis compluribus, dona detraxit. simulacraq; ex auro vel argento fabricata conflavit*: quid quòd nulli unquam contulit officium, ut non adjiceret: *Scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Parum fuisset, si à cæde manus abstinuisset: nam, *crimen erat publicum omnibus virtus, opes, nobilitas, atq; ob eam caussam, vel sibi mortem inferebant, vel ab eo occidebantur.* *Sueton. c. 37* *Cassii Ab- brev.*

IV. Proditum est quoque, Triumviros illos, non restituendæ, sed perdendæ

Reip. Romanæ, usurpata mox dominatione, opulentioribus quibusque inimicitiam palàm indixisse; qua de re mira videri poterunt apud Dionem lib. 47. & Appianum lib. 4.

Remedium adversus injurias Tyrannorum, quod? Quod subditis remedium? *Voluntarium exilium*, aut certè, *honestam domi profiteri paupertatem*. Denique. *Diffidentia* te munias: ut nunquam (quamvis specie benevolentiæ blandiantur) ejusmodi Principibus credas.

I. Etenim Tyrannorum blanditiæ, sunt novacula internarum irarum, ut laniorum, qui dum blandè palpant, mactant, non tam meus, quàm Demosthenis sensus: *Multa sunt*, inquit, *munimenta ad custodiendas urbes excogitata, ut valla, muri, fossæ, & quæ sunt generis ejusdem. Unum verò propugnaculum à natura comparatum est, quod cùm omnibus salutare est, tùm verò Civitatibus adversus Tyrannos*, Diffidentia. *hanc retinete, hac utimini, & triste vobis accidet nihil*. Ita ille. Dem. Phil. 2

In Paneg. II. Pro qua sententia Plinius: *Quod enim tam infidum mare*, inquit, *quàm blāditiæ Principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut feliciùs esset iratos, quàm propitios habere*? Vin' exempla?

Cap. 2. III. *Domitianus* Imper. inquit Suetonius, *erat non solùm magnæ, sed & callidæ, inopinatæq; sævitiæ. Auctorem Summarum, pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocavit: assidere in toro* (sive mensa more Romano) *juxta coëgit, securum, hilaremq; dimisit. Aretinum clementem consularem virum, è familiaribus, & emissariis suus capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam majore gratia habuit, quoad novissimè simul gestanti conspecto delatore ejus: Vis*, inquit, *hunc nequissimum servum cras audiamus*?

IV. De *Commodo* Xiphilinus: *Commodus*, inquit, *Rom. Imp. Iulianum urbis Romæ Præfectum, quem publicè amplecti atq; osculari, Patremq; appellare consuerat, remotis arbitris, dolo è medio tolli jubet*. Novitia exempla haud lubitum est promere: tu qui legis, habes in memoria.

III. Doctrinæ despectus simul & Doctorū. Insuper *Doctrinam*, & *bonas artes despicatui habent*.

Ex Pōp. Lat. Zosimus 4. Hist. I. Testis esto *Licinius* Imp. qui adeò liberalibus disciplinis infensus fuit, ut Philosophos & oratores *venena* esse assereret, ac *pestes Reipub.* litterarum enim adeò expers fuit, ut nomen decretis vix subscribere posset.

II. Nec tam gutta guttæ, quàm illi similis *Valens*, nisi quòd hîc eò detestabilior, quòd ejusmodi eximiæ eruditionis viros, & inter hos *Maximum*, *Simonidem*, *Andronicum* & *Patricium* vita privavit.

Tac. 13 Ann. III. Denique, multis ante hos sæculis, NERO, Tyrannorum antesignanus, inscitiæ juxta ac sævitiæ notatus fuit, ut qui, quo die pro rostris *Claudium Cæsarem* defunctum laudare debebat, orationem à Seneca præceptore emendicarit, & pro gratia mortem postea præceptori rependit: de quo latiùs supra l. 1. c. 10. n. 14.

IV. Legum contempt⁹. Sequitur alia nota, *Legum promiscua violatio*.

Lib. 6. Polit. I. Hoc confirmat Philosophus: *Tyrannica*, inquit, *machinamenta omnia, videntur esse popularia, ceu licentia servorum, & mulierum, puerorum, ut sine metu, scilicet*

*licet legum, vivant ut velint: permulti enim hujusmodi statum Civitatis amabunt, cum permultis dulcius sit dissolutè vivere, quàm modestè.*

II. De *Tarquinio Superbo* legimus, rarò progredi solitum, ut jus diceret, immò negotia publica, & majoris momenti domi, pauca in foro tractabat. Lites verò & controversias, non ex jure sed suapte libidine dirimebat. *Dio. Halic. 4. Ant. rom.*

Sic *Caligula*, non solùm licentiam, ut quisque vellet vivendi permittebat, sed leges ipse apertè proculcabat, & *omnia sibi & in omnes licere dictitabat.* *Ex Sueto.*

IV. Quid *Caracalla*, nunquid interfici *Papinianum* Jurisconsultum mandavit, quòd parricidium fratris excusare recusaret? *Spartian.*

V. Nunquid denique *Nero*, indignus alioqui qui chartam impleat plus plusque sævitiam exercuit, cúm ab adulatoribus audiit, & credidit omnia sibi permissa esse, cunctaque scelera sua, & probra pro egregiis facinoribus vulgò probari? *V. Sueto.*

Ampliùs, *eripiunt libertatem.* V. Libertatis ereptio.

I. Vide mihi tumidi illius *Xerxis* animum: *Cùm Græciæ indicturus bellum adhiberet Asiæ Principes: Ne viderer meo tantummodo*, inquit, *usus consilio, vos contraxi, cæterùm mementote, parendum magis vobis esse, quàm suadendum.* *Val. Max. 9. cap 5.*

II. Atque, ut pressiùs agam, quis non sciat *Cæsare* dominationem adepto libertatem civibus Romanis ereptam fuisse? Audiamus Ciceronem ad Sulpitium verba facientem: *Atq; hoc ipso melior est tua, quàm nostra conditio, quòd tu quid doleas, scribere audes: nos ne id quidem tutò possumus.* Ciceronem clarè explicat Dio Cassius: *Neq; verò*, inquit, *tutum erat cum omnibus communicare. Nam, qui vel amicissimi esse videbantur, aut etiam genere propinqui, ii suos deferebant, vel malè detortis eorum dictis, vel mendaciis omninò in eos confictis.* Junge Arrianum Epitecti: *Hoc modo viri boni Romæ subvertuntur. Arridet tibi homo quidam, instar privati sermones occœptat, & de Principe inclementer loquitur: tu, ratus nactum esse exemplum aliquod, atq; monumentum fidei, pertextis illud quod prior inceperat, animique sententiam profers, paullò post abductus, linguæ temeritatem morte luis.* ô quàm vera, & Oraculis certiora temporibus priscis Tyrannorum vaframenta! *Lib. 4. epist.* *Lib. 42.* *Arriā. Dissert Epi. l. 4*

Remedium huic malo duplex esto. Primum, ut *Diffidentia* se muniant, de qua supra dixi. Cautiones adversus Tyrannos.

Alterum sit *Silentium*, nempe quia admodum periculosum est Tyranni mores carpere, aut de iis queri, vel indignari.

I. Cujus rei exemplum nobis proponit Tacitus: MARCELLUM, inquit, *insimulabat sinistros de Tiberio sermones habuisse: inevitabile crimen, cùm ex moribus Principis fœdissima quæq; deligeret accusator, objectaretq; reo: nam, quia vera erant* (notate) *etiam dicta credebantur.* *Annal. 1.*

II. Ita *C. Caligulam*, adeò suspitiosum fuisse in omni re legimus, *ut Carinnam secundum Oratorem, non alia de caussa in exilium egerit, quàm quòd contra Tyrannos exercitii caussa declamasset.* Hoc est, quod Cornelius Tacitus scribit: *Lib. 59.* *Annal. 4.*

*Annal. 4.* *Reperies*, inquit, *qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent*

III. Neque modò ob similitudinem morum, sed ob conscientiam perpetuò lancinantem: hinc etiam fit, ut minimis pavoribus terreantur, infinitis suspicionibus moveantur, periculis imminentibus percellantur: *Sicut qui nocte illuni* (ait B. Chrys.) *ambulant, tremunt, etiamsi nihil sit quod terreat: ita, & qui peccant, non possunt confidenti animo esse, etiamsi nemo sit, qui redarguat.* Quò fit, ut nemini cuiquam, vel amicissimo, præsertim civibus accepto, fidant, sed omnes perinde suspectos habeant. Id quod videre est, ut sexcentos alios omittam.

Cur tyranni in metu? *Hom. 1. ad Rom. c. 1.*

IV. In Claudio Cæsare, qui tametsi exquisita uteretur custodia, *jubebat tamen omnes* (verba Dionis) *ad se accessuros viros mulieresque excuti, ne quem pugionem secum ferrent, omnibusque in conviviis aliquos milites adstantes habuit, quod ab illo demonstratum, hodieque* (ævo Severi Imperatoris) *durat: at explorationem vestium accedentium Vespasianus abolevit*: Quod quidem mirum in isto fuit: cùm constet eum adeò diffidentis fuisse animi, ut *porticuum, in quibus spatiari consueverat, parietes Phengite lapide distinxerit, e cujus splendore per imagines, quidquid è tergo fieret provideret.* Omissis Romanis, videmus.

*Lib. 60.* *Trãquillus cap. 14.*

V. *Massinissam* Numidarum Regem, adeò parum fidei in pectoribus hominũ reposuisse, ut salutem suam, canum custodia vallaret.

*Val. Max. lib. 9.*

VI. Neq; absimilior *Dionysius* Syracusanus, ut qui metuens cultros tonsorios sibi per filias aduri capillos jubebat, cujus pleniorem historicam narrationem, moresq; penicillo Ciceronis depictos habes supra cap. V. exemplo IV.

*Cic. 5. Tusc.*

VII. Itaque probè ajebat *Pythagoras*, neminem tam audacem, quem non malè actæ vitæ conscientia timidissimum reddat, non quiescit enim animus malè conscius, sed vel minimo vento exanimatur.

*Ex Stobæ serm. 22.*

*Et motæ ad lunam trepidabit arundinis umbram.*

VIII. Sic *Tiberii* Cæsaris animum percellebant tonitrua, ita quod *turbatiore cælo, nunquam non coronam lauream cervice gestaret: quòd fulmine afflari negetur id genus frondis.*

*Tranq. c. 89*

IX. Principem Neapolitanum legimus conscientiæ suæ vermibus, ita tortum fuisse ut nullam diu noctuque animæ quietem inveniret: unde necatorum Principum umbras, populumque contra se supplicii poscendi caussa concitatum per somnum videre sibi videbatur: & consilio cum noverca Regina solùm communicato, fugæ se dedit, quatuor comitatus triremibus, prætiosiori supellectile regia onustis: in ipso autem discessu, tantum de Gallis terrorem animo conceperat, ut ab iis jam jam circumdatus sibi videretur, adeò, ut minimum strepitum exaudiens facile concuteretur, non aliter, atque si cælum, & elementa fœdus contra se iniissent, tandem verò Mazariam, Siciliæ municipium, quod antea Ferdinandus Hispaniæ Rex ei largitus fuerat, infausto Neptuno enavigavit. Hactenus Guicciardinus.

*Apud Guic. lib. 1.*

Ex qui-

Ex quibus omnibus exemplis facilè percipere est, unde hæc timiditas, vel poti⁹ trepidatio oriatur: utpote ex conscientia pravarum actionum. *Bioni Borysthonidi* crede, qui verè ajebat (& quis non?) *Impietatem malam esse contubernalem fiduciæ* adjiciebatque Euripidis versiculum hunc: *Lycost. apud Laert. l. 4.*

*Servum facit, quamvis feroculum virum.*

Sensit quidem Philosophus, nullum omninò securitati habere locum malè sanam conscientiam, nec apertè & sincerè posse loqui, cui revera impietatis vitium potest objici, nec frui tranquillitate animi, qui Deum sibi non habeat propitium, quod intellexit inculpatus ille Ethnicus Job. dum inquit: *Impius, cùm pax sit, semper insidias suspicatur: sonitus terroris in auribus illius.* & Sapiens ipse, *Nequitiam* appellat *timidam*: *Cùm sit*, inquit, *timida nequitia, data est in omnem condemnationem: semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Satis sit talium. *Cap. 15.* *Cap. 17.*

Doceamus jam exemplis, quod in Aphorismis notavi, *momentaneum esse Tyrannorum dominatum.* Tyrannorũ dominatus brevis.

I. Si Persarum Regum vitas exactè examinaveris, mox reperies paucos admodum fuisse, quorum imperium fuerit diuturnum. Nam ecce *Cambises* septem tantum annis, & mensibus quinque regnavit. *Xerxes II.* mensibus duobus rerum summam tenuit. *Sogdianus* septem: *Arses* autem tribus annis præfuit: & *Darius* quatuor. *v. Herod. 3.*

II. Si Romanorum, testabitur Historicus noster, *non* CINNÆ, *non* SULLÆ *longam dominationem.* Denique videbis, GALBAM, OTHONEM, VITELLIUM, sexdecim circiter menses imperitasse. Haud multò post, DIOCLETIANUM, COMMODUM, PERTINACEM, JULIANUM, MACRINUM, MAXIMINUM, GORDIANUM, DECIUM, VALENTINIANUM, GALLIENUM, CARINUM, & plures alios, solo nomine terribiles Imperatores, violento fato, & quidem brevi tempore, occubuisse. *Tac. l. 1 Ann*

III. Prorsus igitur miseri, & tragici exitus Tyrannorum: id quod dum penitiùs secum aliquando reputaret CLAUDIUS Cæsar, majorem in modum queri cum sua sorte cœpit, ut qui etiam ipse quondam deprehendisset insidias in se sacrificantem structas esse. Quâ indignitate motus, *Senatum per præcones*, Suetonii verba, *properè convocavit, lachrymisque & vociferationibus miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset, ac diu publico abstinuit.* O verè miseram & anxiam vitæ conditionem! & quam meritò deprecabatur quoque SATURNINUS, etiam Romanorum Imperator: *Nescitis*, inquit amici, *quid mali sit imperare; gladii, & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur, sin minus, inest furor. Nam quòd Imperatorem me capitis, in necessi-* *Cap. 36.* *Apud Fl. Vopisc.*

*necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.* Hactenus Imperator ille apud Vopiscum.

Principem legitimum ob tyrannidem nõ occidendum. Sed, dum dico Tyrannorum dominatum brevem, & raros in illis repertos, qui placida, & naturali morte obierunt, non continuò infero, Licitum subditis ob tyrannidis, vel alius rei caussam in vitam Principis sui legitimi attentare: absit: absit: imò opinionem eorum, qui hoc docent, ab Ecclesia Orthodoxa Romana tanquam hæreticam dico, & ad mille fraudes, & parricidia viam aperientem. Testor Concilium Oecumenicum Constantiense, cujus Canon talis extat: *Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum, & hæresum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur & ad hoc collecta est nuper accepit, quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusq; Reipubl. statum, & ordinem subvertentes, dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est, Quilibet Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunq; vasallum suum, vel subditum, etiam per clancularias insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumq; præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non exspectata sententia, vel mandato judicis cujuscunque. Adversus hunc errorem satagens hæc S. Synodus insurgere, & eum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit; hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat & condemnat.* Quæ sacri Concilii doctrina multis sacri Codicis exemplis confirmari potest, sed pauculis contentus ero.

Sess. 8. c. 15.

I. *Davidis* imprimis Regis occurrit exemplum, qui cùm *Saulis* occidendi potestatem plurifariam habuerit, nunquam tamen ei nocere sustinuit: quin deprehensum eum in spelunca in quam se adsellandi causa penetrarat, sola oræ vestis scissura contentus, indemnem reliquit. Cujus factum dilaudat S. Ambrosius verbis his: *Quàm honestum*, inquit, *quòd David cùm potuisset Regi inimico nocere, maluit parcere! quàm etiam utile! quia successori hoc profuit, ut discerent omnes fidem Regi proprio servare, nec usurpare imperium, sed vereri.* & alibi: *Liberi enim sunt Reges à vinculis delictorum: neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate.* Noluit ergò illum offendere David tametsi haberet in sua potestate, & tamen satis constat Saulem simulatque Dominum dereliquit, admodum tyrannicè imperasse, utpotè qui nedum Sacerdotes interfici jusserit, sed & eorum Civitatem, omnesque in ea habitantes in ore gladii percuti. Imò tantum abest ut illum offenderit, quin militem qui fassus erat Saulem se occidisse, pœna ultimi supplicii affecerit, dicens: *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci unctum Domini.*

2. Reg. 1. & 1. cap. 24.
Lib. 3. Offic. cap. 9.
Apol. Davi. c. 4. & 10.
2. Reg. 1.

Reg. 14. & II. Cùm *Ioas* verus Rex Juda ad idola impiè relicto Deo declinasset, Zachariamq; Proph: crudeliter interfecisset, servi quidam zelo cõmoti insidiati sunt Regi, & occiderunt eum in lectulo suo: sed ab *Amasia* qui postea regnũ obtinuit ut par erat, jugulati sunt.

III. Præ-

III. Prætergredior *Salomonem, Roboamum*, aliosque quorum flagitia, & atrocissima delicta impedimento non fuere, quò minùs illi auctoritatem regiam in Hebræos retinerent. Sed regredi satiùs duco, quam salebrosam hanc viam ulterius terere, nescio enim quis mihi illud in aurem, οὔτι γε οἱ λόγοι χάλεποὶ: *difficiles, nec sine periculo hi sermones.* *Plato de Rep*

## CAPUT XIV.

### *Postrema caussa, quæ extrinsecus mutationem, interitumve Principatui subditis verò exitium affert, est* Vis maior.

EA est, auctore Jurisconsulto, *vis divina*, quæ consilio humano nec provideri, nec vitari potest. Ejus igitur ortus *à necessitate rerum omnium quam nulla vis rumpat*: Providentia, inquam quæ *imperia alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo, nullas habitura reliquias, jactat.* *L. 24. § 4 ff. de dã. inf. l. 25. §. 6. ff. loc Sen. 2. Nat. quæst.*

Quid quæris? incassùm cum illa pugnatur: nec est, quod aliunde, nisi ab illa ipsa Rerump. & mutationes & inclinationes, & eversiones acceptum feras. *Quæ fato manent, quamvis significata non vitantur.* Inde videmus cuncta, sed tacita ratione, mutationibus sic obnoxia, ut iam orta occidant, jam aucta senescant. *Id. lib. 3. Tac. 1. Hist. Sallust. Iug.*

—*Non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordinem; sed illum ex hoc cursu dies aliquis dejiciet.* Itaque, *necesse est ut sit circuitus quidam: & dum alia aliis cedant, hæc dissolvantur, illa suboriantur: hæc suum statum teneant, illa verò moveantur.* *Senec ep. 92. Arriã. Dissert. Epict. 3. cap. 24.*

Quemadmodum ergò certa sunt nascendi, & crescendi tempora, ita quoque denascendi, & decrescendi. *Deus* autem *est*, seu ejus providentia, *quæ* ut dixi, *mutat tẽpora, & ætates, transfert regna, atq; constituit.* Atque id quidem caussis occultis: *quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus?—aut quis ei imputabit, si perierint nationes, quas ipse fecit?* *Daniel. 2. Sapient. 9. Ibid. cap. 12.*

Quanquam, pleræque caussæ originem accipiunt à nobis ipsis; vitiis, inquam, nostris, quæ viam necessitati, seu providentiæ divinæ ab æterno illi prævisam pandunt. Quid? an non *regna de gentè in gentem transferuntur propter injustitias & contumelias, & diversos dolos?* transferuntur sanè: & exemplis firmabimus, maximum illum regnorum Architectum ob offensas, & scelera hominum, Civitates, Provincias, Regna ipsa alienigenis dedisse, dedisse autem? imò & evertisse: nonnunquam terræ motu, incendio, animalibus virulentis, aut pestilentia, aliis deniq; modis & rationibus (*Enumerare enim omnes Fatorum vias longum est*) quibus impios ille punire solet ac tollere. *Eccles. 10. Senec. ep. 92.*

———— ———— ————*Tardè licet*
*Veniat, venit tamen horrido pede, cœlitus* *Oedip. apud Sophocl.*

*Delapsa tandem pœna.*

Ter, & amplius vani, qui Principatuum eversiones ad nescio quæ cœlestia fata
*Hierem. 18.* referunt, Naturam videlicet, & Posituram stellarum. An ignorant, *sicut lutum in
*Sapien. 5.* *manu figuli, sic nos*, & regna ipsa, *in manu Domini* (Ille est, qui *in misericordia di-
*sponit omnia*: ita quidem, ut *nec iracundè, [illegible] vindictæ cupiditate, neq; præter meri-
*Simplic. in c. 13. Enchrid. Epict.* *tum, neq; nocendi caussa quidquam horum faciat: sed instar medici, & curatoris, &
parentis, & ad maximam utilitatem nostram, & (quo uno verbo rem complecti totā li-
cet) pro sua divina bonitate.* Itaque

*Senec. Oedi.*
*Quidquid patimur, mortale genus,*
*Quidquid facimus, venit ex alto.*

---

## EXEMPLA, & NOTÆ.

*Eccl. 3.* VT corpus Physicum, sic Imperia fatales quasdam periodos habere, quibus
circumactis intereunt, aut certè mutantur, Catholica est Politicorum, atq;
Theologorum sententia. *Omnia tempus habent*, inquit Regius Vates, *& suis spa-
*Manil. 4. Astron.* *tiis transeunt universa sub cœlo*: & ut Poëta canit:

*Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,*
*Longaq; per certos signantur tempora cursus.*

*8. de Rep.* Quò respexit divinus Plato: *Difficile quidem est*, inquit, *benè constitutam Civi-
tatē e suo statu moveri verùm cùm omne quod genitum est corruptioni sit obnoxiū,
talis etiam constitutio semper manere non poterit, sed solvetur.*

I. Hoc testatum faciunt quamplurimæ nobiles ruinæ Assyriorum, Medorum,
*In Arca.* Persarum, Macedonum, aliorumque Imperiorum, urbium etiam infinitarum, &
cùmprimis *omnium, quas unquam Sol adspexit urbium maximæ* NINIVE: *quam
præter muros nihil reliqui suo tempore habuisse*, super alios Pausanias scriptum re-
liquit. Quid Thebæ: quid Carthago, quid Æthiopes?

II. Caput urbium *Roma*, nunquid funditus aliquoties concussa, vastata, deleta?
Nam in ipsa adolescentia à Gallis direpta fuit, & incensa anno postquam condita
fuerat circiter 360. Postea verò sub Nerone iterum grave incendium passa est,
quippè quòd ex 14. Vrbis regionibus, 4. modò integræ remanserunt. Rursum, à
Gothis duce Totila muris ac turribus solo adæquatis concremata fuit: quâ succes-
su temporis instaurata, iterum Alarici Regis ductu, capta, direpta, incensa extitit.

III. Quid de pulcherrima urbium HIEROSOLYMA? quomodo vastata, exci-
*V. Ioseph. l. 6 & 7. de bello Iud.* saque fuerit à Romanis imperante Tito, nemo quisquam est opinor tam infans &
ignarus qui nesciat. Verùm ea instaurata, & habitari jussa ab iisdē Romanis, qua-
draginta nimirum vel circiter annis post ejus excidium, ab Hadriano fuisse iterum
rebellantibus Judæis solo tantùm non æquatam, atque adeò omnem ferè Ju-
dæam, testis est oculatus Iosephus: *Pauci*, inquit, *admodum evasêre, & à cæde su-
perfuêre.*

*perfuêre. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ ſunt. Vici ad nongentos, & octoginta quinque, qui ſanè frequentes & nominatiſſimi erant, direpti, & mox igne conſumpti ſunt. Viri in excurſionibus, & præliis ipſis 50000. cæſi fuêre, fame, morbis, ac igni ingens multitudo abſumpta eſt. Ita oīs ferè Iudæa ad internecionē deleta eſt.*

IV. Verùm, quàm Imperia ac Reſpub. mutationibus & divinæ obnoxiæ ſint Neceſſitati facinora nulla inulta ſinentis, clarè omninò teſtatur *Iſocrates* Orator ille Græcus: *Quamplurima*, inquit, *ſunt exempla, quæ docent, nedum privatas res ſed etiam publicas frequentiſſimis mutationibus eſſe expoſitas. Nam & nos vaſtata à barbaris urbe* (Athenienſi) *ob cautam & diligentem rerum adminiſtrationem, Principes Græcorum evaſimus: cùm autem nos potentia eſſe præditos inſuperabili putaremus, urbis excidium vix evitavimus. Et Lacedæmonii ex obſcuris olim, & parvis oppidulis progreſſi, vitæ modeſtiâ, & diſciplina militari Peloponneſum ſubegerunt: poſt autem faſtu, & ſuperbia elati, cùm terræ, mariſq; imperium adepti eſſent, eadem quæ nos diſcrimina ſubierunt. Quiſquis igitur hujuſmodi mutationes non ignorat, & cùm tantas opes tam ſubitò everſas videat, præſenti ſtatui tamen cōfidit, incogitans eſt*, &c. En rerum viciſſitudo, non tàm Oratoris, quàm Vatis penicillo depicta: pro qua etiam Juſtinianus noſter: *Quid enim eſt*, inquit, *tam ſtabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem*? præſertim ubi faſtus, arrogantia, fraus, injuſtitia, cæteraque vitia ſedes in Imperio ſibi ponunt. *Orat. Areo.* *Novel. 7.*

V. Teſtis etiam ſit celebris *Numantia*, *Saguntus*, *Carthago*, *Athenæ*, *Tyrus*, *Thebæ*, *Biſantii*, *Nicomediæ*, & aliæ ſexcentæ, quæ per ea vitia miſerabilem interitum ſibi peperêre, juxta verum Poëtæ verbum:

*——————— Ceciditq; ſuperbum,*
*Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.*

Iſtæ inquam, iſtæ præclariſſimæ urbes, quæ maximorum Regum, civium potētiſſimorum domicilia erant, jam ferarum cubilia ſunt, præter parietinas, videbis nihil.

VI. De Babylone quid dicam, tali inquam ac tanta urbe? Super ea ſic Nabuchodonoſor ejus conditor gloriabatur: *Nonne hæc eſt Babylon civitas magna, quam ego ædificavi in domum Regni* (hæc autem tempore *Alex. Magni*, aut paulò ante concidit, à Perſis nimirum capta & ſubverſa. Hoc verò tempore adeò diruta eſt, ut qui noviſſimè ejus inſpector fuit, dicat præter ruinas nihil apparere, ut vero ſimile ſit, inquit, divino conſilio ob aliquod grande flagitium everſam eſſe.

Atque harum quidem converſionum, vel everſionum potius Deum Opt. Max. auctorem eſſe, qui iuſto ſuo judicio impunita non ſinit atrocia ſcelera, quorum maximè familiam ducunt injuſtitia & ſuperbia, teſtatur Syrachidis oraculum: *Propter injuſtitias*, inquit, *& diverſos dolos transferuntur regna de gente in gentem* & Iſaiæ: *Quoniam defecit, qui prævalebat, conſummatus eſt illuſor, & ſucciſi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem.* Everſiones Rerump. ab incolarum flagitiis. *Cap. 10.* *Cap. 29.*

1. Ecce NABUCHODONOSORI minatur Deus: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor*

 *Rex,*

Daniel. 4. *Rex, Regnum transibit à te*, &c. *donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit, det illud.*

4. Reg. 17. Iosue 11. II. Ita & regnũ ISRAEL sustulit propter varia delicta, in Assyrios populo translato, & relicto tantùm populo Judææ sub Rege suo. Quemadmodum etiam dicitur de extremo Imperio Hebræorum: *Non fuit Civitas, quæ se non traderet filiis Israël præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon, omnes enim bellando cœpit Iosue Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.*

Herod. Curt Instin. III. Similiter evertit Deus *Macedonum Imperium* propter immania flagitia, & scelera quibus scatebant Macedones, ut & *Ægyptiorũ*, ob prodigos reges, probrososque & stupris, aliisque vitiis commaculatos.

———— *Nam cætera regna*
*Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit.*

*IV*. Notat etiam ex aliis illustrissimus Annalium scriptor Baronius *Britanniam* Epitom. fol. 554. anno Domini 446. ob scelera populi & Sacerdotum, à Pictis & Scotis dira strage fuisse vastatam.

V. Regnante Ataulpho Rege, Gothi *Gallias* invadunt, populanturque omnia, Indidem. non sine maxima incolarum strage. Quam calamitatem Salvianus Ecclesiasticorum vitiis tribuit: quos refert deterioribus moribus fuisse barbaris ipsis, quorum incursiones, & barbaricum furorem Aquitaniam etiam attraxisse deplorat hoc versu B. Prosper:

———— *Heu cæde decenni*
Lib. de Recto jud. & Providẽtia Dei. *Wandalicis gladiis sternitur, & Geticis.*
*Non castella petris, non oppida montibus altis*
*Imposita, aut Vrbes amnibus æquoreis.*
*Barbarici superare dolos, atque arma furoris*
*Evaluere omnes, ultima pertulimus.*

VI. Posterioribus verò temporibus, scribunt Anglicanarum rerum scriptores Polydor. eam Provinciam mirum quantùm afflictam fuisse, cum *Henricus II.* Thomam Cãthuariensem passus est occidi, imò posteros ipsius variis semper calamitatibus, & ærumnis tentatos fuisse, & plerosque (uti prædixerat D. Bernardus) occisos domesticis insidiis ac bellis: ipsum autem filiis ad hostes transfugientibus, bellaque commoventibus, variè intra fines ipsius Angliæ conflictatum esse certò scribunt.

VII. *Scotiam* petamus, & res in ea eodem sæculo gestas memoria repetamus, continuò videbimus eam tempore, quo Orthodoxa religio syncerè inibi colebatur, summo in otio, & pace fuisse: ubi verò nefanda hæresis fraudulenter in eam irrepsit, contemniq; cœpit ac vilescere cultus Catholicæ religionis, & S. Sedis auctoritas, tùm certè vidimus, omnia seditionibus misceri, ferro, flammaq; vastari, in ipsos denique Principes sævitiam exerceri. Constat ergò ob hominũ vitia, Regna sæpè

gna sæpè

gna sæpè de una gente in aliã transferri, quando illi placet, cui nihil injustè placet.

Incendio Respubl. nō rarò deleri.

Produxi in genere, & quasi per satyram, eversionis aut certè mutationis Imperiorum exempla: modò sigillatim subnectam multiformes interitus Rerumpubl. atque principiò, qui incendio contingunt. *Sunt* enim inquit Sirachides: *spiritus ad vindictam creati, ignis, grando, fames, mors, bestiarum dentes, & scorpii, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios.* Eccles. 39.

I. *Constantinopoli* tempore Leonis Imp. quo tempore incredibilibus vitiis, ac sceleribus laborabat, tantum exortum fuit incendium, ut universam Urbis tùm publicam, tùm privatam magnificentiam miserabili, & horrendissimo spectaculo in cineres redegerit, flammis durantibus in quartum usque diem, quæ nulla ratione ipso eo tempore extingui potuêre. Ex Evag. 2 c. 13.

II. *Neronis* verò ætate tantum incendium *Vrbem* invasit, ut è quatuordecim regionibus quatuor modò intactæ manserint, tres enim solotenus dejectæ, è septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera, & semiusta. Postea verò sub *Tito* Imp. incendio è terra oborto Serapidis, & Isidis fana, septa, Templum Neptuni, Thermæ Agrippæ, Diribitorium, Theatrum Balbi, Scena Pompei, Octaviæ porticus cum Bibliotheca, templum Jovis Capitolini, cum fanis vicinis igne consumpta periere. Tacit. lib. 15

III. At in Gallia eodem *Neronis* tempore *Lugdunum* (urbs illo ævo, quin & nostro florentissima) ita incendio una nocte deleta fuit, ut ne vestigia quidem ulla ejus superessent. Senec. epi. 9.

IV. In Polonia, ejus Metropolim *Cracoviam* quondam penitùs conflagrasse, auctor est Cromerus. Lib. 5.

V. Atque in vicina & modò afflicta Germania oppidum SCHILTACUM 4. Id. Aprilis, Anni 1533. incendio prorsus periit, à venefica, si Cardano fides, procurato. Lib. 19. de Subtilitate.

VI. Urbs etiam *S. Galli*, gravi & funesto igne tota intercidit, si tamen abeas à monasterio. Io. Stumsius

VII. Et quid ego longè petitis utor exemplis? an non nostro tempore, à 30. inquam circiter annis vidimus oppidum Stockholmiense planè incendio absumptum? ignis quippè cœlitùs in tuguriolum quoddam delapsus sic brevi temporis spacio totam pervagatus est urbem, & quidē plena meridie, ut quatuor horarum spacio urbem in aream redegerit. Haud aliena est à vero opinio existimantium ultionem illam divinam Stockhelmienses excepisse, quòd hæreticis nimioperè indulgerent: ego etiam blasphemiæ in Virginem Deiparam dictæ adscripserim, quam ejus urbis magistratus inultam permisisse ferunt. Provideant jam si sapiunt Stockholmienses, ut eam in cura Religionis Catholicæ adhibeant diligentiam, ne iterum ultrices illas flammas divinitùs experiantur.

II. Terræ motu.

Sequitur *Terræ motus*, magnum certè ac severum Divinæ Vindictæ supplicium.

*Epist. 91.* I. Quoties, ait Seneca, *Asiæ*, quoties *Achaiæ* urbes uno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria? quot in Macedonia devorata sunt? Cyprum quoties vastavit hæc clades? quoties in se Paphus corruit? frequenter nobis nunciati sunt totarum urbium interitus.

*Lib.7.ca.12.* II. Nec abit à vero Seneca. Adstipulatur enim Orosius quatuor urbes Asiæ, tres Galatiæ, duas Græciæ. terræ motu subversas, quid, quod in Sicilia præter urbes plurimas 25000. hominum prostravit.

*Ex Gre. Turon. 10. c. 54. Baron. in A. Christi. 111.* III. Clarum etiam in *Antiochia* exemplum, quæ anno VII. Imperii Iustini tota penitus concidit terræ motu, quem sequebatur ignis, scribente Evagrio, omnia, quæ priore calamitate supererant, depascens. Ita tota periit temporis momento urbs longè maxima, & quidem cum 60000 incolarum.

*Socr. 4. c. 10.* IV. Hanc excipiat *Nicæa*, quæ variis licet ante vexata terræ motibus, tandem annò 372. penitùs subversa fuit.

*Tom. 3. Ann an. Chr. 358.* V. *Nicomedia* quoque caput urbium Bythiniæ, Constantii Imp. tempore non tam terræ motu convulsa, & lacera fuit, quàm penitus absorpta, teste Ammiano lib. 17. cujus verba planè horroris plena refert nobilis Ecclesiast. Annalium scriptor Baronius.

Denique morbis, animalibusque virulentis.

Horret animus: ideoque parco pluribus, tantarum cladium imagine. Verùm hîc interjungo, & stylum delabi patior ad alium calamitatis calicem, è quo omne genus morborum & cladium nobis propinat Deus Opt. Max. qui *non fineret malum*, ut D. scribit Augustinus, *nisi ex malo sciret eligere bonum*. *De Corre. & gratia c. 10, Tom. 2.*

I. Scriptum igitur nobis reliquit Zonaras, pestilentiam sub Gallo, & Volusiano Impp. tantam in *Æthiopia* exarsisse, ut omnes Romanorum colonias per quindecim ipsos annos exhauserit.

*Indidem.* II. In *Græcia* verò tempore Michaëlis Ducæ, tàm funesta, latèque patens pestis fuit, ut vivi prorsus non essent pares mortuis sepeliendis.

*Eustat. in Ili Lib. 3.* III. Jam in *Pæonia, Sardania*, quid dicam? ranis in ea regione ita pluit (si fides veridico scriptori) ut præ multitudine illarum, & fœtore, novas sibi quærere sedes incolæ cogerentur, quod & de *Attariotis* testatur Diodorus Siculus.

*Isaiæ 15.* IV. Florens illa, & inclyta Babylon, nunquid cubile factum est immundorum animalium? Audi oraculum: *non habitabitur usq; in finem, & non fundabitur usq; ad generationem, & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis: propè est, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur.*

*Exod. 7. 8 9. 10.* V. De *Pharaone*, populoque *Ægyptiaco* nunquid supplicium sumpserunt ranæ, muscæ, locustæ?

VI. Denique, plures urbes urbiumque incolas ab animalibus vexatas memorat Plinius ex M. Varrone: Nimirum *à cuniculis suffossum in Hispania oppidum à talpis in*

*pis in Thessalia; ab ranis Civitatem in Gallia pulsam; ab locustis in Africa, ex Gyario Cycladum insula, incolas à muribus fugatos; in Italia Amyclas à serpentibus deletas; & citra Cynamolgos Æthiopas latè desertam esse regionem à scorpionibus, & solpugis gente sublata, & à scorpionibus abactos Trerienses auctor est Theophrastus.* *Lib. 8. Nat. Hist. cap. 29.*

Plura eiuscemodi exempla dinumerare piget, quibus liquidum est, Conditorē illum generis humani, vim quandoque suam in mortales, & mortalia omnia exercere: quod videmus dum ipse è mapalibus maximas urbes & imperia suscitat, rursumque ista ad interitum perducit, idque quando illi placet, cui scilicet nihil injustè placet. Itaque ex ejus decreto, *Lucret.*

*Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.*

Stat hodie, & viget Turcarum Imperium, sed in paucis annis, ut pleraque alia, mole corruet sua. O quàm curvæ & obstipæ mentes, qui Imperiorum, Urbium, Rerumpubl. mutationes sive etiam eversiones ad sidera nescio quæ cœlestia referunt, non ad eum qui cœlum, mare, terras, quæque in eis sunt omnia, diversimodè quidem, non ipse diversus, movet gubernatque! Siquidem si naturali corporum cœlestium influentia fierent, & solverentur Principatus, & Respub. certis modis fierent ejusmodi mutationes, & eodem modo: at illæ variis modis, & fiunt & dissolvuntur. Itaque non naturali influxu. Quin reprehendit Deus Babylonem, quæ ex calculis Astrologorum perpetuum imperium sibi promittebat: *Sta*, inquit *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum: in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, & salvent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ*, &c. Rursum, si stellarum cœli caussæ essent mutationis regnorum. & Rerumpub. auferretur à Deo majestas & potestas, à quo tamen *Reges regnant & legum Conditores justa decernunt*, Cœlum quidem est universalis causa rerum inferiorum sibi subditorum, teste Arist. in Meteor, in quo & consentit D. August. 3. de Trinit. c. 4 *Inferiora*, inquit, *& crassiora à sublimioribus subtilioribusque quodam ordine reguntur atque moventur*, verùm, motus ille cœli, tamquam instrumentum & secunda caussa, voluntate Dei tanquam virtute primæ causæ, agit in inferiora, juxta doctrinam ejusdem D. August. Tom. 3. opusc. 139. M. 3. cont. Gent. cap. 88. & D. Thom. 1. part. quæst. 115. & lib. 3. contr. Gentil. 85. P. Greg. l. 21. de Republica. Sed satis sit talium: obiter ostendisse sufficiat inverti, tollique Imperia, & Respublicas, nutu Dei summi Dominatoris omnium, *qui non veretur magnitudinem cujusquam, qui balteum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum*: quique pro absoluta sua voluntate, interdum & per caussas secundas, res eas invertit, immò quandoque evertit, in quibus fœlicitatem non pauci pravè ponunt: fluxam (dico potentiam rerum terrenarum. Verè felices, quibus

Mutationes & eversiones Imperiorum nō adscribēdas corporibus cœlestibus.

*Isa. 47. v. 12.*

*Proverb. 8.*

*Iob. 12.*

1.Timoth.6. bus post DEI LAUDEM & RELIGIONEM, unicum votum est SALUS POPULORUM. Illud enim est, ô Principes, quod ad æternam, & nunquam deficientem Monarchiam vos perducet, ubi *Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem*, vivit, & regnat cum sanctis civibus in pace & gaudio, cui honor omnis, & imperium sempiternum.

FINIS PRIMÆ PARTIS,

AD MAJOREM DEI GLORIAM.



PARS II.

# PARS II.

*CONTINENS*

## NOTAS, SIVE DISQVISITIONES MILITARES,

*IN*

## ONOSANDRI STRATEGICVM,

*Sive de*

IMPERATORIS INSTITVTIONE, CVM EXEMPLIS ET DOCVMENTIS.

*Auctore*

JOANNE à CHOKIER DE SVRLET,
Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonico ac Vicario Generali.



# PRÆSCRIPTIO AD LECTOREM.

COngruenti ordine, poſteaquam civilia ſuperioribus ſex APHORISMORVM libris tractauimus, Militaria ſubiecimus, inventione tamen, & compoſitione ONOSANDRI, multis antè ſæculis Græco ſermone in lucem data, & poſteà Latino, Italico, Hiſpanico, ac alijs linguis per diverſos (quod eius pretium eſt) reddita, NOTIS verò meis ſiue DISQVISITIONIBVS, &c. Exemplis illuſtrata. Itaque præponam ipſam ONOSANDRI Præfationem, exinde textum ſequentem, cum NOTIS. Siquid ex vſu tuo ſit, boni conſule, & cogita Deum à quo omnia manant, non vni omnia contuliſſe. Vale & his fruere, bone Lector.

*PRÆ-*



# PRÆFATIO ONOSANDRI.



QVi rerum equestrium, aut venaticarum, aut piscatoriarum, aut etiam rusticarum, commentarios conficiunt, apta & convenienti præfatione eos alloquuntur, quos operum huiusmodi sciunt esse studiosos. Rei verò militaris consideratio inspectioque tota, Quinte Verani, Romanorum propria est; eorumque præcipuè Romanorum, qui senatoria, amplissimaque optimatum auctoritate, ex Aug. Cæsaris prudentiâ decorati; quique Consulari, ac militari imperio armati, ornatique sunt: tùm propter singularem bellicæ disciplinæ curam, cuius non mediocrem adsequuti sunt peritiam, tum propter exempla, auctoritatemque maiorum. Hancce igitur militarem tractationem illis præcipuè dedicavi, non ut inexpertis, aut infrequentibus militiæ cultoribus; immò hac illorum scientiâ validè fretus, quâ rudes adhuc animos, & iam rebus benè gestis gloriosos secernere nôrunt, rectèque de re bellicâ sentientibus, gravissimæ fidei testimonium exhibere possunt. Vndè & si plerique animo iam fortè præceperint, his in commentariis à me nunc animaduersis, illud quoque animo meo valdè placuerit, quòd non solùm militares conscripserim enarrationes, verùm ad artem etiam militarem collineaverim. Et hæc tandem accuratio benè, fœliciterque processerit, si quæ Romani vi & virtute propriâ, perficiunt, illa ergo verbis, scriptisque aptè exhibuerim, tan-

tisque viris probaverim. Restat igitur, vt finem suscepti huius operis audacter eloquar. *Erit strenuis militibus exercitatio, sive ludus, & ueteribus, potissimisque Ducibus*, AVGVSTÆ *simul* PACI *donarium*. Dicamque ad extremum, cur Duces nonnulli victi aliquando, deceptique, succubuerint; alii præclarè, fortiterque faciendo, gloriæ & famæ stimulis excitati sint. Sed iteranda sæpè Romanorum virtus animis occurret: quos neque rex, neque civitas, neque gens vlla Imperii amplitudine superavit, immò nec tantam attingere vnquam potuit, nec tot sæculorum ætates mansuram firmare potentiam. Nec enim illi casu fortuito, sed virtute bellica, fortissimisque Ducibus Italiæ fines evadunt, & ad Orbis terminos latis iurisdictionibus ditionem suam propagant. Casus scilicet, sive fortuna subsidiarii, auxiliariique & commilitonis vicem præstat, non tamen Imperatoris, nec sunt penes eius arbitrium omnia. Stulti, qui rebus in bello malè gestis, solam fortunam, non etiam militum ignaviam, accusant, & victoriæ laudem, Ducum virtuti, consilioque ereptam, Eventui tribuunt. Nam veritati æquitative consentaneum non est, profligato exercitu criminari fortunam, Imperatorem prorsus inculpatum dimittere: & contrà valdè ingrati animi est, Ducem adepta victoria illaudatum prætermittere, ac omninò omnem vni Fortunæ referre gratiam, Enimverò, quando ita natura comparata sunt ingenia, vt scriptorum experientiæ, vsum aliquem præseferentium etiam infirmis adfirmationibus fidem tribuant, aliorum verò, vt inexplorati iudicii hominum, veris narrationibus diffidant, necessarium esse puto, susceptæ huic Strategematum expositioni, hancce præfationem præmittere: *Omnia, quæ hic à me dicentur, esse ab rerum vsu petita, Ducum auspicio, & ductu, quorum soboles, ac nepotes Romani, omnium facile ad hæc vsque tempora bellica virtute principes extiterunt: Nihil enim imbelli, aut juvenili insolentiâ inconsultè, ac temerè gestum conscribam, sed quæ Romani præclaris verisq; præliis vsurpaverunt. quæ pericula effugerunt, quæque justis armis deviterunt.* Non sum tamen nescius, eam fore nonnullorum sententiam, vt maiori se glo-

se gloria commendandos putent, si suaptè ingenio compositas Stratagematum artes hominibus credulis persuadeant, quàm si alienæ industriæ persequi vestigia videantur. At istis equidem minùs moveor. Nam vt si quis militaribus copiis præfectus, huiusmodi monimentis ad posteros traducendis operam daret, non ideò minùs fidem faceret, quàm si non solùm propriæ calliditatis inventa in medium proferret, sed ab aliis quoque fœliciter edita memoriæ proderet: sic etiam nec minoris mihi laudis debebitur gratia, etsi non omnia hæc meo solùm ingenio meditata fuisse profitear. Immò hinc etiam autumo, fore me illustriori commendatione, graviorique fide auctiorem, atque ab omni prorsus invidia, calumniaque securiorem.





# ELENCHVS CAPITVM STRATEGICI.

§. Im-

§. Imperator, siue Dux supremus suo exemplo milites prouocet.

§. De machinis ad oppugnationem.

§. Quomodo oppugnatio acriter vrgendo continuari possit?

§. Quo pacto Imp. siue Dux supremus quiescere à laboribus aliquando possit?


§. Loca, quæ obsessi inaccessa existimant, obsidentibus sæpenumero prodesse.

§. Quantum valeat Tubicinis opera in expugnatione?

§. Quid agere debeat Imp. siue Dux supremus vrbem expugnatam inuadendo?

§. Imbelles captiuos remittendos, si fame vrbs premenda sit.

§. Qualis esse debeat Imperator, parta victoria?



IOAN.



# JOANNIS A CHOKIER
## NOTÆ
## IN ONOSANDRI STRATEGICVM.
## CAPVT I.
### De eligendo Imperatore, siue Duce supremo militiæ.



E*Ligendum igitur* Imperatorem censeo, non certa quadam gente, familiâvè oriundum, vt sacerdotem, nec amplis facultatibus locupletem, vt gymnasiarcham; *sed castum*, temperantem, sobrium, frugi, laboriosum, intelligentem, minimè auarum, nec iuniorem, nec item seniorem; &, si fortè contigerit, filiorum patrem, dicendi peritum, ac demùm gloriâ illustrem. A. B.

*Castum* quidem esse opto, ne voluptariis distractus hinc inde cupiditatibus rerum curam insuper habeat maximarum. Temperantem verò, si quidem penes eum imperii summa est. Nam intemperantis animi motus semel admissi, liberas mentes subigunt, & impotentes feruntur in libidines.

*Sobrium, siue siccum*: vt in arduis negotiis parandis, putandisque peruigilet. Noctu enim quasi silente, & quiescente animo, multa Ducis cogitatio molitur, ac perficit. C.

*Frugi* verò, Facultates enim exhauriunt, & exsiccant prodiga familiarum ministeria, & immodesti, ac intempestiui sumptus in Ducum luxus, atque delicias. D.

*Laboriosum*: vt non primus à militiâ deficiat, sed postremus. E

*Intelligentem*: Nam acutum & perspicacem Imperatorem esse decet, & ingenij celeritate multâ simul agitante velocem. Cogitatio.n Ducis instar volatus, apud Homerum. Et sæpenumerò *inopinati tumultus* ingruentes, tumultuariam quoque vtilis consilij rationem expedire cogunt. F. G.

Inprimis verò probabitur *minimè Auarus*. Incorruptè enim & magnificè præesse ea demùm vera audacia, & summa authoritas est. Et plerique viri for- H.

tes, vmbonum, haſtarumque micantium ſtricturas oculis contra ſpectant irretortis, attamen auri, nummorumque fulgorem non ſuſtinent, mentiſque aciem hebeſcere patiuntur Terribilia hoſtibus illa arma, nec parum ad victoriam efficacia.

I. *Neque Iuniorem, neque* item *Seniorem.* Nam ille fide minùs idoneus; iſtius vires parum firmæ: neuter ſecuritatem præſtare poteſt. Etenim adhuc adoleſcentior, temerario & feroci impetu, rem deperdet: At iam deuexæ ætatis ſenex, *naturali infirmitatis vitio*, delinquet. Optima igitur temperatæ, ac intermediæ cuiuſdam rationis electio, quia & robur inerit ſeni iuniori, & prudentiâ iuueni ſeniori. Qui verò aut corporis vires abſque ingenii conſilio, aut conſilium abſque viribus probant, falluntur, nec hilum proficiunt: Nimirùm omiſsâ prudentiâ nihil ſapienti calliditate conſulitur; viribus deficientibus nihil rectè conſultum perficitur. Nec parum quidem erit præſidii, electo Duce Vulgi commendatione probato. Quem enim homines ſpontaneâ voluntatum inclinatione cordi habent, eius facillimè imperio parent, dicto audiunt,

K.

L. *periculis ſubueniunt*, decertantemque protegunt.

*Bonum ducem patrem eſſe malo, quàm illiberem, aut improlem.* Hic tamen ſi cæterà probus ſit, non repudiandus. Et ſi fortè paruuli filij ſint, eos, veluti potentiſſimas amoris illecebras, idoneos animi ſui obſides Reipub. relinquet. Iiſq; vt aſperis acerbiſq; aſylis, & œſtris ad bellũ pater incitabitur; Si verò iã adultæ ſint ætatis, conſultores, duceſque ac fidiſſimi ſecretarum cogitationum arbitri fient, reique publicæ ſtatum obfirmabunt.

M. *Dicendi peritum.* Hinc enim maxima, præcipuaque in exercitum commoda deriuari puto. Siquidem Imperatoris vehementi concione erecti, excitatique in procinctu milites, ardua quæque & formidoloſa deſpiciunt, & propoſitam in laudem, victoriamque acriter decertando conſpirant. Nec ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt, aut irritant, vt hortatrix ad virtutem, & gloriam oratio, intrepidas expeditæ aciei mentes ad oppoſita pericula erigit, ſtabilitque: immò & metu conterritos, peneque iacentes, ſæpè conſtanti roborat allocutione. Vndè efficax Imperatoris elocutio, exercitus ſtrages generosè ſolari, ac lenire docta, vtilior multò eſt longo vulnerariorum medicorum agmine: hinc enim ſolis remediis medicina vulneribus paratur; illinc defeſſi milites, viribus nouis reparantur fortes, addita etiam virtute magis animantur. Et quemadmodum latentium morborum ſanatio difficilior, conſpicuorum facilior: ſic enim longè maioris prudentiæ eſt, cæcâ pernicie deficientes, fugienteſque animos ab interitu reuocare, quàm corporis ægritudinem plerumque liquidò manifeſtam ſanare. Nulla igitur Reſpublica, aut exercitum ſine Imperatore, aut Imperatorem abſque eloquentia, mittat.

Illi-

Illuſtrem denique, & generoſum. Ignobilis enim Ducis principatum æ- N.
grè ferre populus ſolet, & vix eſt, vt illius imperio, ditioniuè ſubijci velit. Quocirca neceſſe eſt, eum, qui præclaras omnes, quas enumeraui, ingenii dotes complexus ſit, etiam eſſe illuſtrem, ac virtute nobilem. Sed ne diuitem tamen, vt iam vitioſa electio ſit, pecuniarum habitâ ratione. Nec item pauperem, vt inopiâ preſſus, ſeſe excuſare poſſit. Neque diuitem quidem, neque pauperem: ſed tamem diuitem, & pauperem; neuter verò ſortitione probandus, aut improbandus, ſed delectu conſiderato, diiudicandus. Diues enim virtute præditus, tantùm ab generoſo paupere differt, quantùm argentea, aureaque arma, ab æreis ferreiſque diſparata ſunt. Illa enim ornamento quoque abundè exſuperant; hæc verò ſolâ vtilitate, ac neceſſitate cum illis certant.

*Quæſtuarias item artes* minimè exerceat. Eius enim conditionis homi- O.
nes, licet ditiſſimos, vix vnquàm Duces eligendos cenſeam. Nummularios dico arulatores, mercatores, aut his ſimilia commercia pertractantes. Eos enim demiſſo, abiectoque eſſe animo neceſſe eſt, vtilis tantummodò lucelli vilitate captos, & cumulandis opibus ſtolida auaritia deſipientes, nec vlla vnquam præclara Reipub. tributa opera, aut vllis maiorum meritis nobilitatos. Nam & gentilem quoque, ſiue maiorum virtutem amare licet præſentem, nefas quærere abſentem, aut huius tantùm gratiâ, & fauore dignos imperio aliquos exiſtimare. Vt autem animalia, quorum ſtrenua opera eſt, generoſa dicimus: ſic generoſi homines, ex ſuâ propriâque non alienâ, aut adſcitiâ virtute, iudicandi. Amentis enim eſt, quid præclarè à maioribus geſtum ſit inſpicere, nec quid ipſemet eligendi præſtare poterunt, expendere. quaſi verò q. olim ante nos vixerunt, vrbem, remque publicam nobis ſeruare valeant incolumem, maneantque eadem illa nunc, quæ pridem extitère. Nonnè verò abſurdum illud videbitur, milites honorariis præmiis decorare, non proauorum ſplendoribus claros, ſed audaci facinore valentiſſimos? Duces tamen inſpectâ maiorum, quantumuis illuſtrium, gloriâ eligere, non verò propriâ ipſorum virtute, licet gentilitia careant? Hæc certè ſi adſit, beatum prædico Imperatorem; at illa ſi deſit, ignauum, inertemque iudico. Nec male forſan ſperauit aliquis, Duces præſtantiores futuros, ſi auorum magna ſonare nomina nequeant. Illi namque parentum virtutibus celebres, etſi degenerent, famæ nihilominus, ac memoriæ perennitatem æternum manſuram exiſtimant, ideoque permultis in negotiis ſupino animo deſidioſi iacent. Secùs qui nullam ſibi generis arrogant gloriam. Humilem enim ortum, vt ſuapte induſtriâ honeſtiſſimum reddant, multis ſuſceptis aditiſque periculis pleniore omnium ore laudari diſcupiunt. Atque vt ij, quibus pauperrimæ, tenueſque ſunt reculæ, parandis, augendiſque vitæ præſidiis, ac fortunæ damnis ſarciendis promptiores diuitibus eſſe ſolent: pari quoque ratione, qui nullos hæreditarios honores

cernere possunt, peculiari propriaque virtute, gloriam, laudemque magnopere sibi adserere, ac vindicare conantur.

# *NOTÆ IN CAPVT I.*

A. ELigendum Imperatorem censeo.] *Meritò orditur à dilectu Imperatoris, siue supremi Ducis, illiusq; Notis, & cōditionibus; vt pote* cui⁹ fidei, atq; virtuti, possessorum fortunæ, tutelæ Vrbium, salus militum, Reipub. creditur gloria. *Ergò, cùm tantæ potestatis insignia vni tribuantur; verum est, eum virtutibus ijs debere præcellere, quas hic ordine ponit Auctor. Harum enim si expers fuerit, næ non ille suæ laudi, multò minùs Reipub. consulet: cùm boni Ducis munia commodum sine ijs explere nequaquam possit. quod verbo satis scito significauit Gabrias Atheniensium Imperator, cùm dixit: Magis timendum esse ceruorum exercitum, cui Leo dux præsit, quàm Leonum, qui ducem habeat ceruum. quo indicabat, multū referre, quē Ducē eligas: nā eius vilitatē, vel virtutē, exercitui perniciem, vel salutem afferre. Ideò I. Cæsar in Hispaniam proficiscens contra Petreium, aiebat, non magni eum se facere, quòd rem cum exercitu sine Duce haberet. Nec fallebatur. Nam,* vt remiges sine gubernatore, ita milites sine Imperatore nihil valent.

Veget. lib. 3. — Plutar. — Plutarc. cæs. — Suet. c. 24. — Quintil. l. 5.

B. *Castum.*] Ratio apud Arist. (5. Polit.). quòd *solutè viuentes despicabiles fiant, & multas opportunitates præbeant insidiantibus,* alia apud Xenophontem: *q; qui insano tenentur amore, haud aliter institui possunt, vt aliud magis, quā suam voluptatem curent. Testis inter sexcentos Antonius, cuius animus,* inquit, Plut. *vt in corpore amicæ viueret, in ipso moriebatur. Et quanquàm dimidium Imperij administrandum haberet, & infinita negotia, nullis tamen rebus vacare poterat, nec Legatos audire, nec hostium conatus animaduertere, nec res ad bellum necessarias præparare, nec amicorum, & sociorum amicitiam fouere. Quid quæris? nihil omninò aliud animo obuersabatur præter Dominam: quæ mentem eius adeò captiuam detinebat, vt ne per horam quidem ipsam ad munia publica referre posset. Vndè factum, vt dum nimiopere amoribus indulget, ab hoste vincatur, & plus tertiam orbis terræ partem amittat, & tandem vim sibi inferat malè conscius insanæ turpitudinis suæ.* Hæc Plutar. *Itaque imperaturus,* refrenet primùm libidines, *inquit Cicero,* spernat voluptates, animi labes repellat: tùm incipiat aliis imperare, cùm dedecori, & turpitudini parere desierit. Ideò stante Repub. Rom. Legati, & Proconsules siue Imperatores sine vxoribus proficiscebantur. Senec. 2. Contro. *Hic est Flaminius qui exiturus in Prouinciam, vxorem à portâ dimisit: nam vlterius prodijsse turpe.* Tacitus lib. 3. Annal. *Seuerus Cæcinna censuit, ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur.* D. Hieronym. ad Eust. de Virg. seruan. *Nemo miles pergit ad prælium cum vxore.* Quod nec permissum Iudæis. vide Deutero. 3.

Lib. 3. Cyr. Pæd. — Plutarch. — Paradox. 5. — Lib. 9.

C. Sobrium.] *Iulium Cæsarem fortunam sibi fabricantem temperantiæ addictum fuisse*

fuisse, scripta super eo edita testificantur: adeò vt Cato dixerit: *Vnum ex omnibus, Cæsarem ad euertendam Rempub. sobrium accessisse.* Non talis Vitellius, qui *ignarus militiæ. improuidus consilijs, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo, trahendovè bello modus alios rogitans, & ad omnes nuncios vultu quoque & incessu trepidus, deinde temulentus.* Mittamus Vitellij abdomen. Terror ille Romanorum Hannibal, sæpè tunc minimè bibit cùm maximè sitijt: & vt sitim suam redderet docilem, aquam quandoque spectauit, sed nec guttam libauit inde. Suet. cap. 52. Tacit lib, 16.

D. *Frugi.*] Etenim ex vero inquiebat Cyrus ille Xenophontæus, *Parsimoniam firmissimum esse penu rerum agendarum.* Vnde Scanderbegus inclytus militiæ Dux dictitabat, belligerandum ita esse hodie, vt cras etiam belligerare possimus: habendus itaque apparatus, dispensandæ vires, partiendum ita patrimonium, vt quotidie emergentibus nouis creditoribus, soluendo esse possimus.

E. *Laboriosum.*] Valerium Coruinum dicere solitum legimus: *Facta mea, non dicta vos milites sequi volo: nec disciplinam modò, sed etiam exemplum à me petere.* De Cæsare Tranquillus: *Laboris vltra fidem patiens erat, & in agmine nonnunquam in equo, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset.* Sic apud Lacedæmonios *Agesilaus* existimabat, Imperatorem decere potiùs, vt tolerantiâ, quàm mollitie priuatis hominibus antestaret. Nam etsi quando vsu veniret, vt laborandum exercitui esset, sponte suâ supra cæteros laborabat: quod arbitraretur, eiusmodi munia militibus esse solatio. De *Manuele* Imp. Choniates: *Vrbis*, inquit, *Dorilæi instaurationem aggressus, ipse primus saxa humeris portare cœpit: eâque re aliorum alacritatem ita excitauit, vt murus celerrimè in altum eiectus, vallo extrinsecus muniretur, & intra mœnia putei complures, vt affatim aqua suppeteret, effoderentur.* Meritò ergò inter boni Ducis notas ponit Onosander, laborum tolerantiam. Nam vt canit poëta: Cap. 57. Xenophon in eius laud.

*——————Tum promptiùs ibunt,*
*Te socio, tum conspicuus gratusq; geretur*
*Sub te teste labor.* Claud. 4. Hon. Tacit. 5. Hist.

*Sit ergò ipse* Dux plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto semper Ducis honore, & vt Cicero inquit, *cui adsit labor in negocio, in periculo industriâ, in agendo, & conficiendo celeritas.*

F. *Intelligentem.*] Qui etiam occasiones rei benè gerendæ non intermittat: quod & supra in Aphorismis notaui lib. 3. cap. 21. confirmatque D. Starouolschius lib. 1. Rei milit. cap. 15. exemplo *Amuratis* I. qui cùm vidisset Principes Græciæ cum suo Imperatote bellum gerere, subsidia vtrisque dabat; vnde posteà totam Græciam eius successores occuparunt, seseque Bizantij Imperatores constituerunt. Ijdem Hungaris postea bellum intulerunt, cùm Proceres inter se discordes animaduertissent, & Regnum pœnè totum occuparunt.

*Guilielmus* quoque Orangius ab *Albano* toto Belgio cum exercitu ſuo eiectus, iterum conſcripto in Germaniâ milite, in Prouincias intrauit, imminens occaſioni, cùm ſcilicet *Albanus* moleſtâ tributorum exactione, & ſeueritate nimiâ populorum animos à ſe abalienaſſet; easque belli faces intulit Belgio, quæ tot annorum ſpatio nullis Vrbium concidentium ruinis opprimi, nullisque cruoris extingui fluminibus poſſunt. Vnde apud Dionem affirmat Cicero, *plura negotia occaſionum opportunitate, quàm viribus fœliciter expediri.* Quare, qui ad præclara adſpirat facinora, in agnoſcendis ſagax, patiens in exſpectandis, & diligens in arripiendis occaſionibus eſſe debet: quas quia intelligunt Turcæ, & Hiſpani, tot ſibi populos, tot Prouincias ſubiecêre, nunquam tam potentes futuri, ſi opportuuitatem oblatam non fuiſſent amplexi.

G. Inopinati tumultus.] *Non in rebus bellicis valet illud Plautinum:* Inſperata ſæpè accidunt, quàm quæ ſperes. *Quò fit, vt è re nata, & difficili promendum ſæpè ſit ſubitum conſilium: quod eius modo eſſe, qui ingenio præditus ſit acerrimo, nequaquam dubitari poteſt. Non iniuria ergò Ducem ſuum vult Onoſander ingenij perſpicacitate multa perſpicientem.* Vt enim ſublato gubernatore, nauis vniuerſa cum ipſis vectoribus facilè in poteſtatem hoſtium venit: ſic vbi in bello hoſtilium copiarum Ducem aſtu, & concilio circumueneris, eodem non rarò etiam vniuerſum exercitum in tuam redegeris poteſtatem. Vigor ille animi & confidentia hoſtem expugnandi, ſæpè victoriam parit. Polyb. lib. 3.

H. *Minimè auarus.*] Rationem ſupra dedit Onoſander: præterquam quod tales auari haud amentur à militibus, neque fideles Principibus ſuis ſint. Imò haud adſciſcendi qui prædia hoſtico confinia habent. *Vnde apud nonnullos populos,* inquit in Politicis Philoſophus, *Legibus ſancitum erat, ne ij qui agros hoſtibus finitimos haberent, in conſilium adhiberentur de bello quod cum finitimis ſuſcipiendum eſſet; quaſi rei priuatæ adſpectus impediat, quò minùs prudens quis conſilium capere poſſit.* Lib. 7. c. 10.

I. *Neque iuniorem.*] Legimus tamen *octauo decimo ætatis anno Gn. Pompeium; nono decimo Octauianum ciuilia bella ſuſtinuiſſe.* Rationem ſubdit Hiſtoricus: *pleraque enim in ſummâ fortunâ auſpicijs & conſilijs, quàm telis & manibus geri.* Sed non mirandum eſt ætate iunioribus demandata Imperia: quia, apud Romanos artis militaris principia & fundamenta quaſi cum lacte materno imbibebant. Narrat Liuius Scipionem defunctis patre & patruo in Hiſpaniam miſſum fuiſſe ætatis ſuæ annum agentem vigeſimum quartum. Plura eiuſmodi videat qui volet apud Scipionem Amiratum diſſert. Polit. 17. c. 3. Tacit. lib. 13. Sueto. c. 8. Lib. 16.

K. *Naturali infirmitatis vicio.*] *Similia apud Salluſtium:* In ſene vmbra, nomenque hominis relictum eſt, vires corporis effœtæ, ſenſus oculorum, atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtuſus, denique ſenio confectus, parùm animo valet. *Ideò Homericus ille Neſter:*

In consiliis præcipuus, bello inutilis. Iliad. 4.

*Notum adagium*: facta iuuenum, consilia mediocrium, vota senum.

L. Periculis subueniunt.] *Olim cautum erat, vt qui Præpositum suum protegere aut nollet, aut desereret, eo occiso, capite puniretur, vt rectè ex Modestino notauit V. C. Nicolaus Rigaltius, & I. Lipsius in libris de Militiâ Romanâ.* L. 3. in fin. ff. de Re milit.

M. *Dicendi peritum.*] Nam Imperator exhortationibus suis exercitum suum ad contemnenda pericula accendit & ad gloriæ cupiditatem animosum reddit: neque tubæ sonitus cuisque aures percutiens, ad bellica opera æquè commouet animos, atque eosdem impellit (si cum perspicacitate ac sapientiâ coniungatur) quàm oratio. *Qui nesciat, apud Romanos dicendi facultate plurimùm Cæsarem valuisse, apud Græcos Alexandrum Magnum, & apud Thebanos Epaminondam, qui testo Probo.* Lingua priùs, quàm armis vicit? *Certè quantum valeat eloquentia in armis, idem ille docet Cæsar, & testatum fecit eleganti oratione, quam ad milites in Thessalia fusos à Pompeianis habuit, verbis quidem memoratu dignis:* Hac, *inquit*, habitâ oratione, exercitui omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, vt nemo aut Tribuni, aut Centurionis imperium desideraret; & sibi quisque etiam pœnæ loco, graviores imponeret labores, simulque omnes arderent cupiditate regnandi. *Vide ergò, quanto merito subijciat auctor:* Vnde efficax Imperatoris elocutio, *&c.* In Epamin. Lib. 3. Ciuil.

N. *Illustrem, & generosum.*] *Hoc item voluit Agrippa:* Nam si parui preci hominibus, *inquit*, Rempub. committas, mox nobilium iram, propter contemptam eorum fidem in te prouocabis, & maximis in rebus clades patieris. Quid enim præclari homo ignauus, aut ignobilis gerat? quis eum non despiciet hostis? quis ei socius obtemperet? quis militum non dedignetur sub signis eius esse? *&c. Iure itaque reprehensus Vitellius Cæsar, quòd* magnam Imperij partem nonnisi consilo, & arbitrio vilissimi cuiusque histrionum, & aurigarum administraret, *vt Suetonius Tranquillus scriptum reliquit. Nostris quidem temporibus optandum planè esset, vt nobilissimi Legionibus præficiantur, quò nobilium officialium prouocati exemplo, cæteri nobiles pedestribus copijs sese libentiùs inscribant, qui prauo iam, & præpostero more à peditatu, in quo alioqui vis omnis, & robur exercituum inest, abhorrere videntur.* Humili tamen loco natos prætulerunt nobilibus ignauis. In Rege Longobardorum legimus, qui à matre licet meretrice expositus fuisset, tandem Rex creatus Lombardorum, fœlicissimè nihilominus administrauit. De Viriatho scribit Florus: qui cùm calliditatis acerrimæ esset, ex venatore latro, ex latrone subitò Dux atque Imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus fuisset. Atque hoc quidem non caret ratione. Nam vt Leo Imperator in suo libello de Bellico apparatu inquiebat, *quemadmodum animantia omnia, ex moribus illorum & actionibus exquirimus, vtrùm generosa sint, an inertia: sic & hominum nobilitatem, non ex maiorum laude, sed ex suis ipsorum actionibus & rebus gestis æstimare* Apud Dionem lib. 52. cap. 12. Mart. Polon. in ven. leonis. Lib. 2. c. 17. Lib. 2. c. 31.

*æstimare oportet*. Cùm tamen nobilitati iungitur virtus, splendet illa magis, sicut in auro emblema inclusum, ideoque soli nudæque virtuti anteponenda est.

Hactenus exsecutus est Onosander boni Imperatoris, seu Ducis animi corporisque dotes: at vnum addendum videtur, ne collegam paris potentiæ habeat. hoc malo suo olim Athenienses didicerunt, qui totum exercitum in Siciliâ pessundederunt, quod Duces æqualis potestatis discordes inter se fuissent. Et Hispaniarum Reges eandem ob causam in Aphricâ magnum suæ existimationis & rerum iacturam fecerunt: nec mirum, nam vel Poëtæ sensu:

*——— omnisq; potestas*
*Impatiens consortis erit.*

l. Vn. c. Negot. ne milit. O. Quæstuarias item artes.] *Iustiniani Constitutione negotiatores, mercatoresq; omnes à militiâ arcebantur, recepti priuabantur.*

---

# CAPVT II.

## *De bono Duce distincta tractatio.*

A. MAximè quidem colendus, & obseruandus est Imperator *bonus*, nobilis & diues; non tamen improbandus pauper virtute gloriosus, etsi nec origine generosus. Electus verò appella-
B tusque Imperator, æquus, benignusque sit, *affabilis, facilis*, intrepidus ac placidus. Sed non ita simplex, aut mitis, vt despiciatur; neque adeò tetricus, & austerus, vt in odium veniat. Ne scilicet gratiosâ nimis dissimulatione militum animi soluantur, atque lasciuiant, neve item nimio bellicæ disciplinæ terrore abalienentur. Ipse autem, ordinarios, manipularios, primipilos, cæterosque ordinum ductores, suo arbitratu, aciei præficiat; eosque
C potissimùm, quos nouerit patriæ amantissimos, fidelissimos, valentissimosque: nihil vetabit quin etiam locupletissimos, & *nobilissimos*, Nec enim permultos præfectos, tàm accurato morum, ac vitæ examine licet expendere, quàm per solos Imperatores, ac Duces, etsi diuitiarum cum nobilitate insolentior aliquando sit fastus. Itaque in ciuili trepidatione, & occasionis puncto, præponenda quidem nobilitas; in penuriâ verò, posthabitâ nobilitate, optanda potiùs opulentia est. Diuites enim, sumptus in exercitum liberali animo commodè facere poterunt. Illa autem huiusmodi Præfectorum munificentia, militum beneuolentiam prouocat, securitatemque conciliat, in rebusque arduis tutior fides, quando milites, spe maiorum præmiorum, pericula quæque audaces adibunt; si tamen strenuè se gesserit Imperator.

IN

# IN CAPVT II.

A. IMperator bonus.] *Hanc bonitatem siue humanitatem in militum curâ depre-* Humanitas Imperatoris.
*hendi in Alexandro Magno, Cùm enim semel,* vt Plutarchus inquit, *frigore pene confectus esset, igniq; corpus refouens aßideret, gregarium vidit ex suis militem algore prope mortuum, & torpentem, hìc loco & sede suâ exsiliјt, militemq; illum in suâ sede collocauit. Eademq; humanitas in Traiano Imp. annotata, dum milites in prælio vulneratos curabat: sed quâ diligentiâ? cùm fasciæ, inquit Historicus, & volumina deficerent, nec suæ quidem vesti pepercit, sed eam totam in ligamenta, & fomenta discidit.* Dio Cass. *Tertium exemplum addi potest è Velleio, qui de Tiberio scribens, ait sic:* Per omne belli Pannonici tempus, nemo è militibus, cuiuscunque gradus imbecillus fuit, cuius salus, & valetudo non ita sustentaretur Cæsaris curâ, tanquam distractissimus ille tantorum operum mole, huic vni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publica, cuius vsum cùm alii, tùm ego sensi. Iam medici, iam apparatus publici, iam in hoc solum importatum instrumentum balnei, nullius non succurrit valetudini. *Laudandi hac in parte Hispani, quorum si quispiam sit læsus, tantam cæteri curam eius sustinent, vt nullis in eo curando sumptibus, & periculis parcant.* Laudandus etiam Alexander Imperator Romanus, de quo ita Historicus: Cùm igitur tantus ac talis Imperator domi ac foris esset, iniјt Parthicam expeditionem: quam tantâ disciplinâ, tantâ sui reuerentiâ egit, vt non milites, sed Senatores transire dicerentur. Quacunque iter legiones faciebant, Tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsum verò ob hæc & tanta bona, prouinciales vt Deum suspiciebant. Iam verò milites, iuuenem Imperatorem sic amabant vt fratrē, vt filium, vt parentem: vestiti honestè, calceati ad honorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippiјs ac frenis decētibus prorsus; vt Romanā Remp. intelligeret quicūq; Alexandri exercitum vidisset, elaborabat denique, vt dignus nomine Alexandri Macedonis videretur.

B. *Affabilis facilis.*] Caium Curionem dicere solitum Plutar. refert: Tribunum plebis decēre, aditu difficilem non esse, sed facilem, ac multitudini commodum, & tractabilem; fuisseque Romanorum moribus constitutum, vt domus Tribunitiæ ianua, nec noctu quidem clauderetur, sed interdiu noctuque semper tanquam portus, & præsidium periclitantium vnicuique auxilio Tribunorum egenti pateret. Constatque M. Ciceronem, cùm amicos Prætoribus & aliis Magistratibus commendaret, id maximè ab ipsis postulasse, vt adituris se iuris experiundi gratiâ, facillimos se præstarent. De Germanico Tacitus exitum eius referens: *Indoluêre exteræ nationes Regesq;: tanta illi comitas in socios man-*

Affabilitas

In problemat.

Lib. 2. annal.

*ſuetudo in hoſtes: viſuq́; & auditu iuxta venerabilis, cùm magnitudinem & grauitatem ſummæ fortunæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugeret.* Quo documento ſi Tribunus animum imbuerit, *magis haud dubie milites in officio continebit: contra, metu, aut nimio rigore, naturæve toruitate ab ſeſe opidò abalienabit. Ideò Sulla, poſtquam in Africam, atque in caſtra Marij cum equitatu venit, rudis antea, & ignarus belli, ſolertiſſimus omnium, hacce virtute in paucis tempeſtatibus factus eſt. Nam* milites benignè appellare, multis rogantibus, aliis per ſe ipſe dare, beneficia inuitus accipere, ſed ea properantius, quàm & mutuū reddere, ipſe ab nullo repetere: magis id laborare, vt illi quamplurimi deberent: ioca, atque ſeria cum humillimis agere: in operibus, in agmine, atq; ad vigilias multus adeſſe: neque interim, quod ambitio praua ſolet, Conſulis aut cuiuſquam boni famam lædere. tantummodò neque manu priorem alium pati, pleroſque antevenire. *Notentur boni Ducis inſignia.* Abſit *ergò* ſuperbia, *inquit Plinius,* abſit aſperitas: nec timueris contemptum. An contemnitur, qui Imperium, qui faſces habet? Niſi qui humilis, qui ſordidus, & qui ſe primus contemnit? Malè vim ſuam poteſtas aliorum contumelijs experitur, longeq; valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor. *Quod quidem in Hermocrate Xenephon oſtendit, quippè cuius humanitas tantùm apud milites valuit, vt* quotidiè manè, & veſperi circa ſuum verſarentur tabernaculum; ſciſcitantes, quid dicendum, faciendumvè eſſet. *Pyrri verò affabilitas tanta fuit, tantaq́; ars conciliandi homines,* vt Italicæ gentes Regis externi; quàm populi Rom. tamdiù in eâ terrâ imperium mallent. *Verùm enimuero hanc facultatem, hanc affabilitatem, atque humanitatem hactenus in Duce laudarim, vt eas quandoque ſeueritate temperet, dictante hoc mihi Vegetio:* Dux, *inquit:* Auctoritatem maximam ſeueritate ſumat: omnes culpas militares legibus vindicet; nulli errantium credatur ignoſcere. Exemplum Manlij Torquati apud Valerium Max. qui vt milites in officio contineret, filium victorem & ſpecioſa ſpolia referentem, quod eius iniuſſu pugnaſſet cum hoſte, virgis cæſum ſecuri percuſſerit. Ita Manlius ſeueritate magna & imperioſis edictis diſciplinam militarem mirum in modum ſtabiliuit. Seueritati tamen miſceatur humanitas, vti fecêre præter iam dictos Valerius Coruinus, qui omni genere humanitatis milites ſuos proſequebatur, quo nomine eorum animos quocumque vellet flectebat, obedientiſſimoſque reddebat. Hæc autem humaitas etiam extenditur ad conuictum & menſæ communionem, vtpotè per quam familiaritas contrahitur amicitiaque conciliatur. Vt verè dixiſſe videatur Cato, menſam maximè amicitiæ eſſe conciliatricem. quod & Theocritus indicaſſe videtur cùm dixit.

Salluſt. Iugur.

Lib. 8. epiſt. 24.

Lib. 1. Rer. Græcan.

Liu. 5.

Affabilitas quatenus admittenda.

Lib. 3. c. 10.

οἱ μίαν ἄμφω ἰα ἄιροι ἀεί δαίναντο τρά'πεζαν:

*Qui ad menſam ſemper eandem*
*Cœnabant ambo fidi, nimirum vt amici.*

Huma-

Humanitas itaque, vt inquit Val. Max. vincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem lacrymis permiscet. Lib. 5. ca. 4.

C. Nobilissimos.] *Non tàm genere, vt diximus, quàm moribus. Nam & Cæsar*, non minùs à milite, *verba eius sunt*, modestiam & continentiam, quam virtutem, & animi magnitudinem exigebat, rectèque dicebat Præsul Salesbriensis. *Honestas idoneum reddit militem, & verecundia, dum prohibet fugere, sæpè facit esse victorem. Quinimmò errorem maximum committi, dum militaribus muneribus deferendis sola nobilitas respicitur docet ègregiè, & acutè suo more doctiss. Amiratus. Ideò Turcis hic mos inoleuit in honorum, & munerum distributione, vt non is, qui nobilitate generis alios superat, sed qui fortitudine, & experientia rei bellicæ reliquis præstat, ad supremas dignitates euehatur, quas immensæ opes & diuitiæ necessariò consequuntur.* Quorum tamen institutum minùs laudo. Nã magna opus est auctoritate, vt imperetur armatis. Tribus verò, Centurionesque nobiles plus auctoritatis habent, tùm quia claro sanguine, tum quia totâ familiâ in dignitatibus, & cum imperio domi versatur, ab illis etiam plura sperantur, vt fælicibus; qui verò conserui sunt, qui omnes ex eadem cellâ, vel ergastulo prodierunt, cõtumacius parent æqualibus vel etiam in pace subiectis. Hanc ob causam nobiles Duces, & Centuriones ferè conquirunt Germani, qua de re plura videantur supra lib. 5. Polit. Aphoris. Cap. 3.

Nobilitas sola non spectanda in militum munijs deferendis. Lib. 1. Comment. Polier. 6. cap. 3. Lib. 17. Dissert. Disc. 3.

# CAPVT III.

## *Oportet Imperatorem siue supremum Ducem habere Consiliarios.*

Seligat etiam sibi *adsessores*, qui consiliorum omnium participes fiant, quique secum vnà sententias suas communicent; siue illos eius rei gratiâ in suo comitatu habuerit, siue ex præfectis ipsis illustrissimos quosque assidere sibi iusserit. Nam cogitata quidem, diligenter putanda, tractandaque sunt; solus autem proprias opiniones non rectè statuit, aut confirmat. Sententia enim absque adstipulatore solitaria, molimine proprio facilè labitur, ac deerrat; quæ verò consultorum cautionibus comprobatur, tutò ipsa *constituitur*. Sed neque adeò incertus, aut inops consilij sit, vt ipse sibi incredulus vsquequaque diffidat; nec tam perficaciter arrogans, vt ab nemine meliora promi posse existimet. Nam necessarium est, aut eum, qui cæterorum omnium consilijs fidem semper habet, suis nunquam, multa sæpè inutilia peragere; aut, qui neminem vnum, præter se, audit; sæpenumerò multa quoque peccare.

A. B.

# IN CAPVT III.

Consilia habeat. Imper. A. ADsessores.] Olim ab Euripide sapientissimè dictum: *Vnicum rectum consilium magnam militum manum vincere.* In pugna Carthaginensium aduersus Romanos & M. Attilium fidem illud accepit. Siquidem vnus *Xantippus*, Polyb.lib.1. Lacedæmonijs atque vnà eiusdem sententia multitudinem, quæ antea inuicta & insuperabilis fuerat, vicit superauitque; adque profligatam vrbem, & collapsos tot virorum animos instaurauit ac erexit. *Atque hoc institutum adeò Carthaginensibus placuit, vt in crucem tolli Imperatores iuberent, qui sine consilio, etsi alioqui prospero, & felici, rem bellicam administrassent. Etenim existimabant, nec falsò, non tàm numeroso exercitu, quàm multitudine Consiliariorum, bellicam rem administrari.* Lib. 1. Ciuil. *Ideò rectè I. Cæsar dicebat*: Non minùs esse Imperatoris, consilio superare, quàm gladio. De *Ifricate* legitur apud Probum: *Nusquam culpâ suâ malè rem gessisse, semper consilio vicisse.* Sed vt manu strenuus etiam sit, & consilio validus, inuentu difficilis *perrara est in vnâ, eademque personâ talis facultas.* Itaque difficillimum, *inquit Sallustius*, vt quis prælio sit strenuus, & bonus consilio; quorum alterum Iugurth. ex prouidentiâ timorem, alterum ex audaciâ temeritatem adferre plerumque solet. *Hoc in Belgio notatum in Comite Egmondano, & Principe Aurangiæ, quorum illum militiâ, & minùs consilio; hunc consilio, non etiam militiâ valuisse constat.*

B. *Constituitur.*] In Alexandro Magno apud Curtium legitur quod sine suorum consilio Ducum nihil vnquam prosperè gesserit, præsertim Parmenionis, de quo idem Curtius: *Multa sine Rege prosperè, Rex sine illo nil magnæ rei gesserat.* Adde, quod consilia ista necesse sint arcana: consilium enim à silentio dictum, sine quo nullum est. at de hoc vide Onosandrum infrà Cap. 10. 5. 7. & quæ scripsi suprà in Aphorismis lib. 3. cap. 15.

# CAPVT IV.

## *Bellum nisi ob iustam, & legitimam causam non suscipiendum.*

A. PRincipia ipsa belli prudentissimè constitui oportere censeo; ita *vt æquitatis* ratione suadente, suscepta esse manifestò appareat, tunc enim exercitui, contra hostes, socius bellorum Deus, propitius adsistet;

adsistet; ipsique adeò milites erunt adeundis periculis promptiores. Postquàm enim perspexerint, se iniuriam non inferre, verùm illatam propulsare; nullius impietatis conscij, absoluta cum virtute, excelsoque animo, militiæ sese vltrò dabunt. Ideoque quotquot arbitrantur, divinum Numen ijs non succensêre, qui bellum iniustè mouent, vel solâ istâ persuasione, etsi nihil ab hostibus scæ- B.
uum, sæuumque obtigerit, metu solliciti pauent semper, ac formidant. *Quam-* C.
*obrem*, si quædam obtinêre, aut negare voluerit Imperator, ea priùs per allocutiones & legatos *clarigare* debet: vt nisi æquis illi postulationibus annuant, tandem vtilitate cogente, non data opera, bellum indixisse videatur. Diuinam quoque fidem testetur, bellum se temerè non gerere, nec quia damnosam præliorum aleam parui pendat; neque etiam vt militariter lasciuiendo, quacunque tandem ratione possit, hostes affligat. Præterea & istud valdè animaduertendum, non solùm domibus, aut muris exstruendis, solidissima poni debere fundamenta, ne si imbecillitatis vitio dilabere, ac ruere contigerit, tota quo- D.
que substructionis moles repentè concidat: *Sed bellorum etiam initia* validissimè E.
statuenda, & stabilienda esse; atque sic, quasi iam benè fundatâ securitate, instruendas, *educendasq́; copias*. Scilicet malè constituta huiusmodi negotia, graui certaminis onere incumbente, illicò fatiscunt, & deficiunt. Porrò, vt optimus gubernator, è portu priusquam soluat, nauem omnibus armamentis exstruere solet; sic etiam providus Imper. *quæcunque vsui* sibi fore putabit, præparet; sese- F.
que tutum, ac cæterà, fortunæ permittat. Pudendum autem, ac periculosum est, temere, ac turbidè bellicos excitasse tumultus, & veluti mare terramque prælijs miscere voluisse; deinde turpiter inceptis desistere, proramq; obuertere. Etenim vnusquisque supinam huiusmodi amentiam deridet, imbellemque audaciam ludos facit: Hostes etiam, quicumque illi sint, *oderunt eos* meritò G.
qui iniuriam inferre, nec noluerunt quidem, sed nec potuerunt.

---

# *IN CAPVT IV.*

A. ÆQuitatis ratione.] *Iniusta ergò bella damnat Onosander. quorum scatebram esse Ambitionem, aut Auaritiam nemo non videt. M. Cicero hoc olim indicauit:* Multi bella, *inquit*, sæpè quæsiuerunt propter gloriæ cupiditatem: *Immò etiam, vt Sallustius inquit*, dominandi libidinem. Alienissimum ab iniustis bellis legimus fuisse *Augustum Cæsarem*, quippè qui nulli vnquam genti sine iustis & necessariis causis bellum indixerit: tantumque abfuit à cupiditate quoquo modo Imperium vel bellicam gloriam augendi, vt quorundam barbarorum Principes in æde Martis vltoris iurare coëgerit, mansuros se in fide ac pace, quam peterent. Quod si belli causæ iustæ viderentur, nunquam illud susciperet, nisi cùm

Bella iniusta à duplici fonte.
Lib. 1. de Off. Iugurth.
Sueto. cap. 21. & 25.

maior emolumenti spes, quam damni metus ostenderetur. Qui aliter mouent belli, non benè sibi consulunt, tum quia ad victoriam, plurimùm confert iusta belli causa, (cuius rationem summam habuêre apud Romanos Fœciales, teste Cicerone) tum *quod subditi alienissimi reddantur in subministrandis belli necessariis, quippè qui facilè credant belli euentum nequaquam ei fœlicem fore, à quo militat mala & ambitiosa caussa*: Verbi gratia quando belli caussam metiuntur à superioritate & potentia; veluti hisce bellis Europæis videmus, Audire deberent Principes veriloquium Augustini: *Nihil homo iustus præcipuè cogitare debet de his rebus, nisi vt iustũ bellũ suscipiatur.* Vnde Iephte aduersus Regem Ammon querebatur, non quod se bello lacesseret, sed iniusto: *Non ego pecco in te*, inquit, *sed tu contra me malè agis, indicens mihi bella iniusta.* An autem tuta conscientia milites stipendia facere possint sub Rege iniustum bellum inferente, aut qui fœdus ferijt cum hæreticis, vel an excusentur Reges ac Principes, qui sese infidelibus iungunt, scripsi suprà in Aphorismis Politic, lib. 3. c. 7. in fi. Num autem sit differendũ bellũ, vel festinandum, consulat qui volet Scipionem Amiratum disser. polit. libri 18. Discursu 5. & an fouendũ sit potiùs bellũ in aliena patria, videat Tacitum, vbi censet *consilijs & astu res externas moliri, arma procul habere* operæ pretium esse: cùm nec aliud adversus validissimas gentes vtilius sit, quàm quod in commune non consulant. Ideò omne bellum externum cum lætitia habendum. Semina etiam *odiorum volebant Ethnici iacienda, vt maneat duretq; gentibus*, (inquit Tacitus) *si non amor nostri, at certè odium sui.* Ita sæpè Principes Romanorum Armeniam specie largitionis, turbandis Barbarorum animis præbuêre. Inde & Drusus non leue decus quæsiuit illicens Germanos ad discordiam.

Lib. 2. de leg.

De Ciuit. 19. c. 7. & Quæst. 10. in Iosue. Iudic. 11.

An milites tuti sub Rege, iniu-stum bellũ inferente.

Annal. 12. De Mor. Germ. Id. 12. annal.

B. Quamobrem si quædam.] *Caussa indicendi belli iusta duplex*: INVASIO & DEFENSIO: *Priorem proponit hîc Auctor: nimirum, vt si res tuas iniuriâ quis retineat, clarigatum, vt veteres loquebantur, mittas, id est, res raptas clarè repetitum. Nec enim armis statim vti licet, cum iure agere licet. Etenim* cùm duo sint genera decertandi, *inquit Cicero*, vnum per Disceptationem, alterum per Vim: eumque Illud proprium sit hominis, alterum belluarum; confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore. *Altera caussa* DEFENSIO: *quæ legitimam, ac iustissimam indicendi, vel inferendi belli caussam præbet.* Illud *enim* est non modò iustum, *inquit idem Orator*, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur *Quod quidem probo, sed cum cautione antè memorata. Verùm, expediat nè magis hostem, vim inferre cupientẽ, exspectare, an verò ei occurrere, quæstio est in vtramque partem apud militiæ consultos, agitata. Scipio quidem Amiratus multis aduersus Macchiauellum docet rationibus, longè satius esse hostem adoriri in hostico, quam impreßionem eius domi sustinere & propulsare*, Ratio, quòd facultatibus eum priuas, quibus potiretur aduersus te bellum administrans, & incolæ ob belli metum sese infugam dant, maximè si non sint affecti erga Principem suum. *Ego, cùm non paucis talium rerum peritis neque parum in ijs expertis,*

Bellum indicitur duplici de caussa. Cap. Iustũ 23. q. 2. Lib. 2. de Off.

Pro Milone.

Li. 18. Diss. Disc. 2.

*expertis, sic distinguendū censuerim, Vt si hostis potentiā prævaleat, satius sit bellū gerere Defensiuum,* modò quo antè dixi, *maximè si quis auxilio omni externo destituatur: quod si vires sint æquales, aut tantæ, vt alter manū cū altero conserendo de victoriâ certò nō desperet, hic offensiuū gerere præstet. Namq; rebus domi quietis nō solū dominio, vt aiunt, sed & tributo vberiori fruetur, præterquā quod in hostico bellū gerens auctoritatē suā conseruabit stabilietq;, hostē nimirū inuadendo, oppugnando, fugando.* Nō n. ignauiâ, *inquit Romanus quidā,* magna imperia cōtinētur: virorū armorūq; faciendū certamen, id in summâ fortunâ æquius, quàm validius: & sua retinere priuatæ domus; de aliena certare, regiā laudē esse. *Huius documenti siue distinctionis testes esse possunt Hungari, qui si initio nō inter se discordijs, sed cū perpetuo Christiani nominis hoste decertassent, neq; bellū gerere defensiuū, vt Bonfidius testatur; cōstituissent, haud dubiè pristinæ existimationis iacturā nō fecissent, neq; hosti ad occupādas citeriores prouincias viā aperuissent, nec, quod maximū est, in tā acerbā seruitutis conditionem ipsi iā incidissent. Sed vt redeā vnde diuerti, quāquā indicēdi belli iustæ caussæ sint, immò iustissimæ* INVASIO & DEFENSIO, *nō semper tā principi segetē præbere debent belli denunciandi. Quid n. si is contra quē arma sumpturus es, alteri potētissimo Principi, vel fœdere, vel amicitiâ iunctus sit? Ferdinandus ab Austia Rex Romanorū contra Isabellā Hyngariæ Reginā eiusq; filiū pupillū mouere parabat bellū, iustissimâ quidē ex caussâ, nimirū quod regnū illi deberetur ex pactis conuentis cū Ioanne pupilli parente initis. Interea magis iustæ caussæ intentus, quā considerans cū Solimanno habiturū se rē, sub cuius protectione viduâ cum filio cōmissa erat, manū cum vtrisq; conserit, sed sinistro adeò Marte, vt eo in prælio occubuerint viginti Christianorū millia, capta tormēta maiora bellica viginti, præter centum & quinquaginta leuiora siue campestria, & bonam supellectilis partem, Itaque priusquam bellum aggrediaris, considerandæ caussæ, quæ te ad id impellunt.* Qui volent Iurisconsulti Consiliarii eas ponderare, legant tractatum de bello Martini Laudensis vol. Oceani iuris 12. fol. 167. Item Franciscum Arias eod. vol. fol. 184. denique Ioannem Lupi eodem tract. de Bello pag. 168. *Imprimis autem noscitandæ sunt, tum tuæ & aduersarij vires, quæ potissimum consistunt in amicitiâ & fœderibus aliorum Principum; tum in re pecuniaria, quæ iuxta vetus verbum, belli neruus est: tùm denique circumstantiæ attendendæ sunt, loci, temporisq;. Loci nimirum, vt inquiras quibus veluti gradibus pertingere valeas ad eam prouinciam, cuius ergò bellum suscipis, gradus appello finitimos populos, quorum beneuolentiâ aditum tibi parare queas ad hostes. Si Romani viā in Siciliā sibi patefacere per Mamertinos, in Hispaniā per Saguntinos, per Ætolos in Græciā, per Eumenem in Asiam, per Masinissam in Africā, deniq; in Gallias per Massilienses & Æduos. Dixi temporis, vt nimirum prospicias quanto tempore bellū sit duraturū, numq; pecunia quæ sub manu est sufficiat tuendis tanto tempore militibus, ne quod Cleomeni Lacedæmonum, & Antigono Macedonum Regi accidit, tibi eueniat, qui quod minùs ad hanc circūstantiā attendissent, non tàm hostem oppugnarunt, quàm in se concitarunt, maximâ cùm suorum strage & calamitate.*

Lib. 34.

Quid si hostis cum potente aliquo sit fœdere iunctus.

Præter duas illas iusti belli indicēdi causas, nēpè INVASIONIS, & DEFENSIONIS,

tertiam

tertiam alij addunt METVM, ne alter Princeps eò magnitudinis perueniat, vt cæteros opprimere possit, quod dogma veluti à Politicis Atheis emanatum, Christianis recipi non debet, nisi contra Barbaros. Vnde cùm Othomannorum domus imperium incredibiliter dilatauerit, operæ prætium esset vt inter Christianos æqualis potentiæ exurgat Monarchia, quæ possit Turcis resistere, nec inter se Principes continuò decertarent, METVS porrò ille maximè oritur ab æquali potentiâ. Exemplo sunt Romanorum, Carthaginensiumque bella assidua, nec non Atheniensiū & Lacedæmoniorum; deinde Assyriorū atque Persarum simultates & contentiones, quæ eò diuturniores & grauiores fuêre, quòd æqualium Imperium homines ferre nequeant; iuxta illud Poëtæ.

Iniustum bellum quo oritur metu æqualis potentiæ.

*——— omnisq; potestas*

*Impatiens consortis erit.*

Itaque iniustissimum erit bellum quod suscipitur ex diffidentiâ ac potiùs metu æqualis potentiæ; aut etiam libidine propriæ amplificandæ ditionis, quo nomine, Ninus notatur à Iustino, & ab alijs Alexander Magnus, & plerique tales, qui potius prædones, quàm Reges deberent indigetari. quique si malè parta suo tempore reddidissent, ad casas & egestatem redijssent.

Lib.1.

C. Clarigare.] *Quod est bellum indicere, verbum à more Romano sumptum. Cùm enim volebant bellum indicere, Paterpatratus, hoc est Princeps Fecialium, proficiscebatur ad hostium fines: & præfatus quædam solemnia, clarâ voce dicebat se bellum indicere propter certas causas, aut quia socios læserant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios reddiderant, Et hæc* clarigatio, *quæ ipsa belli denunciatio, dicebatur à claritate vocis. Post quam* clarigationem *hasta in eorum fines immissa, indicebatur iam pugnæ principium,* Seruius in princip. 10. *Æneid.* Clarigatio, *inquit*, dicta est à clarâ voce, quâ vtebatur Paterpatratus. *Plin. lib. 2. cap. 23.* Semper & legati, quum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, &c.

Fama initio belli paranda.

D. Sed bellorum etiam initia.] *Idem iudicium Iulij Agricolæ:* Non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore vniuersa. *& Cecinnæ apud eundem scriptorem:* Consilia curasque in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit, gnarus, vt initia belli prouenissent, famam in cætera fore.

Taci. in Agri.

Id. l. 2. Hist.

E. Educendasque copias.] *Quæ vbi paratæ pransæq; erunt, celeriter hostem aggredi expedit: dimidium enim victoriæ consecutus videtur, qui hostē imparatū inuenit, q; in magno semper habuit I. Cæsar, & sæpiùs experimento didicit teste Plutarcho. Et rationem plerique hanc afferunt, quòd paratis si tardi sint, maxima pars apparatus perit: Subitis ne apparatu quidem opus est, quia dormientibus superuenire licet. Præterquam quod mora flaccescant animi militum: vnde rectè Sallustius:* Animo cupienti nihil satis festinatur.

Lib. 10. Polit.

Iugurth.

Constat Alexandrum sic respondisse roganti:

Quî tot obiuisset tempore gesta breui?

Alciat. embl.

Nun-

Nunquam, inquit differre volens, quod & indicat Alce,
Fortior hæc, dubites, ocyor anne siet.

F. Quæcunque vsui.] *Belli apparatum intelligit, qui potissimum consistit in Pecuniâ, Commeatu, (de quo infra Cap. 6. dicemus) & Militibus. De prioribus apertè Thucydides:* Bellum non est in armis maximè, sed in expensis, & sumptibus per quos efficacia arma redduntur. *verè efficacia: cùm sine re pecuniaria ea flaccescant; immò nonnumquam in ipsiusmet Imperantis personam torqueantur, vt Magarensium exemplo Polybius docet, & nostra in multis ætas experimento didicit. Itaque prouido Imperatori,* antequam inchoetur bellum, de copiis expensisque solicitus debet esse tractatus. *Ad Apparatum etiam refero arma: quæ vel in qualitate considerantur, pro vsu nimirum, & genere belli; vel in quantitate, quæ tanta sit, vt pro diuersis casibus, & cladibus identidem miles armari queat. Milites adiunxi, qui duplices: Equites, & Pedites. illi in certamine & prælio præstant; hi in obsidionibus. Vtrique legendi si fieri potest, ex incolis, non etiam exteris, quibus proprium tumultuari, fidem excutere, indigenas tanquam hostes vexare, atterere, vrere, & magnis tormentis excutere. Testis sit Michaël Palæologus Orientis Imperator, qui, Turca contra Bulgarum aceito, mox nedum ab eo destitutus est, verum etiam Constantinopoli Imperij sede exutus fuit. Ita Franciscus I. ad Papiam, Helueticorum beneficio, qui ob inopiam rei pecuniariæ rebellabant, fusus fugatusq; immò & captus ab hoste fuit. Exteros tamen in necessitate, vel cum de suis diffidit, Principem legere posse non iniuriâ quidam volunt. Cæsaris moti & Labieni exemplo, qui Numidarum & aliarum exterarum gentium ope rem in Galliâ dexterrimè gesserunt, de quibus Poëta:*

Bell. apparatus vbi maximè consistat.

Lib. 1.

Veget. lib. 2.

——————— Vndique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros,

G. Oderunt eos.] *Ideò*, aut bellum suscipere non oportet, *inquiebat Appius Claudius* aut gerere pro dignitate, & perficere quamprimùm oportet. Id autem non potest, si neruo belli careat: nam præterquam quod immorigeros habebit milites, pudendum ipsi erit, vt paulò antè dixit Onosander, inceptis desistere, aut malè cum hoste depacisci.

Apud Liu. lib. 5.

---

## CAPVT V.

### *Debêre Imperatorem siue supremum Ducem educere exercitum reconciliatum Numini diuino.*



E Ducat copias Imperator *puras, & lustratas*, secundùm ea, quæ vel legibus sacris sancita, vel à vatibus præscripta sunt; omnem publicæ alicuius maculæ, aut impietatis conscientiam proijciens. A.

# IN CAPVT V.

Milites diuino Numini reconciliandi.

A. COpias puras.] *Hoc etiam docet Xenophon:* Nec certamen seu prælium in bello nec aliud quidpiam maioris momenti aut periculi in bello, vel pace ante inuocatum Dei Numen est, à Principe vel Duce tentandum. ---Nam non in multitudine copiarũ victoria belli consistit; sed de cœlo fortitudo est. *Quod considerans Theodosius Imp. bellum aduersus Eugenium tyrannum sumpturus, illud auspicandum censuit à precibus, quas per Legatos efflagitabat à Ioanne Anachoreta, cuius in futuris rebus explorandis virtutem satis perspectam habebat, vt testatur celeberrimus An. 395. ille Card. Baronius. Constantinus verò Magnus inter alias ordinandi contra Persas belli cærimonias, illam pro vsitata habebat, quod cõferret tabernaculum in formam templi compactum, in quo sacris quotidie operari curabat. Nostro verò seculo Ducem Mercurium bello contra immanissimum nominis Christiani hostem, nunquam manum conseruisse, quin prius copias suas diuino Numini reconciliaret, memoriæ prodidit magnæ facundiæ vir Petrus Matthæi. Quâ in re imitandus ab reliquis belli moderatoribus, & quidem omni animi contentione imitandus,* Neque enim, *vt Dio. Halicarn. testatur,* certamen seu prælium in bello, nec aliud quippiam maioris momenti, aut periculi in bello, vel pace, ante inuocatum Dei Numen, est à Principe vel à Duce certandum; *Id quod satis etiam ipsi veteres Ethnici intellexère: vt in Mindaro Lacedæmonio, alijsq; testatur Xenophon lib. 1. Rer. Græcan. & de Tullo Rege, Fabio, Manlio, Liuius, & de Machabæis D. Chrysostomus his verbis:* Cùm ergò aciem dirigerent, & suas animas reducerent, fundebant aduersarios, non armis fidentes, sed loco omnis armaturæ, pugnæ caussam sufficere ducentes. Ad bellum antè euntes, non tragœdias excitabant, non pæanas canebant, sicut nonnulli faciunt, sed Dei supremi auxilium inuocabant, vt adesset, opem ferret, manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cuius gloria decertabant. *Hactenus ille. Verùm, ne omissis fontibus, riuulos sectemur, Sacræ paginæ scitum attendamus:* Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus & maiorem quam tu habeas aduersarij exercitus magnitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autẽ iam prælio, stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite credere nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & prò vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Hæc in Deuteronomio Deus. *Legitimus quoque Iudæ Machabæo ab hostibus obsesso, & in magnas angustias redacto, Ieremiam Prophetam in somnis apparuisse atque dixisse:* Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies aduersarios populi mei Israël.

1. Machab. 3.

In Annal. an. 391.

Lib. 5. de Reb. gest. Henr. IV. Narrat. 1. Lib. 1.

In Psal. 43.

Deuter. 20.

*Constan-*

*Constantius ille Magnus de quo antè, pro more habuit Deo vota nuncupare, & sedulo præcipua totius Vrbis negotia commendare, & ne quis suæ industriæ daret prosperos rerum exitus, voluit numismna cudi in quo ipse orantis habitu esset, vt sic rescirent omnes, esse Deo adscribendum quicquid ei rerum secundarum obtigisset. Verùm in his diu non insisto, plura qui volet exempla legat in Aphorism. lib. 2. cap. 22.* Euseb. li. 4

# CAPVT VI.

## *Exercitum Ordinatum duci oportêre.*

PRocedat vniuersũ agmẽ *ordine servato*, etsi pugnã Imperator commissurus non sit, immò etsi per arduam viam exercitum producturus, & per sociorum amicorumque regiones, multorum dierum iter facturus, vt hoc pacto adsuefacti milites maneant in ordine, conseruent proprias cohortes, ductoresque suos subsequantur: Maximè verò si per hostilem solum incedant, subitarijs excursionibus, sustinendis ac reprimendis, nève illo temporis momento dum fusi palantesq; diuagantur, se ipsos mixtim incursent, nihil tamen agant, nec præripiant, sed multas interim strages patiantur. Vna igitur omnes, pariterq; progrediantur, vt sint in itinere diligentes, & ad conflictum repentinum accincti. Signa etiam habeant, sesèque inuicem rectè dispositis ordinibus contueantur. A.

*Curet quoque Imperator*, vt exercitus sui ordines arctissimè colligat; vt cohibentibus angustijs, non possint per diffusa latera diffluere aut dispergi; aliàs enim toti patent in vulnera, & leui hostium velitatione franguntur, & nequidquam obsistere conantur. Nam siue à fronte, dilato agmine, hostes occurrant, haud difficulter eiusmodi copias fundunt; quasi in pugna cornu circumdato ac circumuento: Siue etiam per medium exercitum, ad latera impetum faciant, citò distrahunt ac dissipant obnitentes. At licet sese conferant & contrahant in phalangem pugnaturi, nihilominus inualida erit pugna. Frons enim minùs profunda serie, non durabit. Sed enim si à tergo quoque premantur hostes, luctuosa demùm erit pugna, & præsens objcitur pernicies; nam tenuis hîc quoque series citò turbabitur. Aut si in frontem se audeant conuertere, tàm infœliciter cõfligent, quàm qui in primâ acie collocati; & cingi facillimè infestâ manu poterunt. Hinc etiam eueniet, vt subsidia difficulter aut perperã mitti possint. Etenim si tergiductores antistitibus, aut antistites tergiductoribus, suppetias adferre velint, pluribus stadiis, ac longioribus inuicem interuallis dissiti, serò admodùm, aut nec opportunè, subuenient. B.

C. *Succinctum verò & quadratum agmen*, porrecto atque oblongo, expeditius omninò tutiusque est, siquidem in productione, panici aliquando terrores, vani, ancipitesque tumultus, oriuntur. Primi scilicet, postquàm è locis montosis, ad nuda & plana deuenerunt, postremos adhuc à tergo decurrentes cùm intuentur, primâ facie videre sibi videntur aduentantes hostes; adeoque congredi gestiunt, immò, & nonnulli iam ad manus concitati veniunt.

D. *Seruitia, iumenta, omniaq; impedimenta* in medio agmine componenda atque comportanda curabit Imperator, si retrò non omnia tuta & quieta suspi-

E. cabitur, immò tunc in *postremis fortißimos*, præstantissimosque collocet; nec putet in istis, ad irruptionem subitariam retundendam, minùs esse debere momenti, quàm in primis.

F. *Præmittat etiam equites*, scrutandis explorandisque vijs; maximè cùm syluæ penetrandæ, aut circumseptæ collibus solitudines peruadendæ. Sæpenumero enim struuntur ab hostibus insidiæ, quæ si aduersarios fallant, rem eorum vniuersam perimunt, opprimuntq;: si verò subtili aliquantulum Ducis diligentiâ detegantur, maximum prudentiæ argumentum hostium imperatori exhibent.

Nimirum, aperta & æquata agri planities, cuiuis vel parum prospicienti manifestò se prodit. Nam interdiu puluis excitatus, hostium commeantium index est: & nocturni ignes collucentes, armatos in proximo esse prænuntiant.

*Prælium non commissurus* Imperator, castra moueat interdiu: si verò compendij commodive aliquid suadeat, quod faustum ac tutum fore existimet,

G. *etiam noctu*. At vbi iam ferro decernendum erit, simul ac in hostium contuitum venerit, iubeat agmen progredi suspenso gradu, pedetentim, caueatque ne

H. huc illucque cursitet: Nam plerumque *intempestiua corporis defatigatio*, multum de feruido & acri illo militum robore minuit & absumit.

I. *Per socias regiones iter faciens*, edicat, vt milites se illis locis abstineant, nihil illorum aut attingant aut corrumpant. Omnis enim exercitus, dum in armis est, immodestè permulta appetere amat; tum præcipuè, cùm perpetrasse aliquid licuit: quæque se oculis vltrò subijciunt cõmoditates, maximè titillant & alliciunt impotentem habendi cupiditatem, ac sæpè vel leuissimâ datâ occasione abalienati diuertunt animi sociorum; immò & infensissimi hostes fiunt.

K. *Hostium autem possessiones* funditùs perdere, amburere, cædere, depopulari proderit. Damnosa enim clades, & opum fructuumque penuria, belligerandi vires illis adimet; quas abundantia foucbat, ac suppeditabat.

Aliquandiù tamen antè comminari debet Imperator, quàm facere. nam calamitatis inferendæ metus, periclitantes, admittere multa quæ renuebant

sæpè

sæpè cogit. at vbi ea semel illata sæuijt, dum se nihil peius pati posse animaduertunt, cætera omnia quasi pro derelicto habent. Enimuerò si diutiùs in hostili solo habenda castra putauerit, ea tantùm deperdat, quæ vtilia sibi non fore prospexerit: istis autem, quæ, si integra seruentur, suis esse prodesse poterunt, parcat, Collectis contractisque omnibus copijs, in fœderatis socijsque regionibus, diu cunctando feriatus ne desideat. nam amicos maiore quàm hostes multaret detrimento. Inde igitur armatum manum, si commodum est, & licet, confestim abducat. nam in hostium agris, si opimi sint & fertiles, opiparè & adfatim viuet: si minùs, ac certè suos non vastabit, & multa etiam ex alieno agro, quamuis non ita vbere ac lauto, eliciet commoda.

L. *Erit etiam boni Imperatoris*, curare, vt mercatoribus liber, & securus terrâ, marique annonæ conuehendæ pateat aditus; vt plenâ securitate, impigri, necessarias merces commodiùs apportent.

---

# *IN CAPVT VI.*

A. ORdine seruato.] *In eo tam prouidi fuère veteres, vt pro nullo habuerint exercitum, qui non rectè ordinatus esset. Ita sentit Vegetius dum ait*: Acies, si bene disponitur, plurimùm iuuat, si imperitè, quamuis optimi bellatores malâ dispositione franguntur. *Cyrus idem sentit apud Xenophontem*: Constituere ordines diligenter visum est ei plurimum conducere, & ad non turbandũ, & vt celeriùs restituerentur si turbati essent; veluti & lapides & ligna si copulari oporteat, ea vtcumque prostrata fuerint facillimè coaptantur, si manifestas habeant notas, ex quo sit loco ipsorum quodque, *&c. Curent ergò duces vt seruatis exactè ordinibus agmen procedat; noctu maximè. Nam vt idem ille Cyrus Rex inquit*: Τὸ ταραχθῆναι δ' ἐν νυκτὶ, πολὺ μεῖζόν ἐστι πρᾶγμα, ἢ ἐν ἡμέρᾳ δυσκαταστατώτερον. οὗ ἕνεκα ἥ τε σιωπὴ ἀσκητέα, καὶ ἡ τάξις διαφυλακτέα: Turbari per noctẽ longè maiꝰ negocium est quam interdiu, & emendatione difficilius; cuius rei gratia tum taciturnitas exercenda est, tum ordo custodiendus. *id quod suo malo & pessimo publico didicit Metellus, qui magnam stragem Romanis attulit, quod noctu agmine confuso incederet: de quo Sallustius*: Ipse (*Iugurtha*) cum delectis equitibus Metellum sequitur; nocturnis, & auijs itineribus ignoratus, Romanos palantes repentè aggreditur, eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit. *In eundem errorem impegerunt nostri Belgæ aduersus Cæsarem depugnantes, de quibus infit*: Eâ re constitutâ, secunda vigilia magno cum strepitu, ac tumultu castris egressi, nullo certo ordine, neque imperio, cùm sibi quisque primum itineris locum peteret, & domum peruenire properaret, fecerunt, vt consimilis fugæ profectio videretur. Hac re statim Cæsar per speculatores cognita,

Procedat acies ordine seruato.

Veget. 3. c. 14.

Lib. 2. Cyripæd.

Lib. 5.

Sallust. Iugurth.

Lib. 2. Comment.

gnita, *&c.* Q. Pædium, & L. Aurunculeium cum legionibus tribus misit, qui nouissimum agmen moraretur. Hi nouissimos adorti, & multa millia passuum prosecuti, magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt, *&c.* Ita sine vllo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spacium: sub occasumq; Solis sequi destiterunt, seque in castra, uti erat imperatum, receperunt. *Quem Cæsaris locum si Turcæ animaduerterent, non tantas strages, etsi iustißimas plerumq́ à nostris paterentur. Incauti enim hîc, cùm in expeditione nullo ferè ordine & confusè incedant: quâ ex re à tergo facilimè infestari possunt.*

Laxandi ordines cũ acies premitur.

B. Curet quoque Imperator.] *Romani tanti hanc aciei constitutionem æstimarunt, vt eius consideratione & adspectu de belli euentu iudicarent, Si enim densus erat exercitus, & benè coarctatus, indicium sumebant, teste Tarduccio, audaciæ & feruoris in resistendo & oppugnando vehementioris: quod contrà, si dilatus & relaxatus: quippè tum terrorẽ, consternationẽ, fugæq́ meditationẽ interpretabantur. Sequendũ ergò Auctoris cõsilium, vt in arcto copiæ contineantur. Quod tamen cum temperamento accipiendũ. Nam quin incõmodum afferat nimia aciei densitas, non negat Liuius, immò apertè declarat in militibus Asrubalis in Hispania, de quibus, sic iquit:* In artũ compulsi, cum vix armis satis spacij esset, corona hostium cincti, ad multum diei cæduntur. *Et in prælio quod inter Celtiberos & Romanos gestum est, dum Romani castris egrederentur, narrat idẽ auctor, par vtrimq́ præliũ fuisse, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: at postquam vrgentes alij alios secuti euaserunt extra vallum, vt pandere aciem & exæquari cornibus hostilibus, quibus cincti erant, possent; ita repentè eruperunt, vt sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. Cæsar in quodam terribili cum Neruijs conflictu, vbi suos vrgeri, & res esse in angusto vidisset, neq́ vllum esse subsidium quod mitti posset, scuto ab nouißimis vni militi detracto, in primã aciẽ proceßit, centurionibusq́ nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, signa inferre,* & manipulos laxari iussit, quò faciliùs gladijs vti possent. *Cæsaris autẽ aduẽtu spe illatâ militibus, ac redintegrato animo etiam vulnerati milites præ laßitudine scutis paullum innixi fortiter dimicabant, tũ ipsi calones, perterritos hostes conspicati, etiã inermes armatis occurrebant.*

Lib. 35.

Lib. 41.

Lib. 2. Cõment.

Agmen nõ esse temerè diuidendũ.

C. Succinctũ verò & quadratum.] *Grauiùs longè erratur cum agmine in plures partes diuiso proceditur. Ita Cecinnæ aduersus Othonem belligeranti, plurimũ obfuit,* quòd non simul cohortes, sed singulas acciuerat: quæ res in prælio trepidationem auxit, cùm dispersos nec vsquam validos pauor fugientium acciuerat. *Galli hîc etiam offenderunt, teste Guicciardino, dum loquitur de irritis eorũ conatibus. Creditur huic bello, inquit, nocuisse, (vt plerumq́ accidere consueuit) militum in plures partes distributio: alioquin si omnes vnà Genuam versus iter direxissent, meliorem forsitan successum habuissent. Quadratum ergò agmen oblongo, & porrecto præstat.* apud Senecam ep. 60. Ire quadrato agmine exercitũ, vbi hostis ab omni parte suspectus est. *Illud autem ita ab Cæsare disponebatur, ut in fronte equites poneret cũ peditibus leuis armaturæ, quos sequerẽtur præcipua exercitus copiæ, quæ constabãt vt plurimũ quatuor, vel sex legionibus, & po-*

Tacit. 1. Hist.

Lib. 3.

*& postremò à tergo duas lagiones cōstituebat, quarum robore impedimenta, quæ medio agmine incidebant, defenderentur: huncq; ordinem seruasse cùm ipse contra Neruios, qui nunc Torncenses dicuntur, procederet, testatur ipse libris Commentariorum.*

Lib. ἀπομνημονευμάτων.

D. Seruitia & iumenta, omniaq; impedimenta.] *Appositè Xenophon:* Καὶ γὰρ ἐν τῷ πολέμῳ τούς τε πρώτους ἀρίστους δεῖ τάττειν, καὶ τοὺς τελευταίους. ἐν δὲ μέσῳ τοὺς χειρίστους, ἵνα ὑπὸ μὲν αὐτῶν ἄγωνται, ὑπὸ δὲ τῶν ὠθῶνται: Nā & in bello illos primos, & vltimos ordinare oportet, qui fortitudine excellunt: in medio verò peiores, vt à primis ducantur, ab vltimis verò impellantur.

Impedimenta etiam in medio castrorum collocanda.

*Duo autē impedimentorū genera erant: nā quædā propriè exercitus impedimenta vocabantur, vt tormenta, machinæ, munitiones, tentoria, & similia, quæ carris & equis vehūtur: alia verò minutiora, quæ sarcinæ dicebantur, quas milites singuli sibi ferebant: proinde Labienus Cæsaris exercitū in Africa adoriri cogitauit, quod existimabat milites sub onere, ac sub sarcinis defatigatos pugnare nō posse. At Cæsar qui consiliū hoc præuiderat, trecentos ex singulis legionibus expeditos milites delegit, qui Labieni milites in fugā turpissimam coniecerunt. Neq; dubiū erat quin inprouisæ aggressiones, aduersus milites sarcinarū onere defatigatos, maximè perturbarent exercitū, sed Romanorū consuetudo fuit, vt in medio depositis sarcinis, armisq; aptatis ad signa omnes cōcurrerēt: Quod Liuius perspicuè, & ad rē nostrā perbellè descripsit his verbis:* Primò noua res trepidationē fecit, dū arma capiunt, sarcinas congerunt in mediū: dein postquā vt quisquis liberauerat se onere aptaueratq; armis, ad signa vndiq; coibant, & notis ordinibus in veteri disciplinâ militiæ iam sine præcepto vllius suâ sponte struebatur acies.

De Bell. Afric.

E. In postremis fortissimos.] *A quâ sententiâ planè stat Vegetius:* ad victoriam plurimū confert, *inquit*, vt lectissimos de pedibus, & equitibus habeat Dux post aciē in subsidiis præparatos, *Immò velut in insidijs:* Etenim qui superueniunt, terribiliores sunt hosti, ijs qui in manibus sunt, & pugnant.

Sueton. cap. 58.

Mittendi Speculatores.

F. Præmittat etiam equites.] *I. Cæsar, ad quē ceu scopū quendā Imperatores mentis aciē dirigere debent,* exercitū neq; per insidiosa itinera duxit vnquā, nisi prǽspeculatus locorū situs, neq; in Britanniā transuexit, nisi ante per suos* portus, & nauigationē, & accessum ad insulā explorasset. *Mittendi itaq; aliqui qui præspeculentur, quibus etiā insidiæ cauēdæ: quas subiuit incautus Gadatas apud Xenophontē ab Assyria rege fabricatas:* Gadatas, *inquit*, vt ad hos vicos venit, mittit quosdam, qui antè explorarent. Sed Assyrius vt nouit exploratores aduentare, soluere ac fugere iubet currus duos, aut tres, equitesq; paucos perindè atq; metuerent, pauciq; essent. Quæ, vt viderunt exploratores, & ipsi insequebantur. Gadatæq; hastas concutiebant; ac ille deceptus totis viribus insequitur. At Assyrij, vt visum est, Gadatam capi posse, surgunt ex insidiis eūq; grauiter auersum feriunt vulnerantq;. *Quo exemplo notent Imperatores, ne dum insidias per exploratores struunt, in hostiles ipsi, suo cum pudore & suorum strage incidant. In quo plurimum sibi cauit Germanicus, de quo Suetonius:* In obeundis, *inquit*, expeditionib⁹, dubiū cautior, an audentior.

Lib. 3. c. 17.

* ita legendum.

Quibus cauendæ insidiæ.

Lib. 5. Cyripæd.

Tib.

G. Prœ-

Lib. 1. Comment. G. Prœlium, &c. etiam noctu.] *Certior factus Cæsar Heluetios nondum Ararim traiecisse, tertiâ vigiliâ, id est, mediâ nocte eos impeditos & inopinantes aggreditur.* Quo tempore mouenda castra. *Idemq; ad occupandum Vesontionem* magnis diurnis nocturnisque itineribus contendit. *Claudius Nero dum à castris Hannibalis procul abesset, ad collegam suum properaturus, vt mirabile facinus quod perpetrauit expediret, noctu discessit. Et Hannibal in Apuliam exercitum retracturus, noctu castra mouit P. Æmilio, & Varrone prope ipsum castra metantibus, quod efficiens, extingui lumina iussit, & quædam impedimenta è tentorijs auferri noluit, quò vel hostis discessum non suspicaretur, vel suspicans, aliquem subesse dolum timeret, haud dubium est, quin hæ profectiones maximè non conclamatis vasis (quod hodie absq; militaris tympani sonitu diceremus) ducibus in honestæ putarentur, vt profitetur Cæsar de Scipione. Verùm, ne ab hoste vincamur, nihil intentatum relinquendũ est, prraterq̃ q̃ quibusdã dolis minimè improbandis in bello vti possumus, vt fecit Hannibal; qui vt ex angustijs in quib⁹ se collocauerat sese extricaret, nouo actu vsus, ex Fabij manibus euasit: nã duobus millibus boũ congregatis, accensas faces cornibus eorum alligauit: quæ res præter insuetum terrorem suspicionem insidiarum gignens, fugæ viam aperuit. Ne tamen erretur in itinere, operæ pretium est regionem, in quâ bellum geritur, notam perspectamq; habere quippè* gnarus naturæ locorum, *inquit Æneas,* multò superior eris, pergens ad quæ volueris, cumque loca, tibi quidem nota, & apta, siue ad cauendum, siue ad persequendum, item ad fugiendum, & recedendum in vrbem, modò clam, modò palàm, *&c.* Contra, qui notitiâ regionis caret, non dicã eorum quæ animo destinat perficere nihil posse, verum etiã saluti vix suæ consulere, si modò regionis incolæ adoriri hostem voluerint, *&c. Nostri hoc tempore Duces solent, quâ in part ebellum geritur, descriptam pictamve habere prouinciam: quemadmodum habuerunt Athenienses dum Siciliam armis aggredi meditabantur. Ita Cæsar considerans quantum mercatores vltrò citroq; quotidie commeantes situm formamq; Britanniæ docere poterant, quamplurimos eorum regnum illud inuasurus congregauit, quorum operâ in pernoscendis itineribus vteretur. Sed caueant sibi ne illa suscipiant nocturnis temporibus, præsertim si ad direptiones animos applicent: Nam excursiones & populationes in arte militari noctu vetitæ sunt: possunt enim ordines tunc facilè turbari, & difficiliùs milites prædæ intentos in ordinem reducuntur.*

[Margin: Liu. lib. 27. Idē lib. 22. Lib. 3. Ciuil. Liu. lib. 42. Itinera Imperatori noscitanda. cap. 16. Poliorcet. Noctu non suscipienda.]

Lib. 3. H. Defatigatio.] *Præceptum consimile Vegetij:* Obseruetur, *inquit,* ne longo spatio fatigatum militem, ne lassos post cursum equos ad publicum prælium cogas: multum virium labore itineris pugnaturus amittit.

I. Per socias regiones iter faciens.] *Cape legem quisquis es Tribune ab Aureliano Imperat, cuius aurea militaris Epistola hæc, ad Vicarium suum:* Si vis Tribunus esse, immò si vis viuere, manus militum contine: nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annonâ suâ contentus sit. *Rarum, inques, & vnam vnius solius forsitan abstinentiam. Immò tralatitiam, si M. Scauro credis, qui* memoriæ tradidit

[Margin: Militum manus contineat. Apud Vopisc.]

dit promiſeram arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam. *Probari hoc poteſt Alexandri Seueri exemplo, qui* Parthicam expeditionem, tanta diſcipłina, tanta reuerentia ſui egit, vt non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur. Quacunque iter Legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipſum verò ob hæc tot & tanta bona prouinciales, vt Deum ſuſcipiebant, *In nouitÿs, ſcimus Ludouicum XII. Galliæ Regem, & Carolum V, Imper. hanc ipſam curam apprimè curaſſe, adeò vt exploratores clancularios per ſtationes diſperſos haberent, qui eis referrent, ſi quos populum concutere, prædæ intendere, alicui contumeliam, & calumniam inferre viderent. Rara hodierno æuo eiuſmodi exempla, cùm penitus collapſa ſit adſtricta illa veterum diſciplina: quæ tamen non difficulter ſeruari poſſet, ſi imprimis neceſſaria militibus ſubminiſtrentur. Ecce Græcos illos apud Xenophontē dicentes:* Ὀτί οὐ ῥᾴδιον εἴη μὴ διδόντα τὰ ἐπιτήδεια πειθομένους παρέχειν: non facilè contineri poſſe in officio militem ab eo. qui neceſſaria non ſubminiſtrat. *Illaudatus ille Herodes, hîc maximè laudatur, quòd* duobus his potiſſimum modis ſubditos in officio contineret, timore ſuppliciorum, quæ nemini remittebat; & liberalitate, quâ prouidebat publicis neceſſitatibus. *Secundò, ſi quod Auctor iam nunc ſubÿcit, in fœderatis & ſocÿs regionibus diù non cunctetur: quod benè Neronem obſeruaſſe Liuius ſcribit:* Modeſtiâ certare milites, ne quid vltra vſum neceſſarium ſumerent, nihil morari, nec ab ſignis abſiſtere, cibum capientes, diem ac noctem ire, vix quod ſatis ad naturale deſiderium corporum eſſet, quieti dare.

Frontin. Stratag. 4.c.3.
Lamprid.
Staravel. lib. 17.
Id autem poterit, ſi primo res victui neceſſarias miniſtret.
Lib. 6. Rer. Græcan.
Ioſeph. antiq. 15. c. 12.
II. Si iter faciat, non diu conſiſtat.

*Decebit itaque Imperatorem dare operam, ne milites iter per ſocias regiones facientes illas infeſtent. In quo Neronem illum vitâ in cæteris probroſum, ſed in hoc laudabilem, Marchionem Spinolam imitatum eſſe Belgium noſtrum didicit: neque enim paſſus fuiſſet amicas regiones concutere & diuexare, colebantur agri, vernabant horti, paſcebantur lætæ ſegetes, ædificabantur villæ, denique milites ſuis quoſque contentos ſtipendÿs eſſe cogebat.* Denique, Imperator ipſe abſtinens ſit; exemplo Theodoſij Imperatoris.

III. Si ipſe continens ſit.
Claudian.

Inuentis vtare cibis, ſolabere partes
Æquali ſudore tuas.

*Talis Sullæ Paterculi:* Putares Sullam veniſſe in Italiam non belli vindicem, ſed pacis auctorem; tantâ cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamque cum ſingulari curâ frugum, agrorum, hominum, vrbium, perduxit in Campaniam. *Ita ille.*

Lib. vlt.

K. Hoſtium autem poſſeſſiones. ] *Obſeruauit hoc diligenter Metellus apud Salluſtium:* Vbi, *inquit,* videt minore detrimento hoſtes vinci, quàm hoſtes vincere, ſtatuit non prælijs, neque acie, ſed alio more bellum gerendum. Itaque in loca Numidiæ opulentiſſima peragit: agros vaſtat; multa caſtella & opida temerè munita, aut ſine præſidio capit, incenditque: puberes interficit, iubet omnia

Hoſticæ regiones an funditùs euertendæ?
Iugurth.


mnia

Li.6. Com. ment. mnia alia militum prædam esse, eâ formidine, multi mortales Romanis dediti obsides; frumentum & alia, quæ vsui forent, affatim præbita, vbicumque res postulabat, præsidium impositum. *Eodemq; proposito Cæsar*, de improuiso in fines Neruiorum contendit: & priùs quàm illi conuenire, aut profugere possent, magno pecoris atque hominum numero capto, atque ea præda militibus concessa vastatisque agris, in deditionem venire, atque obsides sibi dare coëgit. *Pluscula sub manu sunt : vnde videre est, funditùs euertendas, & vrendas, illorum sensu, hostium possessiones, Sed non semper? Negarent illi, si eiusmodi violentiâ vinci hostis, aut subiugari planè nequeat.* Ciu.l.b.32. *Ita Macedoniæ Reges*, sic acie bellare solitos *legimus*, vt vrbibus parcerent, quantum possent, quo opulentius imperium haberent. *De Indis Diod. Siculus:* Lib.2. Biblioth. Hostes in prælijs mutuâ cæde grassantur: agricolis nullâ in re nocent, sed intactos relinquunt, tanquàm communis vtilitatis ministros. Neque verò hostium agros vrunt. Neque cædunt arbores, *&c.*

*Contra Scytæ, quos legimus cùm in Podoliam & Russiæ oras excurrunt, quæ auferre non possunt, amburunt, exscindunt, homines autem & iumenta abducunt. Apud Hessos quoque quorum vita traducitur in armis, etiam pessimus ille vsus inoleuit, vt ferro flammisq; omnia vastent, quod hoc anno prouinciæ Colonienses ac Iuliacenses magnis, imò incredibilibus cladibus sunt experti. Ceterùm, barbaram hanc consuetudinem oppugnanti inutilem omittamus, dicamusq; restrictas excursiones militibus concedendas: tum quod laboribus bellicis apprimè milites exerceantur; tum quod optimâ interdum prædâ locupletentur. At quid si hostis tuos agros depopuletur, illicone is persequendus erit? Respondet Æneas,* Cap.16. Poliorces. *nequaquam expedire hostem continuò instare, vel vrgere, etsi aliquos submiseris qui persequantur, sed sinendi sunt aliquandiu fiduciam animo concipere, vt te contemnat, in quo ansam illis dabis fugiendo, vel cedendo, sic tamen ne vspiam doli suspicionem præbeas. Intereà, copias alias alia via, clam, & maiores tuis præmittes, quæ hostium fines priusquàm illo perveniat aduersariorum agmen, tutò pertingant, facilè autem anteuertes, quòd illi graui prædâ onusti tardiori gradu iter conficere cogentur. Vbi ergò illos præueneris, tum insidias inibi collocari iubebis, vbi hostis itinere fatigatus, & curando corpori intentus erit; sic ex facili illum opprimes & superabis. Eò autem loci inuade, vbi neque ad pugnam cogi poteris; & pugnam capessens, nihilo quam hostis deteriore loco sit futurus.*

Parandus commeatus; & cautiones hac in re obseruandæ. L. Erit boni Imperatoris.] *Hinc laudatus P. Æmilius, qui ad Macedonicum bellum electus, imprimis Patres admonet, vt de Comeatu prospiciant, solicitiq; sint, & vndè terrestri itinere, & vndè nauibus supportetur. Nam eo deficiente, non modò non miles in officio contineri potest, sed nihil quòd ex vsu Rei bellicæ sit, geri potest; teste Hannibale qui in Africa propter rei frumentariæ inopiam, quâ premebatur Carthago, sinistro Marte* Liu.44. *pugnare coactus est. Addè, quod* Disciplinam non potest seruare ieiunus exercitus, *inquit Cassiodorus*, Lib.4. epist.13. dum quod deest, semper præsumit armatus. habeat *ergò*, quod emat, ne cogatur cogitare quod auferat. Necessitas moderamen non diligit: nec potest imperari multis, quod nequeant custodire paucissimi.

*Liuius*

Liuius lib. 2. Multa blandimenta plebi per id tempus data: annonæ imprimis habita cura, & ad frumentum cōparandum missi alij in Volscos, atque Cumas.

Quod si Commeatus copiam Dux secum ducere nequeat, saltem curæ ei esse debet, vt semper ad latus habeat flumen aliquod nauigabile, vel opulentam aliquam prouinciam, vel opidum à tergo, vnde commeatum commodè petere poßit. Ita Iulius Cæsar cùm animaduerteret nullam spem esse consequendi ab Heduis rem frumentariam, tametsi ad id fide datâ tenerentur, captam in Heluetijs expeditionem ad tempus deserens Bibractem, oppidum longè maximum ac copiosissimum ire contendit, vt inde frumentariæ rei copia peteretur. Hoc tamen in istâ curâ cauendum, ne proficiscenti exercitui locus aliquis hostilis à tergo relinquatur, & maximè propè flumina; ne qui commeatum apportant intercipiantur, qui alioqui non modò ab hostium insidijs defendendi sunt, vt monuit idem Tarduccius, verum etiam ab incolarum latrocinijs. Vnde turma semper militum emittenda ad loca magis suspecta perlustranda, & detegendas insidias, quò nimirùm plenâ securitate, vt inquit hic Onosander, impigri necessarias merces commodiùs apportent. Opera quoque danda est, vt pro ratione periculorum & distantia locorum, vnde merces afferunt mercatores, lucrum aliquod percipiant, quò imposterum ad mercimonia diligentiùs exercenda instigentur: & proinde deligendi certi officiales, qui mercibus iusta pretia imponant, & certus etiam locus designandus, quo mercatores securè, tanquam in emporiū conueniant, & quæ attulerunt venalia exponant, vel alijs mercatoribus diuendant, à quibus postea vehiculis & carris tutò deferantur. Proficiscente enim exercitu nō semper ad ea loca vbi subsistit, perueniri iusto tempore potest, & morâ interueniente, merces quæ seruando seruari non possunt, corrumpuntur, & nullius bono pereunt. Sed ne, satis est vt commeatum sub manu habeat, nisi manu vtatur restricta in dispensando, ne in eā reprehensionē incidat, quā subierunt M. Lupertus, & N. Rufus, paucis diebus absumptis, quæ aduersus necessitates in longum suffecissent. Quod inconueniens, vt euitetur, præsertim in locis periculo obnoxijs, prouidi erit Imperatoris Achillis Tarduccij consilium sequi, nimirum, vt quilibet Tribunus militū, suum habeat vehiculum, vel iumentū quoddā solo pane bis cocto vel frumento onustum, quo tamen vti nequeat quisquam sine Imperatoris consensu, nisi ad subitas reseruet expeditiones, ne de victu dum sibi milites prospiciunt, egregiam aliquam manum cum hoste conserendi amittant occasionem. Vbi verò per dies aliquot certo in loco cōsistet exercitus, iumenta & vehicula ad certa prouinciæ finitimæ emporia siue granaria (quæ rebus ad victū hominū, & iumentorum necessarijs semper referta habebit) pro singulis militū turmis cum præsidio transmittet, ne qua re hosticū ingressuris militibus deficiente, præclara Imperatori rei benè gerēdæ oportunitas elabatur. Nō inutile quoq; fuerit veterū Romanorū sequi institutū, qui in expeditionib⁹, militū humeris cibaria imponebāt, vt cōstat ex Cicerone, 2. Tuscul. vbi scribit, milites, pter vallū, scutū, gladiū, galeā, ferre solitos plus dimidiati mēsis cibaria. Adde Lāpridiū, q etiā scribit Alexandrū Imp. expeditionis tēpore, milites sic disposuisse, vt in mansionibus annonas acciperēt, nec portarent

Li. 1. Comment.

Tacit. 4. Hist.

Lib. cni tit. Turca vincibilis.

Lib.9.de Reb. gest. Frid. I.

cibaria decem & septem, vt solent, dierum, nisi in barbarico, siue hostico, quamuis & illic mulis eos, & camelis adiuuerit. *Horum secutus exemplum videtur Fridericus I, Imper. teste Gunthero:*

Ipse per Italicas paucis comitantibus oras
Vndique discurrens, bello quæcumque sequenti,
Vel prodesse sibi, vel obesse putauerat hosti
Accelerat, castella viris, armisque, cibisque
Instruit, atque nouam valido munime Laudam
Cingit, Ticcini passuram pondera belli.

2. Tuscu-las.

Cicero distinctè: nostri exercitûs primùm vnde nomen habeant vides. *Agit de exercitijs militum, de quibus infra cap.*10.*Deinde prosequitur: qui labor, quantus agminis: ferre plus dimiditi mensis cibaria, ferre si quid ad vsum velit; ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam, in oneri nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint*, Hæc Cicero.

Militum onera.

*Ex quibus omnibus efficio, Imperatorem non irrito conatu exercitum ducere cupientem, ad eas circumstantias, & alias quas hoc Capite Auctor noster tetegit, diligenter attendere debere. Nimirum.*

Quæ in progressu exercitus sunt obseruanda.

I. *Vt Ordine benè seruato procedat acies.*
II. *Vt denso progrediatur, non dilatato agmine.*
III. *Vt quadrato agmine procedat, non oblongo.*
IV. *Vt impedimenta in medio agminis collocet.*
V. *Vt speculatores præmittat.*
VI. *Si hosti appropinquet, pedetentim suspensoque gradu iter faciat.*
VII. *Tempus quo castra mouenda attendat, quantumque itineris facere debeat.*
VIII. *Vt iter per socias regiones faciens, militum manus contineat.*
IX. *An hostium possessiones funditùs euertere debeat?*
X. *Et denique, vt Commeatum paret, & Mercatoribus tutum, securumque ad Castra iter præstet.*

Imperator prouinciã aliquã inuadens occupet locum aliquẽ munitum.

XI. *Addo & aliud didacterium: vt cùm aliquam Prouinciam inuadit, omni modo satagat, vt initio locum aliquem occupet & muniat, in quo pedem firmare & ad alia se extendere possit: vt nuper fecêre Hassi in agro Colonien. & Iuliacen. In eiusmodi enim loco & ægri, & commeatus & prædæ deponi possunt: deinde, si supplementa mittantur, habent quò se recipiant. Præterquam quod hostibus damnum infertur, & auctoritas illorum minuitur, putantque se captiuos, dum alij munito aliquo loco se tuentur. Denique, si prælio vincantur tutum asylum habet. Ante aliquos annos cùm subitò Rhenum Ambrosius Spinola traiecisset, cùm nihil pacati haberet in eâ Prouinciâ, & Bergam hostis muniuisset, propterea, quod obsidionem expectarent, Rhenum ponte iunxit, & munitiones temporarias excitauit, vt in omnia paratus esset, quæ res hosti vt inopina, ita tristissima fuit. Spinolæ*

*nolæ verò commoda: nam tuto sic à flumine recedens, Limgam, aliasq; Vrbes celeriter occupauit, postea verò quam in potestate Bercam haberet, munitiones priores diruit, pontemq; dissoluit.* Nec aliâ mente Comes Bucquoius *in Bohemiâ tantâ industriâ & fortitudine Budeuuicium tenuit, vt si maiore exercitu totam Bohemiam occupasset, haud maiorem gloriam consecutus esset. Quin ipse Spinola postquam VVesaliam occupasset, eam operibus præsidioq; muniuit, plurimum in eo positum arbitratus, quod sedem belli, Rheno, Lupiæq; continendo commodam haberet. Curruum vsus est in itinere & prœlio, sed vt iungantur, & valli instar sint, per trabes & catenas necti solent, eis si bombardæ minores, quas vsus militaris Falconettas appellat, imponantur, hostem arcent, tutissimè tergum & latera claudunt, à duobus equis trahi possunt. Vsus est magno commodo in Belgio Albanus, & Turcæ semper vtuntur, id vtilissimum putarem, si plures eiusmodi currus sequerentur, & latera tegerent, quorum quisque octona, vel dena tormenta veheret, quæ duplo maiora essent mosquettis, haberentq; magistros eodem in curru: his enim nulla armatura resisteret, & multitudine hostem arcerent: quod monitum acceptum fero à R.P. Contzen lib.* Societatis Iesv Doctore Theologo & Professore. 10. *Polit. cap.* 35. §. 4.

# CAPVT VII.

## *Quomodo per angustias ducendæ copiæ.*

S*I quando per angustias*, aut prærupta, & auia loca ducendus exercitus; perutile erit, copias nonnullas præmittere, montium verticibus, angustiarumque faucibus præoccupandis: ne si priùs illic hostis consederent, transitionem arceant. Quod etiam obseruandum, si hostium metuatur impressio. Nam vtile quidem est, *aliquid semper in illos moliri*, ac tentare; sed ab illis quoque cauere, plane necessarium est. Nec solùm Imperator inuadendis hostium finibus auidè imminere debet, sed prouidè suos etiam, ne vsurpentur, occludere. A. B.

# *NOTÆ IN CAPVT VII.*

1. SI quando per angustias.] *Id autem rarenter faciet prouidus Imperator: quòd qui per eiusmodi angusta loca copias ducit, hostili illas aggreßioni obnoxias reddit; vt Alexander quondam Magnus cum pudore professus est, cùm copias suas iter in Persiam faciens, montium angustijs coniecisset.* Regem, *inquit*, *Curtius*, non dolor modò, sed De copijs per angustia loca ducendis. Lib. 5.

 etiam

etiam pudor temerè in illas angustias conjecti exercitus angebat. *Quod si tamen necessitas ferat itinera eiusmodi aggredi, curet vt exercitus procedat in minores manipulos distinctus, & partitus, quò pro loci ingenio & temporis oportunitate illas contrahere & diuidere queat. Sed, & cautionē teneat, quam hîc subijcit Auctor, vt nimirum* copias aliquas præmittat, montiū verticibus angustiarumq; faucibus præoccupandis; *vt Cæsarem fecisse legimus in expeditione contra Heluetios:* factus enim certior, *inquit de seipse,* hostes sub monte consedisse millia passuum octo ab ipsius castris, qualis esset natura montis, & qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent misit. *Atque hoc illum in magno semper habuisse, vt locorum nimirum situs & ingenium per exploratores cognosceret. Tranquillus Suetonius in eius vitâ auctor est.*

Lib.1. Comment.

Cap.58.

2. Aliquid semper in illos moliri.] *Nouis maximè inuentis, & vaframentis. Nam* sicuti in musicis, *ait Xenophon,* noua quoque, & florida habentur in pretio: sic in rebus bellicis noua inuenta existimantur longè illustriora, quoniam hæc queunt magis hostes decipere. *Quâ in re maximè excellebat Agesilaus, cuius ad rem quam tractat hic Onosander, legitur aptum stratagema. Hic cùm inaudisset Thebanos loca quædam angusta, per quæ necessariò sibi cum copijs transeundum erat, occupasse, subitò iter flexit finxitq; se rectà Thebas petere, id quod credentes, & sibi inde metuentes Thebani, angustiis illis locis relictis quantocyus versus Ciuitatem suam suppetias ei laturi contenderunt: quo astu viam sibi aperuit Agesilaus, & hostem insigni elusit dolo.*

Lib.1. Cyripæd. Noua inuenta in rebus bellicis in magno semper habentur. Plutarch.

# CAPVT VIII.

## *De valli munitione.*

A. MPERATOR, si in hostili solo castra ponat, statim *vallo, fossaq; cingat,* licet ibi ad breue tempus considere voluerit. Hæc enim castrensis ratio nunquam pœnitenda, semperque tuta aduersus repentinas, & improuisas irruptiones. Collocet etiam custodias, ac speculatores, quasi propè adsint hostes, etsi longiùs abesse putet. Si verò, illis minimè prementibus, castra diutiùs habiturus sit, aut si regionis vastandæ caussa cōmoretur, aut etiam commodiorem circumspectet
B. occasionem, *eligat minimè humida,* aut morbosa loca. Impurus enim illic, & fœtidus aër morbos ac pestem progignit, validam multorum valetudinem lædit, multis vitam quoque aufert, adeoque & numero, & viribus minuitur exercitus.

NOTÆ

# NOTÆ siue DISSERTATIONES
# *IN CAPVT VIII.*

A Vallo, fossaque cingat.] *Romanorum, immò & Græcorum prædicanda consuetudo, vt in castris muniendis vallo fossaq; se cingerent. Quid vallum, apertè describit (vt veteres omittam) Britannus Historicus: Vallum, inquit, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, instar magnorum laterum quos confestim effodiebant, quibus circumcisis è terrâ velut murus exstruitur altus super terram: ita vt in antè fiat fossa, de quâ leuati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortißimis præfiguntur, sed notandum super hunc aggerem siue murum exstruxisse plerumq; turres & pinnas, quò faciliùs hostis aditu prohiberetur, denique ab ipso vallo ad castra vsque, interuallum fuisse pedum ducentorum, vt postea dicemus. E millenis, aliquot exempla huius symmetriæ promantur, & præcipuè ab ipso Cæsare eximio illo munitionum architecto. Is igitur castris in Heluetios positis,* cùm vnâ legione, quã secū habebat, militibusq; qui ex prouinciâ cōuenerāt, à lacu Lemano ad montē Iurā millia passuū nouēdecē, in altitudinē pedū sedecim, fossamq; perducit. Eo opere perfecto præsidia disponit, castella cōmunit, quò faciliùs, si se inuito transire conarentur, ꝓhiberet. *Ambitū primo notes* XIX. milliarium, *nec is extra finē. Nam rursum, Pompeium ad Dyrachium obsidens, vallo duplici sese muniuit*: quo millia passuum octodecim in circuitu erat complexus. *Notes insuper* murum in altitudinem pedum XVI *Murus seu agger, pro rerum momentis altus erat: tamen aduersus Belgas Gallorum fortißimos castra ponens*, vallum exstruxit XII. pedum. *Distinctè illa explicemus:* Vallum *facturi*, cespites *primùm exscindebant, qui nihil aliud erant teste Festo, quàm terra herbarum radicibus continens, erantq; instar magnorum laterum: ij, post fossam, (quæ pro neceßitate maior, minorue erat) ad instar muri, in castrorum circuitu collocabantur, (idq; in superficie exteriori, nam interior minuta terra replebatur) atque ita murum seu aggerem struebant, supra quem valli siue pali defigebantur, ita densi & ramusculis connexi, vt ne manus quidem interponendæ spacium esset, neque sine labore magno, vel vnus vallus de aggere reuelli posset.* Valli *autem ab ipsis militibus quacumque exercitus progrederetur ferebantur.* Vnus vir, *inquit Polybius, de vallis agens,* fert tres, aut quatuor, simul eos componens: *nimirum, vt ocyßimè liceret eis vallare se, sicubi castra statim locanda, aliudvè periculum esset. Super vallum, quin scuta, hastas, galeas, secures, rutra, falces, lora & catenas ferrent ambigit nemo. Ergò tota munitio, fossa, aggere, cespite, vallo constabat. Porrò fossā, negat Vegetius minus quā pedes nouē latā, septe profundā fuisse: ad summū verò duodecim pedum làtitudinē, nouem profunditatē, cùm opus est & prout*

De valli munitione & quæ illa sit.
Bed l.1. Hist.angl. cap.5.
Lib.1. Cōment.
Lib.3.Ciuil.
Lib.2. Cōment.
Vallis, cespites, quid?
Lib.17.
Cic.2. Tuscul.
Lib.1.

Milites ipsi valli fabricatores. & prout necessitas vrgebat requirit. Sed qui in hoc opere? milites ipsi, qui longo & assiduo vsu sic edocti. Apud Tacitum legimus, milites, qui in Germaniâ defecerant, in laboribus suis adscripsisse vallum, fossas, materiam, pabulum, lignorum aggestus, id est, materiam ad aggeres, & valla exercenda. Quamquã Vegetij tempore & paullò suprà quæque legio ad hos vsus habebat fabros lignarios, structores carpentarios, ferrarios, reliquosq; artifices: quibus præerat Præfectus fabrûm.

Lib. 1. Annal.

Lib. 2. c. 11.

Castrorum forma.

Atque hactenus de vallo & fossâ quibus castra muniebantur diximus: de castrorum formâ breuiter nunc tractandum. Et quidem satis constat castrorum portas quatuor fuisse: Cùm enim semper quadrata essent castra, quotlibet latus portam suam habebat, ad quam singulis vijs in crucis formam distributis, commodè milites commeabant, Prima, Prætoria fuit, quæ ad tabernaculum Imperatoris rectà duceret vijs, vt dictum est, in crucis formam distributis, dicta à tabernaculo Prætoris, teste Festo: Initio, *inquit*, Prætores erant, qui tunc Consules, & ij bella administrabant. quorum tabernaculum quoque dicebatur Prætorium. *Secunda, Prætoriæ ex diametro respondens* Decumana: *fuit, hosti auersa, vt Tacitus auctor est:* Tantâ, *inquit*, consternatione irrupisse Germanos, vt cuncti ruerent ad portas: quarum Decumana maximè petebatur, auersa hosti. & fugientibus tutior. *Erat ergò auersa ab hoste: & prætoriâ illum spectabat, si Polybio fides. Tertia & quarta porta*, Dextra principalis, & Sinistra principalis *nuncupantur, quæ sibi ex diametro oppositæ erant, vt Polybius docet, & vtræque appellatæ à* Principijs, *quæ erant loca in castris, in quibus Tribuni, Præfecti, Decuriones & Centuriones. ideò Cicero ad Brutum,* Spem libertatis nusquam, nisi in Principijs castrorum esse, *dixit. Porrò à vallo ad militum tabernacula, interstitium erat pedum ducentorum, teste Polybio: idq; primò, vt si ab hostibus tela, ignesvè missiles iacerentur, circa caderent, sicq; illæsi consisterent. Secundò, vt locus esset quo commodè prædæ armentorum & pecorum ab hostibus capta recipi posset. Tertiò & denique vt ex facili in eo loco milites, qui ex castris educebantur in aciem ordinarentur.*

In voce, Prætoria.

Lib. 1. Annal.

*Satis, quod ad eius intelligentiam, de vallo diximus: cuius vsum vt Imperatores hodierni reciperent, sanequàm optandum esset; cùm mille confusionibus & periculis eiusmodi præsidio liberarentur: id quod multis probat exemplis Io. Francis. Fiamellus lib. Quæst. milit. cap. 37. & Scipio Amiratus lib. 19. Differt. docet exemplo Galbæ: Is cum paruo equitatu & vnâ legione in castris sese continebat, quem hostium maxima multitudo aggressa fatigauit adeò, vt de castris, & impedimentis deserendis deq; eruptione faciendâ agitaret: sed cùm ad extremum id consilij reseruare, & interim rei euentum opperiri, & castra defendere visum fuisset, fortissimè se tuebatur aduersus hostilem multitudinem, donec propter Romanorum paucitatem, re ad summum discrimen vertente, ad pristinum consilium rediret. Itaque prælio paullisper intermisso, ac tantummodò tela missa excipientes, seq; ex labore reficientes, post signo dato è castris eruperunt, omnemq; spem salutis in virtute posuerunt evnde commutata fortuna hostes vndiq; circumsiderunt, & ex hominum millibus triginta, plus tertiâ parte interfecerunt.* a *Idem accidit Ciceroni septem dies in castro obsesso:*

obsesso: at summa sua suorumq; laude semper victori. b Idemq; euenit Cæsari, cùm Ciceroni suppetias ferret. c Sed nimius esset labor, si singula exempla eorum, qui castrorum ope meliorem sibi fortunam effecère perquirantur. Et ratio in promptu est: quia qui castra munita habet, tutus est, inquit hic Onosander, aduersus repentinas & improuisas irruptiones, hoc est ad nutum hostium dimicare non cogitur; quo modo, deteriore conditione dimicatur, inq; manifestam cladem ruitur, sed arbitratu suo, id est, maiore opportunitate, manus cum hoste conseritur, vnde vt plurimùm victoria reportatur. Et exploratum est, omnia insigniora prælia ipsamq; victoriam, quam Cæsar in Hispaniâ de Petreio & Afranio consecutus est, non aliundè processisse, quàm quòd Cæsar munitiones diligenter curauisset, quorum auxilio sæpè suos hostes sine sanguine in potestatem redegit: d Neque id quidem mirum: cùm si rectè constituta sint castra, inquit Vegetius, quasi Ciuitatem muratam videntur secum portare. Ita superioribus annis Marchio Spinola in obsidione oppidi Bredani vallo fossaq; sic se munierat, vt ipsis oppidanis munitior tutiorq; esset. Quod quoque nuper factitatum fuit in obsidione sub auspicijs Illust. Francisci de Mello procurata, vrbis Bassee in Arthesiâ. Vnde, è diuerso videmus quid mali tẽporibus nostris castrorum inscitia locandorum effecerit, id quod Ducis Parmensis in Galliâ, & pluscuIis aliorum exemplis docet idem Amiratus, quæ tædij vitandi prætergredior: tantum te qui Martem laudemq; sectaris verbis illius monuerim, vt cùm antiquorum Ducum exemplis, & documentis intelligas castra perutilia esse, neque te posse ob militiæ præsentis corruptelã, veteris militaris ordines restituere cognoscis, cùm dediscere facilius sit quàm addiscere, vnã saltem adolescentum legionem institue, qui non minùs hastis & sclopetis, quàm ligonibus & palis vti sciant, curesq; vt omnibus his instrumentis æquè instructi inter militaria documenta exerceantur, in dirigendo ac delineando opere aliquo, quod ad militiã spectet, nempè fossas, valla, propugnacula designent, ac meditentur vbi collocanda, quomodove in castris aptè distribuendæ stationes, quibus fessi milites quietè reparari possint. Vtq; tibi præmonstrem, quid ad normam antiquorum efficere possis: cùm vallatus es, & castrorum frons Orientem spectat, easdem lineas quas extrorsum duxisti, perducas pariter introrsum, spacio aliquo interiecto, & primo crucis figuram in medijs castris ducens, ex illo amplo quadrato, quatuor quadrata præcipua conficias, quæ duas vias regias castrorum constituent; altera ab Occidente ad Occasum, à porta videlicet Prætoria ad Decumanam: altera à Septentrione ad meridiem, à portâ videlicet Dextrâ Principali, ad portam Sinistrã Principalem: deinde, (instar hortorũ, qui in alia minora quadrata subdiuiduntur) inter hæc quadrata, minora alia designa, quæ cæteris eadem mensura respondendo, alias minores vias conficiunt, quæ ab imo ad summũ omnes militũ stationes in latitudine & longitudine diuidant. atque hæc est sententia Scipionis Amirati viri ciuilium militariumq; rerum peritissimi, quã si rectè capient Duces, nullo negotio Romanorum imitatione aduersus hostiles insultus sese in tuto constituent. Hodie valli vicem obtinere volunt carri in orbem dispositi, quibus vsos esse Stephanum Battoriũ & Hunniadem aduersus Turcam, aliosq; nostrâ tempestate in Belgio Duces scimus. Sed, quotusquisque non videat hoc munitionis genus opidò infir-

a Cæsar 3. Comment.
b Id. lib. 5.
c. Ibid.
Valli vtilitas.
d Lib. 1. Ciuil.
Lib. 1. c. 21.

*infirmum & hostili impreßioni, & fraudi obnoxium esse? maximè si in finibus imperij sint quibus in locis castra sic excitasse Romanos, vt non tàm castra, quàm fortißima opida viderentur, non vno in loco constat apud Cæsarem aliosq́;.*

Castra sint in salubri loco. Lib. 1. Cytipæd.

B. Eligat minimè humida.] *Sic Cambyses apud Xenophontem inter cætera quæ Cyro Principi futuro dabat belli fœliciter gerendi documenta, illud legitur, ut summè caueret, ne initio castra metationis exercitus ægrotaret. Sciscitanti autem Cyro, quî hoc assequi posset, respondit:* Ἂν μὲν δήπου χρόνον τινὰ μέλλεις ἐν τῷ αὐτῷ μένειν, ὑγιεινοῦ δεῖ πρῶτον στρατοπέδου μὴ ἀμελῆσαι. τούτου δ' οὐκ ἀμόρτοις, ἐάνπερ μέλησος. καὶ γὰρ λέγοντες οὐδὲν παύονται οἱ ἄνθρωποι, περί τε τῶν νοσηρῶν χωρίων καὶ τῶν ὑγιεινῶν μάρτυρες δὲ σαφεῖς ἑκατέροις αὐτῶν παρίστανται, τά τε σώματα καὶ τὰ χρώματα: Si quo in loco diutius sis futurus, diligentia tibi est adhibenda; primùm, vt castra in salubri loces: id quod, nisi neglexeris, facile assequeris. Etenim discere homines assiduè consueuerunt, & qui morbidi sint & qui salubres: his verò vtrisque certissima afferunt testimonia, tùm corpora, tùm colores. *Mahumetes impius Turcarum legislator, non aliam ob caussam legem suis asseclis, vt crebriori lotione vtantur, tulit, nisi quod crederet crebrâ lotione vegeta fieri corpora, morbosq́;, quos immundicies generare solet, paruo sumptu arceri. Batavi, quia in locis humidis consistunt, milites suos humi iacêre non permittunt, sed certos ad id delectos viros, qui eis lectos ex asseribus parant, cubito à terrâ altos: quæ insignis est prouidentia. Ad summam, caueat Imperator, ne, vt noster Onosander hic inquit, eligat loca humida, aut morbosa.* Impurus enim illic, *inquit, Vegetius*, & fœtidus aër morbos ac pestem progignit, validam multorum valetudinem lædit, & quampluribus vitam quoque aufert. Vndè & numero & viribus minuitur exercitus. *Hinc in celebri illâ obsidione Ostendæ animaduersum Batauos, quolibet trimestri, præsidiarios milites commutasse: de quâ obsidione infrà dicemus cap. 38. §. vlt. In montibus tamen ( etsi in ijs salubrior aër) non ponat, quòd in istis commeatus impediatur: in planitie ferè amnis, aut sylua aut collis commodo est. Aptißimus est, ad quem difficilis est accessus; & discessus facilis.*

---

# CAPVT IX.

## *Crebrò mutanda esse castra.*



A. Ec parum vtilitatis ac salubritatis euèniet, si *non semper eodem in loco* maneat castrorum metatio: nisi milites eâ tempestate sub pellibus, & tentorijs hibernent. Naturales enim ac necessariæ

B. *alui deiectiones*, vnû semper in locum congestæ, graves ac fœtido exspirant halitus, tandemque ambientem ac circumfusum aërem

tetro

tetro odore corrumpunt. Cohortes in hiberna missas, ad bellicas exercitationes traducat Imperator, nec sinat eas otiari vel desidere. *Nam otio* quidem corporis vires mollescunt & languent; desidiâ verò, animi veluti euirantur, socordesque & ignaui fiunt. nempè, blandimenta voluptatum adsiduo abusu ferocissima quæque pectora eneruant & absumunt. Cauendum igitur ne diutiùs viriles animi à consuetis cessent laboribus. Nam si ab longo otio ad militaria munera reuocentur, non prodeunt lubentes, nec diu perseuerant, sed repentè timore consternati trepidant, priusquàm periculorum dubia tentauerint; simul ac verò tentauerunt, abscedunt; atque ita in illis, nec sperant, nec resistunt. C.

---

# *NOTÆ IN CAPVT IX,*

A. NOn semper eodem in loco.] *Id summè curabat I. Cæsar, quem legimus tantùm itineris confecisse, quantùm valetudini militum tuendæ mutatio loci conferret. atque id quidem prudenti consilio, cùm ex nimiâ cunctatione aër facilè corrumpatur,* vnde perniciosissimus nascitur morbus, *inquit Vegetius,* qui prohiberi non potest aliter, nisi frequenti mutatione castrorum. *Hoc bellicum institutum adeò receptum vbique est, vt non sit quispiam mediocriter disciplinâ militari imbutus, qui non id diligenter seruet, Hollandi in obsidione Ostendæ, exacti hac in re: nam quotquot trimestribus, nouo præsidio vrbem muniebant. Moyses etiam eam ob rem suis præcepit, vt* castra sint sancta, & nihil in eis appareat fœditatis. *Ideoq́. Consul Fabius* non expedire, inquiebat, vt eodem loco milites diu residerent, vtpotè, qui locorum mutationibus saniores, ac vegetiores redduntur, eoque faciliùs aër corrumpetur, quò arctioribus exercitus continebitur castris, id quod testatur Cæsar accidisse Pompeio, cuius exercitus cùm ob castrorum angustias, & fœtores, tum propter cadauerum multitudinem vehementer ægrotauit, vnde locum mutare coactus est. Cæterum, vbi castra mutare intendis, aduerte, vt locum spaciosum inuenias, curesque complurimum, vt forma quadrata sit, veluti dixi supra capite 8. dixi *complurimum:* propterea quod ratione situs persæpè non ijs locis ad quæ quisque vult, sed ad quæ potest, sese adaptare cogitur: etsi me non lateat Romanos ardua explanando semper studuisse ea loca arte quadratâ facere. Quâ ex re eorum conditio melior erat; quia sibi ipsis etiam terrarum situs quodammodo morem gerere tenebantur: etenim situm imprimis deligebant, mox eundem diuersimodè, vt locus tempusque ferebat, designatum muniebant, vallo, & fossa, vt suprà dictum est dicto cap. 8.

Hirt. lib. 8. Castra mutanda. Lib. 3. Deut. 23. Lib. Cōment. Lib. 8. Bell. Gall.

B. *Alui deiectiones.*] Si consisterent diutiùs castra, tum extra illa de die sôrdes illas humanas posuisse; si noctu in tentorijs & vasis ac calones, aut ipsosmet milites asportasse constat. Imò ipsos Turcas in hoc sibi cauêre, vt fossas sibi parent ei vsui aptas adeoque extis animalium, alijsque reiectamentis carnium sola condendis, contra scilicet fœtores de quibus hîc Auctor.

Non otientur milites. C. Nam otio.] *Similia apud Senecam:* Non vides, vt immota fax torpeat, & exagitata reddat ignes, mollit viros otium: ferrum situ corrumpitur, & rubiginē ducit: desidia milites dedocet. *Propius ad rem Xenophon:* Lib. I. Cyropæp. Ὡς χαλεπὸν μὲν ϗ ἕνα ἄνθρωπον ἀργὸν τρέφεσθαι. πολὺ δ' ἔτι, ὦ παῖ, χαλεπώτερον, οἶκον ὅλον, πάντων ἢ χαλεπώτατον στρατιὰν ἀργὸν τρέφειν: Difficile est enim vel vnum hominem alere otiosum; multò etiam difficilùs totam domum: sed omnium difficilimum vniuersum exercitum alere. Lib. 6. Policrat. c. 14. *Itaque rectè Antistes Salesbriensis dixit vsque quaque Ducem inutilem esse, apud quem disciplina non viget: & frustra sperat victoriam, qui animos manusque militum aßiduè non exercet.* idq; maximè in prosperitate rerum, & copia necessariorum. Itaque disciplinis exerceantur, nunquam otientur. Apud Lamprid. Disciplina maiorum (*inquit Alexander*) Rempub. tenet. quæ si dilabatur, & nomen Romanorum, & Imperatorium amittemus. *De his pulchrè Iosephus:* Lib. 3 Belli. Iug. Meditationes autem illæ siue exercitia, nihil à verò vsu fortitudinis & audaciæ abeunt, sed quisque quotidiè miles omni alacritate tanquam in bello exercetur. Quò fit vt facillimè & pænè sine laboris sensu pugnas tolerent: Neque enim vel confusio eos consueto ordine amouet & dissipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Sequitur verò victoria eos, cùm in hos pugnent qui non pariter confirmati sunt. Nec sanè errauerit, qui dixerit. Exercitia eorum pugnas sine sanguine, pugnas exercitia cum sanguine esse. *Sed non est cuiusuis millitum: sed qui naturâ, patria, dotibus animi & corporis tales sunt. Ideoque hoc in delectu militum obseruandum est, vt potiùs milites ruricolas, quàm ex vrbe petantur; cum rure delecti aptiores habeantur, vtpotè, qui laboribus magis, minùsque lasciuiæ assuefacti sint. Fortior miles è confragoso, venit: segnior est vrbanus & verna: ætas, vt plurimùm decem & septem annorum militiæ idonea putatur: quam rem Vegetius lanugine innuere videtur. Et Tacitus ante ipsam lanuginem. Marius tyrones voluit altæ staturæ, etsi corporis robur magis quàm species attendenda est* Lib. 20. *Hæc autem potißimum in tyronibus respicienda sunt, oculorum alacritas, erecta ceruix, pectus amplum, humeri musculorum pleni, digiti fortes, brachia longa, venter paruus, femora aliquantò macra, crura, pedesque neruosi, neque carnosi: super omnia, magnus animi vigor, vt de Germanis loquitur Tacitus.* Veget. lib. 1. cap. 3. *Tales apud Polonos Masouij, quibus vtebatur Sigismundus III. in obsidione Smolensi, Duce Ioanne Graionio, qui non dubitauit* 400. *suos pedites duobus millibus Hungarorum apertâ acie opponere, & vltrò etiam prouocare.*

CAPVT

# CAPVT X.

## *Milites rebus securis ad Bellum exerceri debere.*

BOnus igitur *Imperator, priusquam vrgeat* consistendi in acie necessitas, præparet quæ vtilia sibi fore videbuntur, immo & militum corporibus exercendis, imperet quoque minùs vtilia. Satis enim illis, quamuis ærumnosis, ac miseris, concedetur ocij, si tantisper à grauibus, verisque bellorum periculis vacare liceat. His autem modis exerceantur. Disponantur singuli in armis, illisque præcipua curarum ista sit, assiduo vsu permanere in ordine, vt adsuescant de facie, ac nomine sese inuicem nosse. Item vt discant quis progredi debeat, quo imperante, quo loco, quot socijs comitatus. Denique, vel leuissimo nutu & signo, adstent in ordine singuli. Tùm verò doceantur agmen producere, contrahere, inclinare in læuum, in dextrum latus, manipulos traducere, diuidere, condensare; vel etiam vicibus alternis accedere, & recedere. Itemque adsuefiant aciei distributionibus, siue in phalangem componenda sit acies, siue confertim colligenda, siue longâ serie protendenda, siue ita, vt postremi aduersus circumuenientes obuersu vultu prælientur, pugna biceps, ac bifrons pugnanda, siue etiam receptui signo audito secedendum. Vt enim qui musicorum instrumentorum principiis adhuc erudiuntur, quando aut tibiarum foramina, aut neruorum interualla, digitorum pulsu discernenda sunt, sæpenumerò alijs digitis, absque vllo concentu premunt incondite, ac languidè ponendo articulos, segniter quoque tollendo, vix neruos intendunt; at qui iam frequenti curâ, & vsu totam artem probè callent, manu ad numeros compositâ, celeri leuitate subtiliter agitatâ, tibiarum flatus, vt lubet, aut comprimunt, aut laxant, fidibusque facilè perstrepunt: Consimili quoque ratione, ordinum seruandorum insueti & ignari, trepidi admodum, post multos errores, & amfractus, vix tandem dispositè conquiescunt: qui verò communibus animis conspirare edocti sunt, dato signo, derepentè, quasi naturali motu ipsi per se feruntur in ordines, aciemque pulchrè concinnatam componunt. A.

Porrò, exercitu ita distributo, commissos, & compositos ordines ad conflictum educat Imperator, vt datis ferulis aut rudibus, & iaculorum arundinibus, pugnam sine ferro, & sanguine depugnent. *Si in aruo sint*, globis, vt missili- B.

C. bus, pugnam sine ferro, & sanguine depugnent. *Si in aruo sint*, globis, vt missili-
D. bus vti iubeat. *Item crudo cestu*, lorisque bubulis. Designet quoque illis colles, cacumina, & ardua loca *celeri cursu* conscendere imperet; tùm etiam submittat cum telis, quæ modò indicaui, alios quosdam, qui illos exturbare contendant; eosque laudibus efferat, qui vel permanserint fortiter reluctando, vel qui con-
E. stanter oppugnando aduersarios deiecerint. *Huiusmodi ludo* & exercitatione militum valetudo confirmabitur, eritque illis cibus, potusque etsi tenuis, & parcus, iucundior; nec magis opiparè epulari exoptabunt. Nam labore quæsita fames ac sitis, multa sibi, ac suauissima condimenta, poculaque miscet. Hinc etiam corpora ipsa aduersus defatigationes obdurantur, periculis adsuefiunt, sudando, nitendo, anhelando; atque in feruenti sole caloribus, & algoribus sub dio perferendis exercentur.

F. *Similes equitum* quoque exercitationes erunt, aut certatim pugnando, aut cursim insequendo, aut mixtim prœliando, aut tumultuariè velitando, in campis scilicet patentibus, ac planis; atque etiam circa collium radices, quantùm per arduas asperitates attingere licebit. Nec enim debent per inaccessa iuga, aut per præruptos descensus equitare.

---

# NOTÆ siue DISSERTATIONES *IN CAPVT X.*

De Exercitijs.

A. PRriusquam vrgeat.] *Hîc agit Onosander de Exercitijs armorum, quæ partitè satis & distinctè prosequitur ipso Capitis huius initio. Antiquos autem hisce exercicijs apprimè deditos fuisse præter sexcentos alios docet D. Hieronymus his verbis: Olim qui nauali prælio erant dimicaturi, priùs in portu, mariq́; tranquillo vncos præparabant, remos trahebant, dispositumq́; per tabulata militem firmiter stare consuescebant, vt quid in hac fictâ naumachiâ simulacroq́; naualis pugnæ didicissent, in verò certamine non perhorrescerent: ita sanè qui in terrâ erant pugnaturi, arma tractare, vmbratili pugnâ vires exercêre, famẽ, sitim, frigus, æstum, vigilias, pati assuescebant, vt q̃ domi didicissent in pugna eis prodesset. Romanos etiã ab hoc instituto dilaudat Vulcatius Gallicanus, dicens insuper;*

In Auid. Cas. Miserum esse, cùm exerceantur athletæ, venatores, & gladiatores non exerceri milites, quibus minor futurus esset labor, si consuetus esset. *& diffusiùs Iosephus:*

Lib. 3. Excid. Hierosl. Non initium illis armorum ipsum bellum est, nec solùm, cùm vsus, aut necessitas est, manus mouent, in pace feriati: sed tanquàm congeniti armis, nunquàm pausam Exercitij faciunt, nec exspectant occasiones. Meditationes autem illis, siue exercitia nihil à verò vsu fortitudinis, & audaciæ abeunt, sed quisque quotidiè

tidiè miles omni alacritate; tanquàm à bello exercetur. Quò fit, vt facillimè, & pœnè sine laboris sensu pugnas tolerent. Neque enim vel confusio eos à consueto ordine amouet, & dissipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Sequitur verò victoria semper eos, cùm in hos pugnent, qui non pariter confirmati. Nec sanè errauerit, qui dixerit, exercitia eorum pugnas sine sanguine, Pugnas exercitia cum sanguine esse. *Hactenus Iosephus: qui indicat illos, vt vides quotidiè exercitijs operam dedisse; quod nec à verò alienum est: cùm & Vegetius scribat, Tyrones bis in die manè & post meridiem; Veteranos autem semel tantùm exerceri* Lib.3. *solitos. Quidquid sit, tantum his exercitijs tribuerunt Romani, vt* Seuerus *Imperator, palam dixerit, Disciplinam maiorum Remp. tenere. quæ si dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amissum iri. Hinc de Romanis Sallustius:* Iuuentus laborum ac belli patiens erat in castris per laboris vsum militiam discebat. *Hæc etsi nostris temporibus in vsum reuocari haud sit ita facilè, tamen illud procliuius erit, priusquam Imperator manum cum hoste conserat, vt per aliquot dies diuersas pugnæ formas, easque campestres sibi præfiniat, quòd meliùs expeditiusq; cùm opus erit suam formabit aciem, quam illam adumbratam in chartâ videre meditariq;, vt hodie apud omnes ferè inualuit. Legimus etiam, vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum aggestus, & si quâ aliâ ex necessiate, aduersus otium excogitata, ne seditio incederet, si intermitterentur solita munia.* Lib.41. Miles hæc tria curare debet, *inquit Liuius:* corpus vt quam validissimum & pernicissimum habeat; arma apta; animum paratum ad subita. *Ipsimet Duces etiam in eundem modum exercebantur, teste Silio:* Lib.8.

Quotidie milites exercebantur.

Tacit. 11. Annal.

Ipse inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, vndosum frangere nando
Indutus thoraca vadum, spectacula tantæ
Ante acies virtutis erant, sæpè alite plantâ
Ilia perfossum, & campi per aperta volantem
Ipse pedes præuertit equum, sæpè arduus idem
Castrorum spacium & saxo transmisit & hasta.

Ducum belli exercitia.

*Agesilaus castra quotidiè circumduxit, vt scindendis lignis hosti noceretur, militemq; exerceret. Hoc de omni exercitiorum genere censendum.*

*Alexander ad Tyrum, cùm implêre fossam, & vallum æquare vellet, primus ipse corbem arenæ attulit: atque ita commilitones conciliabat.* De Valerio Liuius, non alius militi familiarior fuit, omnia inter infimos militum haud grauatè munia obeundo, in ludo præterea militari, cùm velocitatis viriumque inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere, ac vinci vultu eodem: nec quenquam aspernari parem, qui se offerret factis benignus pro re, dictis haud minùs libertatis alienæ, quàm suæ dignitatis memor, & quò nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat. Lib.7.

*Huc*

*Huc pertinet, quod Plutarchus ait, Pompeium in bello ciuili iam senem, & duo de-sexaginta annos natum, peditem atque equitem, se inter suos aßiduè exercuiße.*

Exercitium in armis. Lib.2. Cyripæd.
B. Si in aruo sint, glebis.] *Hoc exercitij genere Cyri milites vtebantur, Ita enim ille apud Xenophontem:* Inuitauit Cyrus totum ordinem cum Centurione, cùm vidisset dimidium virorum ordinis illius vtrinque inter se contra ad pugnam instruxisse, qui vtrique thoracas haberent, & crates in sinistris manibus: sed eorum alijs crassas ferulas in manu dedit; alijs dixit, vt glebis sublatis adversarios percuterent. *Notes Centurionem adstitiße, quasi Præsidem aut Doctorem armorum, In hoc autem Campestri exercitio aſſueſcebant milites hostilia, & vallum iacere, vibrare sudem, arma denique tractare. Seneca:* Miles in media pace decurrit sine vllo hoste, vallum iacit, & superuacuo labore lassatur, vt sufficere necessariò possit, *& alibi:* Iuuentutem maiores nostri rectam exercuerunt, hastilia iacere, sudem torquère, equum agitare, arma tractare. *Notes insuper crates & ferulas duplicis fuiſſe ponderis, vt cùm vera & leuiora arma tyro sumpſiſſet, velut grauiore pondere liberatus, securior liberiorq; certaret. Ita pileis quibuſdam Pannonicis ex pellibus vtebantur, ne grauior, cùm ad rem veniret videretur.*

Epist 18. Veget.l.1. cap.20.

C. Idem crudo cestu.] *In Græco textu legitur* ἱμάντων. *quod nihil aliud quàm lorum seu cestus. Cesti autem pictorum seu pugilum chirothecæ: aut si mauis, tunicæ manuum bubulis exuuijs insuto plumbo. Plura super hac re lege Mercurialem lib.5. de Arte Gymnasticâ cap. 6.*

In Cursu. Lib.1.s. 19.
D. Celeri cursu.] *Aliud exercitij genus Decursio, quod in armis fiebat, & sub signis: cuius meminit Vegetius:* Ad cursum, *inquit,* præcipuè adsuefaciendi sunt milites; vt maiore impetu in hostem procurrant; vt loca oportuna celeriter occupent; vt ad explorandum alacriter pergant; vt fugientium terga faciliùs comprehendant. *Atque hoc genus exercitij ex facili à nostris recipi poſſet, ſi Tribuni & Duces rem cordi haberent. Quid enim vetat, quominùs milites leuioris præſertim armaturæ, cùm in hybernis, vel alias ab hostico remoti sunt, quotidiè vel aliquoties in hebdomada eum in modum ſeſe exerceant? colles vtpotè, cacumina, loca ardua, & prærupta, ſclopeta gladioq; armati, celeri gradu tranſcendant, foſſas tranſiliant, ſclopetas interea loci explodendo, ſocios ceù hoſtes petendo, & momento poſtea caſtra repetendo? quid, inquam, obſtat, quominus haſtas, enſes, ſclopetas commodè tractare, contra equites decurrere, tormenta bellica ocyùs educere, aciem inſtruere, eamq; pro ingenio loci vel laxare, vel condenſare in læuum, dextrumq; latus flectere, ante pugnam clamare, arma quatere, hisq; ſimilia tyrones, & quidem alternis diebus addiſcant?*

In Palo.
E. Huiusmodi ludo.] *Hactenus exſecutus est exercitia: etſi non omnes eius partes,* Sultum *enim*, Natationem *&* Palaria *omiſit. priora ex ſe nota, notaq; eorum vtilitates, quas Iuſtus Lipſius in Militia deducit: qui ex Vegetio* Palaria *deſignat fuiſſe armorum exercitium eiuſmodi: Statuebatur palus in terram rectus, & fixus, qui ſex pedes emineret ad modum hominis, eumq; hinc illinc tyro aßiliebat, & varijs ictibus, adſtante magiſtro petebat.*

*petebat.* In quâ exercitatione, *ait Vegetius,* ſeruabatur illa cautela, vt non cæſim, ſed punctim feriret, & ita ad inferendum vulnus inſurgeret tyro, ne qua ex parte ipſe pateret ad plagam. *Meminit & Seneca huius exercitij:* Exerceamur ad palum, *&c. De Hadriano Imp. Spartianus:* Equitauit, ambulauitque plurimum, armiſque & palo ſe ſemper exercuit. *Sed & omiſit Auctor nauales exercitationes, de quibus obiter Polybius:* Dum verò quinque remiges parabantur, intereà multitudo omnis ad remigium exercebatur, per hunc modum: Subſellijs in harena per ordinem diſpoſitis, remiges inſidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes vnà protendere brachia, ac reducere, remoſque per harenam remouere pariter docebantur: ad illius vocem ſimul omnes incipiebant, ſimul deſinebant. per hunc modum nauigandi artem edocti, & perfectis intereà nauibus mare ingreſſi, poſt paucos dies circa Italiam nauigantes, ſecundum ducis iuſſum, verum in vndis periculum fecerunt. *Cæterùm, & foſſas tranſilire. Pompeium cum alacribus ſaltu certaſſe auctor eſt Plutarchus. Vegetius quoque hanc exercitationem habet lib. 1. c. 9, Ad ſaltum etiam quo vel foſſæ tranſiliuntur, vel impediens aliqua altitudo ſuperatur exercendus eſt miles; vt cùm eius difficultates euenerint, poſſint ſine difficultate tranſire. Sed & omiſit auctor noſter* peritiam nandi, *quæ tamen Romanis cordi, vide Parœmigraphum:* neque literas, neque nare.

Lib. cap. 2.

Lib. 1. Exercitia naualia.

In ſaltu.

F. Similes equitum.] *Præter exercitationes quas hîc tangit auctor, poſſunt equites tyrones doceri in equum ſubitò aſcendere, ex eóq; deſcendere, foſſas tranſilire, haſtilibus ludis, & torneamentis haſtam vibrare, equum huc illuc flectere, velitationibus ſocios ceu hoſtes ex inſidijs aptè adoriri, & mox regredi ad turmas grauioris armaturæ, vtpote quibus interpoſitis latere tecto ab hoſtibus eſſe poſſint.*

Equitum exercitationis.

*Atque hactenus de Exercitatione. cuius vſus vt noſtris Ducibus recipiatur, vouendum quidem eſt, ſi non ſperandum. Reciperent tamen ſi quæ neglectu eius, damna ſibi adſciſcant, ſeriò cogitarent.* Animos n. ſubitò ad arma non erigunt, *ait Caſſiodorus,* niſi qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſsâ exercitatione diſponunt. *Nec difficultas abſterreat, cùm nihil ſit, quod non aſſidua meditatio facillimum reddat, vt Vegetius inquit. Et verò, cur deſperes fieri poſſe, quæ facta ſunt? Imiteris ergò veteres illos Imperatores, quorum Exercitia ſi pugnas ſine ſanguine. Pugnas exercitia cum ſanguine, dixerim, haud errem, aut me fallit Ioſephus.* De equitum exercitationibus pulchrè Vegetius lib. 1. cap. 18. Non tantùm autem, *inquit,* à tyronibus, ſed etiam à ſtipendiarijs militibus alitio equorum diſtrictè eſt ſemper exacta. Quem vſum vſque ad hanc ætatem perueniſſe manifeſtum eſt. Equi lignei hyeme ſub tecto; æſtate ponebantur in campo. ſuper hos iuniores primò inermes dum conſuetudine proficerent, demum armati cogebantur aſcendere: tantaque cura erat, vt non ſolùm à dextris, ſed etiam à ſiniſtris & inſilire & deſilire condiſceret, euaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Quo fiebat, vt in tumultu prælij ſine moâ aſcenderent qui tam ſtudioſè exercebantur in pace. *Ita ille.*

Lib. 1. epiſt 39.
Lib. 1. c. 19.

## §. 1. De Pabulationibus.

Si copias pabulatum mittat Imperator, summoperè cauere debet, ne per vberes diuitesque hostium regiones huc illucque prædas opimas perquirendo oberrent: ne hac ratione in maximas aliquando strages incidant. Palantes enim ac dispersi, prædas insolenti lætitiâ abigentes, ab hostibus opprimuntur ac profligantur. Nimirum *indigesta illa turba*, quæstibus prædisque onusta, & grauis, neq; armis vti, neq; mutuũ sibi ferre auxiliũ potest. Quotquot igitur iniussu Imperatoris aliqua deprædari ausi fuerint, *plectantur*. Ipse verò si quando prædatum mittere voluerit, vacuis & inermibus aliquot armatos equites, peditesq; adiungat: qui quidem abigendâ prædâ non occupabuntur, sed ordine dispositi pabulatores munient, vt tutò se ad suos cùm præda recipere possint.

## NOTÆ.

De Pabulationibus & præda. Lib. 5. de Militia. Sallust. Iugurt.

A. INdigesta illa turba.] *Non enim liberum ius erat sic prædari, sed per manipulos, cohortes, legiones, sæpè missos milites, vt prædam agerent ex hostili terrâ & ferrent: sed cùm lege, vt tota præda communis omnibus esset*, vt rectè ex Polybio notat I. Lipsius, *& docebimus postea Cap. 34. Itaque iure vitio datum Albinianis militibus*, quòd ab signis abessent, lixæ permisti cùm militibus diu noctuque vagarentur; & palantes agros vastarent, villas expugnarent, pecoris & mancipiorum prædas certantes agerent. *Cauendum quoque ne multitudine pabulatorum, copiæ nimioperè minuantur, vt non hostili manu adueniente factâ impreßione ex facili deleantur*, *quod in solo Iuliacensi nuper contigit Domino de Lamboy, qui fusus fugatusq; ab Haßis eam ob causam fuit, vir alioqui manu strenuus, & nuper ipsißimet Haßis ibidem pabulatoribus ab Ioanne de VVert eandem etiam ob causam cæsis fugatisq;.*

Lib. 1. Annal. Quando puniendus miles. Lib. 35. antiq. c. 12.

B. Plectantur.] *Nam* delicta militum nullâ veniâ prosequi vsu salubre, & misericordiâ melius semper apparuit, *ait ex vero Tacitus: quod maximè cape, vbi militibus stipendia non desunt: nam in rerum inopia, qui, sodes, militem contineas? Herodes, teste Iosepho, duobus potißimum modis milites in officio retinebat*, timore suppliciorum, quæ nemini remittebat; & liberalitate, quâ prouidebat publicis necessitatibus.

§. 2. De

## §. 2. De Exploratoribus.

Si fortè exploratores comprehensi sint, de illis Imp. variè censeat. Etenim si exercitus sui vires hostium copijs longè inferiores arbitretur, illicò iubeat speculatores interfici: si verò multo, integroque apparatu consistat in armis, suæque copiæ bonis, validisque & ad omnia paratis militum corporibus, aut ducibus, vsu & experientiâ præstantibus probè instructæ sint, tunc minimè peccauerit, si speculatoribus exercitum ostentet, eosque dimittat incolumes. Hostes enim, si res aduersariorum superiores esse resciuerint, formidant; contrà verò, si inferiores, confidunt; maioresque sumunt animos.

## NOTÆ.

*Hic de exploratoribus hostium agit Onosander, quorum consilia nouisse penè est vicisse. Itaque sagaci curâ indagandi. Sed quid de tuis? mittendusnè gregarius quispiam & vnus de multis? Nequaquam. Sed Speculatores mittantur graues & prudentes, idq. specie, si res ferat, legationis. Ita Cyrus cùm ab Indo Legatos accepisset cum muneribus, nonnullos ex illis tanquam ab Indo de ineundâ societate ad Assyrium mittit. Id quod eo consilio factum ab Cyro Xenophon scribit*, quòd cæteri exploratores seruorum similes, aliud nihil quod sciant possunt renunciare, quàm quæcumque nouerint omnes. At viri, *inquit*, quales vos estis, etiam consilia sæpè discunt. Quæ Indi libenter cũ audissent, essentq; hospitio accepti, tũ apud Cyrũ instructi, postridiè ꝓfecti sunt, *&c. Ita Romani* conatum Ætolorum animaduertentes, legatos ad Antiochum miserunt, qui voluntatem Regis explorarent, & sub specie legationis apparatum eius specularentur. *Notent Duces, diligentiam in exquirendis hostis sui consilijs: Nihil enim bono duci incognitum esse debet, quod hostis agit:* Proinde consilia, loca prompta, oculta que noscenda, astusque hostium in perniciem ipsis vertenda, *inquit Tacitus. Immò enimuerò, nec Imperatores ipsi hac iure segnes. Ecce tibi Marcellus Consul ad Collegam:* Quin imus ipse, *inquit*, cum equitibus paucis exploratum: subiecta enim res oculis, certum dabit consilium *Sed quando occasio non semper fert, vt vel Imperator eat, vel legati publicè mittantur, vel cauti & periti, qui clam itinera (quod in magno ponendum) perspecta habeant. Ita Patrum memoria rusticus quidam Carolo V. victoriam accellerauit, & hostium animos magnâ confusione repleuit, q vadũ Albis in Germaniâ ei ostendisset. Magna tamen*

Exploratores qui mittendi.

Lib. 6. Cyripæd.

Polyb. l. 3.

Lib. 1. Annal.

Paller. lib. 5. Bell. German.



cautione

*cautione mittendi ne intercepti & torti consilia tua propalent. Itaque non debent carere noscendarum viarum peritia.* Num. 10. *Ideoq; Hobab, cognatum suum itinerum peritum inuitat Moyses,* Noli, *inquit,* nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster: cumque nobiscum veneris, quicquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. Liuiul lib. 22. *Iccirco, cùm scriptores sagacium Ducum itinera describunt, ferè semper hæc præmittunt, itineribus summâ cum diligentiâ exploratis, vt de Dictatore Q. Fabio Maximo legitur, cùm moueret castra contra Annibalem.* Plut. in M. Anto. *Sic M. Antonio valdè profuit opera Mardi & Mithridatis, sine quibus exercitus ille perijsset. Plura in eandem sententiam legat, qui volet apud Scipionem Amiratum Dissert. polit. lib. 13. cap. 6. & Antonium de Ville Tholosatem lib. 2. part. 2. cap. 21. operis Munitionum bellic.*

---

## ¶. *De Excubijs, siue vigilijs.*

Complures vndique custodes disponat, vt vicario munere, tempore noctis distributo, alij quidem somno indulgeant, alij rebus sedulò inuigilent. Nec enim aliqui solidã noctẽ peruigilare cogendi sunt; nec ijs, etsi spontè se id facturos spondeant, fides adhibenda. Nam sæpè fit, vt nobis etiam inuitis, cedentia membra somnus vltrò subeat: ideoque *stent recti*, qui in excubijs erunt. A. Nam sedentibus, aut iacentibus, nimia quies languidum facilè somnum inducit; at crurum erectio animum quoque ad vigilias erigit. Custodiarum ignes ardeant à castris longiùs. Sic enim qui excubabunt, suos procul ab ignibus conspicere poterunt; ab hostibus autem, qui vltra ignes erunt, non videbuntur, *donec ipsi in* B. *excubantium* manus inciderint.

---

# NOTÆ, siue DISSERTATIOES.

Cuiusmodi Vigiliæ in castris Romanorum. Lib. 6. Hist. VT *constet curioso lectori ratio vigiliarum, breuibus & summatenus vsum Romanum ex Polybio aperiemus. Vir vnus ex decimo quoque signo, id est, manipulo siue cohorte equitum & peditum eligebatur, qui à reliquo munere excubiarum immunis esset. is sole iam inclinante Tribuni tentorium adibat, ab eoque tesseram siue signum ( quod erat verbum aliquod lignea tabella inscriptum ) ei ab Imperatore datum, accipiebat, vndè Tesserarius dicebatur: acceptamq; tesseram rediens ad suum signum siue manipulum, suo Centurioni dabat, qui deinceps proximo Centurioni reddebat, isque postea proximo, donec ad primum signum siue manipulum perueniretur, cuius Centurio ante lucis occasum necessariò*

*sariò tesseram ad Tribunum referre debebat, Quod si omnes tesseræ, à centurionibus ad Tribunos relatæ, iam intelligebant tesseram & Imperium ad omnes peruenisse; sin aliter, inquirebant in culpam, & pœnam irrogabant. Vigilibus porrò, qui vnà quaterni erant, distributis, & in quolibet ordine designatis, noctem in quatuor partes siue vigilias diuidebant, quarum singulæ ternas horas continebant, ita vt quarta vigilia ad ortum vsque Solis produceretur. Huiusce alternationis & diuisionis, meminit Vegetius:* Quia impossibile videbatur, *inquit*, in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideò in quatuor partes ad clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius, quàm tribus nocturnis horis necesse sit vigilare. Apertè Lucanus: Lib. 3. c. 8. Lib. 5.

——————— Iam castra silebant

Tertia iam vigiles commouerat hora secundos.

*Clepsydra, quam memorat Vegetius, vasculum erat aquarium, quo tempora vigiliarum commodè & æqualiter diuidebantur; cuius in castris frequentissimus vsus. Ita Cæsar dum Britanniam transfretaret,* certis ex aquâ mensuris breuiores esse noctes, quàm in continente, *deprehendit. Prudentiores, quò huic incommodo moderentur, clepsydræ partem interiorem cera oblinebant. si noctes erant breuiores; sin productiores, de cera detrahebant, quò plus aquæ caperet, vt constat ex Æneâ. Sed vt redeam vnde diuerti, tribus nocturnis horis vigilasse, Vegetius scribit; sed alternis tamen vicibus: vnus enim vigil perstabat, cæteris adiacentibus, aut accubantibus. quæ partitio non mediocrem afferebat commoditatem: nam solitarius ille vigil, suppetijs in periculo non carebat, præterquam, quod breues agentibus vigilias, somnus minimè obrepebat, vt rectè notauit Æneas: qui & illud obseruandum subijcit, vbi aliquot imminet periculum quamplurimos vigilare oportet, & omnia per noctem obseruare, quò in singulis vigilum stationibus plurimi sint procustodes, quos* προφύλακας *appellat Autor. Quarta pars castrorum vigilabat, tres quiescebant: si igitur vicena millia sint in castris, quina millia excubabant. Insuper, vt nemo vigilum nôrit, neque vbi stationem habebit, neque in quâ vrbis parte vigilabit. Item vt non semper ijdem ijsdem ducibus vtantur: sed vt quàm frequentissimæ rationes vniuersæ, quæ ad vrbis custodiam pertinent, mutentur, hoc namque pacto, minimè poterit aliquis, vrbem exteris prodere aut significare eis aliquid, aut ab illis quidquam accipere; qui quidem nescient, in quâ murorum parte nec quibuscum eâ nocte proditores erunt. Præterea, è singulis vigiliarum stationibus per singulas vigilias erat vnus procustos ad proximam stationem: ex illâ item alius ad sequentem, & ex alijs porrò similiter ad alias. præceptum autem esto omnibus, vt dato signo idem faciant. Hoc pacto, & multi simul diu circuitionem facient, & paruum singuli spacium emetientur. neque autem apud eosdem ijdem simul diu morabuntur: cùm subindè alij procustodes apud alios vigiles sint futuri. Hæc si ita administrentur: quoties res nouas moliri vigiles fuerint aggressi, occulta consilia explorandi procustodibus erit facultas. Optimum etiam erit per tales noctes extra muros canes vinciri; qui perpetuam noctem ibi maneant. quippe hi è longiore interuallo, hostium speculatorem indicabunt, aut veterem transfugam*

Lib. 5. In Cõment. obsidion. 22. In periculis quæ cautiones adhibendæ vrbi obsessor.

*muros clam succendentem, aut nouum aliquò erumpentem vigilem, qui fortè obdormierit, ijdem excitabunt. Adhæc, vt in eâ vrbis parte, quâ facillimè adiri potest, & quæ hostium insidijs est maximè opportuna, collocentur vigiles opulentiores, quique honoratissimi censentur, & in publicis rebus partem maximam obtineant. His enim potissimùm conuenit, non indulgere voluptatibus, sed potiùs, vt memores magnitudinis periculi, quod ipsos manet, attenti sint ad vrbis custodiam.*

Stent Vigiles. Lib. 44. Epist. 6.

A. Stent recti.] *Ideò Paullus Æmilius suos sine scuto ire voluit, ne eo innixi facilè in somnum laberentur, teste Liuio. Cuius rei meminit Seneca:* Vt si necesse fuerit, stans etiam aliquando saucius pro vallo peruigilet, & ne pilæ quidem incumbat: quia solet obrepere interim somnus in aliquod adminiculum reclinanti. *Itaque scuto præ se erecto stabãt, ne eo innixis somnus obreperet, & stabant quidem inuicẽ aduersi, ne ex inopinatò expositi essent hostili captioni, si fraudulẽter ad ipsos ꝑgrederetur.*

Ignes pone castra. Lib. 3. Cyripæd.

B. Donec ipsi in excubantium manus.] *Pro hac re similia apud Xenophontem:* Πολλάκις ἢ καὶ ὄπισθεν τοῦ στρατοπέδου, ἐπυρπόλουν ἀπάτης ἕνεκα τῶν πολεμίων. ὡς ἔστιν ὅτε καὶ κατάσκοποι ἐνέπιπτον εἰς τὰς προφυλακὰς αὐτῶν, διὰ τὰ ὄπισθεν, τὰ πυρὰ εἶναι, ἔτι πόρρω τοῦ στρατοπέδου οἰόμενοι εἶναι: Sæpè etiam post castra ignes faciebant ad fallendos hostes. Quare interdum speculatores quoque incidebant in eorum procubitores, quoniam ignes essent post castra, cùm illi tamen arbitrarentur, esse à castris sese admodum procul. *Atque isti quidem ignes castris tolerantur: non etiam in vigilijs vrbium obsessarum: Reperti namq; sunt rerum nouarum cupidi, inquit Æneas, qui postquam eis erat præcisa facultas omnis exsequendi quod volebant, & cum hoste clandestina consilia communicandi, dolo huiusmodi vterentur: comitati pedissequis stragula sibi deferentibus quando excubitum eunt, alij lucernas, alij tædas aut faces, alij laternas ferunt, vt per hoc lumen signum dent, ad quam muri vrbisq; partem vigilias agant, quare hæc omnia suspecta esse debent. quod tamen sic cape, nisi admodum sæuiat hyems, & densæ sint tenebræ: tum laterna circuire fas erit, sic quidem, vt non in altum, sed in terram dumtaxat, & quæ ante pedes sunt, lumen emittat, Ita ille cap. 10. & 26. Poliocret. De istis omnibus frequens apud Iudæos mentio, vt 1. Machab. 3.* Accenderunt focos in castris suis. *Et apud Græcos: Homerus facit in principio quendam mirantem in*

Lib. 62.

*castris suis Troianis tot ignes. & Dio vbi de conflagratione Romæ in hunc sensum?* Nihil aliud videre licebat quàm ignes, vt in castris, ( *Idemq; de Romanis ait iussisse Octauianum è castris ignem afferri, quo Antonij classes incenderentur.*) *Liuius*: Nihil ea consilia mouerunt, quia ignes apud Empeum ex regijs castris apparebant. *Vide D. Dorleans in 1. lib. Annal. Taciti, vbi quoq; notat Vigiles præcipuè ignes habuisse. Papin. 1. Theb.*

Lib. 50. Lib. 44.

——————— Dat tessera signum
Excubijs, positæ vires, dux noctis opertæ
Sorte Meges, vltroque Lycus: iamque ordine iusso
Arma, dapes, ignemque ferunt, Rex firmat euntes.

*Plura de istis tesseris legat qui volet apud Lipsium lib. 5. Re milit. Dial. 9.*

§. 4. De

## §. 4 De Castris clam mouendis.

Si noctu inscijs hostibus castra mouenda sunt, vel vt commodiora loca occupentur, vel vt incommoda effugiantur, vel ne copiæ confligere nolentes cogantur, *multis accensis ignibus* cessim recedendum erit. Sic enim adhuc consistere exercitum hostes existimabunt. At si per noctem obscuram castra mouerentur, *fugæ illis suspicio* aliqua esset, atque aut insidias facerent, aut infestâ manu persequerentur. A. B. C.

## NOTÆ.

A. DE castris mouendis.] *Repetenda hîc quæ suprà scripsimus Cap. VI. sub finem.*

B. Multis accensis ignibus.] *Hoc obseruitasse Principem non nominandum, vt externa exempla omittam, in obsidione Ciuitatis nostræ Leodiensis habent seniores in memoriâ. Etenim noctu castra mouens, & vasa colligens, ignes per ea loca in quibus castra metatus erat, accendi iussit, datis insuper tergiductoribus mandatis, vt suburbanam ædem D. Laurentio dicatam amburerent, quod impiè & sacrilegè fecêre.*

C. Fugæ illis suspicio.] *Id summè cauendum Imperatori: quod non nesciuit I. Cæsar, qui postquam à Pompeio maximam accepisset cladem, suiq; milites perterriti essent, in mouendis castris maximoperè curauit, vt existimationem sarctam tectamq; seruarent: ideò primâ nocte saucios ac ægros ex castris præmisit, & quiescere vetuit ante confectum iter, quibus vnam legionem præsidio misit: quarta vigilia duabus legionibus retentis, reliquas compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit: paruoq; spacio interposito* conclamari iussit, *idq; vt militare institutum seruaretur, & ne citissima eius profectio cognosceretur. Ex quo rectè colligit Scipio Amiratus, voluisse Cæsarem, etsi maximum immineret periculum, in castris clam mouendis eam animi magnitudinem seruare, quæ magnum Imperatorem, qualis ipse erat, condecebat.*

Lib. 3. Ciuil. Existimatio in Castris mouendis semper seruanda.

Lib. 21. Dell. Disc. 3.

## §. 5. De Imperatorum hinc indè collocutionibus.

Imperator, si in eadem castrorum permanserit metatione, & in hostis conspectum prodire voluerit, vel vt cum eo sermones aliquos misceat, vel vt

eum

cum de quibusdam rebus audiat, det operam vt secum prodeant quoque selecti, præstabiles quique iuuenes, robusti, decori, proceri, splendidis armis insignes. Sæpè enim inspectâ parte, de totius præstantiâ iudicari solet. Atque hinc hostium Imperator non tantùm de ijs quæ audiuerit deliberabit, quantum illis quæ viderit, terrebitur.

# NOTÆ.

Cautio in Collocutionibus seruanda. Lib. 1. Cōment.

ROmani Imperatores si quando cum hoste colloquium haberent, sic sibi cauebant, vt soli cum eximijs aliquot militum in medium prodirent, æquo spacio à suis militibus distantes. Fidem facit I. Cæsaris (cuius exemplis libentiùs vtor, quia moderandis militiæ habenis parem habuisse neminem scio) & Arionistæ Germanorum Regis colloquium. Planities erat, *inquit*, magna, & in ea tumulus terreus; satis grandis hic locus, æquo ferè spacio ab castris vtriusque aberat. eò, vt erat dictum, ad colloquium venerunt, Legionem Cæsar, quam equis deuexerat, passibus ducentis ab eo tumulo constituit. item equites Ariouisti pari interuallo constituerunt. Ariouistus, vt ex equis colloquerentur, & præter se, denos vt ad colloquium adducerent, postulauit. *Vnde vides interiectis ex æquo spacijs, sui copiam ad colloquium præbuisse Imperatores.* Si de pace tractandum sit, aduertat id, quod prudenter monet Staro-

Lib. 1. Rei. milit. c. vlt.

uolscius, vt honesta sit, & honesta & simplex. Honesta erit, cum aliquâ tolerabili conditione cessabis à bello, vti paucos ante annos fecerant, Daniæ Rex, & Mantuæ Dux, cum Imperatore Ferdinando II. grauissimo ab eo bello deuicti, & postea suis possessionibus, per certas pacis conditiones ab eodem restituti. Simplex verò, quando in tractatibus, nullus fucus, nulla fraus adhibetur, & pacis nomine inuolutum bellum iterum non reformidatur, vti Sueci, & Turcæ facere solent: aliàs enim pace suspectâ, vt docet Tacitus, tutius bellum. Obseruandum autem est, quod non semper pax impetrari potest; sed tum solummodò, dum sibi vterque confidit, & pares ambo videntur: Iam verò rebus inclinatis, necesse est vt te quoque inclines; & quanquam atrociter loquâris, minorem tamen apud te animum esse scimus; & vt Historicus ait, apud victos, plus ferè quærimoniarum, quàm virium. Ergò necessitati pare, & omissa ira, ac spe, fallacibus auctoribus, te ipsum, tuaque omnia victoris cognitæ permitte fidei. Sæpè enim victores, (qui alto quidem sunt animo) secundæ res in miserationem ex irâ vertunt; & supplices, nihil abnuendo, veniam omnium accepêre. Ita Alexander Porò Indiæ Rege superato, non modo Regnum ei restituit, sed & alias multas prouincias attribuit, cùm captum rogasset, quomodò tractandus esset? *Regaliter*, inquit. Percunctanti Alexandro, Nunquid aliud vellet?

let? respondit, in Regali tractatione inesse omnia. Igitur dimissum & muneribus Regijs, & regno vti diximus debellato, satrapisque alijs plurimis donauit. Idem fecêre, & alij plures Reges, solâ victoriâ contenti. Quod monitum acceptum fero à D. Starouolscio lib. 1. Rei milit. cap. vlt. apud quem videto plura de Imperatorum hinc inde collocutionibus.

---

## §. 6. *De Transfugis.*

Si qui transfugæ aduenerint, hostium aggrediendorum opportunitatem indicaturi, aut copijs tuis viam ab hostibus tutam præituri, ducito eos tecum certosque facito, se, *dummodo vera narrent,* totiusque exercitus saluti ac victoriæ vtilia consulant, in libertatem cum præmijs ac muneribus asserendos; si verò vana confingentes decipiant, aut si *proditionem moliantur,* ipso statim momento ac puncto, quo inclinare & periclitari incipiet exercitus, in vinculis iugulandos. Tunc enim transfugæ aliquid indicanti fides haberi poterit, quum vitæ suæ arbitrium non penes se, sed penes ipsos Duces esse nouerit. A. B.

---

## NOTÆ.

A. DVmmodo vera narrent.] *His tamen haud temerè credas: quia vitio quodam naturæ fit, vt quod volumus, credamus libenter, & quæ sentimus ipsi, reliquos etiam sentire credamus, quod Cæsar inquit: cuius censoriâ animaduersione notati Galli, qui quibuscunque* rumoribus, atque auditionibus permoti, de summis sæpè rebus consilia ineunt: quorum eos è vestigio pœnitere necesse est: cùm incertis rumoribus seruiant, & plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant: *Mendacijs itaq; alligatos, ceù patriæ & ciuium proditores indignos, quibus venia detur, cum Mauritio Imperatore iudica:* a Transfugas, *inquit,* & eos, qui promittunt indicaturos se aliqua arcana, aut in vinclis oportet custodire, aut in tuto alioqui asseruare: & vera dicentibus, dona pronunciare; mentientibus verò mortem. *à quo nec dissidet Paulus Iurisconsultus.* b. *Quocirca bona fide res hostium enunciantes foue & recipe: quod ipsos etiam Romanos fecisse scimus, solemni formulâ, quam expreßit Poëtarum Princeps.*

Transfugæ. Lib. 4. Cōment. a Strateg 9. b L. postlimin. §. 4 ff de Capt. & postlim. reuers. Virg. 2. Æneid.

QVISQVIS ES, amissos hinc iam obliuiscere Graios,
NOSTER ERIS.

Cauendum tamen, ne ab his fidei, vt sic dicam, funambulis, ipse decipiaris: nam

vt aduersarios circumscribat, pulchrum id quidem est, sed necessariò quoque cauere debet, ne ipse decipiaris. Ita Valsteinius non ita diu à transfugis deceptus bonam Cæsarei exercitus partem in obsidione vrbis Pomeraniæ Stralsundæ amisit. *Amilcaris* notatur insigne stratagema contra transfugas: cùm Galli frequentes ab eo ad Romanos deficerent, ille fidissimos suos iussit simulare transfugium & Romanos, qui eos exceptum venirent, occidere. Itaque nec alij profugerunt, nec Romani profugos exceperunt. *Fuluium* Senatoris filium ad Catilinam proficiscentem retractum ex itinere iussisse parentem necari. Sallust. in Coniur. Catil. auctor est. *Metium* etiam *Suffetium* proditionis Reum, quadrigis in diuersum actis discerptum fuisse, Liuius lib. 2. scribit.

Curt. lib. 4.

## §. 7. *De hostilium castrorum metatione considerandâ.*

Imperator castrorum quoque hostilium positionem peritè prospiciat. Neque si in plano circularem esse viderit, statim ex collecto, & coarctato valli ambitu, minorem hostium numerum esse sibi persuadeat. Quilibet enim circulus, minorem oculis exhibet speciem, quàm animo ex verâ proportione, & mensurâ soliditatis percipiatur. Atque hoc ambitu comprehensa latitudo, plures capit, quàm oculis designari videndo queat. Neque etiam si valli latera in longitudinem diffusa, in partibus quibusdam angusta, aut obliqua, aut multangula conspexerit, ideò permultos hostes esse putet. Nam huiusmodi castrorum figura ingens apparet, nec tamen plures continet milites, quàm quæ orbiculariter circumscripta est. Item vallum in montibus, collibusque si quis adspiciat, nisi vndique densum, ac vnitum cohæreat, maius quidem esse iudicabit, quàm reuera in planicie esset, attamen pauciores adhuc quàm ipse putat, complectitur. Multæ enim intus partes hominibus vacuæ, & nudæ relinquuntur; & vix est, vt illic voragines, aut inhospitales & inaccessæ asperitates non sint; atque vt vallo cingantur milites, accommodatè ad locorum rationem illud protendi necesse est. In castrorum igitur viribus examinandis, & loci, & figuræ ratio consideranda, neque in arctum coactæ copiæ omninò contemnendæ, neque in longitudinem effusæ nimis pertimescendæ.

His artibus instructus Imperator, expeditionem opportunè paret, collectoque exercitu in eum, quem suprà dixi, modum, occasione ita suadente, repressis suis militibus, non statim procedat, etsi prodeant, prouocentque hostes in certamen, sed metum quodammodo simulet. Nam illi sæpè res istas oculis tantùm

tantùm, non etiam peritiâ militari deſpicientes, contemptis hoſtium copijs, vt exiguis, & leuibus, ſupinâ negligentiâ incauti, atque incompoſiti è ſuis caſtris exeunt, quaſi præ timore, impetum aduerſarij facere non audeant; aut etiam vallum obſidione premunt, nec putant, multos indè erupturos, eaque incogitantia negligentiores in periculis fiunt. Tùm verò, arrepta occaſione, iubeat vt per plurima caſtrorum quaſi oſtiola, ſeruato ordine, milites excurrant, rerumque benè gerendarum opportunitatem fortiter pugnando amplectantur. Quiſquis autem exercitum ita ducere nouerit, etſi his etiam artibus oppugnetur, ſapienter omnia geret, & prouidè cauebit: nempe à quibus didicit quæ aduerſus alios ſtruenda ſunt, ab iiſdem etiam, quonam modo fraudes, ac doli euitari poſſint, docebitur. Et quiſquis alteri parare nouit pericula, idem quoque parata facilè deteget, effugietque.

---

# NOTÆ.

*PLuſculis verbis Auctor tractat, & proſequitur hoc thema: cuius ſumma eſt: Imperatori enitendum, quo hoſtium vires exploratas habeat, vt caſtrorum poſitionem & formã belliſſimè cognoſcat: neque tamen in his ita iudicium figat, vt temerè illorum intuitu, manum cum hoſte conſerat. Iulius Cæſar, vt cæterâ accuratus indagator, ita & hic totam ingenij aciem intendiſſe videtur, vt ex diuerſis eius expeditionibus videre eſt, & maximè contra Ariouiſtum:* Ipſe, *inquit,* à dextro cornu, quòd eam partem minimè firmam hoſtium eſſe animaduerteret, prælium commiſit. *Verùm, quoniam iſta ſatis & ſuper ex ſe clara ſunt & perſpicua, non alijs vtar teſtimonijs, vel exemplis. Tantùm dicam, ſi aperto Marte hoſtem oppugnare non poßit, ſatagat ſenſim per exploratores, diſſidiorum ſemina iacere inter Duces. Nam Vegetius:* Inter hoſtes, inquit, diſcordiarum ſerere cauſas, ſapientis eſt Ducis. *Nulla enim quamuis minima natio poteſt ab aduerſarijs deleri, niſi proprijs ſimultatibus ſeipſam conſumpſerit. Ita Romani ciuilibus bellis diſiuncti imperium ſuum perdiderunt: Ita Græci propriâ diſcordiâ iugum Turcicum ſubierunt: ita Hungari diſſidijs ſuis, herbam hoſtibus ſuis dare coacti ſunt.* Proſitura caſtrorum hoſtilium noſcenda.

*Sed vt ad rem redeam, ſi aperto Marte hoſtem aggredi intendat, aut illius impetum ſuſtinere, efficiat vt caſtra ſint forma quadrata: ex vno enim angulo duo latera videri, & defendi poſſunt, deinde ad defenſionẽ, & omnẽ ædificandi rationẽ commodior eſt quadrata figura, quã rotunda, vel oblonga, ſi tamen res vniuerſim conſideretur, nihil melius q̃ ſitũ loci perpendere, vt ſi fluuius, lacus, mons, vallis; murus, palus, ſylua, aut aliud quod naturale munimentum prætendit, eo in compendium laboris vtatur, ad flumina in longum extendi expedit, ob cõmoditatem adaquandi. Lycurgum tamen rotunda probaſſe Xenophon auctor eſt.* Dicã etiã, *inquit,* quo pacto caſtra metanda eſſe cenſuerit. Nã quoniam

 quadrati

quadrati agminis angulos inutiles esse duceret, in orbem castra ponebant, nisi aut monte tuti essent, aut murum aut fluuium post se haberent. *Interim aduertat, si in plano hostium castra esse rotunda deprehenderit, minorem numerum ipsis esse sibi persuadebit; quod si in montibus, minorem quoque numerum quam appareat, nisi densa sint, & vnita agmina iudicabit, vt scribit hic noster Onosander. Sed an impetum in hostem facere, an verò sustinere satius sit, disputant inter se Duces. Decius hostem inuasit, Fabius impetum sustinuit: animosior est miles, qui inuadit; prudentior qui hostem excipit. Si spatia longiuscula sunt, præstat excipere, anhelus enim hostis aduenit, Si hostis timidior, inuadendus: si audax sustinendus: primo enim impetu fatigabitur. Verùm nunc bombardæ vsum belli mutarunt. Qui, cùm ad teli iactum ventum est, prior paratus damnum adfert, & aliquos nocit, pros occidit: sed pendet id ex alijs, ac ex locis quorum natura sæpè plus prodest, quam virtus pugnantium, aut ipsius Imperatoris locus sanè ad rem plurium momenti habet. Marcus Curius Pyrrhum vicit, Phalangem ad angustias trahendo. Ferè id agunt, vt ex edito pugnent: ita Pompeius Mithridatem, Cæsar Pharnacem, Lucullus Mithridatem, & Tigranem expugnauit; Themistocles cum paucis Xerxem in angustijs multos vicit, Damates pauco milite multos semper fugauit, quia nunquam acie conflixit, quin locorum angustijs clausum hostem teneret. Ita Æmilius Probus Sertorius Romanorum copias velitationibus attriuit: Hannibal ab vno latere vias præruptas obiecit, & Marcellum vicit ad Cannas, amne Volturno pro munimento vsus est. Plura super hac re videantur apud P. Conzen Societatis IESV, Theologum lib. 10. Polit.*

---

## ¶. 8. *Arcana esse debere Imperatorum Consilia.*

Siue noctu, siue interdiu progredi velit, opidum scilicet, vel vrbem, vel arcem, vel viarum transitus occupaturus, vel aliud quidpiam facturus, quod nisi A. celeriter, inscijsque hostibus fiat, irritum ac vanum fore providebit, nemini ante patefaciat, quò, aut cuius rei caussa *copias ducat*. Nisi tamen ducibus quibusdam indicandum esse existimet. Sed cùm primùm ijs locis appropinquare se viderit, rerumque gerendarum occcasio imminebit, tùm quod agendum erit hortetur ac demonstret, vt celeriter illud breuique temporis momento perficiatur. nam simulac ordinum ductores audiuerint, cæteri deinceps rescire poterunt. B. *Demens autem* ac vanus ille est, qui priusquam necesse sit, negotiorum arcana cum multitudine communicat. Nam tum maximè scelerati quidam ad hostes malitiosè transeunt, quòd ab illis, proditionis gratia, honores & præmia se adepturos sperant. Nec fieri potest quin bellum, & seruis, & liberis, multas hinc illinc transfugiendi præbeat occasiones.

NOTÆ

# NOTÆ.

A. COpias ducat.] *Quàm necesse sit Imperatori, vt de suis destinatis sententijs, milites colet, Iulius Cæsar abundè docet, cuius* mos & consuetudo erat, tabellas signatas dare, vt in tempore ijs perlectis locum certum peterent vniuersi. *A quo more non abhorret factum illud Hamilcaris Pœnorum Ducis, qui* vt in Siciliam inopinatus appelleret, non pronunciauit quò proficisceretur, sed tabellas in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, signatas gubernatoribus tradidit, præcepitque ne quis legeret, nisi vi tempestatis à cursu Prætoriæ nauis abductus esset. *Ita P. Scipio, si quam ciuitatem obsessurus esset, aliamve militarem expeditionem suscepturus, cunctos propositi sui finem volebat celatos, dum tempus esset destinata exequi, vel propalari. Legimus apud Frossardum boni iudicij scriptorem, Anglorum morem antiquitus fuisse, vt in expeditionem ituri, priùs solenni sese adstringerent* Consiliarij *iuramento, nemini suscipiendi itineris cogitationem detecturos: quod quidem institutum, & laudabile fuit, & idoneum quod cæteræ postea nationes imitarentur, Arcanum militiæ est cum paucissimis quid acturus sis communicare. Audi Metellum, à quò cùm quæreretur, quid altero die facturus esset, respondit;* Tunicam se suam si id eloqui posset potiùs combusturum. Itaque, alium silere quod voles, priùs sile. *Otho Imperator ad milites seditiosos, inquit.* parendo potiùs quàm imperia Ducum sciscitando res militares contineri. *Morem hunc silentij seruandi in pretio fuisse Paulo Æmilio, legimus in bello Macedonico, qui suis militibus crebrò inculcabat,* nec essent solliciti de prælio, & bello, sed haberent lacertos robustos, & corpus agile, arma benè tersa & splendida, atque acuminata, seruarentque ordines suos quàm diligentissimè: quia breui inquiebat Marte aperto decertabimus *Animosi herclè Ducis vox, quæ vel ignauum acuere potuisset ad prœlium. Sed & illa Rudolphi II. Imper.* Relinquite, *inquit*, curas belli mihi, & estote viri fortes tanquam veri Samnate, efficiamque vt antequam lardum vestrum absumatis, consumatur & bellum. *Sed quemadmodum solertis est Imperatoris, sua consilia alto inuoluere silentio: ita satagere vt pateant illi hostis arcana: Nihil enim in Imperatore tàm laudabile, quàm si hostis sui deliberationes ac consilia prænoscat.*

Hist. de Bell. Afr. lib. 1.

Polyb. 10.

Lib. 4.

Tacit. lib. 17.

B. Demens autem.] *Huc Alciati eximium Emblema:*

Limine quod cæco obscura & caligine monstrum
Gnosiacis clausit Dædalus in latebris,
Depictum Romana phalanx in prælia gestat,
Semiuiroque nitent signa superba boue:
Nosque monens, debêre ducum secreta latêre
Consilia, auctori cognita techna nocet.

## ¶. 9. *Hostiarum exta ante pugnam religiosè inspicienda.*

Neque vnquam ad expeditionem aut conflictum copias componat Imperator, nisi priùs sacris ritè peractis. Ideoque vatibus comitatus incedat. Optimè etiam fiet si peritè ipsemet exta inspicere sciat: totamque artem addiscere haud difficulter poterit, indeque à se ipso consilium capere. & si quidem in extis læta & fausta signa compererit, tum demùm rem aggrediatur, omnesque Duces ad extorum quoque inspectionem aduocet, vt ipsi deinde militibus suis animos addant, ac renuncient DIs iuuantibus ac volentibus prœlium iniri. Milites enim multò audaciores & alacriores esse solent, cùm pericula subire se existimant DIs authoribus, ac singuli, quasi victoriam certò adepturi, & signa & imperia pro virili parte obseruant. Quumque hostia pro vniuersis pulcrè litatur, singuli etiã qui de suis rebus tristius aliquid ominabantur, securiores fortioresque fiunt. Si verò periculum sacrificia minentur, satius erit subsistere atq; exspectare, etsi luctuosæ calamitates imminere videantur. Nihil enim infelicius eueniet eo, quod Numinum ostentis commonstratum est. Si quid autem lætius futurum erat, litari necesse fuit. Itaque plures hostiæ eodem die mactandæ. Hora enim vna, & breuissimum temporis momentum, siue importunam occasionem præripias, siue opportunam amittas, non parum obesse potest. Et meo quidem iudicio, extispicina, alio quodam contemplationis genere, astrorum in cœlo motus, ortus, occasus, figurarum triquetras, quadratas, rectilineares, siue ex diametro inclinationes & conuersiones imitari ac repræsentare videtur. Eorum certè per breuissima momenta variæ vires ac significationes, diei ùnius, immò horulæ spacio, & reges faciunt, & captiuos. Enimuerò quia extorum, inspectio consulentibus fausta omnia de pugna committenda plerumq; promittit, totius tamen exercitus in ipsa pugna perniciem demonstrat; operæ prætiũ fore existimo hac de re nonnulla dicere. Hactenus Onosander.

## NOTÆ siue DISSERTATIONES

De Extipicina veterũ, & vanis

*Haruspicum & Ariolorum vanæ prædictiones, & ritus, vt nobis Christianis pro ridiculo semper habiti sunt, ita multò magis quædam superstitiones, & malæ artes, quæ inter semi Christianos iam inoleuerunt, meritò explodendæ, & commercio hominum penitus tollendæ,*

*tollendæ, velut mera decipula animarum. Illorum omnis cerimonia versabatur circa inspectionem hostiarum, quas Idolis per nefarias preces offerebant, quorum vanitatem longè lateq; eludit eruditiss. P. Delrio; Istorum verò, in certis figuris, scripturis, imaginibus, libellis, notis, signis, characteribus, lineamentis denique consistit, quibus tantã vim attribuunt, vt Aiacis quodã clypeo tectos se existiment adeoq; de hoste publico, seu singulari certamine victoriã reportaturos, vel inoffenso pede ad sua redituros. Quod q̃ sit ab institutis nostræ religionis alienũ, nemo quisquã est pauxillũ in eã imbutus, qui vllo modo queat ignorare. Est enim perspicua certaq; Theologorum sententia, vt si effectus, qui naturæ vires superant, attribuantur præscriptis rebus, letaliter tale quid operantem peccare: propterea quòd in his plerumq; fit Incantatio, aut vt minimùm vana obseruatio, quibus vt plurimùm letalis peccati nexu homines obligantur: præterquam quod mirè plerumq; eiusmodi illusionibus ab antiquo illo generis humani illusore decipiuntur, Sic Ericus Rex Sueciæ incantationibus operam dans, quibus mirificè innitebatur, tandem post tot victorias, manus Ostanis euadere nequiuit. In eadem Sueuorum historiã, legimus Hadingũ, ab Othino Dæmone iussum cum Curetibus confligere prœlio, profligatum, potione quidem ab eo roboratum, sed vincere non potuisse, donec à sene quodam exercitus instruendi industriã assequeretur: fallacissimosq; dæmones cumplurimis ac varijs bellorum casibus exposuisse, nunc victorẽ efferendo; nunc victum omni spe destituendo, sic tandem seipsum suspendio publicè necari curasse, victũ mœroris magnitudine. Deinde, inter cæteras caussas cladis magnæ, quã Flandri à Francis cæsi anno 1302. acceperunt, memorat Meierus, quod Flandrorum militiæ Imperator Guido Iuliacus, sortilegos ac Necromanticos sibi adhibuit, & cacodæmones adiurauit & consuluit, additq; de eo Meierus:* Fama est deceptum fuisse à quodam Necromantico, à quo artem didicisset, quã ille pollicebatur fore eum quandocunq; vellet in quolibet magno periculo inuisibilẽ. At ea incantatio nihil ei hic profuit ad vitæ salutem; ad vitæ & externæ mortis supplicium apprimè vtilis fuit.

obseruantiis, & incãtationib9 quorundã Christianorum.

R.P. Delrio Disp. Magic. 4. c. 2. q. 7.

Io. Magnus lib. 8. Hist. Goth.

Idem lib. 2.

Lib. 10. Chron.

*Finis non esset, si ex tam numerosã vanitate plura exempla producam; tantum licet indolere & indignari quod stultitiæ Dux, & mendacij magister à quibusdam Christianis magno cum plausu excipiatur, rerum verò vitæ auctor Deus negligatur, ac potiùs eiusmodi factis derideatur. De ominibus verò & ostentis, ijsq; qui hisce vanitatibus mouentur, nihil attinet commemorare, cum manifestò eodem errore ducantur atque hostiarum illi obseruatores. Illud tamen, ad rem quod attinet militarem, obseruatione dignum est, vt si mobiles militum animos augurijs vel portentis moueri Dux animaduerterit, vt is semper in lætiorem partem ea interpretetur; etsi illorum opinione sinistri quid portendere, vel ominari videantur. Exemplo sit Epaminondas, cui cùm Auguria obiecta essent, quorum alterũ victoriã portendebat, alterum cladem; animaduertissetq; animos multorum in suspenso esse ac metu diuersorum auguriorum obiectu, indictã concione, ea sic interpretatus est, vt si obsequentes Præfectis suis se præberent, alacriq; animo hostes incesserent, lætum illis augurium dari; sin aliter triste & funestum. Ita magnus vir rem ambiguam incertamq; optimam in partem interpretando, animos suorum sinistro augurio perculsos erexit, seq; præsen-*

Omnia in lætiorem partem interpretanda.

Apud Polyb. & Plut.

*præsenti periculo liberauit. Eundem in modum I. Cæsar, quicquid accideret ominis semper interritus, neque vnquam ab incepto retardatus. Pugnaturus in Africâ aduersus Scipionem & Iubam, prolapsus in egressu nauis, verso in melius omine,* Teneo te, *inquit,* Africa. *Ita Guilielmu Dux Normanniæ, cùm in Angliam traiecturus esset, gratia eam recuperandi, simul pedibus terram libauit, pronus in faciem lapsus est: quod cùm milites, vt sinistrum omen acciperent,* Agite, *inquit,* bono estote animo, terram hanc Deus despondet mihi, quam eius ope & virtute vestrâ, vt spero, breui bello deuincam. *Nec spes eum frustrata est, adepto breui conatu Regno, & in posteros post eâ longâ hæreditariâ successione delato. Quò magis ad hæc Ducem animum attendere par est, quòd non infrequenter militum animos ad eiusmodi ostenta, & vanas superstitiones*
Lib. 1. Annal. *circumagi deprehendamus, vt ex illo Taciti facilè liquet:* Luna, *inquit,* claro pœnè cœlo visa languescere. Id miles rationis ignarus, omen præsentium accepit ac suis laboribus defectionem syderis adsimilans, prosperéque cessurâ, quæ pergerent, si fulgor, & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris sono tubarum cornuumque concentu strepere, prout splendidior, obscuriorvè, lætari & mœrere: & postquam ortæ nubes offecère visui, creditumque conditam tenebris, vt sunt mobiles ad superstitionem semel mentes, sibi æternum laborem portendi, sua facinora auersari Deos lamentantur. *Quare in eiusmodi euentu, curet Impera-*
Polyb. lib. 10. *tor, vt vulgus militum metu omni liberet, in quo alioqui nec ratio, nec vsus valet. Ita Scipio, dum Carthaginem obsideret, Neptunum sibi initio in somnis adstitisse dixit, & iuuandæ Ciuitatis conatum monstrasse, deinde pollicitum, circa oppugnationis tempus sic se perspicuè cooperaturum, vt toti exercitui efficacia ipsius auxilij arma manifestò sint futura, &c. Obedientibus itaque illi militibus, & per cœnum stagni certantibus,* vniuersus, *inquit,* exercitus, id quod accidebat, diuinâ quadam prouidentia fieri iudicabat. Vnde memores eorum, quæ de Neptuno audierant, & promissionis à Scipione inter exhortandum factæ, vsque adeò animis incitantur, vt condensati ac violento cursu ad portam contenderent, ac fores illius securibus & a-
1. Hist.] scijs extrinsecus exscindere conarentur. De Fabio Valente Tacitus: *Lætum augurium Fabio Valenti exercituíq; quem in bellum cogebat, ipso profectionis die, Aquila leui meatu prout agmen incederet velut Dux viæ præuolauit. Veterum quidem hæc somnia, & prodigia, inquies: ita, sed quæ nec te planè spernere velim vt fortuita, modò tamen non discedas ab institutis præceptisq; Christianæ Religionis.* Nam amat inter-
Lib. 21. Genial. dier. lib. 2. cap. 3. lib. 8. cap. 15. dum benignitas Numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere, quæ impendent, *vt rectè scriptum reliquit Ammianus; probatq; hoc veriloquium veterum & recentiorum exemplis Alexander ab Alexandro.*



CA-

# CAPVT XI

## *Hostes, etsi fugere videantur, non esse temerè persequendos.*

Vltæ sunt & variæ in orbe vniuerso locorum species, incertumque est, quonam in loco erit singulis in acie decertandum. Et suæ quidem regionis loca experti nosse poterunt, non autem alienæ, & extraneæ. Præterea sæpenumerò Imperatori, hostis vnius diei itinere abesse, renunciatur. Ille mox secessum ex compacto simulantes, quasi fugientes, ac territos insequitur, *donec ad angustias* A.
tandem, ac rupes adductus, dum incautus acriter vrget, circumuenitur: aut dum exercitum in illa loca immittit, occupant hostes anteriora, & occludunt transitus, ac vndequaque superiora cingunt, tandemque velut cauea comprehensos aduersarios includunt. Ille igitur Imperator cœco impetu rapitur, putatque se fugientibus hostibus imminere, nec satis dum progredi festinat, animaduertit; post illa verò circumspiciens, ante & post se, & à lateribus hostes permultos instare videt. Itaque vel illic vnà cum exercitu telis circumquaque missis, conficitur, aut dum pugnare nequit, pudetque se dedere, fame secum suos omnes enecat, aut si deditionem tandem impetret, hostibus concedit potestatem in se vitæ, ac necis. Quamobrem *hostium discessiones* semper suspectæ, nec vn- B.
quàm susque deque habendæ. Et considerandi potiùs *locorum, quàm hostium situs*: nec solùm, quâ viâ ducatur exercitus, prospiciendum; sed etiam, C.
vt eadem reduci possit, prouidendum. Et vel copias non immittat, sed coërceat, ac reprimat, vel si immittat, caueat diligenter, & montium cacumina, angustiarumque fauces, relictis custodibus, occupari à suis curet, vt tutum iter receptui præstetur. Et hæc de meditandis aduersus hostes dolis, deque ijsdem euitandis, vtramque in partem dicta sint. Pulchrè quidem eueniet, si hoc modo Imperator aduersarios deceperit, sed necessariò cauere quoque debet, ne ipse decipiatur.

# NOTÆ siue DISSERTATIONES
# *IN CAPVT XI.*

Fugæ hostili non fidendum. Lib. 1. Cypæd.

A. DOnec ad angustias.] *His planè consentanea, quæ apud Xenophontem:* Εἰ δ' ἐξαπατῶντες τοὺς πολεμίους, δύναιντ' ἂν καὶ θαρρῆσαι ποιήσαντες, ἀφυλάκτοις λαμβάνειν, εἰδόντες ἑαυτοὺς ἀτάκτους ποιοῦσι, καὶ εἰς δυσχωρίαν φυγῇ ὑπαγαγόντες, ἐν ταῦθα ἐπιτίθεσθαι: Qui autem hostes decipiunt, possunt eos tùm iniectâ fiduciâ, incautos offendere, tùm fugandi sui facultate traditâ, reddere turbatos, tùm simulatâ fugâ, in locos difficiles subducere, hicque adoriri. *Quod nec ignorauit præstantissimus militiæ Dux Iosue in obsidione Ciuitatis Hai, de quo Sacer Codex:* Surrexitque Iosue & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt ascenderent in Hai: & electa triginta millia virorum fortium misit nocte, præcepitque eis dicens: Ponite insidias post Ciuitatem, nec longiùs recedatis, & eritis omnes parati. Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum est, ascendemus ex aduerso contra Vrbem: cùmque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab Vrbe longiùs protrahantur; putabunt enim nos fugere sicut priùs. Nobis ergò fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidijs, & vastabitis Ciuitatem, tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. *Quod consilium optimè successit prudentissimo Duci Iosue, qui* postquàm abijsset nocte illa, & stetisset in vallis medio, videns eum Rex Hai, festinauit manè, & egressus est cum omni exercitu Ciuitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quòd post tergum laterent insidiæ; *quas paullò post subiuit, (vt subijcit eadem sacra pagina) ab ijs, qui fugam simularant, sed & ijs qui in insidijs positi erant. Sed quò eiusmodi decipula vitentur, animaduertendum est num hostes fugiant copijs integris nec turbatis an verò neglectis ordinibus armisq; abiectis in fugam se vertant: priori euentu, hostibus nequaquam via præcludenda & obstruenda est, quin potiùs, pons aureus, iuxta vetus verbum, illis fabricandus, quò maiorem recipiendi se commoditatem consequantur. Etenim, vt Vegetius inquit, si apertum iter & liberum conspiciant, fugæ desiderium omnes inuadit; & semel in fugam coniecti, ordines ex facili rumpunt sicq; procliuiùs delentur: at verò via impedita, cùm euadere nequeant, desperatio animum addit pauidis, timorq; sæpiùs arma ministrat, vbi nulla spes salutis superest. Quod Macedones non animaduertentes, dùm Romanos ad mare fugientes improuidè persequuntur: ij necessitudine coacti, sic resistunt, vt Macedonum ferè ducentos ceciderint, paremq; numerum cœperint, dicente Liuio,* Nihil aliud quàm vltimam necessitatem, cùm recipere se tutò ad naues prohiberentur, animos Romanorum simul desperatione

Iosue. c. 8.

Lib. 3. c. 21.

Lib. 44.

Lib. 57.

alia

alia salutis simul indignitate irritauisse. Idcirco prudenter egit L. Æmilius Regillus Prætor in obsidione Phocæ: Coactus ergò periculo militum Prætor, receptui canere iussit, ne obijceret incautos furentibus desperatione, ac rabie. *Meritò ergò Alphonsus Rex Neapol. dicere solebat:* hosti fugienti pontem argenteum sternendum esse. *Quid aliud Locrensibus, vt antiqua repetamus, victoriam peperit, quâ quindecim eorum millia, centum & triginta hostium millia profligarunt, quam quod in desperationem versi, id vnicè operam dederunt ne inulti caderent? Sic enim Iustinus:* Lib. 20.
Nulla alia causa victoriæ fuit, quàm quod desperauerunt. Quid Manlio Romano Consuli vitam ademit, quàm quod victis hostibus omnes exitus ita obsedisset, vt quum illi nullam effugiendi spem viderent, in ipsum Consulem inuecti, eo occiso iam vniuersum exercitũ cum summo periculo aggressuri fuerint, nisi effugiendi copia eis data fuisset. *Altero verò euentu, tamdiu propellendi & psequendi hostes, dũ sese recolligere & in ordinem reducere nequeant, & postea paullisper ab insequendo subsistere, vt reparatis viribus & ordinibus à tergo vel à latere aggrediantur eos, qui adhuc manus conferre & resistere non audent. Sæpiùs enim contingit, vt exercitus pars victa sit, cui tamen ab aliâ parte victoria integra mansit. Id quod pluribus exemplis docet Tarduccius, & nominatim Hannibalis, qui ad Cannas Romanum equitatum fusum & fugatum non est insecutus, sed eundem elabi passus est; & rectâ in latus agminis hostilis progressus præclarâ & memorabili victoriâ potitus est; quâ de re videatur quoque Alex. ab Alexandro.*

Liu. lib. 1.

Liu. lib. 22.

Lib. 4. c. 7.

*Magnâ itaque Duces pollêre debent sagacitate, ne specie fugæ hostilis circumscribantur, quali sagacitate Alcibiadem fuisse legimus, qui erat tantâ calliditate præditus, vt decipi non posset, præsertim quum animum attendisset ad cauendum.* Probus in Alcib.

B. Semper suspectæ.] *Numidarum hîc mos erat, inquit, Polybius, vt primo statim congressu, dantes terga statim fugerent; mox verò vbi visum esset, sisterent rursus, hostemq; incredibili audaciâ ac robore aggrederentur. Paulus Æmilius timorem simulauit tãtisper, donec Ligures castra adorti improuidè cæsi essẽt. Velius ab Asdrubale petiuit, vt sibi incolumi vitâ abire liceret, eâ simulatione hostem ad securitatem perduxit, & cecidit. Cæsar cum duabus Legionibus auxilio Ciceroni veniens, effecit vt Galli securi ad castra accederent, atque ita inordinatos occidit.*

Stratagema Numidarum.

Polyb. lib. 3. Hist.

C. Locorum, quàm hostium situs.] *Iphicrates hostibus in fugam versis, pedetentim agmen ducens, rectè ab Auctoris nostri mente suos monebat, insidias vt omni studio vitarent, reliquos autem ex fugientibus cæderent vsque ad fluuiorum transitus, & locorũ angustias atq; fossas. Hîc enim, inquit, includi fugientes non oportet, ne ex desperatione pugnare cogantur. Propè munitiones etiã aut mœnia persequi vtile nõ est. Multi enim iam sæpè partâ victoriâ, postquã intra teli iactũ venerunt, maximis cladibus affecti fuerunt, eximiũ profectò Auctoris documentũ: cuius rationẽ reddit Vegetius:* Clausis, inquit, ex desperatione crescit audacia; & quũ spei nihil est, sumit arma formido. Ideò Scipionis laudata sententia est: Viam hostibus, quâ fugiant, muniendam esse.

Apud Polian. lib. 3.

Hostis ad angustias non cogendus.

Lib. 3. c. 25 & 21.

Lib.2. Nat. quæst.c.59. *Eodem spectant illa Senecæ :* Nullus perniciosior est hostis, quàm quem audacem angustiæ faciunt: longèque violentiùs semper ex necessitate, quàm ex virtute corrigimur. Maiora, aut certè paria conatur animus magnus & perditus. *Virtus necessitate acta, sæpè caussa victoriæ est, quod exemplo didicit Albertus Exarchus Brabantiæ in memorabili illa pugna ad Niuportum cum Batauis, qui hoste ad angustias & desperationem coniecto, coactus est sustinêre eius impressionem, non sine suorum clade maximâ. Itaque veriloquium illud obtinet :*

Vna salus victis nullam sperare salutem.

## ¶. *De Nunçijs admittendis.*

A. Admittat quemlibet volentem aliquid nuntiare, & seruum, & liberum, & noctu, interdiu aduenientem, etsi ipse sit in tabernaculo, siue quieti, siue balneo, siue mensæ indulgeat. Cunctatores enim, & inaccessæ seueritatis, quique seruis imperant accedentes iniuriosè repellere, in multis & magnis, & meritò falluntur negotijs, immò rem aliquando totam negligentiâ suâ labefactant. Nam sæpè multi prætereunt, quod in puncto temporis gerendum vtiliter indicassent.

## NOTÆ, siue DISSERTATIOES.

Nuncios quouis tempore admittendos. Cap.31. Poliorc.

A. ADmittat quemlibet.] *Quod documentum si Astyanacti Lampsacenorum tyranno amici suggessissent, næ ille miserè non interijsset. Missa enim ei epistola, vt scribit Æneas, quæ indicium eius coniurationis continebat, illam legere neglexit, quo factum vt epistolam digitis tenens interierit. Ita I. Cæsar indicem coniurationis libellum manu tenens à Bruto & Cassio Principibus coniurationis confossus fato concessit. Sic Cadmea quoque Thebis eandem ob caussam est capta. Sed & Mitilenæ in Lesbo similia acciderunt. Missis veteribus: Thenæ, notum Brabantiæ opidum, ante annos circiter* 40. *magnam eandem ob negligentiam cladem passæ sunt. Cùm enim Præfectus Vrbis alicunde litteras sub vesperam accepisset, quibus Hollandum militem in propinquo esse ei significabatur, magisq; lætus esset quàm prouidus inter Libentias coruiuij nuptialis, eadem ipsâ nocte, quæ vesperam illam secuta est, hostis derepentè vrbem fœlici conatu inuasit, oppugnauit, rebus omnibus spoliauit. Quæ sanè exempla multum ponderis habere deberent apud Duces & vrbium Præfectos, ne simili negligentiâ, quæ multis exitio fuit, sibi suisq; perniciem accersant. Atque hæc quidem de nuncijs admittendis : Quid de emittendis ? Consideratio*

hæc

*hæc attendenda, vt si Epistolæ publicè mittantur, curandum Præfecto Vrbis, vt litteras occultas mittat, quas Græci* συνθηματικὰς *dixerunt, de quibus earumq́; notis occultis curiosè scribit Æneas, è quo lubet in gratiam expertium rerum istarum aliquot occultè scribendi modos promere. Nimirum primò, vt literæ argumento declarando vtiles, alijs inutilibus permixtæ, notis quibusdam siue punctis ijsdemq́; sic minutis, vt difficulter videri queant, nisi ab eo ad quem Epistola mittitur, supernè distinguantur. Alter mysticus scribendi modus, vt in vocalibus, puncta quædam inserantur, puncta inquam tot, quota est in ordine literarum vocalis notanda. aut certè vocalium loco certæ ex compacto figuræ (cuiusmodi Ægyptiacæ) substituantur. Et litteræ quidem istiusmodi incertum locum deferendæ sunt, ei notum ad quem diriguntur. Alios Auctor Poliorcetici cùm scribendi, tùm litteras occultandi modos attexit, veluti in balteis, occultis vestium locis, calceorum soleis, in quibus tabellæ plumbeæ exaratæ insui possunt. sed eum adeat qui volet, mihi satis sit hæc obiter libasse.*

Nuncij vt emittendi ex vrbe obsessa. Poliorc. cap 31.

# CAPVT XII.

## *De Prandio curando.*

SI Castra Imperator contra hostile vallum posuerit, *vt cœna tempori* parata sit, accurare debet. siquidem penes eum sit, copias, quando volet, ad conflictum educere, horam cibi sumendi, vt lubebit, militibus imperet. Si verò *in hanc necessitatem* adactus sit, vel propter locorum quædam incommoda, vel minus validam valli munitionem, vel aliam ob caussam, vt pro arbitratu hostium cogi possit arma sumere, atque in pugnam prodire, minimè vereatur etiam matutinis horis prandij signum militibus dare, ne ieiunos ad certamen educere cogatur. Nam haudquaquam parui pendenda aut negligenda rerum istarum cura. Milites enim sobriè pransi, nec nimio satietatis onere ventrem sufferti, solent esse in prælijs fortiores. Nec rarenter profligati sunt exercitus, deficientibus *nimiâ esurie viribus*, quandò scilicet, non momento, sed nocte, fera adueniente, certamen dirimitur.

A. B. C.

## *NOTÆ IN CAPVT XII.*

A. VT cœna tempori.] *Rationem dat Cassiodorus*: Disciplinam seruare, *inquit*, non potest ieiunus exercitus: dum quod deest semper præsumit armatus.

Pransis militibus aciē instruat.

 tus.

Epist. 21. tus. *Iccircò qui rei militaris peritiâ cæteris præstiterunt, legimus hos in magno semper habuisse & cauisse, ne milites, nisi pransi parati manus cum hoste conferrent. Quid enim à ieiuno exercitu exspectes nisi impatientiam?* Venter præcepta non audit, *inquit Seneca,* poscit, appellat. *Ideò periti illi Duces non aliter decertandi tempus capiebant, nisi iam antè milites cibassent. vnde cùm P. Æmilius auditione percepisset, Thuscis certum esse prœlium committere,* extemplo tesseram dari iussit, vt prandeant milites firmatisque cibo viribus arma capiant. *Ita cùm Asdrubale pugnam commissurus Scipio,* tesseram * vesperi per castra dedit, vt ante lucem viri, equique pransi essent, armatus eques frænatos teneret equos. *Optimo itaque consilio Hannibal Romanos oppugnans, milites suos obequitare iubet hostium castris,* iaculandoq; lacessere, *verba Polybii,* ad pugnam hostem, cupiens eum imparatũ improuidumq;, & quod plurimi faciebat, nondum pransum aggredi. *Quisquis igitur ieiunum hominem, & consequenter lassum in prœlium ducit, imprudenter agit. Cuius laßitudinis damna pluribus exemplis patent: quandoquidem apud Tacitum,* Celsus, & Paullinus, *abnuebant militem itinere fessum, sarcinis grauem obijcere hosti non admissuro, quo minùs expeditus, & vix quatuor millia passuum progressus, aut incompositos agmine, aut dispersos, & vallum molientes aggrederetur. Cuius rei arguuntur alibi milites.* Voculi *quod inuito Duce incompti fessiq; prœlium sumpserint. M. Popilius Lænas cùm post diuturnum, & anceps bellum Gallos vicisset, omisit illos persequi: quia subijcere exercitum pugnâ fessum & ieiunium nouo labori nolebat. Cauendum tamen ne milites genio nimis indulgeant: nam victoria de ebrijs & mero madentibus facilis. Florus de bello Histrico:* Epulantes ac ludibundos plerosque, aut vbi essent præ poculis nescientes, Appius pulcher inuadit. *Tacit. 4. Hist. de Agrippinensibus,* qui largis epulis, vinoque sopitos Germanos clausis foribus igne iniecto cremauêre. *Simile est quod notatur in Sacrâ paginâ:* Ecce illi discumbebant super faciem terræ comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit quisquam nisi 400. viri adolescentes, qui ascenderant camelos & fugerant.

Liu. 19. Id. lib. 28. * Mandata per tesseras, & libellos dabant olim Impp. Lib. 3. hist. Lib. 18. Defessi & impransi in prœlium non ducendi. Liu. lib. 7. Pransi quidem sint milites, sed nõ madidi. 1. Reg. 30.

B. In hanc necessitatem.] *Etenim* necessitas, *inquit Curtius,* ante rationem est, maximè in bello; quod rarò permittit tempora legere. *Prudenter itaque Claudius Nero, cùm aduersus Asdrubalem certaturus cito gradu proficisceretur, monentibus quibusdam, vt militem itineribus ac vigilijs fessum reficeret, respondit commodam decertandi opportunitatem haud omittendam, & porrò milites precatus est,* ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent. *Tempus itaque, quod rerum omnium est primum, hic attendendum.* Nec *enim* rerum occasiones tarditatem & ignauiam exspectant, *vt ex vero Demosthenes quondam inquiebat. Interogatus Thales, quid esset in totâ rerum naturâ robustißimum? respondit* Necessitas: *superat enim omnia.* Vnde Seneca (lib. 4. controuers. 4. vocat illam *legem temporis.*

Lib. 7. Nisi necessitas aliud vrgeat. Liu. lib. 27. Philipp. 1. Laert. lib. 1. cap. 1.

C. Nimiâ

C. Nimiâ esurie.] *Tria*, inquit Liuius, *miles curare debet: corpus, vt quam validißimum & pernicißimum habeat (quale non potest esse fame debilitatum) arma apta, animumq́ paratum ad subita imperia; cætera scire, Dijs immortalibus & Imperatori curæ esse.*

# CAPVT XIII.

## *Oportêre bono esse animo Imperatorem, siue Ducem supremum in rebus aduersis.*

SI quando pauor aliquis, aut metus exercitum inuasit, vel quia noua sociorum accessione hostium numerus accreuit, vel quia potior quodam modo genius illorum videtur, *tùm maximè Imp. hilarem*, lætum, ac intrepidum vultum militibus ostendat. A. Nam ad Imper. adspectum, quasi ad exemplum, cæterorum animi conformantur. Et magnanimi, hilarisque Ducis confidentiores copiæ sunt; nempè quasi nihil sit periculi: contra, si pauidus ille, ac mœstus appareat, animos simul abijciunt, velut maiore quadam calamitate impendente. Ideoque satius erit, decorâ & suaui vultus compositione multitudinis pectora erigere, quàm verbis & concionibus adhortari. nam illis vt è re natâ confictis plerique diffidunt. Hi verò cùm serenam ac securam Imperatoris frontem contuentur; simplicem, non simulatam esse existimantes, metum quoque omnem abesse debere, persuaderi sibi facilè patiuntur. Vtile autem est, vtramque in partem, quando vsus venit, eloqui posse, vultumque fingere, vt res quæque postulare videtur; B. & *quemadmodum confidentiam* exercitui addidisse profuit: sic etiam & metum aliquando iniecisse non parum commoditatis attulit.

# *NOTÆ IN CAPVT XIII.*

A. HIlarem, lætum, ac intrepidum.] *Infirmi enim ingenij est*, inquit Eges. lib. 4. c. 2 *summæ rei diffidère lapsu aliquo: cum exiguis momentis subitò inclinentur omnia quæ in bello geruntur.* Rectè Poëta:

Casibus aduersis fractâ qui mente recumbit,
Fortuna ignorat dexteriore frui.

Ideò

Pro L. Manil. — *Ideò M. Tullius inter præcipuas boni Ducis dotes, exigit fortitudinem in periculis, laborem in negotijs, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo. Talem Fabium Dictatorem, inclytæ memoriæ Ducem, aduersus Hannibalem tot annis pro Imperio decertantem animo semper inuicto, infracto, hilari, & læto, tametsi summis in angustijs plerumque constitutum fuisse tradunt, qui res eius gestas monumentis consignârunt. Ipsum verò Hannibalem cognitâ Asdrubalis fratris cæde ac totius clade exercitus, vultum composuisse ferunt, magisq; conditionem humanam risisse, quàm vt decorem aut animi consternationem præ se ferret: quâ versutiâ ac sagacitate animos militum ac ducum suorum conseruauit. Non de nihilo itaque Seneca scripsit:* Duces rebus afflictis hilaritatem de industriâ simulare, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscondere, ne militum animi si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur. *Non inquam de nihilo: quia, necesse est ad fugam parati sint, qui Ducem suum sentiunt desperare, vt Vegetius ait. Ideò* Agesilaus *ita consuefecerat se, vt quoties in metu esset hilaritatem præ se ferret; rebus contra secundis humilis esset.* De Cæsare *Lucanus:*

In aduersis lætus esto.

De consol. ad Polyb. cap. 24.

Lib. 3. c. 22.

——— Vultu semper celante timorem.

Lib. 10.

Intrepidus.

*Ita* Vercingetorix apud Cæsarem, *acceptâ clade, & amisso* Auarico *sui semper similis altum magnumq; spirabat. Quid in* Alexandro illo Magno? *Is antequam cum Dario prœlium iniret, vultu semper læto constantiq; fuisse traditur.* Haud alias, *inquit, Curtius,* tam alacrem viderant Regem, & vultu eius interrito, certam spem victoriæ arbitrabantur. *De Hannibale:* Haud scio, *inquit,* an mirabilior fuerit aduersis, quàm secundis rebus: quippe qui cùm in hostium terrâ per annos tredecim, iam procul à domo, variâ fortunâ bellum gereret, exercitu non suo ciuili, sed misto ex colluuie omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alij ritus, alia sacra essent, quod quondam vno vinculo copulauerit eos, vt nulla, nec inter ipsos, nec aduersus eum seditio extiterit, cùm & pecunia sæpè in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia priore Punico bello multa nefanda inter Duces, militesque commissa fuerant.

Lib. 7. Bell. Gall.

Titus Liuius lib. 4.

Sis & confidens. Probus.]

B. Quemadmodum confidentiam.] *Esto tamen moderata. Incredibile enim dictu* quantæ calamitatis soleat esse nimia fiducia. *Quid ita? quia fiduciam nimiam temeritas comitatur, & plerumque incauta solet esse nimia præsumptio: id exemplis docui in thesauro Aphorism. lib. 3. cap. 20. Si quid tamen in his peccandum, equitem plus æquo confidentem malim, quàm metuentem.* Semper enim in bello, *vt Sallustius inquit,* Iis maximum est periculum, qui maximè timent: audacia pro muro habetur. *Notum illud Fabij Legati Romani, qui confidenter Senatui Carthaginensium dixit,* Se bellum & pacem afferre, vtrum placeret, sumeret. Optimè: nam omnia virtuti cedunt. Caractacus huc illuc volitans illum diem, illam aciem testabatur aut recuperandæ libertatis, aut seruitutis æternæ initium fore. Miles autem

Catil.

Florus li. 2. Tacit. 12. Annal.

autem prœlium poſcere, cunctâ virtute oppugnabilia clamitare, &c. *Itaque cum Cicerone cenſendum : Ad rem gerendam qui accedit, nec deſperet propter ignauiam, nec nimis confidat propter cupiditatem, Optimè Valerius:* Laudanda profectò fiducia eſt, quæ æſtimationem ſui certo pondere examinat, tantùm ſibi arrogans, quantùm à contemtu & inſolentiâ diſtare poteſt. Itaque *Aratum* cum Polybio prædico, qui perſpicere poterat , quid potiſſimum agendum eſſet in quacumque neceſſitate. Lib,1.de

# CAPVT XIV.

## *Quomodo exercitui ſuo metum hoſtium incutere debeat Imperator, ſiue Dux ſupremus.*

ETenim ſi milites languidê, ac remiſsè pugnent, aut ductoribus ſuis contumaciter repugnent, tunc Imper. periculum imminere vtiliter ſimulabit; maximè ſi eos ita in metu ponat, quaſi ſtent in inſidijs hoſtes iam iã erupturi. Sic enim nõ pauidos, ſed cautos efficit. Et afflicti quidem animi roborandi, & confirmandi ſunt; lenti verò, ac deſides terroribus excitandi. Et ita timidi fortes euadent; audaces verò, cautiores, ac prudentiores fient. Vtrumque autem militaribus copijs accidere ſolet, nempè, tàm ignauiter, ac demiſsè aliquando formidant, vt nihil omninò audere velint; aliàs tàm arroganter hoſtes negligunt, vt nihil prorſus cauere curent. Ad hos igitur, illoſque caſus paratum eſſe Imperatorem decet, vt ſciat, modò pericula, & ſermone, & vultu confutare, ac eleuare, modò ſimulato metu eadem adaugere.

# *NOTÆ IN CAPVT XIV.*

*MEtus bifariam conſiderari poteſt. primò, cum procedit ab ignauiâ atque animi abiectione, quâ efficitur vt homines ſegnes ſint in aggrediendo & exſequendo. Secunda, cum procedit è nimiâ circumſpectione, quâ homines incerta rerum reputantes ab incepto deſiſtunt. Vt priores ſunt ſcutica digni, ita poſtremi laude digniſſimi. Non enim ignauiâ ſed prouidentiâ timidi fiunt : quò fit vt rarenter in inopinatum vel ſiniſtrum caſum incidant, cùm* Mater timidi flere non ſoleat, *vt Thraſibulus ille dictitabat. Vnde ſcitum* Militum metus.

*illud Vellei*: Nemo celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet. Frequentissimum initium calamitatis, Securitas. *Cùm itaq; hic metus nõ improbetur, minùs imprudenter facturus est Imperator, si milites remißiùs pugnantes in metu quodam ponat: ita enim* non pauidos, sed cautos efficiet, *vt noster inquit, aut si nimis abiectos illos & afflictos deprehendat, roboret & confirmet. quomodo? Spem illis faciendo, subsidia sub manu esse, eaque mox præsto futura: ita citra verecundiam recedent, & subsidiarijs recentibus decertandi locum concedent, nec victi fugam meditari bellive aleam subterfugere, sed vel interiungendi & anhelitum recipiendi, vel consilij capiendi caussa cedere videbuntur. Tristißima etiã quandoq; occultabit, tantò impensius in securitatẽ cõpositus, neq; loco, neq; vultu mutatus, nullo metu firmitudinem animi ostentet Imperator* (inquit Tacitus). *Itaque simulatione in hoc opus est. Agesilaus apud Xenophontem istius ingenij erat, vt cùm in metu versaretur, hilaritatem præ se ferret; rebus verò secundis, humilis esset. Apposité Seneca:* Duces rebus afflictis hilaritatem de industriâ simulare, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscõdere, ne militum animi, si fractam Ducis mentem viderint, & ipsi collabantur. *Sed de his satis præcedenti capite.*

Apud Probum.

---

## ¶. *Militum animos ex captiuorum adspectu excitari posse.*

Instante certaminis tempore, cùm propter dubium præliorum discrimen, metu conturbatus est exercitus, si impetu ante facto captiui aliqui adducti, aut insidijs, aut velitatione intercepti, qui à castris fortasse defecerant, si animo, ac virtute generosi, & corporum præstantiâ insignes sint, Imperator, eos aut è vestigio interfici iubeat, aut vinctos, ijs quibus hæc mandata cura erit, diligenter adseruandos tradat, ne à multis conspiciantur. Si verò imbelles, aut demisso abiectoq; animo sint, priùs in suum tabernaculum adductos, minaci, & toruo vultu examinatos, & quasi subactâ mente debellatos, ante militum suorum

A. oculos *constituat lacrymantes*, orantesque, simul ipse per concionem demonstret, quàm ignaui sint, & humiles, quamque nullius pretij esse cum huiusmodi viris dimicandum, qui mortem adeò reformident, ac deprecentur, vt cuiusque genua amplectantur, & ad pedes supplices aduoluantur. 2. Sic enim roborabitur exercitus, quasi iam prænouerit, quinam hostium in pugna vultus, atque animi futuri sint. Nam quæ quis nunquàm vidit, maiora esse sperat, quàm reuera ipsa sint, & mali timore spei suæ, mensuram ad nescio quid etiam difficiliùs applicat.

NOTÆ.

# NOTÆ.

A. COnstituat lacrymantes.] *Insigne* διδακτήριον. *Donatus captiuos in maiorem ignominiam lauro vinciri, eosq; sic redimitos passim ostendi morem fuisse scribit. Si nec ista ignominia confirmari possint animi vacillantes, tunc satius erit prælio abstinere, quàm se incertæ pugnæ & forsan aduerso euentui dare. Alio modo poterit eos per æmulationē ad certamen prouocare, veluti C. Cæsar aduersus Germanos & Ariouistum pugnaturus, confusis suorum animis (pauidis enim in incerto consilia sunt) pro concione dixit, nullius se eo die opera nisi decimæ legionis vsurum. Quo consilio assecutus est, vt Decimani tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogerentur pugnare & alij pudore (ne penes alios gloria virtutis esset) affecti, Decimanos fortitudine superare conabantur, hostesq; eò fortiùs aggrediebantur. Vtcumque sit, cùm viderit Imperator milites ad pugnam accensos, statim in aciem ducat; ne longiore morâ ardor minuatur, languor inducatur.* Adleph. act. 2. sc. 1.

# CAPVT XV.

## *Multòs, & varios esse modos instruendæ aciei.*

MVltipliciter & variè *instruitur acies.* Nam armaturæ militum, *locorum, copiarumq; hostilium* habenda ratio est. Et varias huiusmodi rationes, vt occasio exigere videbitur, experiri sciet Imperator. Quæ verò absque rerum singularum inspectione, multis ordinum dispositionibus conuenire poterunt, ea summatim deinceps persequor. A. B.

# NOTÆ, siue DISSERTATIONES.

## *IN CAPVT XV.*

A. INstruitur acies.] *Quoniam dispositio aciei Romanæ, à temporibus nostris alienior est, vixq; vlli reperiuntur Imperatores, qui, non dicam, eius vsum vsurpent, sed cognitionē quidem eius, etsi alioqui saluberrimā, percipere sustinent, multū operæ in ea*

*elucidanda minus ponam, sed breuiter & quasi per indicem, in gratiam antiquariorum eorumq; qui Onosandri mentem assequi volent, formam eius ex Liuio, Polybio, eiusq; interprete I. Lipsio præceptore quondam meo adaperiam: cuius Liuij verba prius proponam. Sciendum ergò legitimam Romanam aciem constitisse Hastatis, Principibus, ac Triarijs, velitibus, siue leuis armaturæ militibus admixtis, qui ex manipulis ferè educebantur. Igitur Liuius:* Hastati, *inquit*, omnium primi (*ex ipsâ statariâ acie, nam ante eos, Velites decertabant*) pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum (*siue vias patentes inter manipulos Antesignanorum quibus retrocedentes excipiebantur*) Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat: Hastati sequebantur: (*solis iam Principibus cominus cum hoste certantibus*) Triarij sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto (*ne scilicet stantes venientibus telis vulnerarentur*) scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terrâ fixas, haud secus, quàm vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prospere pugnatum esset, à primâ acie ad Triarios sensim referebantur. Inde rem ad Triarios rediisse, cùm laboratur, prouerbio increbuit. Triarij consurgentes, vbi in interuallo ordinum suorum Principes, & Hastatos recepissent, extemplò compressis ordinibus, velut claudebant vias; (*supra dixit interualla; eaq; inter quemque manipulum, qui in quincuncem dispositi hoc modo.*)

Modus disponendæ aciei apud Rom.

Lib. 8.

H.



P.



T.



vnoque contenti agmine, iam nullâ spe post relicta in hostem incedebant. Id erat formidolosissimum hosti, cùm velut victos insecuti, nouam repentè aciem exsurgentem, auctam numero cernebant. *Porrò hi ordines Hastatorum, Principum, ac Triariorum, acies, generali nomine vocabantur, quanquam etiam singuli ordines, acies dicebantur, vt prima acies* Hastatorum *esset, secunda* Principum, *tertia & postrema* Triariorum, *vt rectè ex eodem Liuio Ioannes Anton. Valerinus veteris militiæ Romanæ peritissimus notat: Liuij verba:* Ex postremâ acie

Lib. 44.

Triarios

Triarios primos subducit, deinde Principes, stantibus in prima acie Hastatis. *Præter autem communem hunc disponendæ aciei modum, alij ab Agellio commemorantur, dum inquit :* Vocabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies solet appellari. Frons, Subsidia, Cuneus, Orbis, Globus, Forfices, Serra, Alæ, Turres. *translata autem sunt, inquit A. Gellius ab ipsis rebus, quæ ita propriè nominantur: earumq; rerum in acie instruenda sui cuiusq; vocabuli imagines ostenduntur. Igitur primò* Frontem *appellabant, partem illam aciei, quæ aduersum hostem spectabat, Vegetio auctore: qui & Cuneum dicit fuisse peditum multitudinem, quæ iuncta cùm acie primo angustior, deinde latior se pandit, & aduersariorum ordines rumpit, quia à pluribus in vnum locum tela mittuntur, quam rem idem ait milites nominasse* Caput porcinum, *quia ei assimilatur, & velut fodit, & ruit inuadendo. porrò anterior pars quæ in acutum desinebat, tecta & densa erat, teste Suida, quia scutis vndique muniebatur. Et eiusmodi fuit ille Cuneus ( teste Scip. Amirato) quem post Cannensem cladem L. Sempr. Tuditanus Tribunus militũ effecit, qui simul cũ sexcẽtis militibus euasus, saluti multorũ prouidit, In quo Cuneo id artis adhibuit, vt Numidarum sagittis dextrum latus ferientibus, singulis militibus, iusserit vt à sinistro ad dextrum brachium scuta transferrent. Tertia forma* Forfex, *siue* Forceps, *quæ nihil aliud, quam ordinatio aciei, quæ contraria Cuneo, latioribus primis & apertis ac paullatim in angustum desinentibus, &* Cuneum excipiebat, *teste Vegetio*, atq; ex vtraque parte concludebat: *de quâ etiam Ammianus*: Cogitatum est enim, sollicitèque præstructum, vt fæuientes vltra solitum Alemanni, vagantesque effusi, multitudine geminata nostrorum forficis specie, trusi in angustias cæderentur. *Verùm, sicuti ad Cuneum confugere consueuit, qui viribus inferior est, ita Forfex vt plurimum ab ijs, instruitur, qui numero superiores sunt, & copijs abundantes non valent pertinacem hostilis exercitus frontem fronte fundere: proinde patefactis atque explicatis ordinibus, cornibusq; hostium conclusis, eos circumueniunt atque interficiunt : id quod à Scipione in Hispaniâ factum esse Liuius notat. Quarta* Globus *qui eodem Vegetio auctore aliud nihil, quàm militum manus ab acie reliqua separata vago superuentu inimicos incursat. Quinta* Orbis: *& videtur fuisse cùm milites in directum longumq; ordinati, in girum se instruebant: quo genere, vt ait Vegetius, cùm vis hostium interrupit aciem, resisti à militibus consueuit, ne omnis multitudo fundatur in fugam: Ammianum :* Prælio atroci commisso, ferocientibus barbaris vltra modum, aciem in rotundo habitu figuratam opponit. *Sallustius:* Romani si quos locus, aut casus coniunxerat, orbes facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti, & instructi, hostium vim sustentabant. *Brancatius tamen hunc præliandi modum multimodis improbat, nec eo nisi in summis periculis vtendum esse censet. Sexta sit,* Serra, *de quo prælij genere Festus :* Serra pugnari dicitur, cùm assiduè acceditur, recediturque, neque vllo consistitur tempore. *Qui mos præliandi, vt rectè notauit doctiss. Valtrinus, potissimùm seruatus videtur equestribus prælijs: id quod pluscu lis firmat ipse testimonijs.* Alæ *verò dictæ teste A. Gellio exercitus equitum ordines,*

Lib. 10. c. 9. — Ibid. — Frons. — Lib. 3. c. 19. — Cuneus. — Lib. 2. — Liu. lib. 22. — Forfex. — Lib. 3. — Lib. 16. — Lib. 28. — Globus. — Lib. 3. c. 19. — Orbis. — Lib. 1. c. 26. — Lib. 29. — Iugurta. — Lib. 5. Monit. 2. — Serra. — Lib. 5. de re milit. Rom. — Alæ.

*quod circum legiones dextra, sinistraq;, tanquam alæ in auium corporibus locabantur.*

Gellius lib. 16, cap. 4.

Turris.

Subsidia.

Lib. 3.

*Postrema aciei forma,* Turris, *ita dicta quod turri assimiletur: ordo quippè militum in quadrum oblongum, Turris dicebatur.* Subsidia, *vt ex se nota siluimus: quæ nihil aliud quàm milites, qui ad subitos prælij casus reseruabantur.* Quâ dispositione *inquit Vegetius,* nulla melior inuenitur: si enim Cuneus agendus sit, aut Forfex, aut Serra ducenda; superfluos habere debes post aciem, de quibus illa facias: nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. Si Globus hostium superatus partem aliquam vrgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos contra Globum possis opponere, siue equites, siue pedites, de acie tuleris, dùm aliam vis defendere, aliam periculosiùs denudabis. *Quibus Vegetij verbis, videre est quantus vsus fuerit Subsidiorum; cuius neglectus, non mediocres importasse Hetruscis calamitates, Liuius ostendit his verbis:*

Lib. 9.

Quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa, circaque omnes ceciderunt. *neque hac victoriâ potiti fuissent Romani, nisi cautione, quam isti omiserant, vsus fuisset Consul Æmilius, qui laborantibus & continuâ dimicatione fessis suppetias tulisset.*

In Cæsarē lib. 1. desc. 1.

*Super his subsidijs scribens Brancatius, vehementer admiratur, cur nostrâ tempestate negligantur; præsertim cùm in nostrâ militiâ mercenariâ, vbi milites non ex professione, sed necessitate coacti pugnant, ea disciplina, quâ Romani quondam vtebantur, & hodie Turcæ præstant, recessus scilicet & accessus turmarum, quali Romani vtebantur, citra periculum & confusionem in vsum reuocari nequeat: in cuius locum plura agmina ordinanda sunt exiguo interuallo inter se distincta vnde laborantes, vel à fronte, vel à latere subsidium promptè excipere, & qui ijsdem pugnant armis, succurrere suis, & suppetias ferre queant.*

Acies hodie in plura agmina distribui debet.

*Atque ista sunt* χήματα *instruendæ aciei: quibus hæc non sufficiant, consulant licet alios, qui pleniore manu militaria tractarunt; nobis abundè fuit ad intelligentiam aliquot Onosandri Capitum hæc prompsisse. tantum subijciam ex R.P. Contzen rationem pugnandi quâ nunc vtimur multò meliorem firmioremq; esse.*

Acies modo hodierna, prisca esse meliorem. Lib. 10. de Rep.

*Nam Romanæ aciei ars erat prima vt fessi, aut victi velites se in ordines hastatorum, hi in Principum interualla reciperent: nunc verò receptus ille non probatur; sed in locum fessorum alij, atque alij submittuntur. Multoq; prudentiùs id egissent Romani, si ita statuissent, vt si premi vidissent hastatos, submisissent Principes, his Triarios. Nam quòd turbas & ordinum conuulsionem arbitrabantur orituram ex procursu eorum, qui in secundâ tertiâq; acie versantur, non satis attenderunt grauiorem ordinum turbationem ex recessu, & quasi fuga cedentium, aut pulsorum, quā procursu pugnantium, & succurrentium: plus enim rationis, & animi est in pugnaturis, q̃ in fugientibus, cùm antrorsum, pcedant illi fugientes retrorsum. Quin ad animos erigendos, acuendāq; audaciā plus valet stanti, & pugnanti, q̃ cedenti succurrere. Hosti etiā cōfidentia tollitur nostro præliandi modo veterū ordine augetur: cedentibus n. acrior incumbit, stantē timet. Quin & illud obseruandū, tormentorū nostrorū ratione aliū ordinē aciei requirere. Ante aciem enim illa ducenda & magna cura disponenda Hoc sanè constat, si in dirigendis tormentis industria adhibeatur, victoriam esse pronam, de quo suo loco dicam.*

*eo dicam. Fortissimi nunc sclopis vtuntur, illis præcipuè quas* Mosquettas *appellant, & rarò cominus pugnatur, nisi cùm altera pars fugit. Itaq; iaculatores sunt nunc præcipui, & corpus aciei. Priùs autem natura est, vt eminùs quàm cominus pugnetur, hic machinæ & mosquettæ, quæ sunt grauissimæ armaturæ initio explodunt, Olim interdum sagittas illudebant celeri procursu: id nunc fieri non potest: scutis enim & loricis non impediuntur bombardæ. Nunc tormentorum vsus ad latera aliam aciem requirit. Cùm timetur ne hostis circumdet aciem, extendendæ sunt frontes & ad latera disponenda tormenta: inter pugnandum verò contrahenda, & emittenda iacula improuisa. Olim equitatus diffundebatur; nunc continetur, & cautissimè emittitur. Ex quibus quid intersit priscam inter & antiquam militiam ex facili lector videt.*

B. Locorum, copiarumque hostilium. ] *Simile præceptum apud Liuium:* Tuum & hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosce. *Breue monitum, sed permagnæ vtilitatis; cuius etiam Vegetius meminit, cùm dixit difficulter eum vinci, qui de suis & aduersarij copijs, simul etiam de locorum situ & ingenio certò potest iudicare. Hinc* Fridericus *ille* Barbarossa: Noscitandæ hostium vires. Lib. 32. Lib. 8. in pr.

Ardua sollicito lustrabat mœnia gressu,
Spectabat muros, spectabat robora valli,
Quæque locum vasto cingebant aggere fossas,
Quæque viam cœptis facilem fortuna parare
Tuta videbatur, cura, studioque sagaci
Acriter intendens, oculis & mente notabat.

*Quin etiam formam & ordinationem aciei cùm hostilis, tùm suæ attendere par est, quam sibi referri curabit (vt rectè monet Tarduccius,) per Præfectum Castrorum, quò nimirum maturè cum suis deliberet, num iuxta formam relatam instituenda sit pugna, an verò quippiam immutari in ea expediat. De hoc vbi constabit, Ducibus, Tribunis, Centurionibus ac reliquis Officialibus, quem locum capere & tueri debeant, indicet: Cornua regenda committat viris præcipuæ auctoritatis, cuiusmodi sunt Principes & Prouinciarum Rectores: antiquorum Romanorum exemplo, qui seniori Duci dextrum Cornu dare solebant; sinistrum verò, quod minùs curæ & solicitudinis habet, iuniori & minùs assueto; quamuis sinistro nonnunquam summos Duces attributos inueniamus. Tullus enim Hostilius aduersus Fidenates pugnaturus, sinistrum sibi desumpsit Cornu, dextrum verò Metio dedit. Darius quoque ad Arbelam, cùm sibi sinistrum tuendum sumeret, Mazeo dextrum assignauit. Porrò, peditatui & medio agmini alios præficiat: turmis proprios assignet Chiliarchos ac Tribunos qui eis imperent. Hi omnes priusquam ad manus veniatur, edocendi instruendiq; sunt, quomodo in certamine, in subsidio ferendo, in clade denique, atque victoria sese gerere debeant. Legato Imperatoris & castrorum Præfecto certus locus non est designandus: quòd liberè huc illuc vagari debeant, vt periclitantibus succurrant, & decretorum executionem procurent.* Alex. ab Ale. lib. 4. Genial dier. c. 7.

CA-

# CAPVT XVI.

## *Milites suos secundum hostiles copias Imperatorem instruere debere.*

A. COPIAS equestres Imperator non pro arbitrio suo, *sed vt necessitas coget*, ordinabit, & hostium equitatu inspecto, suos equites *contrà*
B. *constituet.*

Eo autem modo disponat, quo instrui solet pugna in Cornu. vt & à fronte, & à latere pugnare possint in ampliore loci spacio expeditiores, & vt cæteri, qui hoc subsequentur, equestri arte vti commodè valeant.

## *NOTÆ* IN *CAPVT XVI.*

Equitum positura. Lib.3. de re milit.c.2.

A. SEd vt necessitas coget.] *Equites nunc ante aciem, nunc in acie stetisse, nunc peditum Cornua cinxisse pro rerum videlicet locorumq́; opportunitate, non ex vno Liuij loco ostendi potest. Igitur libro quarto sic ait:* Dictator dextro Cornu, sinistro Capitolinus intulit signa: ante mediam aciem cum equitatu Magister equitum processit. *& lib, 9.* In aciem procedunt, equitibus in Cornua diuisis. *& lib. 22.* In dextro Cornu Romanos equites locant, dein pedites: læuum Cornu extremi equites sociorum, intra pedites, ad medium iuncti legionibus Romanis tenuerunt iaculatores; ex cæteris leuium armorum auxilijs prima acies facta. *Inde equitum Alæ dictæ, quòd dextra, sinistraq́; tanquam alæ auium pedites ambirent, vt Gellius scribit.* Lib.16.c.4.

Lib.10.

B. Contrà constituet.] *At vbi intereà ipse? Vt nec cum postremis, aut medijs, perpetuò consistere debere docet Scipio Polybianus:* Haud præcedebat ante omnes, id quod nunc Duces faciunt, primum in progressu locum Ducis putantes. Est enim tale quid, quod Duci experientiam, & cautionem adimat. Videtur quidem ab omnibus subditis, ipse verò neminem illorum videt. Haud enim militaris potestatis, sed Imperatoriæ experientiæ pariter, & potentiæ specimen Magistrum equitum præferre: sic vt inter armatos nunc cum primis, nunc cum extremis, aliquando cum ijs qui in medio sunt incedat: id quod Scipio faciebat,

Locus Imperatoris in Castris.

iuxta

iuxta equitans, & cunctos considerans, simulque sicubi hæsitabatur, præmonstrans, & mox initio quodcumque erratū corrigens, id quod modicè ac rarò accidebat propter præcedentem singulorum curam ac diligentiam. *Hoc in Imperatore. quid de Tribuno, vbi ille consistet? Inter Primipilos, inquit Tarduccius: eiq; assistent & adstabunt reliqui Officiales: ipse intereà omnes occasiones prospiciet, & pro re natâ à tergo ac latere imperabit: cuius imperium vicarius à tergo excipiet, & ad reliquos transferet. A latere & in nouissimâ serie, periti quidam & auctoritate præditi Duces subsistent, militibus quibusdam strenuis comitati, quorum munus quosuis trucidare, qui propter aliam, quam hostis occidendi caussam, ordines deserent.*

---

## CAPVT XVII.

### *Leuem armaturam, iaculatores, sagittarios, & funditores, ante agmen esse collocandos.*

LEuis armaturæ milites, Iaculatores, Sagittarios, & Funditores, in primo agminum ordine collocabit. A. Nam si à tergo illi subsistant, plus damni suis, quàm hostibus, inferent, si in medio, inefficax, & nihil erit tota illorum industria: nec recessim cedere poterunt, vt contentis viribus iacula certiùs vibrent: aut si procurrendo conjicere velint, præcedentes socij impedimento erunt: Funditores verò, nec fundam rotare, nec verbera explicare poterunt, tot socijs militibus hinc illinc adstantibus, qui fortè in telorum turbines ipsi quoque incurrent. Sagittarij quidem ante alios dispositi, in hostium corpora, velut in scopum, iacula sua dirigent. At si in postremâ, aut media acie sint, in sublime iaculabuntur, adeoque sursum quidem summâ vi spicula emittent, sed statim in hostium capita remissè, quasi iam confutato impetu decident, nec graviter lædent.

---

## NOTÆ siue DISSERTATIONES
## *IN CAPVT XVII.*

Leuioris armaturæ militum locatio.

A. IN primo agminum ordine.] *Equites nostri sclopetarij veterum sagittariorum vicem sustinent: vnde vt illi, sic etiam isti eminus pugnant, & extra reliquam aciem*

*collocantur; ne si à tergo vel medio consistant, magis suos commilitones, quàm hostem lædant.* Lib. 38. *Quò fit, vt in primo agmine tutò constituantur, ab ijsque pugnæ initium sumatur: solent quippè magno impetu satagere, vt latus hostile affligant, suaq; latera hostibus opposita defendant. Hac aciei constitutione vsum lego Manlium apud Liuium, prælio contra Gallo-græcos:* Lib. 3. Consul, *inquit,* prima in acie locata leui armatura. *Hannibalem quoque aduersus Romanos:* Intentus, & peruigil, *inquit Polybius,* vbi transgressos flumen respexit hostes, locatis ante signa leuis armaturæ militibus, copias in aciem educit, *&c. In primo ergò agmine locabantur, caussis, quas hic producit Auctor. Certè peritissimi nostræ ætatis Duces in eo Romanos imitantur, apud quos certa constat regula, teste Achille Tarduccio, gravioris armaturæ militem, in quo vis & robur præcipuũ ad oppugnandum hostem consistit, in mediam aciem disponendum: quòd ibi hostibus plus quàm alibi nocere possit; quòd nimirum munitus sit à latere; quod firmiùs subsistere, quòd minùs facilè moueri & disturbari, fortiusq; propter coniunctionem resistere queat, si fortè leuioris armaturæ milites à latere eius abscedant. Hi enim vt sese offert occasio, vel in hostem prorumpunt vltrò, vel eius impetum sustinent: quorum tamen partes extremæ, Bombardarijs & Mosquetarijs muniri debent. Sed an semper in primo agminum ordine collocandus miles leuis armaturæ? Negandum. nam & plerumque in Cornibus ponebatur, vel in Vijs ipsis, equitibus intermixtus.* Lib.1.c.20. *Priorem posituram aperit Vegetius:* Funditores, & Sagittarij præcipuè in cornibus locabantur, à quibus pugnandi sumebatur exordium. Iugurth. *Secundam, Sallustius, pugna Metelli contra Iugurtham:* Inter manipulos, funditores, & sagittarios dispertiuit. Kib,2. *Sed prodibant isti, & pugnæ initium faciebant. quod apertè Polybius docet:* Vnà cum eo, quòd Iaculatores prodeuntes è Romanis legionibus iuxta morem iaculabantur. *Hoc nostri deberent imitari, quando loci iniquitas officit equitatui. Distributo enim exercitu in plura agmina, eaq; certis interuallis distincta, vtiliter vel sclopetarij, vel hastati misceri possunt, qui facto ab equitibus impetu, hostem sustinere, arcêre, offendere ex facili valebunt, teste Tarduccio, vt iuuenes dexteritate & agilitate præstantes, à tergo equitum dorsis equorum ferrentur, qui posteà pede presso, vnà cum equitibus decertarent. Cæsar hac ratione acie instructâ cum 1000, suorum 7000. Pompeianorum equitum fudit, si ei credimus de seipso sic scribenti:* Lib.1.Cōment. Ariouisto VI. millia Germanorum equitum erant, totidemque numero pedites velocissimi, ac fortissimi: quos ex omni copiâ singuli singulos suæ salutis caussa delegerant. cùm his in prælijs versabantur: ad hos equites sese recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui grauiore vulnere accepto, equo deciderant, circum sistebant; si quò longiùs erat prodeundum, aut celerius recipiendum; tanta erat horum exercitatione celeritas, vt iubis equorum subleuati, cursum adæquarent: *horum operâ memorabilia edidit facinora Ariouistus, quorum Cæsar prolixè meminit libro I.*

CAPVT

# CAPVT XVIII.

## *De collocatione leuis armaturæ in locis asperis.*

I fortè armis decernendum ſit in locis modò per plana depreſſis, modò collis inſtar adſurgentibus, tunc maximè Imperator leuem armaturam in locis aſperis collocet. At ſi ipſe planiciem occupauerit, & aliquot hoſtiles copiæ in arduis locis conſtiterint, velites erumpere iubeat. Nam faciliùs iſti coniectis telis ſecedere poterunt, & ſi agiles ſint, expeditiſſimè in colles ipſos procurrent.

## *NOTÆ IN CAPVT XVIII.*

*QVàm ſit pugnare volenti vtile locum eligere commodum vnde facilior queat eſſe ho-* Locus
*ſtis oppugnatio, nedum ratio ipſa, ſed vſus etiam quotidianus ſatis teſtatum facit.* commodus
*Nam & priſcos illos qui maximè diſciplinâ militari valuerunt, loci ſemper ingenium at-* ad pugnam
*tendiſſe in confeſſo eſt. Idcircò Vegetio ſcriptum:* Si equitatu audemus, campos debe- eligendus.
mus ambire: ſi pedite, loca eligere anguſta, foſſis, paludibus, vel arboribus impe- Lib.3.c.9.
dita. *Vin' exempla? Hannibal in Romanos Flaminio duce decertans, conſpicatus per op-* Lib.3.Hiſt.
*portuna eſſe ad prælium loca, parare ſe ad conflictum cœpit.* Erat in eo loco, *inquit Polybius,* latior atque vndique circumſeptus campus, qui ab utroque latere per longum altis perpetuiſque cingitur collibus, *&c.* Occupatis igitur anterioribus collibus, in his caſtra locat, vbi ipſe cum Afris modò, atque Hiſpanis conſide-
ret. *cuius loci opportunitate fœlicem illi victoriam obtigiſſe conſtat; fuſo fugato hoſte, quo* Frontin.
*prælio quindecim hominum millia cæſa fuiſſe idem Polybius auctor eſt. Ita Cn. Pompeius* lib.2.c.2.
*in Cappadocia locum eligit editum, quo caſtra metaretur: vnde adiuuante procliui mili-* Poliæn.
*tum impetu, facilè ipſo diſcurſu Mythridatem ſuperauit. Denique Timoleon, cum Syracu-* lib.5.
*ſis aduerſus Carthaginenſes opem ferret, mox vt erat occaſio, collem inſedit, quò factum* Lib.3.
*eſt vt pauci permultos Carthaginenſium fuderint ſuperarintq́. Sic apud Polybium legi-*
*mus Fabium illũ Dictatorẽ,* per loca alta continuè agmen ducere ſolitum, exercitum Tacitus
hoſtium paruo interuallo, quacunque iret, ſequi, opportunos ſemper colles præ- lib.2.
occupare, *&c. Denique Germanicus Imp.* Conſilia, loca, prompta, occulta nouerat, actuſque hoſtium in perniciem ipſis vertebat. *Enimuerò ſi noſtra aut*

Glo.Fran. Fiamel. Quæst. milit. cap.13.

patrum memoriâ Carolus V. Imper. dum ad Cameracum venit Franciscum I. Galliæ regem oppugnaturus, eadem sagacitate valuisset, eademq; vespera quâ illò suppetias laturus appulerat, flumen tranasset & monti, qui Regis abitum impediebat, insedisset, eidem facultatem sese recipiendi in Gallias eripuisset, aut vt minimùm pugnandi copiam cum hoste sibi fecisset, qui longè viribus ab eo superabatur: atque ita non attendens Imperator, alioqui prouidus, ad loci opportunitatem, egregiam sibi elabi passus est depugnandi, & vincendi hostis occasionem. Itaque attendenda loci opportunitas; cùm illius natura plus sæpè prosit, quàm virtus ipsa pugnantium. Marcus Curius, Pyrrhum vicit, phalangem ad angustias trahendo. Ferè id agunt, vt ex edito pugnent: ita Pompeius Mithridatem, Cæsar Pharnacem, Themistocles Xerxem in angustijs vicit paucis, multos. Datames pauco milite plurimos semper deuicit: quia nunquam acie conflixit, quin locorum angustijs clausum hostem teneret. Ita Æmilius Probus, Sertorius Romanorum copias velitationibus attriuit. Hannibal ab vno latere vias præruptas obiecit, & Marcellum prostrauit ad Cannas, amne Volturno pro munimento vsus est. Hoc aptè suo more imitatus est Romanus Hannibal Iulius Cæsar. Dextrum enim cornu, ripis muniebat, quam ob causam, cunctum equitatum, sagittarios, funditoresq; omnes in sinistro cornu obiecerat.

Loci adjumenta.

Lib.3.Ciuil.

Porrò locum aptum multi arte fecerunt. Clemones Lacedæmonius planitiem arboribus impediuit, in quâ cum equitatu Hippiæ erat pugnaturus, eamq; inuiam equiti fecit. Xantippus Carthaginensium exercitum equis & elephantis validam in planitiem adduxit, Romanosq; vicit. Clearchus hostium equitatum foueis excepit derepentè factis. Q. Sertorius scrobibus factis equitatum hostilem afflixit. Rotis etiam curruum humi depressis, catenis, vallo, muricibus castra munienda sunt. Germani dum diuerso loco castra metantur in Galliâ, à Guisijs cæsi sunt. Ventum etiam ad Cannas Hannibal expectauit, & eâ re vicit. Cimbri quoque in Campo Candio conta Marium eodem stratagemate pugnarunt, ijdem Cimbri Solis auxilio vsi sunt, vt repercussu radiorum oculos hostium perstringerent. Verum id paruum præsidium. Luna quoque occidente, Romani bello Pontico sunt adjuti: cùm enim illa à tergo Romanorum iam propè occasum longas vmbras Romanorum iaceret, in eas errore magno Pontici tela consumpsêre. Eumenes, cum equitatu valeret, occupatione locorum hoc effecit, vt in planâ seduceret hostem. Ad alia modò pergamus.

## CAPVT XIX.

### *Relinquenda esse inter ordines interualla, per quæ ferentarij se recipiendo transeant.*

A. Nterjiciantur inter ordines quoq; *interualla quædam*, vt si missilibus conjiciendo absumptis, nihilominus hostes vrgeant, priusquàm manus conferant, possint velites obiecto medio agmine, compositè conuersi, absque tumultu, ad postremos sese recipere

Nec

Nec enim totum exercitum tutò circumire, aut in cornua curuari possent. Nam subitò eos aduersarij pugnâ commissâ anteuerterent, mediosque ita includerent, vt densis militibus vim inferre nequirent, sed potiùs in propria arma impulsi ordines conturbarent, alio in alium incurrente. Leuium autem armorum transuersi in cornua impetus, non leuem hostibus perniciem adferunt: iacula enim è lateribus conjiciunt, & hostium corpora, quæ nuda sunt, feriunt. Sed inter illa arma fundæ pugna præcipua est. *Nam plumbei globuli*, ob consimilem aëri colorem, fundis emissi, oculos fallunt, & improuisi in hostes incautos decidunt, eosque gravi lapsu vehementer affligunt. Telum enim fervido stridore in aëre agitatum, ignescit, & alto inflicto vulnere, in carnem ita penetrat, vt conspici nequeat, tumore vulneris conniuente. B.

---

# NOTÆ siue DISSERTATIONES

## *IN CAPVT XIX.*

A. INteruall̃a quædam.] *Vsum Interuallorum suprà ex Liuio abundè ostendimus. Sed quod spatium inter quodque? Notauit eruditissimus I. Lipsius, Principes ab Hastatis* quinquaginta *circiter pedes remotos fuisse: Triarios ab illis*, centum. *Nam hic Prætor erat, & signa, & Principiorum ipsa forma. Opus etiam profectò tali aliquo interuallo, tum ad procedendum, aut recedendum, & ne agmina miscerentur, tum alijs ex caussis, quos hoc capite Onosander tangit. Iam in directis vijs, aliter atque aliter fuit pro vsu. Si velites (vt sæpè) interiecti, latiusculas fuit oportuit*, pedum xx. aut xxx. *Si non fuerunt sanè* pedum x. *Id quoque pro numero legionum aliter: & vbi hæ multæ, ac quod sequitur manipuli spatia non potuere esse magna: immò fortassis Cæsaris & inferiorum æuo, cùm iam non binæ, sed quaternæ, octonæ, denæ pugnarent legiones, diuisio & interualla facta, non per manipulos, sed per cohortes. Vsus verò viarum istarum, præter quem diximus, iste, quòd in pugna etsi diuisis ordinibus, tamen vnum omnes corpus statim fiebant, cùm opus: & per vias istas iungebant se, disiungebant. Quod prælio Romanorum & Latinorum, quo Decius Reipub. saluti se deuouit, ex Liuio ostendit vir multiformi doctrinâ eruditus Scipio Amiratus, vbi* ab læuo cornu Hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum, se ad Principes recipere, *hoc est, inter ipsorum interualla ex Hastatis & Principibus vnica facta est acies. Adnotentur autem illa Liuij:* Nam & Rorarij* procurrebant inter Antepilanos, addiderantque vires Hastatis ac Principibus: *hoc est, inter duas acies ante signa constitutas; idq; forsitan non quia ipsi signis carerent, sed quia post ipsos nullum præter illa signum fuerat. Triarios verò adhuc immobiles, sinistro crure porrecto, stantes Consul excitaturus erat, sed integros eos ad vltimum*

[Margin notes: Interuallorum symmetria. Lib. 4. de Militia Romana. — Vsus interuallorum. — Lib. 11. Diss. — Liu. lib. 8. — *Rorarij, inquit Festus, qui è leuiarma-]

tura primi prælium cõmitte-bant, ꝙ ut ante imbrẽ fere rorare solet, sic il-li ante gra-uem arma-turam pro-dibant. vide Alex. ab Alexan-dro Genial. dier.lib.6. cap.22.
* Accensi, milites et-iam erant leuis arma-turæ. de quibus i-dem Festus & Alexan-der. d.lib.8. in.P.Æmil. Iugurthæ.

*timum discrimen reseruans.* Accensos * ab nouissimâ acie ante signa procedere iubet: *Latini credentes à Romanis Triarios immissos fuisse, Triarios suos excitauerunt, qui aliquandiu pugna atroci fatigati, debellatum iam putabant, cùm Romanus Consul Triarios, qui integri ac recentes nutum expectabant, iussit consurgere. In quo tria notentur. primò,* inter Triarios recipi in interualla ordinum Antepilanos: *vbi necessariò dicendum est, Antepilanos eosdem cum Hastatis & Principibus esse, & inde eius nominis originem deriuari. Secundò, clamore sublato, prœlium eos redintegrasse. Tertiò, hastis ora hostium petijsse. Id Liuio clarè docetur, dum inquit:* Vbi Triarij consurrexerunt, integri refulgentibus armis, noua ex improuiso exorta acies, receptis in interualla ordinum Antepilanis, clamore sublato Principia Latinorum perturbant: hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso, per alios manipulos vel inermes propè intacti euasère. *In hoc autem postremo tria adhuc consideranda sese offerunt: Triarios, vt verisimile est, hastas suas non proiecisse, sed manu ijs retentis hostem more nostro pepulisse. Quod si ita habet, quærat quis, qui hasta simul & scuto vti possent, quæ secunda est consideratio. Soluit Plutar. dicens, Triarios scuta in humeros reiecisse, vt olim Macedones, dum phalange Romanas acies perturbabant; vtque hodie Galli equites minora sclopeta postquam exploserunt humeris appendentes, gladios distringunt. Tertium est, quod cùm Romani Triarij Latinos Principes adorti essent ( ex quo perspicitur, etsi iam conserto prœlio Latinos in ordinibus suis permansisse ) primum robur virorum prostrauere, multaq; cæde per alios manipulos propè intacti euasere, cùm priùs dixisset,* Latinos Triarios fatigatos, & hastas aut perfregisse, aut hebetasse.

B. Nam plumbei globuli.] *Glandes intelligit quod vides, quæ è fundis in hostem mittebantur, Sallust.* Pars eminus glande, aut lapidibus pugnabant. *eoq; impetu iaciebantur, vt in corpus penetrarent, vt præter Onosandrum Liuius docet lib.* 38.

---

# CAPVT XX.

## *Quo pacto hostes aggrediendi sint abundantes leui armaturâ, quæ fortè deficit Imperatori.*

A. SI leuis armaturæ subsidio Imperator deficiatur, eoque *hostes polleant*, tunc primi denso agmine consistant, clypeosque habeant, ad humanæ staturæ modum oblongos, quibus totum facilè corpus obtegatur: & quotquot deinceps vsque ad postremos erunt, clypeos huiusmodi supra caput extendant, quandiu intra telorum iactum manebunt. Sic enim quasi imbricibus tecti, nihil ab telis damni perpetientur.

petientur. Sin vtrique exercitui præstò sint velites, primi, antequàm ad manus tota acies veniat, coniectis eminus telis inter se decertent, aut in ipso agminum congressu hostium latera petentes telis suis vtantur. Huiusmodi enim concertationibus compellent eos in angustum nec sine magno tumultu.

---

# *NOTÆ IN CAPVT XX.*

A. HOstes polleant.] *At, qui scias, leuinè armaturæ abundent è Velitationibus & leuibus prælijs. Ita Antonius Primus apud Tacitum, de bello in Vitellium administrando consultans, stationes hostium irrumpit*, tentatisque leui prælio animis ex æquo discessum. *Sic Cæsar, qui præstantißimorum gloriam, teste Suetonio, aut æquauit aut excesßit, antequam exercitum aduersus Belgas duxisset & manum cum hoste consereret*, quotidie equestribus prœliis, *vt de seipse testatur*, quid hostis virtute posset, & quid nostri auderent periclitabatur. *Curet itaque Dux, vt leuibus prœlijs hostem tentet, priusquam confligat, Scipionis & Asdrubalis etiam exemplo, de quibus latè Liuius. Nam perinde vt hostem validum deprehendet, sic bellum geret; si enim inferiorem, maturabit; si verò superiorem, moram interponet: quod præcipuum Ducis munus esse lib. 18. & 19. Diss. polit. abundè ostendit Scipio Amiratus.*

Velitationibus tentandæ hostium vires.
Lib. 3. Hist.
Lib. 2. de bell. gall.
Liu. lib. 28.

---

# CAPVT XXI.

## *Non esse in nimiam longitudinem extendendum agmen, metu hostilis circumuentionis.*

IMP. etsi ne ab hostibus circumueniatur, maximè cauere cupiat, non ideò tamen in tantam latitudinem, phalangem extendat, A. *vt imbecillis omninò tenuisque sit.* Hanc enim citò perrumpere incipiperent hostes, viamq; sibi vi & impressione facerent; nec iam B. cornua circumdare, *sed disiectis medijs copijs*, terga aduersariorum opprimere tentarent. Istam verò cladē non solū curet euitare, sed etiam conetur inferre, si inualidā & exilem esse animaduertat hostium phalangem. Sed nec etiam prostremos ordines in multam densitatem ita contrahat, vt facilè circumuenientibus hostibus intercipi possint. Immò eos qui agminis caudam, &

cornuum

Cornuum latera tutabuntur, non minùs obfirmet, quàm si in primâ acie primi consisterent. Nec enim minùs qui in postremis ordinibus sunt, circumuenientes hostes dissipant, quàm qui ad Cornua extenduntur, si quidem Imperator futurâ mente præcipiens, aut vltimum agmen explicare voluerit, & insuper phalangis Cornua vtrinque promouere, ita vt postremi aduersus hostium frontem consistant: aut iusserit, vt, si iam fortè ab hostibus circumuenti sint, ob terga præcedentium terga obuertant sua, pugnaque decertent ancipiti. Solers quidem ille censebitur, qui permultos hostes cernens, exiguâ manu periclitaturus, operam dedit, eligendis obtinendisque ijs locis, in quibus propter amnicum supercilium acie instructa, montium ipsorum auxilio, Cornua includere volentes excludat, paucis in eminentioribus iugis collocatis, ad hostes arcendos, ne ascendere, & supra militum suorum capita esse possint. Ad hæc autem negotia, non solùm Imperatoris prudentia valdè confert, sed etiam Fortuna. Talia enim loca fortuita esse necesse est, nec Imperator ea pro arbitrio præparare potest. Erit tamen eius considerare quænam meliora, & commodiora erunt: Etenim qui ingentes numero ducunt exercitus, sæpè acie in Lunæ figuram instructa progredi solent, rati, vt hostes quasi prouocati pugnâ, ita vt vir virum legat, implicata, decertent; & hoc modo semicirculari progressu sensim curuato, ambobus Cornibus mutua coniunctione in circulum coëuntibus, circumscripti teneantur. Sed
C. contra hunc dolum pari figura non eundum erit: *immò tres in partes* distribuendæ copiæ, ac duas quidem Imperator hinc illinc hostium Cornibus objiciet; tertium verò in Lunatum eorum sinum immittet, & contrà stando firmiter obnixo gradu vrgebit. Vndè fiet, vt si in circulari figura permanserint, qui in media phalange erunt, nihil agant: aut si accedendo ad anteriora progredi turmatim voluerint, & semicirculum rectà extendere, sese tùm inuicem elidant, & ordines dissoluant. Fieri enim nequit, vt manentibus suo loco militibus, pugnantibusque in Cornu, dimidiatus ille circulus, in rectam seriem perueniat. itaque conturbatis, disiectisque ordinibus, tertia, & subsidiaria suorum diuisione, irruptionem faciat in eos, qui de medio illo fornice in anteriora tumultuariè ferentur. Sin curuati, & fornicati cõsistant, ijs velites & ferentarios opponat; missilibus enim nec leuiter affligentur. Benè etiam Imperatori succedet, si toto agmine obliquo, limis ictibus, hostilem vtramque lunati exercitus partem feriat: sic enim hostes, dum manum totis copijs conserere diù prohibentur, paullatim altero tantùm Cornu depugnante, comprimuntur; primi quoque necessariò pugnæ sese immiscebunt, obliquo, & transuerso
D. impetu coacti. *Nec etiam de nihilo erit*, ex aduerso instructa acie, pedem sensim, quasi metus caussa referre, aut conuersis ordinibus fugæ speciem recedendo exhibere, & mox quasi reparata fronte, insistentibus hostibus obsistere. Interdum

dum enim illi præ gaudio veram esse fugam rati, solutis ordinibus aduersarios vrgent, ac turbidè alij ante alios procurrunt, quibuscum tunc decertare minimè periculosum est. Illi enim, resistentibus præter spem aduersariis, præteriti, fugam statim facient, qui alios olim insequebantur.

---

# NOTÆ; siue DISSERTATIONES.

## IN CAPVT XXI.

A. VT imbecillis tenuisque sit.] *Achilles Tarduccius libro cui titulum fecit, Turca vincibilis, hanc regulam egregiè examinat. docetq́; quoad longitudinem primæ frontis aciei & latitudinem laterum, duas esse opiniones in acie disponendâ. quarum prior est existimantium aciem quadratam plurimum excellere; in quâ scilicet totidem milites in lateribus collocentur, quot in primâ fronte consistunt. altera, sentientium quadraturam hanc ratione soli considerari: vt pediti scilicet in fronte spacium trium pedum, à latere septem attribuant. Quæ aciei forma, ob quadraturam æquilaterum elegantior, & quod maiorem pugnantium numerum & copiam referat priori commodior videtur: Iuxta illam 1000. milites in 31. seriem distribuuntur, quarum quælibet 31. militem contineat; Iuxta hanc 49. à fronte & 20, à latere ponuntur, quæ quidem dispositio alterâ proculdubio præstantior est: nec tamen adeò frequens vt certa regula de eâ tradi possit, consideratis circumstantiis, numero videlicet hostium, temporisq́; & loci, quæ omnia diligenter sunt consideranda. Verbi gratia, si exiguam militum manum, vtpura 30. aut 40. continentem foras mittere cupis, satius erit (quò maior appareat militum numerus) in longitudinem eos disponere. Deinde, si cum peditatu decertandum, operæ pretium erit, vt quadratum agmen in plures diuidatur turmas, easq́; in longitudinem disponendas, quibus vndequaque peditatus aggredi queat. At, vbi numerosæ hostium copiæ apparent, putarim equidem quadratam aciem præferri:* quòd tutissima semper sit, & valida, *teste* Thucydide, aduersus hostiles irruptiones ista aciei densitas. *secundùm quam formam, si Galli agmina sua superiori ætate, in expeditione contra Genuenses disposuissent, tantam cladem cùm existimationis suæ iactura non reportassent, teste Guicciardino. Eosdem etiam Gallos hac aciei constitutione diversis prælijs cæsos fuisse à* Carolo V. *Imperatore docet Dominus* de la *Noue in dissert polit. & militaribus, vbi multis rationibus ostendit quadratum agmen, producto & longo multis parasangis præstare. Verum, aduersus* Turcarum *aciem inermem & factuosam, multò longiora agmina constituenda censet idem* Tarduccius, *vt scilicet à fronte plures, à latere pauciores pugnent: ideoq́; nec quadratura vel soli, vel armatorum consideretur. In Belgio vbi exercitus rarò* 15. *vel* 20. *millia hominum excedunt, agmina*

De longitudine & latitudine aciei.

Lib. 5.

Dissert. 15.

500. *lancearijs vel equitibus constant; totidemq; in Hungaria cõtra Turcã, aciem 6000. vel 8000 militum sufficiant: maximè cùm non Romano more, vnâ acie, sed distinctis per interualla agminibus pugna ineatur. Quocirca summa ratio ineunda à Ducibus belli, vt acies pro numero sui & hostilis exercitus, proq; temporis & loci circumstantiâ disponantur. verè enim dixit prudens ille Romanæ militiæ scriptor*, Si acies sapienter disponatur, plurimum iuuare; sin imperitè, quamuis optimi bellatores, malâ dispositione frangi.

Veget. lib. 1. cap. 14.

Lib. 2. c. 3.

B. Disiectis medijs copijs.] *Huic autem malò vt occurratur, expediet iuxta consilium Tarduccij Frontino depromptum, aggeres ad latera aciei ad frontem vsque excitare, eosque machinis impositis munire: quo quidem munimenti genere Sylla & Cæsar non semel vsi sunt: Alij copijs diuisis ad vtrumque latus subsidiarios in excubias posuerunt: alij denique cornua & alias in lateribus duplicarunt, & plures copias, quam in mediâ acie erant, eò loci collocarunt, vt necessitate sic vrgente extendere eas, & latiùs explicare possent. Quidam postremò ob paucitatem militum pugnæ locum idoneum elegerunt; cuius opportunitate (vel quod præruptus esset, vel syluis, montibus, fluvijs, aut paludibus munitus) vnum è duobus lateribus à vi hostili defenderetur: quod in pugna Pharsalica & contra Antiochum aliosq; plurimos fœliciter cessisse scimus.*

C. Immò tres in partes.] *Ita vsi Romani in pugnâ Cannensi contra Hannibalis aciem lunarem: quem haud dubiè profligassent, nisi Asdrubal loci opportunitate dextrum Romanæ aciei Cornu afflixisset: cuius pugnæ pleniorem narrationem petat, qui volet ex Polybio, Liuio, & alijs: hanc autem Romanorum aciei constitutionem quam ex vsu rei militaris sit, aduersus Lunares Turcarum acies, vsurpare, nemo non videt.*

D. Nec etiam de nihilo.] *Numidas hunc in modum pugnare solitos docet idem Polybius lib. 3. Histor. His consentanea sunt quæ suprà scripsimus cap. 11.*

---

# CAPVT XXII.

## *Habendos esse seorsim delectos, qui fessis, & laborantibus opem ferant. Habendas in occulto insidias.*

A. DEt operam Imperator, vt *selecti aliquot milites* seorsim extra agmen clanculùm collocati, tanquàm subsidiarij, inclinantem exercitus partem, prompti illicò paratique ope suâ erigant. Atque aliàs etiam non parum iuuabunt, qui integris viribus adorientur fessos. Nam & suos simul iam fatigatos recreabunt, & hostes jam fractos, ac languidos alacres ipsi vrgebunt. Hinc etiam maior existet vtilitas, si quando Impe-

Imperatori videbitur spatio, remotæ ab exercitu copiæ aliquot clàm hostibus relinquantur, vt commisso iam prælio, id quod à speculatoribus facilè renunciabitur, erumpant, inque hostes totis viribus impetum faciant. Quod tùm maximè vsurpandum erit, cùm sperata auxilia per tempus non subuenient. Hostes enim rati auxiliares istas aduersarijs copias aduenisse, fortean priùs in fugam se conjicient, quàm immiscuerint sese acies; maiorē hostium, quàm revera sit, multitudinem adventare existimantes. Ac præsertim quidem, si improvisi appareant hostes, adversariorum animi percelluntur. Suspicantur enim gravius quidpiam se perpessuros, proindeque terribiliora sibi ventura pericula proponunt. Omninò autem terrificum erit, repentinâ in eos à tergo irruptione ferri: &, si fieri possit, noctu cohortes aliquot præmittere, vt circumdatis hostium copiis à tergo consistant, & mane pugnâ iam commissâ, ex insidiis *postremum hostium agmen* adoriantur. Ita enim ne in fugâ quidem spes vlla salutis illis supererit, qui *nec retrò se conuertere* poterunt, propter oppugnantes ex aduerso; neque in aduersos hostes ire, propter eos qui terga vrgebunt, ac prement. B. C.

---

## *NOTÆ IN CAPVT XXII.*

A. Electi aliquot milites seorsim.] *Subsidiarios intelligit, quod vides: quos, si inclinaret acies, vel subitus aliquis casus interueniret, defessis iam & tantum non cæsis, ocyùs submitteret Imperator. Itaque bono instituto Romani, post singulas acies, vt antè diximus, certa ponebant subsidia, id quod Liuius ostendit, de Hetruscis loquens:* Quia nullis, *inquit*, recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa circaque omnes ceciderūt. *& alibi:* Fessos iam suos Cōsul ex secundâ acie subsidiariis cohortib⁹ inductis accendit. *& de C. Sempronio consule alibi ait eum* incautè inconsulteque manum cum hoste conseruisse *vtpotè* non subsidiis firmatâ acie, non equite aptè locato. *Atque hic mos ad Agricolæ æuum permansit, qui haud dubiè in Britannia cæsus profligatusque fuisset*, nisi id ipsum veritus, quatuor equitum alas ad subita belli retentas venientibus opposuisset.

Subsidia habenda.

Lib. 9.

Lib. 34.

Tacit. in eius vita.

*Certum itaque sit, & exploratum documentum ad victoriam plurimùm conferre, imò necessarium vt lectissimos de peditibus & equitibus habeat Dux post aciem in subsidiis præparatos. Subsidiarij autem Ducis munus est, inquit Tarduccius, diligenter inquirere, quæ gerantur eâ parte aciei, cui substitutus est; deque successu prælij cum militibus; insuper hortari eos & incitare, vt præsenti animo & hilari fronte tempus prælij exspectent; tùm firmiter coarctatis ordinibus cum graui & audaci incessu (qui magnanimitatis speciem præ se fert) proximè ad latus eorū qui recedunt, copias promoueat, priusquā in plenā auertantur fugā, quæ vtrisq; terrorē maximū solet incutere, & fugientes animū protinus*

Lib. 3. c. 17. Officium Ducis Subsidiariorū.

*despondent, ordines deserunt, nec facilè Ducum imperio parent.* Marcellus *ab Hannibale cæsus & fugatus fuit, quòd lentè subsidio veniret laborantibus: quibus in fugam coniectis cum reliquo exercitu vim hostilem solus sustinere nequiuit. Nec eâ tamen lege Subsidiarij adstringendi, vt nullis alijs præter sibi commissis auxilium ferant, quinimmò vbi necessitas postulat, ex consilio Imperatoris vel aliorum suorum Ducum pro aciei successu, aliò transferri possunt. Tum infinita alia stratagemata in variandis & immutandis aciebus ipso prælio durante; nunc equitibus peditum vicem supplentibus, atque alia eiusmodi adhiberi possunt, quæ etsi exigui momenti esse videantur; maximum tamen pondus sæpiùs ad clarissimas victorias contulerunt.*

Lib.3.c.17. B. Postremum hostium agmen.] *Ad rem Vegetius:* Ad victoriam plurimum refert, vt lectissimos de peditibus (benè armatos) & post aciem in subsidium præparatos habeas. *Caueant tamen quorum res agitur ab externis auxilijs, quæ plerumque sunt exitiosa ijs quibus opem ferre debent. Hinc Carthaginenses primo bello Punico à Celtis socijs, quibus contra Romanos vsi fuerant, plus damni acceperunt, quàm ab ipsis Romanis. Ita Hispani potiti sunt Siciliâ & Regno Neapolitano accersiti contra Gallos: sed Hispani oppressis incolis & exclusis Gallis regnum Neapolitanum & Siciliam sibi subiecerunt. Cogitent nationes quæ domesticis dissidiis inter se certant, ne idem illis, si exteros aduocent, eueniat: sed & considerent fabulam Vulpis & Erinacii, hoc obiter.*

Pro Roscio Amer. C. Nec retrò se conuertere.] *Huius stratagematis non nescius fuit M. Tullius.* Solent, *inquit*, hoc boni Imperatores facere, cùm prælium committunt, vt in eo loco quo fugam hostium fore arbitrantur, milites collocent, in quos, si qui ex acie fugerint, de improuiso incidant.

---

# CAPVT XXIII.

## *Vtile esse in ipso conflictu Imperatorem fausta & læta militibus inclamare, etsi ea falsa sint.*



A. IMperator interdum expeditus in equo, si in dextro suorum cornu sit, exclamet: Milites, qui in læuo sunt, dextrum hostium cornu vincunt. Si in sinistro sis, dicat superiores esse in dextro, siue id ita verè fiat, siue secus. *Necessarium enim mendacium* dici oportet, certamen vbi existit ingens. Item si longiusculè dissitus sit hostium Dux, aut in altero cornu, aut medio agmine versetur, rursus vociferari debet: Occubuit hostium Imperator, siue ille rex, siue quo aliocunque nomine vocetur. Et hæc contentâ voce ita proferenda sunt, vt hostes quoque exaudire possint.

possint. Commilitones enim, qui suos virtute bellicâ præstantiores hostibus esse audiunt, duplo fortioribus, ac promptioribus animis roborantur, contrà hostium vires, strage suorum percepta, metu debilitatæ concidunt. quin & *aliquando ad huiusmodi rumorem* illicò in fugam sese dant. B. Tantum persæpè vtilitatis adfert suos, & *hostes iuxta decipere*; illos quidem fausto, istos verò luctuoso C. mendacio.

---

# *NOTÆ IN CAPVT XXIII.*

A. NEcessarium mendacium.] *Mendacium nos Christiani ab actionibus humanis secludimus: simulationem recipimus, quam virtute & Religione saluâ vtiliter ob nostram & aliorum salutem admitti posse, vel sancti ipsi viri asseruerunt,* D. Hieron. cap. Vtilem 22. q. 2. *At quantò magis in bellicis? in quibus* parua sæpè momenta, *vt Liuius inquit*, in spem metûmque militum impellunt animos. *Itaque vtile interdum erit. Imperatorem si in dextro cornu aciei sit, inclamare milites in sinistro cornu existentes dextrum hostium vicisse; si in sinistro sit, dicat superiores esse in dextro; adhibita scilicet licitâ restrictione mentali, æquiuocatione, aut facti dissimulatione. Sic licet hoc modo vanos etiam rumores spargere, quibus vel nostri excitentur vel hostes percellantur, super quâ re consuli possunt Theologi inter quos P. Layman lib. 4. tract. 3. cap. 3. Lessius de Iustitiâ & Iure, & alij.* Apud veteres nihil frequentius his vaframentis. Valerius Læuinus *aduersus* Pyrrhum, *occiso quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui vtrique persuasit,* Front. lib. 2. cap. 4. Pyrrhum *interemptum vnde hostes destitutos se Ducis morte credentes, consternati hoc dolo, pauidi in castra se receperunt. Cauendum tamen ne frequenter istis simulationum fallaciis exercitus aspergatur. Id quod Cyrus Rex monet apud Xenophontem:* Ην πολλάκις προσδοκίας ἐμβαλὼν ψευδηταί, τελευτῶν οὐδ' ὁπόταν ἀληθεῖς ἐλπίδας λέγη ὁ τοιοῦτος, πείθειν δύναται: Si quis crebrò bonorum expectationes inijciens fefellerit, vir huiusmodi ne tum quidem potest persuadere, cùm spem veram attulerit.

B, Ad huiusmodi rumorem.] *De Germanico Tacitus*: Hos vulgi sermones auditâ mors adeò incendit, vt ante edictum Magistratuum, ante Senatusconsultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia, & gemitus, &c. 2. Annal.

*Nec mirum*

——————— Nam:

Accumulat crebros turbatrix fama rumores. Papin. 4. Theb.

*Itaque, si crebro assumantur, fidem non facient eiusmodi sutelæ, quod accidit Maximiliano Austriaco ad Biciniam in Silesiâ cum Zamoscio decertanti: nam cùm videret suos nimium trepidare, non poterat persuadere, quibus toties recentia auxilia apud Craconitam*

 *frustrà*

*frustra promittebat, vt impetum paucorum Polonorum tantisper sustinerent, donec Hungari aduenissent, qui iam reuerà in proximo octo millia equitum fuerant, sed clade Germanorum auditâ, statim diffugerunt, metuentes periculum simile quale acciderat Austriacis paucos ante dies auxilium à Maximiliano apud Cracouiam decertanti expectantibus, qui tandem à Gabriele Holubcone Cosachorum Ductore apud Rabstiniam cæsi omnes fuêre, vt totidem verbis refert D. Starouolscius.*

Lib. 4. de Re milit.

C. Hostes iuxta decipere.] *Licito quo iam diximus modo: nam iuxta communem Theologorum scholam omne mendacium & fallacia, illicita sunt, vt ostendimus quoque suprà lib. 2. Aphorismorum cap. 14. sed hæc ridebit quispiam laxioris manicæ, qui dicet: Si per fraudem euertuntur Regna, quidni tu eadem ratione conserues? semper viri sagacis officio fungitur qui hominum consulit vtilitati: sed hæc impia & scelerata est ratiocinatio; saltem apud Christianos. Strategemata pleraque recipiuntur, quæ fallaciis propiora non sunt. Veluti illud Periclis, qui vrbem obsidens, excitato ad vnum vrbis latus tumultu, alterum præsidiis nudatum, summis viribus inuasit, vrbemq; occupauit.*

Front. lib. 3.

# CAPVT XXIV.

## *Familiares cum familiaribus, & notos cum notis, ordine esse collocandos.*

A St etiam prudentis Imper. ordines ita disponere, *vt fratres cum fratribus*, amici cum amicis vnà sint. Quum enim, qui in discrimine versatur, proximus illi est, à quo diligitur, tunc necessariò euenit, amicum pro amici salute audaciùs depugnare. Pudet quippè gratiam benemerenti non referre; & socius socium deserendo, si prior in fuga esse videatur, erubescit.

# *NOTÆ IN CAPVT XXIV.*

De leg. Adstent in acie propinqui propinquis;

A. FRatres cum fratribus.] *Obseruauit hoc quoque diuinus Plato: Neque enim, inquit, si equorum & belligerantium multitudo adsit, neque si alia vlla potentia præ manu sit, maioris sit ponderis ad militarem vsum; quam si amici amicis in acie iungantur. & Xenophon apertè testatur non esse phalanga validiorem, quàm cùm fuerit ex amicis so-*

*cũ sociis cõgregata. subijcitq́; rationem hanc:* Ἐν γὰρ τῷ γιγνώσκεσθαι, καὶ τὸ αἰσχύνεσθαι πᾶσιν ἔδοκει μᾶλλον ἐγγίγνεσθαι, τοὶ δὲ ἀγνοούμενοι, ῥαδιουργεῖν πῶς μᾶλλον δοκοδόιν, ὥσπερ οἱ ἀν σκότη ὄντες : In mutua enim notitia innaſcitur magis omnibus verecundia, qui autem ignorantur, videntur procliuiores quodammodo ad deſidiam, tanquam verſentur in tenebris. *Quò fit, vt Plutar. Sacram Thebanorum turmam, quæ aliter Amicorum turma nuncupabatur, inuincibilem iudicarit, cauſſa iam dicta. Vnde admodùm hìs temporibus expediret, ſi ſocietates militum, quas Hiſpani* Camarades *nuncupant, vnà collocarentur: ſi etiam ſingulæ nationes, ſuis conſtarent agminibus,* vt ſic diſcretus labor, fortes ignauoſque diſtinguat, atque ipsâ contentione decoris accendantur. *Certè, hoc fine olim Germanos per familias & propinquitates cuneis acies inſtruxiſſe auctor eſt Alex. ab Alexandro.*

amici, amicis. Lib. 2. Cyripæd. Tacit. li. 3. Hiſt. Lib. 3. Genial. dier. cap. 7.

*Diſsimilitudo etiam facilè ſeditiones concire poteſt, cùm ſub vno Rege ſunt diuerſæ nationes, quarum alias aliæ ferre nequeunt. Quod Clazomenis & Athenis factum memorat Ariſtoteles. Noſtro etiam tempore frequenter vidimus exercitus ex variis nationibus collectos inter ſe tumultuari. Vidimus & Vrbes clariſsimas exterorum ſeditionibus agitari. Aquiſgranum præcipuè; Belgæ inſuper, quorum plerique errorum, & rebellionis cauſa, patriâ exceſſerant exercitati iam bellis ciuilibus, turbauêre omnia, pulſis pleriſque in locis incolis Catholicis. Idem VVeſaliæ, & Bremæ fecêre in ordinem redactis Lutheranis. Si hoc in Vrbibus, an non etiam in Caſtris? Maior quidem ſanè cautio Imperatori adhibenda, ne Duces inter æmulatio oriatur propter præcedentiam, vt recepto verbo vtar. Ideò Nero Policletum Libertium in Britanniam miſit,* vt legatum & Procuratorem diſcordantes conciliaret, *inquiente Cor. Tacito. Nec infrequenter accidit, vt quò minores ſunt Duces, eò maiores ſint diſcordiæ,* quòd minoribus maior interdum æmulandi ſit cura. *Remedium afferunt nonnulli, vt non pares, (inter quos facilè ſuboriri poteſt diſcordia) ſed dignitate & titulis diſpares mittantur, quod facile eſt factu in vnâ gente; at in diverſis contrà. Quid aliud ſuperioribus annis glorioſæ victoriæ curſum de Ottomanicâ claſſe in bello ſociali retinuit, niſi diſcordia Venetorum & Hiſpanorum? qui quidem ſi concordes tum fuiſſent, actum eſſet iam de Turcarum imperio. Ecce igitur fructus æmulationis,*

Duces ſint inter ſe cõcordes. Lib. 13. Idem lib. 20.

——————— cuius fidiſſima nutrix
Ambitio, quæ veſtibulis foribusque potentûm
Excubat, & pretijs commercia poſcit honorum
Pulſa ſimul.

Iuuenal.

*Quò minùs laudare poſſum opinionem nonnullorum qui cenſent expedire Principi inter ſubditos priuatas ſerere diſcordias: nam vſus docet illas exitio eſſe & Principi, & Reipublicæ. ſuper quâ re fuſius diximus ſuprà lib. 5. Aphoriſ. cap. 6.*

CA-

# CAPVT XXV.

## *Imperatorem signa pugnæ, aut rei alterius, non per seipsum, sed per Duces suos dare debere.*



Andata omnia, signa, tesseras dari oportet per ordinum ductores. Obeundo enim mandata cuique nuntiare, priuati & imperiti hominis est; & ita singulos admonendo tempus absumitur, ac tumultus quoque suboritur, percuntantibus ex sese inuicem omnibus. Iam hic addere aliquid Imperatorijs præceptis, ille per A. ignorantiam nonnulla detrahere. *Dari* igitur *mandata debent primis Ducibus*, qui mox proximis sibi nuntiabunt, isti quoque ijs qui post se, cæterique pariter deinceps sequentibus; donec vltimi, quæ primi sciuerunt, hoc modo resciuerint. Sic enim omnia tam celeriter decenterque ac placidè cognoscentur, quàm si facibus à custodiâ sublatis signum aliquod daretur. Illic enim vbi primus facem extulit, statim alter ab illo ignem quoque suum suscitat, & deinde tertius quarto, & quintus sexto index facillimè est, eaque ratione quod primi significare voluerunt, per multa stadiorum spatia manifestum fit.

## *NOTÆ IN CAPVT XXV.*

A. DAri mandata debent primis Ducibus.] *His lucem dant illa Liuij de Paullo Æmilio loquens:* Vt ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque Ducis fierent, prouidit. Vbi omnibus simul pronunciaretur quid fieret, neque omnes exaudirent incerto imperio accepto, alios ab se adijcientes plus eo quod imperatum sit, alios minùs facere clamores, deinde dissonos oriri omnibus locis, & priùs hostes, quàm ipsos quid pateretur scire. Placere igitur Tribunum militum Primipilo legionis secretum edere imperium, illũ & dein singulos proximo cuique in ordine Centurioni dicere, quid opus facto sit: siue à primis signis ad nouissimum agmen, siue ab extremis ad primos perferendum sit. *Quibus Liuij verbis non dissonant illa Polybij:* Equites verò *(Decuriones equitum)* & Centuriones cum primâ luce veniunt ad tentoria Tribunorum, Tribuni ad Consulis, *(salutaturi se, & mandata accepturi)* atque ille quidquid agendum Tribunis edicit: Tribuni, equitibus Centurionibusque: isti, vulgò militum cùm tempus cuique rei venit.

Lib. 44. Mandatorum forma.

Lib. 6.

CA-

# CAPVT XXVI.

## *Addi debere ad tesseram alia quoque signa.*

SIgnum illud quòd *præter tesseram* dabitur, voce pronuntiari non debet, sed corporis motu exprimi, vt manus nutu, gestu, aut armorum collisione, aut hastæ inclinatione, aut ensis coruscatione; vt coorto aliquando tumultu non solùm pronuntiatæ tesseræ credant milites (illam enim hostes quoque audiendo accipere possent) sed *aliquod adhuc signum exspectent*. Quod etiam magnoperè iuuabit alienigenas diuersæ linguæ socios: qui enim extraneam linguam nec effari, nec intelligere poterunt, hoc ad tesseram addito signo, socios amicosque ab hostibus facilè discernent. Dari etiam debent hujusmodi signa militibus in castris, etsi pugnaturi non sint, scilicet ad euitandas incertas seditiones ac trepidationes.

A. B.

## *NOTÆ IN CAPVT XXVI.*

A. PRæter tesseram.] *Tesseram suprà diximus Tabellam fuisse, in quâ mandatum Imperatoris continebatur: cuius meminit Virgil.* Classica iamque sonant, & bello tessera signis. *Ammianus Marcell.* Per tesseram edicto itinere. *Pomponius in lib. 2. de Orig. iur. Q. Fabius, qui missus ad Carthaginenses Legatus, cùm essent duæ tesseræ positæ, vna pacis, altera belli, arbitrio sibi dato vtram vellet deferre, vtramque sustulit, & ait Carthaginenses petere debere vtram mallent accipere. Cæsar apud Hirtium:* Neque, vt mos ipsius superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, vt in tempore ijs perlectis locum certum peterent vniuersi. *Itaque per tesseram edicebat Imperator militibus in quam diem vel horam parati esse deberent ad pugnam.* Liuius: Romanus Dictator lætus ad milites iam arma, ad propositum pugnæ signum, sicut editum erat, luce primâ cupientes processit. *& lib. 9.* Consul extemplo tesseram dari iubet, vt prandeat miles, firmatisque cibo viribus arma capiat. *item lib. 28.* Tesseram vesperi per castra dedit vt ante lucem viri equique pransi essent: armatus eques frenatos stratosque teneret equos. *Sed & tessera ad Vigilias spectabat, & erat tabella, in qua Imperator symbolum scribebat. Statius:*

De Tesseris. Lib. 7. Æn. Lib. 21. Bell. Afr. Lib. 6.

——— Dat tessera signum

Lib. 10. Excubijs, positæque vices.

*Itaque siue de his, seu de illis loquatur Auctor, prudenter suum Imperatorem monet, vt præter tesseram signum quoq; aliud præscribat, sed παρασύνθημα non vocale, idq; propter alienigenas patrij sermonis expertes. Hæc ratio tesserarum certior, quàm nostra hodierna, teste Lipsio. In omnes saltem insusurramus, quã facile lapsu aut veniâ si neges intelle-* Lib. 5. de mil. Rom. *ctam. Discursu datur, & verum est; nihil hîc opus, & distribuitur in summâ quiete. Et ipsi quidem Centuriones legunt, & porrò tradunt: sed lectam enunciant quorum sunt vigilandi vices. Ita omnia ordine à summo Imperatore Tribunus ab isto Centurio, ab hoc miles in manipulo suo quisque accipit. Plura apud eum videantur lib. 5. de Milit. Dialog. 9.*

B. Aliquod adhuc signum.] *Præter illa quæ suprà descripsit Auctor, adde morem fuisse, vt pridie quàm dimicandum esset ante Principia poni vexillum, quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ teste Isidoro.* Hinc Cæsar: Cæsari omnia vno tem- Lib. 19. pore erant agenda, vexillum proponendum (quod erat tunica purpurea) cùm Lib. 11. Bell. Gall. ad arma concurri oportebat. *Itaque signo pugnæ futuræ proposito, milites sese ad certamen comparabant, arma expediebant, modicoq; cibo vires confirmabant. Sed de prandio & cœnâ curanda habes suprà proprium Caput 12.*

---

# CAPVT XXVII.

## *Ordines nunquam esse soluendos, siue acies consistat, siue recedat.*

A IMP. milites suos, & pedem referre, & hostes persequi ordine semper seruato iubeat: vt non singillatim dispersi, in hostium manus incidentes, dum fortè fugient, minore clade premantur; & si rem benè feliciterque gerant integris semper ordinibus ac manipulis, maiorem hostibus perniciem inferant, & fortiores existimentur, sintque reipsa tutiores. Nam plerumque terga vertentes hostes, cùm aduersarios passim, nulloque ordine insequentes vident, conspirantibus mutatisque animis, ordines suos repetunt ac reparant, rursusque conuersi impetum acriter vrgendo faciunt. Scilicet fatentur experti, meliùs tutiusque nihil esse, quàm ordines seruare; nihil contrà peius, aut periculosius, quàm soluere.

NOTÆ

# NOTÆ IN CAPVT XXVII.

A. ORdine semper seruato.] *Hoc assecuti sunt Heluetij in Galliâ temporibus bellorum ciuilium memorabili illâ pugnâ ad oppidum Dreux. Cùm enim illi acriter vrgerentur à Condæo sectariorum Principe, aciesq; in quâ consistebant primâ impressione esset fracta ac debilitata, nihilo secius ordinibus seruatis pede presso restitêre, hostemque tantisper sustinuêre, dum viribus sensim accisis pedem ad suos referre cogerentur: quod fecerunt cauto animi robore & constantiâ, vt hostes eos mutasse non loco cessisse faterentur: qui si ordines semel soluissent, minimo negotio tot præsertim hostibus circumsepti, vel ad internecionem deleti, vel in turpem fugam & reliquo exercitui fortè exitiosam coniecti fuissent. quod semper euenit his qui ordinibus non seruatis à conflictu regrediuntur, vt pluribus exemplis alibi me docuisse puto. Apud Romanos quidem illud receptum erat, quoties grauis armatura hostem fugasset, ne turmæ equitum cursu & fugâ insequendo dissiparentur, signaq; & ordines relinquerent, leuem armaturam, funditores, sagittariosq; qui hostes longius agerent, & trepidantes opprimerent emittere, id quod memoriæ prodidit Alexander ab Alexandro.* Seruato ordine certandum.

*Obseruandum quoque quod notat D. Starauolscius, ne sub tempus quò iam committitur pugna, Ordines commutes, aut de locis suis aliquos ad alia transferas: statim enim nascitur tumultus atque confusio, & imparatis conturbatisq; faciliùs hostis incumbit, vt accidit Michaëli Daciæ Transalpiæ Regulo, Duci aliàs bellicosissimo cum Ioanne Zamoscio decertaturo, qui (qui recedentibus ab eo Polonis, quod contra patriam pugnare non liceret qui operam suam non nisi in Barbaros erant ei polliciti) cum acie Zamoscij perspecta, ordines suos permutare vellet, à Zamoscio intereà temporis aggressus prælium amisit: Si verò & plures & fortè bellatores habueris, fronte longâ, & quadrato exercitu depugna, vt ex vtroque cornu hostem circumuenias, & quasi in sinum tui concludas exercitum aduersarij. Ita faciunt Scythæ & Turcæ, quia & suis equitibus nimium fidunt, & numerosos semper solent habere exercitus.* Lib. 4. Gen. dier. c. 7. Lib. 4. Rer. mil. c. 1.

# CAPVT XXVIII.

## *Curæ esse debere Imper. vt splendidè instructæ procedat acies.*



Ideat etiam Imperator, vt exercitus *armis splendentibus* instructus fulgeat. Quod facili negotio fiet, si gladiorum mucrones probè acuantur, *& galeæ loricæq;* frequenter abstergantur. Milites enim quasi mi- A. B.

cantibus armorum ſcintillis terribiliores apparent: multæque per oculos ſpecies in animos delapſæ, perterrére adverſarios ſolent.

---

# *NOTÆ IN CAPVT XXVIII.*

Fulgeant militum arma. A. ARmis ſplendentibus.] *Hoc Auctoris noſtri præceptum à Vegetio etiam inculcatum:* Hoſtes, *inquit,* ſolo fulgore armorum, non veſtium nitore terreantur, *& Caßidoro*: Arma benè conſtruere, *inquit,* eſt ſalutem velle omnium cuſtodire, quia primâ facie ipſis terretur inimicus, & incipit animo cadere, ſi ſe cognoſcit, ſimilia non habere. *Vin' exempla? Aurelianus Imperator inter alia quæ Tribunis ſuis mandabat, iſtud non in poſtremis legitur, vt ſemper curarent,* arma militum eſſe terſa. *I. Cæſar ſuis etiam præcipiebat, vt arma haberent nedum fulgentia, verum etiam auro argentoque ornata, ſiue terroris, vel ornamenti cauſſa, ſiue vt res pretioſas acriùs defendendas propugnandasq́; exiſtimarent: creſcit enim militibus animus nedum armorum fulgore, ſed etiam veſtium nitore: id quod Hiſpanis peculiare eſſe, non pauci adnotarunt, quod & experientia teſtatur. Inter alia quæ Mario victoriam de Cimbris pepererunt, fuit quoq́; fulgor iſte armorũ, ſi L. Floro fides ita ſcribendi:* Primũ nebuloſum nactus diem, vt hoſti inepinatus occurreret: tum ventoſum quoq;, vt puluis in oculos & ora ferretur, tùm acie conuerſâ in Orientẽ, vt quod ex captiuis mox cognitũ eſt, tùm ex ſplendore galearum, ac repercuſſu, quaſi ardere cœlum videretur. *Nec his diſſentanea, quæ Nicetas ſcribit:* Ὁ δ' ἥλιος τοῖς θώραξιν ἐμπίπτων, καὶ τοῖς τῶν στρατιωτῶν προσβάλλων θώραξι νεοσμήλτοις οὖσι καὶ λείοις, ἐποίει ἀποπάλλεσθαι τούτων κατακαμπὴν, καὶ ἐπάνδον τῶν ἀκτίνων πελαγισμάτων ἐκ πορρῶισματα: At Solis radij, qui in thoraces, & arma militum recens polita, & læuia incidebant, refracti, ignis inſtar relucebant. Liuius: *Vbi Triarij conſurrexerunt integri refulgentibus armis. Sed quomodo id præſtent noſtri milites cùm thoraces tantùm non faſtidiant, grauioremq́; omnem armaturam reformident; & tamen, quàm ſint vtiles loricæ & thoraces, haud quiſquam mediocriter eſt in bellicis verſatus, qui non ſciat. Dominus quidem de la Noue ſuo tempore in vſum reuocare ſtuduit, ſed fruſtra, Gallis iam tum contrario habitu aſſuetis, reuocaretur hac ætate facilè, ſi plus ſtipendij militibus grauioris armaturæ, quàm leuioris impertiretur. At hoc, aliorum eſto iudicium.*

Lib. 1. 7. Var. Epiſt. 18. Vopiſc. in Aurel. Polyæn. Lib. 3. c. 3. Lib. 1. Iſaaci Ange, Lib. 8.

Galeæ apud Rom. quales. B. Galeæ.] *Quæ è corio, vel ſimili materiâ, ferro obducto, eæq́; terribilibus monſtris exornatæ ad virium, & roboris oſtentationem, & ad terrorem hoſtibus incutiendum, atq́; ad omen victoriæ, vel raræ, aut arcanæ alicuius rei repræſentationẽ. Ita Plinius docet Romanos in galeis geſtaſſe figuras minotaurorũ, luporũ, aprorũ & aquilarũ. Sic Pyrrhus* Lib. 10. c. 4. *teſte Plutar. hircina cornua geſtabat in galeâ, quia volebat videri natus Ioue Hammonio, qui hirci ſpecie colebatur. Ita Cimbri equites in galeis hiantiũ animalium formidabilium ſpecies*

*ſpecies oſtentabant.Ita Poloni equites nō tantùm pennas ſtruthionum in galeis.ſed & ſinguli in tergo integras exuuias Leopardi, Lupi,aut Leonis etiamnum geſtant: Cæterùm, notandum interdum ſine galeis Romanos depugnaſſe. De Iulio Cæſare Suetonius.*In agmine nonnunquam equo, ſæpius pedibus anteibat,capite detecto,ſeu Sol,ſeu Imber eſſet. Cap.57.

De Æneâ Virgilius:

At pius Æneas dextram tendebat inermem,
Nudato capite,atque ſuos clamore vocabat. 12. Æneid.
Quò ruitis? *Iterum:* Lib. 11.
—— Nudo cui vertice fulua
Cæſaries, nudique humeri, nec vulnera terrent,
Tantus in arma pater.

# CAPVT XXIX.

## *Milites in conflictu vociferentur.*



Ommittantur copiæ cum iubilatione, *& barritu*, & aliquando etiam concitato curſu. Nam & adſpectus, *& clamor*, & rigidi armorum horrores, hoſtium mentibus terrorem ſtuporemque incutiunt. *Priuſquàm verò ad manus* veniant milites, denſo agmine ſupra capita ſua gladios ſuſtollunto, coſq; ad ſolem crebrò criſpanto. *Nam expolitæ cuſpides*, fulgenteſque enſes, ſolis radijs eliſi, ac repercuſſi, mutuâ coruſcatione horrendum quaſi belli fulgur vibrant, & eiaculantur. Et hæc quidem ſi ab hoſtibus fiant, contrariâ quadam arte ipſi perterrendi ſunt; ſin ſecus, ita priores percellendi. Nec parum aliquando confert, temporis opportunitatem exſpectando, non ſtatim inſtructis præproperâ feſtinatione copijs accelerare, ſed propter vallum manere, donec hoſtilem procinctum, qualis ille ſit, quibuſcunque in locis ſtet, explorauerit. A. B. C. D.

## NOTÆ, ſiue DISSERTATIONES.

## *IN CAPVT XXIX.*

A. BArritu.] *Barritus, Romanorum militum clamor. Veget. lib.3.c.18. Clamor autē quem quidā* Barritum *vocant non priùs debet attolli, quā acies vtraq; ſe iunxerit.*

De clamore ante pugnam. B. Et clamor.] *Laudabilis planè hic mos veterum & militibus hodiernis non contemnendus, imminente pugnâ inclamare, & vociferari ad ardorem excitandum, hostium verò animos percellendum. Receptus & laudatus ante Cæsaris æuum nedum Romanis, sed omnibus pœnè gentibus. De Romanis quidem asserit Cæsar,* 3. *Ciuil.* Neque frustrà, *inquit,* antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamoremq; vniuersi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt. *vbi amplius notes, clamorem vsurpasse ad stimulandum quoq; & incitandum suos.* Si enim equorum cursus, *ait Cassiodorus,* hominum clamoribus incitatur, & sonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudum auiditatem natos singulariter inuenimus? *De Macedonibus Arrianus* : Tum Alexander clamores edi, hastisque scuta quati iubet, quo clamore vehementiùs perculsi Taulantij, exercitum celeriter vrbem versus mouere. *De Lacedæmonijs adstruit Diodorus Siculus:* Vbi propè inuicem (*cum Thebanis*) conuenissent, tubæ classicum canere, exercitus vociferari, magnitudine clamoris victoriam significare. *Parthis etiam in pretio fuit idem institutum, si Plutarcho fides:* Vbi appropinquauerunt, *inquit,* & signum pugnæ sublatum à Duce est, primùm graui sonitu, atque fremitu terribili compleuerunt campum. *Sed & Iudæis placuisse, non negat Philo Iudæus cùm illos sese adhortantes introducit:* Intrepidè pugnemus, pro munimento habentes audaciam, per initia sæpè de euentu decernitur: dum in limine sumus, terrorem incutiamus incolis. *Denique (longum enim sit singulos recensere) de Germanis apertè Tacitus :* Sunt illis, *inquit*, hæc quoque carmina, quorum relatu (quem *Barritum* vocant) accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. Affectatur præcipuè asperitas soni, & fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior vox repercussa intumescat. *Clamor ergò ante pugnam passim receptus: valebatq; maximè ad conterrendos hostes, vt diximus, præsertim cùm ex inopinato, vel à tergo audiebatur, vt ipse Cæsar fatetur, dum ait :* Multum ad terrendum nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus exstitit. *Quinimmò tanti eum habuêre Romani, vt ex eo de pugnæ , & certaminis euentu iudicarent; vt superioribus aliquot locis videre est, quibus adde illum Plutarchi :* Cùm tollere imperasset eis clamorem , animum dejectum exercitus comperit, vbi nimirum languidum, tenuem , & inæqualem edidêre: à barbaris verò clarus resonabat, atque animorum plenus. *Sic clamor militum Rom. aduersus Hannibalem decertantium indicio fuit , cladem non dubiè illi euenturam :* Dictu parua , *inquit Liuius,* sed magni eadem in re gerendâ momenti res, congruens clamor à Romanis, eoque maior ac terribilior: dissonæ illis vt gentium multarum discrepantibus linguis voces. *Rursum, Romanis non benè successit dissonus & remissus clamor in pugna contra Volscos, Liuio teste :* Clamor indicium primum fuit quò res inclinatura esset, excitatior crebriorque ab hoste sublatus: ab Romanis dissonus, impar, segnis,

Is Romanis receptus.

Lib. 1. Var. Epist. 13.

Lib. 1. de Macedonibus.

Lib. 15. Bibl. Laced m.

Parthis. In Crasso.

Iudæis. De Vita Mosis.

Germanis. De Morib. Germ.

Lib. 7. Comment.

Ex clamore indicabant de euentu pugnæ. In Crasso.

Lib. 30.

Lib. 4.

segnis, sæpè iteratus, prodidit paucorum animorum. *Attentissimi quidem illi hac in re. Nam vt cuiusque clamor erat, ita de virtute & audaciâ, ignauiâ vel pauore alterius iudicabant. Si enim varius & dissonus foret clamantium sonus, timiditatis indicium existimabant; contra si consonâ & elatâ voce ederetur. In quo sic accurati Romani, vt præter consonam illam vocem, armorum etiam stridorem adhiberent, quod colligo ex Scipionis pugna cum Annibale.* Romani more patrio, clamantes, & gladijs ad scuta concrepantes, inuaserunt oppositos. *Eo autem strepitu & clamore, qui interdum talis ac tantus vt hostes plerumque sic consternarentur, vt impetum non exspectarent, sed exanimes funderentur. Pluscula Liuij loca sub manu sunt, Mox lib.* 1. Fusi primo impetu & clamore hostes. *& lib.* 25. Haud magna vis certaminis fuit, primus clamor atque impetus rem decreuit. *& lib.* 34. Vix clamorem eorum' nedum impetum Suessetani tulerunt. *Hebræis etiam clamor iste vsitatus vt diximus. Nam* 1. *Reg.* 17. Consurgentes viri Israël & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philistæos. *Imò ex ordinatione diuinâ non solùm clamor, sed etiam tubæ adhibendæ. Vide Num.* 10.9. Si exieritis ad bellum de terrâ vestrâ contra hostes, qui dimicat aduersum vos clangetis vlulantibus tubis, &c.

Cum clamore armorũ collisio.

Polyb. lib. 12.

C. Priusquam verò ad manus.] *Sed vtrùm satius sit hostis impetum exspectare & sustinere, an verò præuenire, eumq; aggredi? Tarduccius auctoritate Secretarij probat longè vtilius esse, hostis impressionem sustinere, quàm illi inferre. Ipsum quod ostendit duorum Romanorum Consulum exemplo, quorum alter militibus suis edixit, vt ipsi hostis impetum sustinerent, quòd primo aggressu fortiter reiecto & eluso futurum sperabat, vt paullatim ab ardore, & furore vehementiori ijdem remitterent, animumque sensim despond erent, faciliusque in fugam agerentur, quod quidem consilium ex sententiâ ei cessit, victoriâque potitus est. Alter verò quanta fieri posset vehementia atque audacia maiori, suos in obiectam hostium aciem impressionem facere iussit. Sed hoste inferior hic exstitit, victusque ac cæsus fuit. Neque id mirum. Siquidem celeriter & festinanter incedentes, tam probè ordines seruare, pedem in constituto loco firmare, gressumque sistere, & mutua conferre auxilia nequeunt, quàm ij solent, qui intra stationes suas permanent. His accedit, quod commoditates quibus hostes exsistunt superiores, negligunt & deserunt, aduersarios in locis opportunis, & qui ipsorum commoditatibus seruiunt (in quibus aut facilè superari & vinci possunt) offendunt. Deniq; se suosq; temerè machinarũ ac tormentorũ ictibus obijciunt, & manifesto discrimini exponunt. Nec ea festinatio aliũ fructum habet, quam vt vanam fortitudinẽ & audaciæ ostentationem præ se ferat, qua parũ mouebuntur milites, quos Duces strenui iam anteà certiores reddidere morã longiorẽ non ex timore proficisci, sed maturo consilio hostem eâ ratione vincere constituisse. Interest tamen refertq; plurimũ, an milites magno animorum ardore fiduciæq; & alacritatis pleni ad pugnam sint incitati: quippè in eiusmodi euentu, quin hostium agmen adoriri tutò possint, haud dubiũ est. Quare à I. Cæsare Pompeius haud immeritò imperitiæ notatus culpatusq; fuit, quod in celebri illâ Pharsalicâ pugnâ, milites certaminis auidos, impetũ excipere,*

Lib. 3. c. 45. de re bell.

An expediat hostẽ aggredi, vel eius impetum sustinere præstet.

V. Alex. ab Alex. 4. c. 7. *non inferre iußiſſet. Quo reſpexiſſe videtur Cyri conſilium, ſuadentis, vt ſi hoſtes tumultuoſiùs irruerent, taciti milites impetum exciperent: ſi autem taciturni eſſent, clamore & ſtrepitu acies inuaderent, quâ de re plura videantur apud* D. Starouolſcium *lib. 6. Rei milit. cap. 2. & Scipionem Ammiratum, Diſſert. polit. lib.* 18. *Diſcur. vbi tamen concludit longè præſtare hoſtem aggredi, quàm impreßionem eius expectare, in quâ ſententiâ etiam eſt Boterus lib. 2. della agilita delle forze del Principe.*

In Craſſo. D. Nam expolitæ cuſpides.] *Inter alia quæ Craßianos conſternarunt in pugna contra Parthos, Plutarchus præter clamorem & ſtrepitum, de quo iam antè, fulgorem refert armorum:* Tum illi, *inquit*, rutilare viſi galeis loricíſque ex Margiano ferro factis coruſcante & refulgente. *Verùm hac de re ſatis diximus ſuprà Cap.* 28. *nec hîc repetenda.*

# CAPVT XXX.

## *Oportêre Imperatorem ſiue Ducem ſupremum ante conflictum apud ſe conſtituere quem cui in prælio opponendum eſſe cenſeat, atque ita ordine ſuos ductores contra aduerſarios collocare.*

A. Tque tunc quidem meditari debet Imper. quoſnam & quibuſnam in acie ordinandâ *opponi oportêre cenſeat*, & quo tandem modo: imitari quoque prudentem medicum, corporis morbo ante perſpecto medicinam facientem: ac denique copias ſuas educere, vt conducibile fore exiſtimauerit. Etenim perſæpè Imperatores exercitus ſuos pro aduerſariorum armaturâ hominibuſque atque etiam maiorum moribus ornare, & ordinare coguntur.

## *NOTÆ IN CAPVT XXX.*

Qui quibus opponendi. A. OPponi oportêre cenſeat.] *Quis enim neſciat aliis alios equitatu, alios peditatu præſtare? Parthi olim equitatu valebant, vt nunc Galli; Romani peditatu, vt hoc tempore Heluetij atque Hiſpani: quibuſdam primo impetu vis magna, quam reſiſtendo confringas facilè; quibuſdam animus & vis in pugna augetur, nec vllâ morâ aut tædio langueſcunt: alij labore arduò exanimantur, frigore debilitantur, æſtu ſoluuntur;* alij

*alij quos nec labor insolitus, nec æstus, nec locus asper, nec frigus, nec temporum iniuria afficit, atque hoc pro genio cuiusque nationis, quam vt noscas, & quam cui opponas maximi refert. Culpantur enim qui magis animis, quàm viribus freti ad certamen descendunt, nec quem cui opponant satis considerant. Cæterùm, nota Romanos pluris equitatum fecisse, quàm peditatum: quod colligo ex præmiis quæ militibus dabantur. Nam ad pedites vna pars, ad Centuriones duæ, ad equites tres spectabant, vtpotè quibus præ cæteris maior vis, imò & hi è patriciis, pedites è plebeis legebantur. Alij tamen existimant plus penes pedites roboris esse. Equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Vnde de Cattis loquens Tacitus:* Omne, *inquit*, robur in pedite. De Morib. Germ.

# CAPVT XXXI.

## *Occupanda esse angusta loca, si potiores sint hostes equitatu.*



IMp. si hostium copias equitum multitudine suis fore potiores animaduertat, seligat, si possit, loca ardua & angusta, & montibus adiacentia, minimèq; equitatui peruia; aut pugnam, quantum poterit, *Subterfugiat*, donec in opportuna suis rebus loca A. peruenerit. Relinquantur etiam ad vallum nonnulli qui castra & impedimenta custodiant, ne si hostium Imperator sola ac deserta illa esse compererit, aliquos alleget, qui obuia quæque diripiant, regionemque illam occupent.

## *NOTÆ IN CAPVT XXXI.*

A. SVbterfugiat.] *Ex hac cunctatione Fabius Maximus in expeditione contra Annibalem, imbellis quidem initio habebatur, vt qui ignauia aut socordia prœliū detrectare videretur,* sed interiectis temporibus, *verba Polybii*, coëgit omnes fateri, neminem potuisse, vel constantiorem, vel sapientiorem rebus gerendis Imperatorem præfici. *Etenim locum ille pugnæ commodum semper attendebat, & pro Spartanorum instituto, non quot essent, sed vbi hostes essent considerabat: quinimmò flocci de se sinistros rumores pendebat: gnaris,* semper gloriosum, quod tutissimum, *cuius quoque genii Prosperum fuisse Columnam, & Franciscum Mariam I. Vr-* Quærendus locus pugnæ commodus. Lib. 3. Vell. Paterc.

*binatium Ducem afferunt: vt qui nunquam sustinerent incerta euentuum experiri, nec vnquam præliandi copiam suis facere, nisi locus, tempus, occasio maximè, suaderent. quod ipsum Antigono quoque Regi proprium fuisse scribit Plutarchus. Cùm enim ille arduis præruptisq; locis planiciei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus positis circa Naupliam castris, postridie per Caduceatorem vt in campum descendens Martem experiretur, prouocauit. Cui Antigonus respondit, suam militiam non magis armorum, quàm temporum esse. Pyrrho si suæ vitæ tædium illum cœpisset, satis multas ad interitum vias patère. Vndè satis esse id confirmatum reor, quod noster Imperatori hoc loco proponit, illum scilicet subterfugere debere pugnã, donec in locis ac rebus opportunis consistere posit.*

Plut. in Pyrrho.

---

# CAPVT XXXII.

## *Imperatorem siue Ducem supremum nihil agere debere periculi tentandi gratia.*



QVi enim aut munitiones suas destruunt, aut omnes copias trajiciunt, aut saxa inaccessa & prærupta à tergo militibus suis esse student, vt vel manentes in gradu vincant, vel fugere incipientes pereant, eos omninò nec laudare, nec vituperare habeo. Quidquid enim cum periclitatione perficitur, temeritati audaciæque potiùs quàm prudentiæ tribuendum est, atque ex casu, quàm iudicio consiliovè pendet. Nam vbi aut victorem obtinere oportet, aut victum rerum suarum summam secum vnà euersam videre necesse est, quomodo ibi parta victoria, vel prudentiæ adscribenda, vel accepta clades Imperatoris voluntati & proposito imputanda? Equidem militibus quibusdam, vt ambitiosè ferro vitam inter se cernant concedi aliquando patior. (nam & præclarum fortè facinus faciendo suis certè valdè prodesse, & occumbendo non admodum obesse poterunt) at totis copiarum viribus, opus periculosæ plenum
A. aleæ tractare, haudquaquam, probo. *Sed imprimis peccare* mihi videntur ij qui hostibus leue fortassis incommodum daturi, suis verò maximam perniciem importaturi his stratagematum artibus abutuntur. Verùm, si certum
B. illis tamen sit *ac præsens sit suorum exitium*, etsi periculosis huiusmodi expeditionibus abstinerent, & certa item profligatis hostibus immineat pernicies, minimè tunc errare videantur, si fugiendi vias omnes militibus suis obstruant. Multo enim vtilior in rebus dubiis audacia est, dando operam vt sui incolumes seruentur, hostiumque strages fiat, quàm ignauia, & quies, quando manifestum

nifestum est, & nihil audentem omninò tandem periturum. Nec solùm in ijs locis, in quibus salus vnà fugientibus est, salutem sperare nullam; sed vbicunque & in quibuslibet prælijs, accuratâ oratione milites suos doceat Imperator fugientibus quidem *certissimum imminere interitum*, quando scilicet feruidi pro C. arbitrio inhærebunt hostes, & nemine repugnante terga dantes, quocunque libuerit compellent: in gradu verò manentibus, fortiterque pugnantibus, spem aliquam salutis superesse. Etenim, si in ijs rebus persuasi sint, turpissimum fugientibus, perferendum esse exitium, restentibus verò gloriosam mortem oppetendam, semperque ordine deserto plus dari detrimenti, quàm seruato, erunt in suscipiendis abeundisque periculis fortissimi constantissimique. Optimum igitur erit, si omnibus suis militibus persuaserit Imperator, vt ita sentiant. Sic enim permulti aut absolutissimam victoriam reportarunt, aut nonnisi in leues inciderunt calamitates. Cùm autem rerum varias facies ante conflictum animo præcepit, apprimè Imperatoriam artem callens, permultas ac mirabiles in ipso pugnæ momento pugnandi repugnandique artes reperit, quæ singillatim prouideri aut præmonstrari minimè possunt. Quemadmodum enim gubernatores omnia nauigio instruenda vtilia parant, priusquàm portu soluentes euehantur, coorta verò in alto tempestate, iam non quæ volunt, sed quæ necessitas cogit, faciunt, & multa sæpè dubij euentus audacter adeunt pericula, nec ad artis peritiæq; suæ memoriam conatus suos referunt, sed ad necessaria pro temporis ratione auxilia: sic Imperatores copias quoque suas, vt rebus benègerendis vsui sibi fore putant, instruunt quidem, ingruente autem belli tempestate quæ varia & improuisa objiciens discrimina, parata omnia collidere ac euertere solet, coguntur pro rerum præsentium statu, *ex tempore inuestigare consilia*, qualia fortunæ sæua potiùs necessitas, quàm experientiæ memoria suggerit. D.

---

# NOTÆ, siue DISSERTATIONES.

## *IN CAPVT XXXII.*

A. SEd imprimis peccare.] *Elegans profectò & seriò notandum monitum, quod totidem ferè verbis expressum à P. Victore.* Iactantis est, *inquit*, & leuissimi ingenij ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum, securitatem ciuium præcipitare. *Hinc præclarè Agrippa inquiebat:* Qui in apertum discrimen

Non temerè decertandum.

Ioseph. lib. 2.c.16. de bell.Iud.

discrimen se injiciunt exprobrationibus & maledictis militum incessantur. *Quo ingenio nequaquam Augustum fuisse Cæsarem legimus*, *qui* aut prælium aut bellum suscipiendum omninò negabat, nisi cùm maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. *Immò Iulius Cæsar prouidebat*, vt potiùs in nocendo aliquid omitteretur, quàm cum aliquo militum detrimento noceretur. *Hic laudatus quoque Fridericus ille Barbarossa, apud Guntherum:*

Sueton.c. 25.

Lib. 8. in pr.

Illam præcipuè curam Fridericus agebat
Vt sine iacturâ grandi, sine cæde suorum
Conficeret cœptos optato fine labores.

Imperatores non curent belli rumores.

*Quo minus par est Imperatores, aliosq. belli Duces sinistros attendere æmulorum rumores, quàm secundâ fama malè rem administrare. Q. Fabii Cunctatoris nota historia: cuius, vt & prædictorum exemplo Duces monendi, vt & temeritatem & festinationē semper deprecentur, hoc est, quamdiu vires eorum certè impares sunt; aliter, si pares vel superiores. quis enim tùm dissuadeat, vt cùm audentia* educant copias in aciem, copiamque pugnandi faciant? *Non certè militaris ille Doctor:* Dux vigilans, *inquit*, sobrius, prudens, tanquam de ciuili caussâ inter partes iudicaturus, adhibito consilio de suis & aduersarij copijs iudicet, & si multis rebus superior inuenitur, opportunum sibi non differat cōflictum. *cùm hac cautione tamen, vt primùm velitationibus, & equestribus, præliis tentet & experiatur, quid hostis vires possint, quidvè nequeant. Sin pares vires sint, & Dux auxiliares non habeat copias, periclitari non debet, præsertim si præter modum gloriæ sit cupidus, & ex prælio in discrimen vocaretur vniuersus Reipub. status. Cuius rei exemplum notißimum his in locis in Marchione S. Crucis, licet eius factum alii aliter interpretentur. Concedo tamen tribuendum esse aliquid fortunæ vbi occasio sese offert, quâ vsus fuit I. Cæsar prœlio in Hispaniâ gesto, in quo occubuêre Magni Pompei liberi.*

Liu. lib. 22.

Veget. lib. 3.9.

Lib. 25.

B. Præsens sit suorum exitium.] *Etenim*, in rebus asperis, *inquit Liuius*, & tenui spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt.

Iugurth.

C. Certissimum imminêre interitum.] *Et certè haud ferè aliter inuenias; cùm in prælio, (vt apud Sallustium scriptum est)* his maximè periculum sit, qui maximè timent. Audacia pro muro habetur. *Attilius Regulus bello cum Samnitibus indicto, videns pedites suos ex acie ad castra fugere, gladio euaginato eis occurrit, & equitatum eis totum opposuit, inquiens ipse, nisi obuersi pugnaueritis, mecum pugnare debetis, atque ita, animati & perterriti seueritate Ducis hostem iterum aggreßi sunt, & vicerunt. Metellius verò Celtibericus, ad fugientes milites misit, qui renunciaret quod omnes ipse occideret in castris nisi ad locum è quo cesserant reverterentur, hostemque inde pellerent, quod & fœliciter præstiterunt. Iulius quoque Cæsar fugienti vexillifero aquilam eripuit, & se iubens sequi, omnes in hostem obuertit. Idem etiam Georgius Scanderbergus sæpiùs præstitit (qui diuersis in præliis suâ manu vltra duo millia Turcarum occidit) & fugientes suos in prælium reduxit. Nonnulli clamore sublato, & buccinis victoriæ signum canen-*

tanentibus prælium restituerunt, fugientesque quasi ad spolia reuocando ad prælium accenderunt, vti fecit Stephanus Daciæ Regulus in pugna cum Baiazete II. qui astu tali Valachos suos ad syluas passim diffugientes ad instaurandum certamen reuocauit, animauit, & multa Turcarum millia apud Tragoniciam cecidit. Etiam toto exercitu fuso perniciosâ clade instaurationis fortuna multis non defuit, vti Huniadi contra Turcas apud Albam Regiam decertanti, quibus acie iam pulsus, insigni victoriâ potitus fuit.

D. Ex tempore inuestigare consilia.] Ex hoc loco colligi potest aduersus nonnullorum sententiam, ex vsu Reipub. esse ei, qui castris praeest, absolutā decertandi facultatem impartiri: cùm non rarò tempus & occasionis momenta sint eiusmodi, vt Princeps adiri super belli negotiis nequaquam possit. Quâ contemplatione Fabius Maximus in expeditione contra Annibalem, Senatum populumque Rom. per litteras monuit, vt Ducem quendam aduersus hostem adeo potentem bello præficerent, cui liberam pro re natâ imperandi decertandique potestatem darent. Cuius consilio tum acquieuisse Senatum, Liuius auctor est. Cæsar ipse in Britanniam traiecturus, Labienum tribus cum legionibus, & duobus millibus equitum in Galliâ reliquit, diuersis mandatis, sed præcipuè vt consilium pro tempore, & pro re caperet. Imò Reip. Romanæ peculiaris mos fuit, vt in maioribus periculis libera Ducibus suis mandata iniungerent, iudicio atque virtuti eorum omnia commendantes, iis verbis, cauerent, ne Resp. aliquid detrimenti caperet. Cæsar idem, quoties legatis suis aliquid quod summopere cuperet ac necessarium putaret mandabat, res diuersas quæ contingere possent considerans, semper addebat, si Reip. commodo facere posset. Ita Heluidius Priscus apud Tacitum, cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore vt consuleret. Et Tiberius Cæsar Drusum bello in Pannonia præfecit, nullis certis mandatis, ex re consulturum. Atque hoc ipsum Romanorum institutum Turcam imitari videmus, qui Ducibus suis cum hoste pugnandi omniaque in bello gerendi arbitrium concedit, nihil sibi præter belli indicendi & pacis faciundæ potestatem retinens. Malè itaque sibi consulunt Principes, qui Duces bello præficiunt cum restricto imperio; ne manum cum hoste conserant, nisi priùs eâ de re suam Senatusvè sententiam explorarnt: cùm ex distantibus terrarum spatijs, vt Tacitus inquit, consilia post res afferantur. Vnde manustrenuus ille Marchio Sauoranus dum super hac re cū Principibus quibusdā sermocinaretur, dictitabat Duci interdicta decernendi facultate, ansam illi vt vincatur dari; at vt hostem vincat ac superet omninò tolli. Idemque periculum adiri Principes aiebat cùm crebrò Duces mutarent: cùm inter traditionem Imperii nouitatemque successoris, qui noscendis priusquam agendis rebus imbuendus est, sæpè benè rei gerendæ occasio intercidat. Hoc consilio Scipioni in Hispaniâ & Africâ, T. Flaminio in Macedonia, C. Mario in Cimbrica, I. Cæsari in Galliâ imperium prorogarunt; id quod rectè animaduertit Ioannes Boterus lib. 2. della agilità delle forze del Principe, cap. del General del impresa. Turcarum Tyrannus hoc instituto etiam vtitur, vt Ducibus suis pugnandi gerentiq; belli arbitrium concedat, nihilq; sibi præter belli indicendi & pacis faciendæ facultatem retineat.

Dux belli an absolutè debeat esse potestatis.

Lib. 14.

Lib. 5. de Bell. Gall.

Liu. lib. 2.

# CAPVT XXXIII.

## *Non debere Imperatorem, siue Ducem supremum manus in prælio conserere.*



A. Mperator si quando ipse decertet, caueat diligenter, ne sit audacior, aut potiùs manum omninò cum hoste *non conserat.* Nam licet præstabilem fortitudinis operam nauare possit, non tamen tantùm suis pugnando proderit, quantùm occumbendo oberit. Illius enim prudentia longè anteponenda fortitudini. Nimirùm quilibet è populo miles, corporis robore strenuè facere potest, mentis autem prudentiā benè consulere, haud alius facilè queat. Nam quo modo, si gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigum operis sese immisceat, nauem in periculo esse contingit: eodem planè modo, si Imperator consilia suis dare negligens, ad militaria munera se transferat, rem vniuersam in maximum adducit discrimen: meliorem enim, maioremque curarum incuria, irritum, & vanum fiet, cùm desiderabitur auxilium. Et sanè animum suum induxisse censetur, de rei & exercitus totius interitu minimè esse sollicitum: quia scilicet eius in quo omnium salus versatur, exitium parui facit, omnes quoque omninò secum vnà profligari dolo malo velle videtur, rectèque quis eum culpauerit vt ignauum magis, quàm strenuum aut fortem. Qui enim multa consultò, prudenterque imperat, satis illustrem rebus benè gestis adipiscetur adoream. At, qui adeò ineptus est, vt, nisi manum cum hostibus conferendo, in eorum manus venerit, nisi se egregium edidisse existimet, non fortis, sed audax, & temerarius existimari debet. Eapropter Imperator auidè se & alacriter pericula suscepturum ostentet militibus, vt eorum hoc modo animos prouocet; sed ipse vix in certamen veniat, nec nisi summa priùs adhibita diligentia; mortemque tùm demùm despicere incipiat, cùm in periculum res suas venire viderit: ita vt, & occisis copijs superstes esse nolit, iisque saluis, saluus quoque, & sospes esse velit. Sæpenumerò enim gloriosam cæterà victoriam mors Imperatoris valdè afflixit; quique iam ferè prostrati, fugatique erant, hostem sine Imperatore esse cernentes, recuperatis paulatim animis consurrexerunt in prælia fortiores: qui verò fœliciter pugnauerant, animos abiecerunt, nimio Imperatoris interfecti desiderio anxij. Illud præcipuum Imperatoris officium est, ordines singulos obequitare, adesse periclitantibus, gnauos, strenuos-

strenuosque laudare, ignauos, pauidosque increpare, cunctantes excitare, imminutis ordinibus milites alios substituere, quosdam etiam, si opus sit, traducere, suppetias ferre laborantibus, ac opportunitates, momenta, euentus obseruare.

# NOTÆ siue DISSERTATIONES IN CAPVT XXXIII.

NOn conferat.] *Tam vera est & tralatitia eorum qui militaria tractarunt sententia, supremum belli Ducem nunquam aut sanè rarò manum cum hoste conserere debere: vt nemo nisi temerarius in contrariam eat sententiam. Quod quidem si auctoritatibus, quæ vbique occurrunt, immò quæ sub manu sunt confirmem, plus tædij quàm vtilitatis aut voluptatis lectori afferrem. Quæ enim patent ipsa per se, ne quidquam rationibus & argumentis confirmantur.* Ipsum nomen Imperatoris, *ait Quintilianus,* satis significat non exigere manum ipsius: Imperare enim debet, & præcipere. *Idem placuit Cyro Regi apud Xenoph. in Hippar:* Illud est prudentis Imperatoris, vt periculis vltro se non offerat, nisi cùm satis exploratum habebit se fore superiorem. *Qui aliter, immane quantum periculi sibi suisq; importat. Credamus exemplis. De Epaminonda Trogi breuiator:* Post paucos deinde dies Epaminondas decessit, cum quo vires quoque Reipub. ceciderunt. Nam sicuti telo, si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: sic illo velut mucrone teli ablato Duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt, vt non tàm illum amisisse, quàm cum illo interijsse omnes viderentur. *De Scipione Liuius:* Pugnanti hortantique Imperatori & offerenti se ubi plurimus labor erat, latus dextrum lancea trajicitur: cuneusque is hostium, qui in consertos circa Ducem impetum fecerat, vt exanimem labentemque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt, Imperatorem Romanum cecidisse. Hæc peruagata statim vox, vt & hostes hauddubiè pro victoribus, & Romani pro victis essent, fecit. Fuga confestim ex acie, Duce cæso, fieri cœpta est. *Quid in Annibale?* Et verò Annibal ipse, dum murum incautius subit, aduersum femur tragula grauiter ictus cecidit; tanta circa eum fuga ac trepidatio fuit, vt non multum abesset, quin opera ac vineæ dèsererentur. *Quem casum in eo mirari licet, quem vel hoc solo nomine inter summos Duces celebratum legimus, quòd ipse consulendo potiùs, quã audendo Ducis munia obiret,* in quo magna eius prudentia extitit, *inquit Polybius.* Etenim Duce illæso, ac saluo, etiãsi aliquãdo reliqua cuncta

Imperator ipse ne pugnet.

Declam. 33 17.

Lib. 25.

Idem Lib. 21.

cadant,

Lib.10. cadant, multas tamen occasiones fortuna subministrat, quibus detrimenta ex calamitosis euentibus accepta resarciri possint: si ille verò, perindè ac in naui gubernator, ceciderit, etiamsi reliquæ multitudini fortuna victoriam aduersus hostes largiatur, nihil tamen indè commodi prouenit, propterea quod omnis omnium spes à Ducibus pendet. *Itaque non mirum si Romani pro suo Duce denas legiones in aciem ducerent, in primâ fronte procurrerent, aduersa vulneribus pectora ferrent, quo tuta omnia Duci suo præstarent.* Illa enim est, inquit *Seneca*, vinculum, per quod Respub. cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipse per se futura, nisi onus, & præda, si mens illa imperij subtrahatur. *Hoc Gallorum exercitus experimento didicit, capto Francisco eorum Rege ad Pauiam: Hoc senserunt Vngari in acie contra Solimannum Turcarum Imperatorem, in quâ occubuit rex eorum Ludouicus. Adeò nihil verius illo Poëtæ:*

Lib.1. de Clem.

Rege incolumi mens omnibus vna,
Amisso rupère fidem.

Nisi in re dubia. *Excipio tamen; nisi exercitus planè periclitetur, & res suas, vt noster Tacitus inquit, in periculum venire viderit: tum enim adesse debet periclitantibus*, & nullum constantis Ducis, aut fortissimi militis officium omittere, *exemplo Alexandri Magni, Annibalis, Scipionis, Alphonsi Magni, & qui præteriri non debuit Iulij Cæsaris, qui nutante in fugam exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, manu prælium restituit. De eo pulchrè Poëta:*

Tacit.lib.3. Hist.
Flor.lib.3. cap.10.

Lucan.li.7. Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Promouet ipse acies, impellit terga suorum,
Verbere conuersæ cessantes excitat hastæ.

*Cùm autem dico Imperatorem manum cum hoste conserere non debere, non continuò ab expeditionibus eum abesse volo. In quo tamen distinguo: aut enim bellum administratur in confinio, vel in longinquis oris: Si in confinio, potest Imper. ibi agere, vel in metropoli suæ ditionis, vt Cosmus Mediceus in bello quod in Senenses gerebat; Sin verò in longinquis partibus bellum administratur, tum videndum an eo profligato locus esse possit, quo vel se recipere, vel exercitum instaurare possit; si enim eiusmodi careat loco, satiùs est aliquem summæ rerum præficere, ipso interea domi manente, præsertim se successore aliquo & hærede qui suis & publicis rebus superesse possit, careat. Alias certandum est, & prælium suscipiendum, sed* vt *Augustus inquiebat*, cùm maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenditur. Is, *teste Suetonio*, externa bella duo omninò per se gessit; Dalmaticum adolescens adhuc, & Antonio deuicto: Dalmatico etiam vulnera excepit, vnâ acie dextrum genu lapide ictus, alterâ autem & crus, & vtrumque brachium ruinâ pontis consauciatus: reliqua per Legatos administrauit.

Sueton. cap.25.

*Traianus* etiam pedibus semper cum militibus iter fecit, eaque comitate assecutus est, vt contra eum miles nunquam tumultuatus sit, *vt auctor est Dio.*

§. *Officium*

## ¶. *Officium Imperatoris, siue Ducis supremi pugna dirempta.*

Reuocato è pugna exercitu, primùm quidem DIs faciat sacrificia, ac pompas exhibeat, prout temporis feret occasio, vota nuncupet, quæ victoria penitùs reportata, se persoluturum esse spondebit. Deindè milites suos, qui præcellenti virtute in sustinendis periculis sese foreiter gesserunt, honorarijs, ac legitimis donis adficiat: in eos verò, quorum notata malitia aut ignauia fuerit, *animaduertat*. Tribuantur honores, qui maiorum moribus, patriisque institutis ac legibus probati sunt. Ac Imperatores quidem, largiri militibus solent, armatutas, *galbeos, prædas* & spolia: præficere quosdam quinquaginta militibus, quosdam creare Centuriones, quosdam manipulorum ac cæterorum ordinum legitimos Ductores. A.

# NOTÆ siue DISSERTATIONES

De Præmiis & pœnis militum. Plut.

D*Atis obseruationibus ad pugnam, congruenti methodo Onosander quid acturus sit Imperator, siue Dux belli supremus, pugnâ finitâ explicat. Et quidem, præmia danda militibus, qui strenuè sese administrarunt; qui contra pœnam. Vtile profectò institutum: cuius Lycurgus meminit apud Plutarchum:* Duo sunt, *ait*, quæ iuuentutem instruunt, ac formant, delinquentium castigatio, & bonorum præmiatio. Ad vtrumque enim horum adspicientes, illam quidem ob metum fugiunt; hanc ob gloriæ studium concupiscunt. *Cuiusmodi autem præmijs donarentur milites Romani, præter Onosandrum, eleganter ostendit Polybius verbis his:* Cùm aliqui militum fortiter & animosè se gesserunt, conuocans Imperator in concionem omnes copias, & circumponens sibi eos qui auctores egregij facinoris fuêre, primùm quidem laudes eorum edisserit, & super hoc facto, & si quid aliud in omni vitâ gesserint, laude & memoriâ dignum, Posthæc, ei quidem qui hostem percusserit, *(in excursione scilicet aut velitatione, vt subjicit)* hastam donat, in Græco est) γαίτῳ quod iaculi genus est) qui verò deiecerit & spoliauerit pediti quidem phialam * equiti phaleras, olim autem hastam tantùm. Ista verò consequitur, non qui iustâ acie, aut vrbis expugnatione percusserit aut spoliauerit hostem, sed qui in excursione aut velitatione, aut tali tempore in quo nulla necessitas fuerit viritim periclitandi, qui tunc inquam, se spontè & vltrò eò dederint. Similiter

Lib. 6.

* I. L ipsius φάλιον legit, quod est Armil-

Iam Nam Tertull. Armillas in donis Fortium virorum recenset.

qui ciuem, aut socium defenderit ac seruauerit, eum & imperator donis honestat (*coronis scilicet, de quibus A. Gellius lib. 5. c. 6.*) & Tribuni cogunt seruatos, nisi id quidem vltro faciant, seruatorem suum coronare. Colit autem hunc qui seruatus est per omnem vitam, vt parentem, & omnia ei conferre, ac deferre debet, vt si genuisset. Hac tali incitatione porrò non solùm præsentes & coram audientes prouocant ad certamen & æmulationem in periculis, sed & eos qui domi hærent. Nam qui adepti eiusmodi dona, præter gloriam in exercitu, & domi etiam famam cùm redierint in patriam, ludus pompasque conspicui (*nimirum vt in ludis coronâ quâ quisque donatus erat, ad instar triumphantis vterentur,*) ineunt, quoniam solis ijs licet ornamenta hæc gestare & imponere, qui ab Imperatore, virtutis caussa, donati sunt. In ædibus conspectissimâ earum parte, (*in vestibulis fortasse*) ponunt spolia (*id est arma & exuuias ab cæso hoste detractas*) indicia & testimonia suæ virtutis. Itaque tali curâ & diligentiâ cùm circa præmia, tùm circa pœnas in castris, meritò etiam successus militiæ apud eos fœlices & illustres existunt. *Ita ille.*

Militum delicta vt exequerentur. Lib. 6.

A. Animaduertat.] *Nam ex eodem Polybio notes, si quis furto aliquid abstulisset è castris, vel falsum quis testimonium dixisset, vel qui ter eandem ob culpam mulctatus fuisset, vel qui vigilias aut circuitionem neglexisset, is fuste percutiebatur. quomodo?* Tribunus condemnatum leuiter tangebat, *inquit Polyb.* quo facto, omnes qui in castris erant ferientes occidunt. Quod si quis euasisset, non eò tamen saluus erat. quomodo enim? cui nec in patriam reditus, nec quisquam è necessariis reciperet. Itaque planissimè pereunt, quos ea calamitas attigit. *Qui verò mandatis Imperatoris minimè parebant, vitâ priuabantur. testis esto apud Romanos Torquatus qui contra rebelles Latinos exercitum ducens, vnicum habebat filium, quòd extra ordinem à Magistro equitum Latinorum prouocatus pugnasset, capite puniuit etiam victorem:* Fortiter *inquiens:* fili mi dimicasti, eaque de caussâ, te coronâ donabo: sed quia neque imperium cõsulare minùs es veritus, eâ moderatione aduersus te vtar, vt & virtutis tuæ fructum percipias, & contumaciæ pœnas des. Atque hæc dicens, *inquit Zonaras,* & coronam capiti imposuit, & caput amputauit. *In minoribus porrò delictis infamiâ notabantur, vel virgis castigabantur, qui honoris præmiiq; caussa falsò strenuum aliquod factum ad Tribunos referrent; quique per metum, vel stationem desererent, vel arma abjicerent, aut alienarent, quod idem Polybius ostendit. Fuit etiam notæ ignominiæ non parua quali Calpurnius Piso Consul & demùm Octauianus Augustus affecit milites, & tunicati discinctiq; per totam diem cùm decempedis plerumque cespitem portantes ante Prætorium starent, vel obsoleta toga & tunica discincta nudis pedibus ante Principia adesse iuberentur; vel vt fossam fodere cogerentur, vt ea habitu & specie deformi in omnium conspectu præ se ferrent insignem memoriam flagitii ignominiæq; acceptæ. Impolitiæ verò notabantur, qui parum nitidis armis vel strigosiori equo & macie affecto vtebantur. Atque istæ ferè erant minorum delictorum pœnæ. Inter grauiora*

Lib. 6.

*niora delicta, præter quæ ante commemoraui, referuntur alia à Modestino in l.3.ff.de re militari, quæ breuitati studens prætermitto. Atqui hoc silentio non inuoluendum, vbi integra cohors aut legio vspiā peccarat, quia vniuersos supplicio afficere nimiæ crudelitatis videbatur, concione, vt ait Polybius, aduocatā Tribunus noxiā legionē, vel cohortem in medium producebat in decades siue decurias distributam: & acerbā oratione in eam inuectus, sorte decimum quemque ad supplicium eximebat, quod supplicium Decimatio dicta erat. Ita enim* metus ad omnes, *inquit Cicero,* pœna ad paucos perueniebat. *In eamque sortitionem nedum ignaui, aut seditiosi, sed fortes ipsi & strenui venère, si Tacito credimus:* Ex Fuso, *inquit*, exercitu cùm decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur. *Sed hæc animaduersio in grauioribus tantùm delictis vsurpabatur, cuius metu etiā vtiliter continerentur exercitus hodierni. Certè sic suos Aurelianus Imp. in officio retinebat, vt Vopiscus scribit:* Sub eo, *inquit,* posteaquàm semel cum ingenti seueriate castrensia peccata correxit, nemo peccauit *In Othone etiam legimus, cùm milites tumultuarentur, illū blandimentis verborum primùm, demùm seueritate animaduersionis, non in plures quàm in duos animaduerti iussisse. Neque Valens imprudenter effecit cùm Batanuo in officio continuit animaduersione paucorum.*

v. Alex. ab Alexan. lib. 2. Genial. dier. c. 13.

Pro Cluent.

Lib. 14. Annal.

In eius vita.

Tacit. 17.

B. Galbeos.] *Nicolaus Regaltius vir vtriusque linguæ impensè peritus & optimè de Auctore nostro meritus, Galbeos explicat esse armillas quibus triumphantes vtebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur, dicti à similitudine galbulorum conticiorum. Porrò galbeos istos siue armillas, brachio læuo gestasse, Liuius satis ostendit, dum inquit:* Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo habuerunt. *Ita Scipio strenuos inter milites militaria dona distribuebat, inter quos T. Labienus, Scipionem vt forti equiti aureas armillas tribueret.* Seneca 1. de Benef. Imperator aliquem torquibus murali, aut ciuica donat. Plin. lib. 33. c. 7. Auxiliares & externos torquibus aureis donauêre: at ciues non nisi argenteis, sed armillas omnibus dedêre, quas non habent externi.

2. Galleos
Lib. 1.

*Verùm, hæc & huiusmodi remunerationum genera nostris quidem temporibus exoleta sunt, sed in locum illorum reponi possent Subsidia, quæ Galli* Auantages *nuncupant, quibus maiorem in modum accenduntur milites ad virtutem militarem, vt egregiè notat præstans militiæ Dux Dominus de la Nuue in suis Dissert. polit. & milit. Sed & Pontifices Romani nonnullique Reges hodie nobilibus, ceu insignia virtutis torques conchulatos conferunt ordinis vt vocant Sancti Iacobi, de Alcantar, de Calatra, Sancti Ioannis, Sancti Stephani. Quod si primi qui honores istos instituerunt attendissent, vt non nisi iis qui contra Christianæ Religionis hostes notabile aliquod & illustre facinus gessissent darentur, siue nobilitate essent conspicui, siue obscuris orti natalibus (exemplo Romanorum qui Rufo Heluio militi gregario,* seruati ciuis decus *detulerunt) præclariora haud dubiè gesta & legeremus, & audiremus, neque essent tam multi ex istis marcida otij, fortè Veneris mancipia.*

Tacit. 3. Annal.

# CAPVT XXXIV.

## *Præmia cuique militi pro virili parte, & pro meritis tribuenda.*

GRegarijs quidem militibus qui fortiter fecerunt aliquantula in exercitu concedatur auctoritas. Ducibus verò virtute præstanti-
A. bus, *maiores principatus* decernantur. Erunt enim & generosis animis magnificentissima præmia, cæterisque qui eadem postea discupient, necessaria ad virtutem incitamenta. Atque vbi fortibus & bonis honos exhibetur, ignauis verò & nequam hominibus pœna irrogatur, bonam illic spem fouere exercitum necesse est. Nam isti quidem peccare metuent, illi verò fortiter faciendo gloriam ambitiosè adfectabunt. Præterea victoriam adeptus Imperator; non debet singulos tantùm quosdam remunera-
B. ri, sed & *toti exercitui* periculorum fructum aliquem ex prædâ impartiri. Patiatur itaque direptionem fieri, si aut vallum, aut impedimenta, immò & si urbem
C. *expugnando* subegerit: nisi maior quæpiam vtilitas, aut alia ratio aliud suadeat. quod maximè bello non adhuc confecto in futuris plerisque negotijs proderit. Nam spe prædæ paratiores erunt promptioresque ad pericula militum animi. Nisi fortè existimemus, canes quidem venaticos ferino sanguine, bestiæque captæ visceribus esse inescandos; militibus verò hostium debellatorum prædas ac partes concedi non oportêre.

# NOTÆ, siue DISSERTATIONES *IN CAPVT XXXIV.*

A. MAiores Principatus. ] *Præter præmia superiori Capite enumerata, istud quoque in magno habebant, vt ad maiores ordines, ob operam strenuè nauatam milites eueherent. Huius meminit Cæsar*: Centuriones, *inquit*, nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, caussâ virtutis, in superiores erant ordines huius legionis traducti, *& rursum*. Cæsar Scæuam ab octauis ordinibus ad Primipilum se traducere.

Lib. 6. Ciuil.

B. Toti

B. Toti exercitui.] *Apprimè cauebant Romani, vt partâ victoriâ, prædam ex hostibus factam, ex æquo militibus partirentur, vt qui communi periculo hostem propulsarant, æquali etiam eos pretio pensarent: Liuius id satis indicat:* Consul armis hostium in vno concrematis cumulo *(inutilia enim, vel quæ commodè vehi nequirent comburebant)* cæteram prædam conferre omnes iussit; & aut vendidit quòd eius in publicum redigendum erat; aut cum cura, vt quàm æquissima esset, per milites diuisit. *M. Salinatorem Consularem à populo damnatum legimus, quòd prædam non æqualiter militibus diuisisset: quod Cosachorum Zaporosiensium Duces præ oculis habentes, dùm è mari Euxino cum præda reuertuntur, æqualibus portionibus inter se diuidunt, sicque dissidia iurgiaque euitant, & alios ad consimiles expeditiones animant. Explicitè admodum Polybius:* Est Romanis eiusmodi mos in expugnationibus vrbium. Nonnunquam singulis diebus copias diuidunt, secundùm vrbis magnitudinem; nonnunquàm per manipulos distribuunt: ita tamen vt nunquam plus dimidiâ parte ad hanc rem assumant. Reliqui custodiæ gratiâ manent in acie, aliquando extrà, quandoque extra ciuitatem, ità vt semper tamen se ostendant. Diuiso autem exercitu, ad summũ in duas Romanas legiones, & duas alas Sociales (rarò n. omnes quatuor legiones simul cõueniunt) omnes, qui ad prædã destinati sunt prædã singuli ad suas legiones, vel alas deferunt. quo facto, Tribuni cunctis ex æquo diuidunt, nõ modò illis, qui in statione, & acie manent, sed & illis, q tentoria custodiunt, itemque ægris, & iis, qui ad munus aliquod aliò missi. Quod verò nihil subducturi sint è præda, iurant vniuersi, cùm primùm in castra veniunt ituri ad bellum. Cæterùm, dum sic diuisi, pars ad prædandum conuertitur, pars custodiæ gratiâ in acie manet, nunquam Romanis aliquid discriminis in vniuersum auaritiæ vitio oboritur. Cùm enim nemo inter eos spe lucri fraudatur, sed dum alij prædantur, alij cõstanter in acie permanentes istos custodiunt, nemo aciem deserit: id quod alijs potissimum incommodare consueuit. *Hactenus Polybius, cuius doctrina, si æqua iudicii trutina plerisque Ducibus ponderaretur, haud dubie ex victoribus victi, ex fortunatis miseri non redderentur, quod accidit Samnitibus, teste Liuio, qui cùm ab horâ diei tertiâ ad octauam in Romanos actiter decertassent, & tantum non iam vicissent, tandem A. Cornelius Dictator, cernens eos cupiditate prædæ, re haud dum confectâ impedimentis Romanorum adhærere, Magistro equitum ad se accito, inquit:* Vides M. Fabi, ab hostium equite omissam pugnam? hærent impediti impedimentis nostris: aggredere (quod inter prædandum omni multitudini euenit) dissipatos: raros equis insidentes; raros quibus ferrum in manu sit inuenies: equosque dum præda onerant, cæde inermes, cruentamque illis prædam redde. Mihi legiones, peditumque pugna curæ erunt; penes te, equestre sit decus. *Hoc modo impediti præda Samnites, postquam quinque horas ferocissimè dimicassent, momento victoriam amiserunt. Memorat & alias clades Scipio Amiratus, quæ scilicet ex nimiâ prædandi auiditate euenerunt, & nominatim fœderatis ad Tarum*

Præda æqualiter diuidenda. Lib. 38.

Starauol. lib. 6.

Lib. 10.

Notent Duces.

Lib. 8. Strages ex nimia prædandi cupiditate.

Lib. 17. diss. polit.

Lib. 2. *contra Carolum VIII. Galliæ Regem, quas non aliundè deriuasse quam à Dalmatis ad impedimenta Gallorum occupanda missis, è Guicciardino adstruit, qui quidem ait famam fuisse tunc à Triultio, ea impedimenta studiosè, quò prædatores allicerentur, incustodita relicta fuisse. Repetant memoria nostri Belgæ Comitē Adolphum, qui nuper (Anno 1608. in Decembri) à Regijs) militibus ad Rinsbergam cæsus occubuit, quòd præmaturè sineret suos intendere prædæ. Ex vsu illi fuisset Thucydidis recordari, monentis* oportere quidem milites in hostili agro animis semper esse confidentibus; at, ad rem gerendam cum metu paratos esse: sic enim & ad inuadendos hostes, animis erunt paratissimi, & aduersus hostium conatus, ac impetum munitissimi. *Sed his omnibus prudentiores fuère Barbari illi, quorum Cæsar ille Iulius meminit in libris Commentariorum:* Duces, *inquit*, eorum, totâ acie pronunciari iusserunt, ne quis ab loco discederet: illorum esse prædam, atque illis reservari quæcunque Romani reliquissent: proindè omnia in victoriâ posita existimarent. Itaque arceat suos à prædâ: *Semper enim obstitit vincentibus prauum inter ipsos certamen, hoste omisso spolia consectandi. Cicero appositè:* Incerti exitus pugnarum, & mars communis, qui sæpè spoliantem iam & exultantem euertit, & perculit ab abiecto. *Nostra verò tempestate nescio, qui fiat, vt Barbari quoque id est Turcæ, Christiani nominis infensissimi, nostris hac in re sint sagaciores. Nam exploratum cuique est, qui oras illorum, vel incolunt, vel infestant, eos neque vrbes, nec castra nobis parentia diripere solitos, nisi omni suspicione imminentis periculi liberi sint, ne certam amittāt victoriam spe prædæ exiguæ,* quæ *vt dicebat Ambioriges*, victoribus tandem, serò licet, cedit: *Desino: nimius enim essem si exempla vel hodierni æui subiungam, quibus liquet magnum acciri damnum his, qui victoriâ in antecessum captâ præpoperè & imprudenter in prædam inuolant.*

Thucyd. lib. 2.

Lib. 2.

Tacit. 4. Hist.

Cic. pro Milo.

Apud Cæs. lib. 3.

C. Vrbem expugnando.] Lex enim *inter* homines perpetua est, *inquit Xenophon:* quando belligerantium vrbs capta fuerit, cuncta eorum esse qui eam cœperint, & corpora eorum, qui in vrbe sunt, & bona. *Verùm, quid si bonis Vrbs vacua sit, vt plerumque videmus aliquas tenacissimè obsidionem ferre, tametsi copia rerum destituantur? Hic Ducem imitari Albertum velim Exarchum Brabantiæ, qui postquam triennii spacio Ostendam obsedisset, sciretque in oppido præter cadauera & sabulum nihil superesse reliqui, atque ita milites (quorum animos non tàm gloriæ, quam prædæ spes solet accendere) paullatim tædio affici, obsessosque remissiùs solitò vrgere, commodissimam excogitauit rationem, quâ moti negocium illi ocyùs pertenderent & oppidanos ad certamen prouocarent. Castra sua in quatuor acies, (tot enim erant nationes) partitus est: & quæ prima omnium irruptionem in oppidum faceret, plurimam auri vim, super stipendium addixit, idque in remunerationem prædæ, quam minùs ex vrbe sperabant. Quo consilio assecutus est, vt breui post illa vrbe seu oppido longè munitissimo potitus sit, quod alioqui ad plures alios annos obsidionem sustinuisset. Nihil itaque verius illa Liuii sententia:* Eò impendi laborem ac periculum, vnde emolumentum atque honos speratur. Nihil non aggressuros homines si magna conatis, magna præmia

Lib. 8. Cyropæd.

Præda vrbis captæ militibus esto.

An. 1604.

Lib. 3.

præmia proponantur. magnos animos, magnis honoribus fieri. *De hac obsidione circumferuntur versus isti viri cuiusdam doctißimi:*

Arca parua Ducum totus quam respicit orbis,
Altior vna malis, & quam damnare ruinæ,
Nunc quoque fata timent, alieno in littore resto,
Tertius annus abit, toties mutauimus hostem:
Sæuit hyems pelago, morbisque fluentibus æstas:
Et minimum est quod fecit Iber: crudelior armis
In nos orta lues: nullum est sine funere funus:
Nec perimit mors vna semel. Fortuna quid hæres?
Quâ mercede tenes mixtos in sanguine Manes?
Quis moriens tumulos hos occupet hoste perempto?
Quæritur, & sterili tantum de puluere pugna est.

## CAPVT XXXV.

### *Direptiones non vbique permittendas. Et hostium corpora non à militibus abripi, sed ab Imp. diuendi debere.*

NOn tamen in omnibus rebus quorumlibet hostium possessiones vexari, ac diripi sinat; sed aliquando quidem patiatur, aliquando verò prohibeat. Hostium autem captorum corpora prædæ militum non relinquat. Illa enim ipse, si pecuniis ad magnos publicosque sumptus indigeat, æquis diuendere pretiis poterit. Omnia quoque, quæ vel abigi, vel auferri poterunt, vt ad sese conuehantur, curet. Dignoscat etiam pro temporum ratione, an omnia, an partem, an omninò nihil retinere debeat. Nec enim æquum est eum, publicis opibus, rebusque bellicis satis amplis, tantùm militibus vtilitatem inuidere, præsertim, cùm ex deuictorum opibus, locorumvè vbertate lautiores præberi possint commoditates.

## *NOTÆ IN CAPVT XXXV.*

VT ad sese conuehantur.] *Nota, liberam non fuisse prædationem: sed spolia coactos in publicum conferre, quod & testatur Dionysius Halicar. verbis his:* Scitis omnes quod spolia & prædam ex hostibus, quamcunque nostra virtute adipiscimur, eam lex iubet publicam omnem esse. Nec solum gregarius miles, aut

Rursum de præda, & vt facienda sit.
Lib. 7.

Lib. 7. aut priuatus aliquis ius in hanc non habet, immò nec ipse Imperator. sed Quæstor eam accipiens (*ab Imperatore qui à militibus*) diuendit, & pecuniam in ærarium publicum refert. Quam legem ex quo vrbem hanc incolimus, nemo non dicam soluit, sed nec culpavit. *Spolia ergò, seu pecunia ex ijs conflata, in publicum seu ærarium conferebatur. quod & discas ex illo Liuij:* Castra capta, præda ad Quæstores redacta, cum magna militum ira. *Ergòne omnis pecunia in publicum referebatur? Non semper: sed plerumque partem miles, partem Imperator vindicabat. Liuius:* Prædæ

Lib. 9. ex assiduis populationibus fuit aliquantum. Venditum sub hasta, Consul in ærarium redigere Quæstores iussit: tùm prædicans participem fore exercitum, cum militiam non abnuisset. *Atque hoc est quod noster statim subijcit:* Dignoscat etiam pro temporum ratione, an omnia, an partem, an omninò nihil retinere debeat. *Cauere itaque debet ne pàrtâ victoriâ præproperè milites inhient in spolia.* Semper enim obstitit vincentibus prauum inter ipsos certamen, hoste omisso,

Tacit. lib. 4. Annal. spolia consectandi, partam victoriam priùs firmet, nec noua moliatur nisi prioribus bene firmatis. *Veluti Pædus qui longinquis itineribus percursando scrutatus,*

Idem 15. Annal. *erat, quæ obtineri nequibant, tandem reducto exercitu pacem & concordiam victis vtilia victoribus pulchra amplexaretur.*

## ¶. De Captiuis.

Durante adhuc bello, captiuos, aduersus quos maximè bellum susceptum

A. est, *ne interficiat*, etsi aliter socijs, & commilitonibus videatur, ac potissimum, si inter hostes generosi sint, & illustres. Cogitet incertos esse ac mutabiles fortunæ casus: diuinum quoque Numen ferocibus sæpè succensere. Ex illis autem, aut captos suorum aliquos qui præcipuè desiderabuntur, aut vrbem oppidumvè aliquod, æquâ vltro citroque commutatione redimat. aut si his adsentiri hostes nolint, tunc iure ferocem illorum contumaciam ferociter, ac sæuiter contundat. Rebus denique bene, ac feliciter gestis, superatisque periculis

B. *conuiuia, epulæ*, & feriæ militibus concedantur: vt suauem bello confecto victoriam esse intuentes, viam rursus ad eam, ardua quæque fortiter tolerando, sibi faciant.

# NOTÆ.

A. NE interficiat.] Naturæ *evim* iniuriam facit & humanitatis legem violat, qui vltra victoriam & superatis hostibus iracundiæ indulget, *inquit*

*inquit Nicetas; præterquam quod non satis fortunæ omnia alternantis genium attendit, qui deuictis hostibus, vltrà sæuitum it in vitas eorum. Non hoc ingenio Scanderbegus inclytus ille Turcicarum virium oppugnator, qui simul victoriam aliquam adeptus erat, nunquam captiuus nocêre sustinebat, attentus semper ad incertos & mutabiles, vt noster inquit, fortunæ casus.* Nulli enim peculiare, nulli hæreditarium fuit semper vincere, *inquit*, sẽper ad noua consilia, noua ratione opus est. Neq; quod viceris heri, ideo captiua spolia hodie spondeas tibi. Hospes est victoria, huc & illuc vergit, nullum proprium domicilium habens. Licet virtute consilioque maximè paretur & retineatur, plerumque tamen vbi diligenter omnia prudenterque egeris, multum adhuc momenti fortuna, multum casus sibi quidam vindicare solent. *Quod satis considerauit Philippus Maria Insubrium Dux, qui Alphonsum Magnum cum tribus fratribus captum regali pompâ hospitio excepit. Item Sigismundus III. qui Maximilianum Austrium ad Biciniam in Silesiâ per Zamoscium captum vti fratrem summo in honore rerumq; omnium affluentia habuit. Plura istius notæ exempla non desunt quæ studiosè omitto, cùm sensus & humanitas ipsa communis huc inclinet.*

Captiui nõ violandi. In vita Balduini. Præsul Barlit.

B. Conuiuia epulæ.] *I. Cæsarem legimus nonnunquam post magnam pugnam atque victoriam, remisso officiorum, seu exercitiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi militibus suis permisisse, iactareq; solitum,* Milites suos etiam vnguentatos bene pugnare posse. *alludit ad ritum conuiuantium, qui illo æuo vncti mensis accumbebant. De Pompeio Cæsar:* In castris, *inquit*, Pompei videre licuit triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, recentibus cespitibus tabernaculo constrata L. etiam Lentuli, & nonnullorum tabernacula protecta edera, multaque præterea quæ nimiam luxuriam & victoriæ fiduciam designarent,

Tranquillus cap. 67. Post pugnã conuiuia instituenda. Lib. 3. Ciuil.

---

# CAPVT XXXVI.

## *Interfectos in prælio sepeliendos esse.*



IMperator seu Dux suprem⁹ siue vicerit, siue victus fuerit, militũ occisorũ *funeribus, & exequijs* prospiciat, neq; incuriam, aut occasionis aut temporis, aut loci, aut metus nomine prætexat. Sancta enim hæc & religiosa circa eos, qui sic abierunt pietas est, eiusque necessaria inter superstites demonstratio. Etenim vnusquisque militum sibi ante oculos ponit, eodem modo se, si fortè in bello ceciderit, ludibrio despectuique fore, & insepultum se remansurum præsagiens, mortisque honore cariturum, non ferendam putat contumeliam. A.

# NOTÆ IN CAPVT XXXVI.

De interfectorum cura. A. FVneribus & exequiis.] *Nusquam non laudatißimi Romanorum Mores, siue humanitatem, siue ciuilitatem, siue militum incolumitatem spectes. Nam ecce clade aliquâ acceptâ, solerti studio curabant, vt interfectorum corpora humarent vel comburerent. Apertè Virgilius:*

Innumeras struxêre pyras, & corpora partim
Multa virum terræ infodiunt, auectaque partim
Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.

De Corona militis. *Tertullianus etiam proprium esse milites cremari scribit:* & cremabitur, *inquit*, ex disciplinâ castrensi Christianus, cui cremare non licuit? *Vnde, laudatus Germanicus, teste Tacito, quod suorum militum, etsi alioqui defecissent, corpora cremari iußisset* Tacit. lib. 1. *Seneca caussam affert:* Non enim defunctorum caussa, sed viuorum inuenta est sepultura, vt corpora, & visu & odore fœda amouerentur; alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit. Non defunctis, sed nostris oculis parcimus. In fragm. Polyb. lib. 5. *Philippus etiam Macedonum Rex idem institutum tenebat, quem legimus Atheniensibus (quos alioqui sibi infensißimos expertus erat) ad Cheroniam profligatis,* captiuos superstites remisisse, & bello consumptorum corpora sepulturæ tradidisse: *Nec modò corpora cremabantur militum, sed etiam saliebantur ad conseruationem, teste D. Lud. Dorleans in lib. 1. Annal. Taciti, laudans Eunapium scribentem in Ædosio à Christianis salita capita Martyrum, & Sallust. 3. Hist.* Reliqua cadauerum ad diuturnitatem vsus salirent. *Apud Magnates exteros vsus erat condire corpora, de Poppæa Tacit.* Corpus non igni abolitum vt Romanus mos, sed Regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur. 16. Annal. *Atque hoc in defunctos officium gratißimum, munus vocat idem Tacitus, quod scilicet omnibus votum sit, sepeliri.* 2. Annal.

## ¶. De cladibus acceptis sarciendis.

Si superato, fugatoque exercitu sospitum animos *solari, ac reficere* voluerit, A. occasionem obseruet, detrimentis & cladibus acceptis sarciendis opportunam B. sæpenumerò enim *re benè gesta incautiores*, ac remissiores fiunt milites, & C. aduersarios, quamuis in proximo sint, despiciendo circa res suas negligentes, ac nimis securi esse solent. Vndè fit, vt res secundæ interdum magis, quàm aduersæ no-

ſæ noceant. Qui enim aliquando ſuccubuit, pericula, in quæ iam incidit aliàs cauêre didicit: at, qui nullam adhuc calamitatem pertulit, non benè res cuſtodire proſperas edoctus eſt. nec ſi ſuperior euadat, tantam adhibebit prudentiam, pericula cauere negligens, quantam adhibuerat, vt hoſtes incautos & ſegnes opprimeret. Itaque tempeſtiuus metus, prudens ſecuritas eſt: nimius verò contemptus, temeritas inſidiis facilè excipienda.

---

# NOTÆ.

A. SI ſuperato.] *Rectè Achilles Tarduccius (cuius auctoritate eò libentiùs vtor, quod diuerſis ipſemet prœliis contra Turcam ſtrenuè interfuerit) notat boni prudentiſque Ducis officium eſſe, cùm cladem exercitui illatam viderit, non animum ſtatim deſpondere, ſed cautè extra omne periculum ſe ſubducere, atque rationes ſecum inire, quibus ſe ſuosq; in tutum collocare & meliori fortunæ queat reſeruare. Varronis exemplo qui fuga ex Cannenſi clade elapſus, à Senatu fuit laudatus eique gratiæ actæ, quod de Reipub. ſtatu non deſperaſſet vt eius Collega. Sed vt habeant Duces vnde in tantis infortuniis ſeſe conſolentur, legant errores non ab vno Duce, ſed ab ipſo Senatu Romano, captâ à Gallis Vrbe, commiſſo: de quibus Liuius in hæc verba prorumpit:* Tanta, *inquit*, fortunæ in occæcandis hominum animis eſt potentia, cùm ſibi non patitur reſiſti. *Vnde Secretarius ſubjicit:* Neminem fruſtrà deſperare debere, cùm neſciamus quâ viâ nos operiatur fortuna, quæ plerumque per vias inflexas & incognitas incedit; ſemper meliora ſperanda, in bellis præſertim, vbi vis & poteſtas fortunæ maximè apparet; ſiquidem multi exercitus vna ſola voce, vel falſa quadam ſpecie in fugã fuerunt coniecti: multi cũ victi eſſent, denuò victores extiterunt. *In quã ſententiam præclarè Polybius;* Μέγα μὲν γὰρ ἴσως καὶ τὸ προτερήματος ἀρχὴν λαβόντα προσθεῖναι τἀκόλουθον. πολὺ δὲ μεῖζον τὸ σφαλέντα ταῖς πρώταις ἐπιβολαῖς, μεῖναι παρ' αὑτόν, καὶ συνιδεῖν, τὴν τῶν εὐτυχούντων ἀκρίβειαν, καὶ συνεπιθέσθαι τοῖς τούτων ἁμαρτήμασιν. ἰδεῖν γοῦν ἔστι πολλάκις τοὺς μὲν ἤδη δοκοῦντας πεπροτερηκέναι, μετ' ὀλίγον τοῖς ὅλοις ἐσφαλμένους, τοὺς δ' ἐν ἀρχαῖς δόξαντας ἐπταικέναι πάλιν ἐκ μεταβολῆς διὰ τὴν αὑτῶν ἀγχίνοιαν τὰ ὅλα παραδόξως κατωρθωκότας: Nam cùm magnæ ſit dubio procul virrutis bene rem gerere, vbi cœperis, læto fine quod inſtitueris terminare: magis tamen arduum eſt, poſt quam tua prima conſilia infœliciter ceſſerint, conſiſtere te poſſe mente, & eorum quibus fauet fortuna animaduertere inopiam iudicij, & ex eorum peccatis occaſionem rei benè gerendæ captare. Sæpè enim eſt cernere eos, qui ſuperiores iamiam videbantur, euaſiſſe, mox vniuerſo prælio eſſe victos; alios contra, qui per initia offenderant poſtmodum mutatâ rerum facie, ſummæ rei victoriam ſua ſolertia præter opinionem omnium eſſe conſecutos. *Ita ille; Duces benè prudenterque monens, ne haſtam cum animis*

[Margin notes: Exercitu ſuperato quid agendum? — Lib. 5. — Lib. 2. de re milit. c. 29. — Lib. 11. — Victi conſternari nõ debent.]

*abjiciant ficubi finiftro Marte cum hofte decertarint. Sed & his erit confultiſſimum, vt in eiuſmodi euentu, fuga inſtituatur in caſtra, quæ in futuras clades ante pugnam muniri, & præſidio firmari ſolent. Reditus enim in caſtra fugæ ſpeciem non habet, nec victos nos*
Lib.3.c.25. *eſſe arguit. Poſſunt denique omnes illi doli & ſtratagemata adhiberi, quæ Vegetius affert, vt victoriam à noſtris partibus ſtetiſſe hoſtibus perſuadeamus. Erit etiam operæ pretium copias militares in eiuſmodi euentu denſiores reddere & ſubſidiarios milites in inſidiis*
1.Annal. *habêre. Tacitus:* Tunc nouâ acie turbatus eques, miſſæque ſubſidiariæ cohortes & fugientium agmine impulſæ auxerant conſternationem, trudebantur in paludem gnaram vincentibus, iniquam neſciis, ni Cæſar productas legiones reſtrinxiſſet.

B. Solari ac reficere. *Ita* Germanicus *clade aliquâ acceptâ, militem propriâ*
Tacit.1. Annal. Humanitas nonnullorum Ducum erga milites. *pecuniâ iuuabat: vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire ſaucios, facta ſingulorum extollere; vulnera intuens: alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio & curâ, ſibiq; & prælio firmabat.* De Annibale *hoſtes dicebant ſibi negotium cum illo eſſe*, qui nec bonam nec malam fortunam ferre poſſet: ſeu vicit, ferociter inſtat victis; ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen. *Ita de Tiberio Velleius:* Per omne belli Pannonici tempus, nemo è militibus, cuiuſcumque gradus, imbecillus fuit; cuius ſalus & valetudo non ita ſuſtentaretur Cæſaris curâ, tanquam diſtractiſſimus ille tantorum operum mole huic vni negotio vacaret animus. Erat deſiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publica: cuius vſum cùm alij, tùm ego ſenſi. Iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balnei, nullius non ſuccurrit valetudini. *De* Traiano *Dio in compendio*: Traianus Princeps milites in prælio vulneratos curabat. cùm autem faſciæ & volumina deficerent, nec ſuæ quidem veſti pepercit, ſed eam totam in ligamenta, & fomenta diſcidit.

In vita Scanderbegi. C. Re benè geſtâ incautiores.] *Recta ergò opinio Barlitij Præſulis:* Fallendum, *inquit*, hoſtem puto, cùm falli ſe non crediderit, cùm in poſſeſſione quadam victoriæ laſciuiens præ licentiâ, animo fraudem nullam metuit. *Itaque*
Victori ſecuritas nimia eſto ſuſpecta. *prudenter cenſent quidam è re Ducis eſſe, eum ſemel atque iterum profligatum fuiſſe. Quid ita?* quòd fermè fiat, *vt Liuius inquit*, vt res ſecundæ negligentiam creent.
Lib.21. *Teſtis eſto præclarus militiæ Dux Conſaluus Fernandes Hiſpanus, cuius potiſſimum virtute Ferdinandus Aragoniæ Mauros regno Granatenſi exegit. Is Neapolim miſſus aduerſus Gallos, memor prioris ſuæ fortunæ, in anteceſſum ſibi victoriam pollicebatur: vnde remiſſius ſeſe gerere, hoſtemq; contemnere cœpit veluti perculſum fama nominis ſui, quò factum, vt manum cum eo conſerens, magnâ clade affectus fuerit, Gallis tum præſidente Domino d' Aubiugni. At ille, cautior inde factus, ſic poſtea ſeſe geſſit, vt Gallos diuerſis præliis profligarit, & tandem regni finibus magnâ cum ſuâ laude depulerit.* Fœlicitas illa procedit ex iuſtâ cauſſâ belli vt alibi diximus, quàm Deus plerumque miris tuetur modis. Sic ſæpè vidimus ſuperioribus annis, *Ferdinandum* II. admirabili

fœli-

fœlicitate pro Imperii Majestate & fide Catholicâ decertantem hostes suos profligasse, & paucis quandoque copiis gloriosissimas victorias reportasse. Sed non inde Duces securiores & incautiores reddi debent; nam magnam vim esse in fortunâ (siue prouidentiâ diuinâ) in vtramque partem vel secundas res, vel aduersas, quis ignorat? nã & cùm prospero eius flatu vtimur, & ad optatos exitus prouehimur, & cùm reflauit, affligimur. Cic.2. Off.

# CAPVT XXXVII.

## *Pacis tempore custodias minimè esse negligendas.*



Nducias Imperator si fecerit, nullam interim impressionem fieri iubeat. Sed nihilominus *custodijs positis sibi caueat.* Ac tranquillè, & placidè cum hostibus velut in pace degat, prouidè tamen & cautè subitis casibus velut in bello prospiciat. Eum enim nec pacta, fœderaque violare, nec impium aliquid moliri, ac tentare decet; sed oculatissimum esse, & à subdolis hostium fraudibus discauere: nec enim eorum, quibuscum fœdera sanciuntur, penitùs explorati animi sunt. Certum quidem Imperatori sit, pietatem colere, & iniuriam hostibus intereà temporis nullam inferre; mores tamen illis hostiles mentemque infidam inesse semper suspicetur. Ita enim in tuto esse poterit; vt etiam pacta violare cupientibus hostibus occasio adimatur. Qui verò acceptæ cladis iniuriam ab DIs vindicandã esse sibi fingunt, religiosa sanè cogitant, at nequaquàm tuta; nimiæque amentiæ est, fœdifragos à Numine solo vlciscendos sperare, nec vllam periculorum curam sustinere velle: quasi salui ipsi futuri sint, simul ac hostes perfidiæ pœnas luerint. Tunc igitur eorum impietatem experiri oportet, postquàm propriæ res stabilitæ sunt. Qui enim hac vtuntur prudentiâ, non facilè decipi solent, & manifestam perfidiam hostium, qui iniuriam, si licuisset, arguunt. A.

# NOTÆ IN CAPVT XXXVII.

Ne pax inermis esto.

A. CVstodijs positis.] *Nimiò plura exempla sunt Reges & Principes, pacis dulcedine capti hîc offenderint, inque grauiores quàm belli tempore calamitates inciderint. Inter quos Constantinus Magnus, qui pace toto Imperio constitutâ, ratus omnia in tuto esse, milites præsidiarios vrbibus dimiserat, quæ paullò post in acerbam sui hostis redactæ sunt seruitutem. Itaque ex vero est, quod Seneca scriptum reliquit:* Nunquam Imperator bonus ita paci credit, vt non se præparet bello, quod etiamsi non geritur, indictum est. *Adde illud Vegetij*, Frequentissimum initium calamitatis futuræ est securitas. *Liuius de Antiocho* : Antiochus Ephesi securus admodum de bello Romano erat, tanquam non transituris in Asiam Romanis, quam securitatem ei magna pars amicorum aut per errorem, aut assentando faciebat. *In quo prudentior Serenißimus Albertus Brabantiæ Dux, qui pactis cum hoste induciis, vrbes hostili agro adiacentes, quàm munitißimo firmauit præsidio. Ipsum quod Henricum IV. Galliæ regem pace cum Hispano acta fecisse quoque Galliæ scriptores memorant. Si priora verò sæcula repetas, inuenies vnum Agrippam, in summâ pace cùm ageret, muros Ciuitatis antea dirutos instaurasse: & quidem prudenter, nam præter sui securitatem, hoc assequitur Imperator, vt belli tempore ingruente, habiturus sit milites in promptu manu strenuos, & in re militari exercitatißimos,* Enimuerò, nemo celeri⁹ opprimitur, *vt Vellei Verbis vtar*, quàm qui nihil timet. Frequentissimum calamitatis initium, Securitas.

De vita Beata.

Vellei lib. 2.

Ioseph. 2. Bell. Iud. cap. 1. & Antiq. 19. cap. 7.

# CAPVT XXXVIII.

## *Ciuitates subactas ab Imperatore, siue Duce supremo benignè, & humaniter accipiendas.*

A. SI quæ ciuitates Imperatori sese dediderint, *comiter*, ac *ciuiliter* regendæ sunt. Sic enim & aliæ fortassis ad deditionem adducentur; sperantesque se huiusmodi humanitatis fore participes, in eiusdem ditionem allicientur. Qui verò cùm primùm vrbe aliqua potitus est, sese illi acerbum, ac molestum exhibet, aut ciuium facultates diripiendo, aut ciues ipsos interficiendo pulsandovè, aliorum quoque ciui-

ciuitatum animos ita abalienat, vt bellum perdifficile, & victoriæ spem desperandam præparent. Postquàm enim perspexerint, nullum veniæ relictum esse locum, apud eum in cuius ditionem aliæ venerunt, omnia priùs sustinebunt, facient, ac patientur, quàm in eius potestatem redigantur: nihilque magis generosas mentes erigit, quam malorum impendentium metus, & similis alienæ miseriæ perferenda calamitas; semperque malorum post deditionem exspectatio, obstinatum, ac perpugnacem in periculis animum efficere solet: cum desperatis autem periculosum, & arduum certamen est. Cùm enim nulla illis rerum meliorum spes, etsi hostibus cesserint, affulgeat, multis anteà cladibus inflictis, extrema tandem malunt subire pericula. Vnde aduersus huiusmodi Duces vesanos, ac ferocientes, diuturnæ esse solent obsidiones; immò sæpè infectæ, & irritæ, nec parum intereà damnosæ ac fallaces.

---

# *NOTÆ IN CAPIT XXXVIII.*

A. COmiter ac ciuiliter.] *Moderationem Imperatori suo proponit hic auctor, vt eam, maximè deditis potißimùm ciuitatibus, exhibeat id quod sæpiùs alibi, & meritò, inculcauit. Nam, vt Tragicus ille inquit,* Deditæ Ciuitates benignè accipiendæ.

——— Arma non seruant modum, Senec. Herc. fur.
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira; bella delectat cruor.

*Hoc autem fine humanitatem commendat, quod per eam obnoxias sibi reddet cæteras Ciuitates, vt illæ quæ Alexandri clementiâ motæ in deditionem propenderunt. Sacæ, inquit Curtius,* misêre legatos, qui pollicerentur gentem mandata facturam. Mouerat eos Regis non virtus magis, quàm clementia in deuictos Scytas: quippè captiuos omnes sine pretio remiserat, vt fidem faceret sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de irâ fuisse certamen. *Quare non iniuriâ Leo Imp.* Lib. 7.
Si Deo annuente subjiciatur tibi Ciuitas, vel castrum, ob metum obsessionis, vel aliam caussam, clementer ac beneuolè afficiaris erga obsessos. *Itaque, rectè notat Scipio Amiratus in Dissert. polit. Duces sibi cauere debere, ne deuictas vrbes patiantur exscindi: nam eo pacto, aut victores sibi ipsis damnum inferunt, aut victi victorum iram contra se maiorem concitant: quo argumento Belisarius Totilæ suasit, vt Romam ab vltimo excidio seruaret, tantamq; ab eâ crudelitatem auerteret. Præterea desciplina militaris corrumpitur, dum milites rapinæ dulcedini assuefiunt, à quâ deinde abstinêre nequeunt, etiamsi iubeantur. Ideò summoperè laudati fuerunt, qui vrbes destruere volentibus sese obiecerunt, quales inter Florentinos fuit Farinato de Vbertis, inter Neapolitanos Iacobus Caldora.* Constit. 15. Lib. 13. c. 8. Procop. lib. 3.

§. *Fidem*

## ¶. *Fidem proditoribus esse seruandam.*

A. *Proditoribus fides*, & promissa ab Imperatore siue supremo Duce seruanda sunt: nec considerandum, quòd isti fuerint proditores, sed quòd alij deinceps futuri sint: quod postquàm sibi hostium partes amplectentibus gratiam haberi perspexerint; animos ad ea beneficia conuertent suos. Quisquis enim proditori dat, munus accipit potiùs, quàm confert. Ideoque prompta esse debet Imperatoris hac in re liberalitas, quippè de hostium proditâ ciuitate iudex, aut arbiter non est, sed patriæ suæ Imperator.

# NOTÆ.

Fides hosti & proditori seruanda.

A. PRoditoribus fides ab Imperatore seruanda.] *Plerumque quippiam alij promittimus, propter beneficium quo ab eo donati sumus: cui si fidem non præstamus, extra controuersiā ingrati accusamur, etiamsi is cui fidē dedimus deterrimus sit. vnde in Sacris legimus fidem à Iosue Gabaonitis seruatū, & à Dauide Semei, homini alioqui seditioso & maledico. Quandoque hosti fidem damus: cui etiam seruandam* D. *Augustinus docet ad Bonifacium scribens:* Fides, *inquit*, quando promittitur, etiam hostibus est seruanda contra quos bellum geritur. *Tu ergò qui tuâ sponsione alligatus es, fidem exsolue : quia leuissimi atque inconstantis immò perfidi hominis est facto non implere, quod iam ante pronunciasti. Nam, vt præclarè apud Homerum Achilles ait:*

Iliad. 4.

Εχθρὸς γὰρ μοι ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν
Οσγ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ:
Is mihi iuxta inuisus, vt atri limina Ditis.
Qui factis aliud prodit, quàm dixerat ore.

*Tales hodie Turcæ quorum fides nihilo securior est quàm Pœnorum : vt experimento didicerunt Præsidiarii qui Budæ, Volpii, Soclesiæ, Strigonii, Albæ regalis Iulæ, & Agriæ deditionem fecerunt, ab eoque occisi fuerunt, tametsi sui incolumitatem pepigissent, ergò apagè tales: prædicemus potiùs, Regis Antigoni Asiæ responsum, cui cùm assentator diceret omnia honesta & iusta esse Regibus, respondit :* omninò Barbarorū quidē Regibus nobis sola honesta ꝓ honestis, sola iusta ꝓ iustis habēda sunt. Cōsules Romani salutē dicunt Pyrrho Regi: Nos pro tuis iniuriis continuo animo commoti, inimiciter tecū bellare studemus. Sed cōmunis exempli & fidei ergò, visū est vti te saluum velimus; vt esset quem armis vincere possimus. At nos venit Nicias familia-

Gellius lib. 3. c. 8.

familiaris tuus, qui sibi pretium à nobis petere, si te clam interfecisset. Id nos negauimus velle, nevè ob eam rem quicquam commodi expectaret; & simul visum est vt te certiorem faceremus: ne quid eiusmodi si accidisset, nostro consilio Ciuitates putarent factum: & quod nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu nisi caueas, iacebis. *Mittamus veteres. In ardore illo memorandæ Ostendanæ obsidionis, triduum ab exacto triennio vt vtar verbis eximii D. Frodmondi indicta erat vtrimque armorum cessatio, inquit, cùm intereà à speculatoribus ad Principem Belgarum Albertum affertur laxatam oppidi custodiam, vix denos aut vicenos ad mœnium tutelam excubare, facilè nec opinantes obrui aut frangi posse, modò fidem velit. Consilium infame Magnanimus Princeps aspernatus: Pactum,* inquit, *ab armis iam silentium fecit, maneat hostibus Ostenda; imò quod reliquum est fidelium Prouinciarum accedat potiùs, quàm mihi fides vilis. quis enim seruet, si abjiciunt Principes à Deo dati in similitudinem & exemplum humani generis? ô dignam Principe Pio vocem! & quam vtinam hodie in mente & facto habeant quicumque regnant aut eminent inter mortales.* Orat. funeb. Alberti Ducis Belgarum.

---

# CAPVT XXXIX.

## *Imperatorem siue Ducem supremum nosse debere astrorum, syderumque motus.*



AD impressiones autem faciendas, vrbesque per proditionem noctu inuadendas, inerrantium per noctem supra terras *syderum* Imperatori siue Duci supremo *peritiam* aliquam inesse oportet, aut sæpenumerò vanas & irritas struet ille insidias. Nam aliquando proditor tertiam, aut quartam, aut aliam quàm opportunam duxerit noctis horam constituit, quâ se portas reseraturum, aut custodes ciuitatis iugulaturum, aut hostile intus præsidium inuasurum promisit. Tuncque de duobus alterum euenit, nempè vt vel præmaturè hosti appropinquet, & priusquam proditores parati sint, deprehendatur, reique gerendæ consilia impediantur; vel vt diutiùs cunctando seriùs adueniat, & proditores in ipso belli furto comprehensi, ad mortem illicò rapiantur, nihilque ipsi perficiat. Itaque conjicere apud se, viamque metiri debet, & quot stadia peruadenda, quotque horarum sit iter: tùm ex syderum intuitu emensum iam spatium colligere, quantumque adhuc conficiendum sit, definire. Id si accuratè perpen- A.



derit,

derit, commodum tempus nec temerè festinando præuertit, nec diutiùs commorando elabi patietur. Et vix adhuc rumor erit eum aduentare, quando iam in muros fuerit admissus.

At si interdiù mouere exercitum velit, vrbem aliquam, constituta hora, occultè, *per proditionem* inuasurus, præmittat equites aliquot, qui obuios quosque intercipiant, ne quis se indè ad vrbem cursu proripiat, hostesque aduentare significet: sed, incautis improuisus immineat exercitus. Quisquis autem nec opinantes hostes opprimere volet, etsi non per proditionem victoriam surrepturus, sed dictâ & denunciatâ die concertaturus, haudquaquam interiecta mora id agat, sed quàm poterit citissimè in oppidum, aut vallum, aut vrbem, impetum faciat, præsertimque si militum numero hostibus inferior sit. Nam repentini impetus, quique præter opinionem desubitò ingruunt, aduersariorum copias etiam præstantiores, potioresque percellunt. At si per tempus illis vires tuas circumspicere, de iisque deliberare liceat, eas tandem sumptis animis despicere, ac negligere incipient. Adeò res quædam audacibus, subitisque inceptæ principiis, per sæpè maiorem incutiunt, quàm prolatæ, terrorem. Ideoque à nonnullis improuiso hostes aduentu perterriti; aut celeriter & volentes ditioni illorum subiecti sunt; aut nolentes, imperatis parère coacti sunt.

---

# *NOTÆ IN CAPVT XXXIX.*

Astronomia Imperatori necessaria. Lib. 9.

SYderum peritiam.] *Id est qui veram positionem* ac motum *syderum, rationemq́ signorum cœlestium assecutus sit, quam facultatem etiam Polybius in Imperante exigit affertq́ rationem hanc:* Etenim, *inquit*, qui determinatum tempus excedit, spe quidem sua fraudatur: at quod factum est, post aliquod interuallum cognoscens, adhibitâ cautione resarcire potest: qui verò tempus opportunum præuenit, accedens & innotescens, non solùm non consequitur, quod volebat, sed & de tota rei summa periclitatur. Dominatur quidem occasio in cunctis rebus humanis, maximè verò bellicis, *& pergit vsum disciplinæ huius pluribus explicare, quæ videri poterunt ab ijs, quibus vsui esse hæc poterunt. Cæterùm de excellentiâ astronomiæ & Geometriæ quique in iis excelluerint, vide Plin. lib.* 7. *c.* 17. *Cel. Rhodeg. lib.* 18. *c.* 34. *&* 5. *Polyb. Virg. lib.* 1. *c.* 17. *&* 18. *Valiturium de Geometriâ militari lib.* 2. *c.* 5. *Ipse Cæsar apud Lucanum lib.* 10. *fatetur se disciplinis istis imbutum:*

——— media inter prœlia semper
Stellarum, cœlique plagis superisque vacaui,
Nec mens Eudoxi vincetur fastibus annus.

B. Per

B. Per proditionem ] *Quid si detegatur? iis consultum erit quibus machinatur, regionem ita concinnare, inquit Æneas, vt quam difficillimus sit in illam aditus, item fluuios, vt trajici ægrè queant, ( quod facilè præstatur pontibus deiectis, aut castellis ad transitum excitatis ) necnon portus, qui in vrbe ditionevè fuerint, hac arte consepeliendi sunt, vt ne illos quisquam ingrediatur; aut si quid fuerit ingressum, ne egredi inde valeat: tum quâ ratione quæ hostibus vsui esse possint inutilia reddenda sint, aut corrumpenda, aut perdenda, siue ea sint esculenta siue poculenta, aut fruges fructusvè qui in agris reperiuntur, aut res aliæ: item aquæ regionis non fluentes, quo pacto ad bibendum inhabiles reddi queant: qua de re hoc ipso in tractatu plura diximus.*

Hosti aditus quomodo obstruendus. Poliorcet. cap. 8.

---

# CAPVT XL.

## *De Vrbium obsessionibus.*

VRbium oppugnatio, obsidioque Imperatoriam virtutem prudentiamque vnà cùm machinarum apparatu desiderat. *Non est autem temerè suscipienda*, ( *nec minùs occultare sua consilia obsidentes debent*, ) quàm qui obsidione vrgetur. Quibus enim insidiæ fiunt, periculorum, quæ sibi parantur haud ignari, diligentiùs illis prospiciunt; *qui verò faciunt insidias*, rati se extra periculum esse quidquid agere decreuerunt, vt lubet, peragunt. At qui se quoque in discrimen vocari cogitant, pericula effugere, & aliquid contrà struere, si se offerat occasio annituntur. Vrbem igitur aliquam oppugnaturus Imp. exercitum suum *fossâ, vallo, custodÿsq́ muniat*. Nam obsidentium quidem militum molitiones ab hostibus è muro facilè conspici poterunt: obsessi verò obiectis mœnibus tecti, improuisa sæpenumerò *eruptione per portas* effusi, vel machinis ignem subjicient, vel militum strages edent; vel denique quidquid tumultus suadebit, audebunt.

A. B. C. D. E.

---

## *NOTÆ IN CAPVT XL.*

A. NOn temerè suscipienda. ] *Ideò Scipio Romanus apud Suidam, hoc consilium dabat: Aut tentare non oportet; aut si tentare, vt omnibus viribus, quod instituisti*

In voce Καιρῶν.

*coneris perficere .nam bis ad eundem lapidem offendere, simul periculosum est, & contemtui obnoxium.* Porrò si certa designataque sit obsidio, hac cautione vtaris, vt tempore congruo illam aggrediaris, id est sub tempus vernum, vtpotè quod tunc copiam pabuli assequi poteris. sunt qui incendio loca vicina vastanda existiment, quorum sensum secutus est Dux Epernonus in obsidione Richellæ; & denique omnes commoditates tollendas, quæ vsui obsessis esse possunt, idque intra spatium, quo tormentum bellicum pertingere potest: super quâ re videatur D. Antonius de Ville in opere suo Munit. bell. lib. 2. p. 2. cap. 23. cui addo, vt obsidentes conentur arctiorem reddere obsessis annonam, & citò circumsideant: nam inopinatæ obsessiones sæpè fœlicem successum habent.

Lib. 13. B. Nec minùs occultare.] *Si quâ in re silentium & celeritas necessaria sunt, ea in obsidionibus maximè desiderantur. M. Cato vrbem quandam Hispaniæ vt interciperet, iter biduò confecit, quod alius segnior, quatridui spatio non egisset. Camillus inclytus Romanorum Dux, Italiæ oppidum eodem die, quo illius iacturam fecerat mirâ celeritate à Latinis recuperauit. Ita nuper in Artesia vrbem Ærensem paulò antè à Gallis interceptam in suam Hispani redegêre potestatem. Superioribus seculis Carolus magnus vt Hispanias iugo Barbarorum liberaret, inopinanter & antequam illis cognitum esset ipsum iter suscepisse, Augustam & Pampeloniam intercepit, vicit, expugnauit.*

C. Qui verò faciunt insidias.] *Græci, teste Polybio, tantùm à machinatione, & dolis abhorruère, vt nec hostes suos vellent per fraudem vincere; censentes neque splendidam, neque firmam vllam victoriam, nisi quis palàm, & ex condicto depugnans, animos quoque deiecisset aduersariorum. Sequens ætas, parum curauit, dolone an virtute hostem vincerent, immò pro solertia dolum accepère, dum non fidei, pactis, fœderibus, iniuriâ factum iretur.*

Lib. 44. De munitionibus castrorum. D. Fossa, vallo, custodiisque muniat.] *De quibus sigillatim suprà cap. 8. Cæterùm, quanti munitiones castrorum fecerint Romani, satis docet P. Æmilius apud Liuium:* Maiores nostri, *inquit,* castra munita, portum ad omnes casus exercitus dicebant esse, vnde ad pugnam exirent, quo iactati tempestate, pugnæ receptum haberent. *Vides portui illos castra assimilasse, vt si alicundè irrumperet hostis, mox se ad illa reciperent, tanquàm in tutissimum perfugium, salutisque præsidium. posteaq; subjicit:* Ideò, cùm munimentis ea cœpissent, præsidio quoque valido firmabant: quòd qui castris exutus, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo habebatur. *Itaque quantò magis obnoxii sunt obsidentes irruptionibus obsessorum, tantò eniti eos par est, ne subitâ & inopinatâ hostili eruptione circumueniantur: quod commodum assequentur, si exercitum vallo, fossaq; muniant, vt rectè hîc monet Onosander, & suprà abundè ostensum est. Enimuerò, exploratum perspicuumque est insigniora prœlia & victorias, quas Cæsar in Hispaniâ de Petreio & Afranio consecutus est, non aliundè processisse, quàm quod ipse munitiones diligenter curauerit; quarum auxilio sæpè suos hostes sine sanguine in potestatem redegit.* Lib. 1. Ciuil. *Contrà, quid mali temporibus nostris castrorum locandorum*

Lib. 19. Differt. Disc. 9.

rum inſcitia effecerit, exemplo cladis Rauennatenſis docet Scipio Amiratus, & exemplo Ducis Parmenſis, qui non mediocre damnum à Gallis ( quos iteratò inuaſerat ) ſuſtinuit, quod caſtra non peindè vt decebat foſſis & aggeribus munierat. Pertinet etiam ad obſidentes mittere plures exploratores qui, conſiderent & conſilio bellico referant loca Vrbis obſidendæ, quibus facilior ingreſſus patêre poſſit, veluti ſi pars aliqua muri fracta, aut minùs alta, aut lacuna aliqua antiqua non ſatis cautè obturata, an ſtationes, ſiue excubiæ longè inde diſtent: amplius, mœnia & foſſæ conſiderandæ an ſint latæ & profundæ, an difficulter oppleri poſſint, an aquâ munitæ. Pernoſcant etiam an frequentes circuitores, & quâ horâ, an locus ſiue Receptus muris vicinus in quo tutò aggreſſores, ſi repulſam pati contingat, ſe recipiant. Præterea poterunt eodem ſtratagemate vti, quo vſi ſunt Hiſpani apud Ambianum, qui ruſtico more induti ſolutis ſaccis nucum plenis ad ingreſſum portæ, milites qui illius tutelam gerebant nucibus colligendis impeditos nullo negotio trucidarunt, ſicq́ꝫ vrbe potiti ſunt. Ita Cæſar Maxio Neapolitanus molitus fuit Thurinum Gallis tum occupatum carris fœno onuſtis, ſub quo milites armati deliteſcebant intercipere. Ita Princeps Mauritius oppidum occupauit Bredanum cæſpitibus nauigio impoſitis, ſub quibus milites manuſtrenui occultabantur. Conſimilem in modum cùm Thebani portum Scicioniorum aſſequi nequirent nonnullam nauem mercibus onuſtam, ſub quibus clam animoſos conſtituerunt milites, emiſerunt, quorum pauculi relictis in nauigio armis egreſſi, ex compacto iurgium inter ſe concitabant. Scicionii ergò pacis cauſa accurrunt, Thebani mox è naui exiliunt, eosq́ꝫ interficiunt, portuq́ꝫ inopinato potiuntur. Plerique armatos milites ſenſim in Vrbem mittunt habitu ſimulato, qui iis mox ſe iungant, quorum ſolertiæ creditum eſt ſtratagema ad portas vrbis exercendum. Intereà auxiliares copiæ præſtò ſint, vt mox ingrediantur muniti loricis ſecuribus malleolis, aliiſque inſtrumentis oſtiis perfringendis aptis, qui etiam diuerſis in locis ignem ædibus inijcient: ita enim Oppidani ad arma ponenda, & deditionem faciendam proniores erunt. Atque iſtæ quidem ſtrophæ ſuſcipiendæ obſidentibus. Obſeſſis illa, quam proponit Æneas mox initio Commentarij Tactici, & obſidionalis, quem nuper Cauſabonus Latinè vertit, & Commentarijs illuſtrauit. Nimirum vt quotquot in Vrbe obſeſſa ſunt, biformi partitione diuidantur: τῶν ἐκπορευομένων, quibus eruptiones in obſidentem hoſtem faciendæ mandantur: τῶν τειχηρῶν, qui intra murum defenſioni vrbis vacant. Et illi quidem, qui extra muros eruptiones facturi proficiſcuntur, ſecundùm naturam locorum debent ordinari ad quæ mittuntur, & per quæ tranſeundum; periculis puta expoſita aut munita, anguſtiis arctata, aut plana, edita in altum, aut inſidiis locandis nata; itē in quibus hoſtes ſint amnem traiecturi, aut vbi ex tali aliquâ occaſione acie ſit dimicandum. Porrò, illis inſtruendis copiis, quæ intra muros remanſuræ ſunt, cuſtodiæ vrbis deputatæ, non ea quæ modò diximus ſunt ſpectanda; ſed eorum potiùs locorum, quæ in vrbe ſunt, ac præſentis periculi haberi ratio debet. Primùm igitur prudentiſſimos quoſque & rei bellicæ peritiſſimos eximere oportet, qui magiſtratibus ſemper ſint præſtò futuri: tùm autem è cæteris corpora ſeligenda ſunt, laboris patientiſſima; atque ex his certæ militum manus conſcribendæ, qui ad erum-

Obſidentes exploratores mittant.

Strategem. vtantur.

Vires obſeſſorum, vt partiendæ.

*pendum in hostem, ad circuitiones vrbanarum vigiliarum, ad submittenda pressis auxilia & similia his aliis ministeria destinati, iis muneribus exsequendis futuri sint pares. Istos autem benè in ciuitatem esse animatos, & in præsenti rerum statu acquiescere oportet. Nam aduersus clandestinas aliorum molitiones corpus hoc congregatum, instar arcis cuiusdam magno fuerit præsidio; metu enim continebitur factio contraria, si quâ in vrbe fuerit. Ducatus verò & cura horum , viro tradatur cùm cætera prudenti & robusto; tum etiam, quem ex mutatione rerum plurima pericula maneant. è reliquis, valentissimi quique statura corporis & inuenta eligendi qui excubiis atque mœnibus collocentur. Iam quæ superest multitudo pro longitudine noctium, & modo vigiliarum, in plures paucioresq; manipulos debet describi. è plebis verò turba, alii in foro, alii in theatro collocantur; alii in variis areis, si quæ sunt in vrbe, ne qua penitùs illius pars defensorib⁹ sit nudata.*

E. Eruptione per portas.] *Necessariùs interdum esse obsessis eruptiones haud dubium, alias similes essent iis qui nihil pensi haberent videre ignem in vicinis ædibus, neque in eo extinguendo darent operam nisi proprius inuasisset.*

*Hoc διδακτήριον multis exemplis confirmare, esset operam ludere: nulla enim propemodum est obsidio, quin præsidiarii nonnunquam erumpant, adeoq; non expectata arcta obsidione mox obuiam hosti procedant, vti Cn. Pompeium aduersus I. Cæsarem, Adherbalem contra Appium Claudium, Elniadentes aduersus Antiochum fecisse compertum est. Quod si tamen Ciuitas, vel castrum ingenio loci munitum esset, pauciq; ciues, aut milites præsidiarii inessent, insipientis sanè esset meditari eruptionem. Si quando autem necessaria erit aduertant obsessi. Primò vt per locum quo maximè præmuntur, quique hostibus nociuus esse possit. Secundò, vt commodam nanciscantur occasionem temporis, veluti pluuiosi aut gelidi, atque vt vna aut altera hora ante diluculum, quod tunc vigiliis pressi milites indormiscant: cùm enim nocte tota excubarint, frigore, pluuiâ, procellis, ventis fatigati, inediâ debilitati, tantũ non iniuriâ tẽporis deuicti existimantur, facileq; profligantur à militibus internis cœnatis, & minimè fatigatis. Vlysses apud Homerum cùm audisset ab Achille Græcos ad arma sine vlla mora conuocatos, disertè monuit, non esse ieiunos Græcos ad pugnam mittendos, sed benè pransos. Plura hac de re, suprà cap. 12. scripsimus, & infrà cap. sequenti. Secundò, cautio est vt ante egressum tormenta bellica præstò habeant è regione loci quem aggredi intendunt, eaq; catenulis, & globulis repleta. Tertiò, mittant lectissimas & manu strenuos milites cum suis ductoribus, tessera militari gnaros, & albo symbolo signatos, vt noctu possint vtcumque dignosci. Quartò, Ignes quoque artificiales vibrare per aërem expediet, vt quo loco hostilia agmina sint internosci queant. Quintò, confecta, si noctu redeundum sit ad Stationes, nullus admittatur, quin tesseram vigiliarum excubitoribus pronuntiet, ne idem iis quod Thebanis contingat, qui factâ eruptione , & re ex animi sententiâ gestâ, à Macedonibus intermixtis reuersi vnde venerant, ad internecionem deleti sunt. Sextò, & denique: Ne obsessi eò proniores sint ad eruptionem quod in vicino incendia videat. Nam Cariæ corbem loco & fano Dianæ incenso, Cimon Atheniensis occupauit, quod præproperè ciues vrbe egressi essent.*

CAPVT

# CAPVT XLI.

## *Insidias ante obesse vrbis portas collocandas.*



SEcus *si ad portas* & ostiola milites disponat Imperator, subitis hostium excursionibus coërcendis: quando *erumpentium impreßiones* eos, *qui extra obsident*, sæpè fallere solent. Nocturnæ autem oppugnationes omninò sunt obsidentibus vtiles. Obsessi enim, quæ ab hostibus parentur in tenebris cernere nequeunt, ideoque grauiora, & periculosiora esse, quàm reipsa sint, existimant. Vndè & *tumultus excitantur*, quum nemo quid in iis rebus prudentis consilij det, habeat. Immò damnum infectum, iam factum esse plerique putant: nec scire possunt, quo modo hostis vrgeat, aut cuiusmodi scalis admotis instet. Quare & seditiones *paßim clamoresq; ac trepidationes* cum panicis terroribus excitantur.

A. B. C. D. E.

# *NOTÆ IN CAPVT XLI.*

A. SEcus si ad portas.] *Illud obsidentibus: hoc obseßis ex Ænea suggerendum, ne primò manè portæ inconsideranter aperiatur; verũ aliquãtò seriùs. Deinde, vt nemo priùs emittatur, nisi exploratis locis circa vrbẽ. Adhæc, vt is qui vrbi præest portarũ custodes constituat, qui omnia quæ in vrbem inferuntur, curiosè inspiciant. dilectus tamen custodum habendus, vt viri prudentes, solertes, benè de re domesticâ constituti, quique liberos domi habeant huic curæ præficiantur, non etiam eos qui propter egestatem aut aliquam neceßitatem, quam contrahendo sibi imposuerint, aut ob aliud inopiæ genus situri sint, se à nonnullis impelli, aut ipsi alios impulsuri ad res nouandas. Vndè Leuco Bospori tyrannus, etiã milites præsidiarios, qui propter aleã, aut aliud intẽperantiæ genus æs alienũ contraxissent, ære dirutos faciebat. Insuper, reportère Hemeroscopos* * *in loco edito & qui è longißimo interuallo sit conspicuus, collocare. In singulis autem specularũ locis, tres minimũ Hemeroscopos stationẽ agere necesse: atq; eos, non quos casus fortuitus obiecerit, sed belli peritos: ne speculator præ imperitiâ aliquid opinatus, det eius rei signũ, aut nunciũ in vrbẽ deferat, & sine caußâ negotiũ oppidanis facessat. Solet hoc euenire eis, qui rationes*

Vrbi obsessæ, quæ circa portas obseruanda.

* Hi erant diurni speculatores, qui eminentiori

*rationes disponendæ aciei aut gerendi belli cùm ignorent, quoties aliquid hostes faciunt, aut agunt, vtrùm destinato consilio, an casu aliquo ea gerantur, non intelligunt. At peritus, quem hostilis apparatus non fugit, non multitudo, non iter, & si qui alii sunt exercituum motus, is demùm veritatem renunciabit. Si loca eiusmodi non reperiantur è quibus data signa * videri in vrbe queant, alios aliis in locis collocabis, qui sublato in altum signa suscipient, atque ea porrò in vrbem transmittent. hoc ampliùs Hemoroscopi pedum celeritate pollentes sunto, vt si qua inciderint, quæ signis declarari nequeant, scitu tamen necessaria, celeriter aduenire possint, & quoad eius fieri queat, è longinquo interuallo nuncium deferant. Optimum verò fuerit, si equitationi apta sint loca, & equi suppeditent, equites cæteris speculatoribus adiungere, vt per illos eò citiùs omnia nuncientur. Emittendi autem sunt ex vrbe Hemeroscopi manè summo, aut noctu; ne speculatores hostium, eos ad speculas euntes deprehendant, Tesseram Hemeroscopi vnam atque eandem habento ab vrbe diuersam, ne si fortè ab hoste capiantur, aut volentes aut nolentes, oppidanorum tesseram possint prodere. Ita Æneas, qui alio loco Imperatori seu ei qui vrbi, castrisvè quæ oppugnantur præest, suadet, vt ipse in eminentiori & conspicuo omnibus loco consistat, vnde ex facili in re subitâ, quid facto vsus sit per tubicines indicere possit.*

aliquo positi loco speculabantur.

* Igne, vel panno aliquo.

Poliorcet. cap. 5.

B. Erumpentium impressiones.] *Cuiusmodi esse debeant, docet eleganter his verbis Æneas: Vt nimirum seruatis quàm maximè fieri poterit ordinibus, ad hostem contendant. deinde alia item manus cogenda, atque ita emittenda; ac rursus alia, si ita fors ferat, donec videbuntur esse idonei, qui auxiliatum exierint, vt cum in itinere agmen sit continuum, tùm etiam siue per partes, vnam pluresvè opem ferre oporteat, siue omnes simul facilè coniungi inuicem queant, neque curriculo procul aduenïant. Primos autem exire conuenit ante horum agmen equites quos ciuitas habebit, & leuem armaturam: nec hos quidem inexplorato, sed omnia diligenter explorantes, & loca edita occupantes, vt quamprimùm rescíscant ciues, quid hostes agant, aut vbi sint; & vt repentinum eis nihil contingat. tum etiam circa prædiorum flexus, collium radices, viarum diuerticula, & vbicumque triuia exstiterint, signa poni debent, ne qui in extremo agmine fuerint relicti, circa illa loca, vtpotè itineris ignari, inuicem separentur. Sed & eos qui redeunt in vrbem, multis de caussis pedem referre cautè oportet: maximè autem, ne in præparatas ab hoste insidias præcipitent. Iam enim prioribus temporibus, cùm ad ferendam pressis opem parum cautè oppidani exiissent, tale quid accidit. Hactenus ille, qui etiam alia cap. 13. non inutilia eodem respicientia affert, nec indigna quæ prædictis subnectantur: nimirum quoties clandestinæ parantur eruptiones in hostem pro mœnibus castra metantem, hac vtantur cautione, vt nullum sub dio lumen exstet, neque quisquam ad hostem transfugiat, ne is quid in vrbe geratur certior fiat. Latratus item canum & gallorum gallinaceorum cantus de medio tollendi: & parte aliquâ corporis inusta, vox illis eo tempore adimenta. Nam hæc animantia diluculò vocem edentia, futuri dant significationem, &c. Sed & illud vitandum, ne temerè vrbana multitudo faciat eruptionem: quo genere doli proditores interdùm vtuntur, dum alii intra vrbem, alii extra, oppidanos vt temerè prodeant*

Cap. 15. Poliorcet.

*deant his & similibus fraudibus conantur allicere: puta facibus accensis aliquid significarunt, aut gymnasium sacrum ad vniuersi populi vsus expositum, aut talem omninò locum, cuius gratia multitudo hominum sit extra muros proditura. quare multò ante ista prouidenda, nec temerè similes nuntii suscipiendi.*

*Denique, solent eruptiones plerumq; ab obsessis fieri cùm ad angustias, & summas necessitates redacti sunt. Leodienses, teste Philippo Cominæo, cùm obsiderentur à Galliæ* Lib.5. Côment.
*Rege Ludouico XI. & sacro illo Carolo Burgundo, carerentq; omni externo præsidio & quos habuerant viros fortes, vel occisi essent, vel vulneribus confecti, portis etiam & castellis, & muro, & fossâ, & tormentis essent prorsus denudati; atque ita res ipsorum ad extremum perducta esset casum, desperatâ salute, ingenti eruptione factâ, extremum auxilium experiuntur: magnamq; edunt hostium stragem: nec multum abfuit quin vtrumque interemissent. At tandem victi, profligati, incendio absumpti fuère, à Christianis scilicet Principibus. Sunt tamen eruptiones illæ, vt subjicit idem Cominæus, tametsi necessa-* An.1468.
*riò fiant aliquando) valdè tamen periculosæ iis qui obsidentur. Nullam enim isti tam paruam faciunt iacturã, quin eis propter paucitatem ipsorum, & simul propter difficultatem recuperandi noua præsidia, longè maxima videri debeat.* Si tamen necessitas Liuius.
vrgeat, sic prouideant, vt minimè erupturi videantur. *Romani cùm Panormum tenerent, rares in muris defensores ostenderunt, & Asdrubalem incautè subeuntem ceciderunt.*

C. Qui extra obsident.] *Vt & eos qui obsidentur, vt vidimus illo stratagemate, quo Ambiani non ita diu ab Hispano circumscripti fuère, qui quò vna & vigiles occideret, & portas sibi patentes militibus intomittendis, qui noctu in vicinis locis delitue-rant redderet, præmisit diluculò carrum nucibus onustum cum decem duodecimvè militibus, sagis rusticorum indutis, quorum vnus dexterrimè saccum vnum soluit. hi, vt vigiles colligendis rapiendisque nucibus intentos animaduerterunt, dictum ac factum sicas, quas sub vestibus gestabant, partim distringunt, partim sclopetas in eos explodunt, atque ita singuli singulos aggressi, non dubio Marte interimunt. Ipse verò carrus vsui etiam illis fuit sistendis cataractis, sic nullo impedimento, nulloque ferè contra nitente, vrbe munitissimâ scitissimo stratagemate potiti sunt.* (De insidiis ad obsessæ vrbis portas collocandis.) Laudanda *ergò* eiusmodi decipula, per quæ hostes maximè decipiuntur, & amici plurimùm iuuantur, *quod Brasidas inquiebat.* (Thucyd. lib.5.) *Nam teste D. Augustino:* Cùm bellum iustum suscipitur, vt apertè quis pugnet, aut ex insidiis, nihil ad Iustitiam interest. (Quæst. 10. in Iosue.) *Fridericus Montisferrati Comes,* cùm Verrucæ arcem, quæ Sigismundi Malatestæ Ariminensis Principis erat, obsideret, nec intercludi aut expugnari à se posse præuideret, astutiam iunxit, (Marsel. lib. 2. de leg.) quam prætulit viribus. Litteras scilicet adulterino charactere, ac suppositio sigillo dextrè fabricatas ficto Sigismundi nomine, ad arcis & præsidij Præfectum clam noctu misit, idque per hominem obsessis ignotum, qui in vilis rustici pallâ & loquela appositè gesticulandi peritissimus erat vulpio. Præfectus, dum meliore fide, quàm fortunâ rescriberet, se eâ quæ indicabatur exspectatu-

rum simul & auxiliares copias, ac commeatus; Fridericus milites suos, Sigismundi militari signo, symbolo blandientes, & laruatos, quâ conuentum erat horâ, & viâ licet paludosâ, atque difficili, noctu misit. Sed hi, ne fortè initio attentiùs discuti, aut obseruari possent, fictâ procul à tergo cum collusoribus pugnâ, dum hostiliter retrò sisti, ac sauciari viderentur, liberiùs introierunt, arce potiti sunt. *Velius* è contra, arcis Tarentinæ custos, & Gubernator, simulans suos pestilentia, inediaque laborare, ideoque nec tertium hoc malum obsidionis posse diutiùs sustinere, obtulit Asdrubali deditionem, ea lege, vt incolumes abscedere concederetur. Concessum est; sed non abscessum, nisi per ipsum Asdrubalem, cuius exercitus, calamitosa strage adeò mox fusus est, quasi nunquam exercitus fuisset. Certè, in eiusmodi decipientiū fiducia, & deceptorum credulitate, moxque inordinata consternatione decemmilites superant centum, siue defendendum, siue oppugnandum sit. *Ita ille.*

D. Tumultus excitantur.] *Id quod summoperè cauendum esse docet, idem Æneas in suo opusculo Tactico & obsidionali latinitate nuper donato à C.V.Is. Causabono: Inter cætera igitur documenta, quæ obsessis dat Æneas, illud non in leui habendum, vt imprimis illud inquiratur, an sit inter ciues concordia : quoniam obsidii tempore, summum id est bonum si non consentiant, contraria factionis capita præcipuè, & eos, qui auctores Reipub. fuerint, vt aliquid faceret, vnde orta est discordia, transferre aliò, nihil tale suspicantes, oportet, & honesto quodam prætextu emittere, velut ad legationem obeundam, aut alia Ciuitatis negotia gerenda. Interim magna cura habenda est obsidentibus, vt quique suas teneant stationes, etiamsi fragor alicubi audiatur. Sæpenumero enim hostis impreßionem simulat, quò minimè cogitat, vt eluso suo hoste stationes illius inuadat. Hactenus Æneas.*

Lib. 7. belli Pelopon. E. Clamoresque ac trepidationes.] *Pulchrè ad hanc rem Thucydides, vbi varia variorum militum pugnam spectantium studia, clamores, adhortationes, lætitiam & mœrorem describit.*

# CAPVT XLII.

## *Metum esse falsum Vatem.*

A.  Etus scilicet falsus vates esse solet; vt quæ timentur, priusquam fiant, facta esse creduntur, & omnia quàm noctu vel leuissima accidunt maximum incutere solent *obsessis terrorem.* Nemo enim ob superfusam noctis caliginem, se aliquid vidisse referre potest; quilibet

verò se audiuisse ait. Et si fortè vnus & alter supra muros hostis apparuit, totum iam exercitum vrbem inuasisse existimant, vrbemque & murorum propugnacula deserentes, *aufugiunt.*

---

# *NOTÆ IN CAPVT XLII.*

A. OBsessis terrorem.] *De metu Panico hic agit Onosander, de quibus latè differit Æneas Cap. xxvij. Poliorcetici: vbi quò metus ille & tumultus inde natus sedari compescique queat, scribit optimum esse præmonitos esse milites, vt ij apud quos pauoris initium fuerit exortum, quieti in loco se contineant; alii* Pæana *inclament, aut terrorem esse Panicum, quam vocem vt quisque audierit ad proximum transmittet, & paullò post: Euphratas Lacædæmoniorum Harmosta in Thracia, quum in eius exercitu frequentes timores nocturni exorirentur, quia sedare aliter eos non poterat, hoc mandatum dedit: quando aliquis nocturnus tumultus extiterit, vt illicò milites ad arma in stragulis (quibus nimirum in stationibus vigiliarum milites vtuntur, residerent; exsurgeret staretvè erectus nemo: si quis stantem rectum aliquem vidisset, imperauit omnibus, vt pro hoste haberent quicumque surrexisset, sic enim cogitabat Euphratas propter metum, quem hoc præceptum afferret, neminem eius obliturum. Huic quoque rei, quando in metu Ciuitas versatur, prouidendum, vt omnes portæ sint clausæ, vna dumtaxat aperta, quâ difficillimè vrbs aditur: & vnde videri è spacio quàm longissimo poterunt, qui appropinquauerunt in hac porta, esto ꝓtulâ sectitia, vt corpora dũtaxat hominũ, & quidẽ singula, per eã ingrediantur atq; egrediantur. nã hoc pacto (adsit modo custos prudens) minimè fallet aliquis, siue transfuga exeat, siue explorator introeat. totã portam aperiri iumentorum & plaustrorum caussa, atque eorum, quæ fœnum afferunt, periculosum. Si quid fortè frumenti, aut olei, aut vini similiumvè rerum, vel plaustris, vel multitudine baiulantium inferendum sit in vrbem, ad proximas portas eæ res conuehi debent; ac celeriter ac facilè, quoad eius fieri poterit, intra muros recipi. Hæc ille. Ad metum etiam tollendum pertinet, vt is qui vrbi obsessæ præest, atque adeò ipsi quoque obsidioni, vt malorum ominum, & falsorum rumusculorum auctores coërceat: vtpotè quibus milites plerumque animis cadunt, vt Oedipus ille apud Tragicum:*

De metu Panico.

Puniendi auctores malorum ominum. Senec. Oedip.

Horrore quatior fata quo vergant timens
Trepitumque gemino pectus euentu labat.

*Notatum in Serenissimo Archiduce Alberto Austriæ, cùm in illa diutina & molesta Ostendæ obsidione essent, qui augurarentur obsidionẽ ad annos productam iri, flagris illos, immò & pœna grauiore admonuisse. Nec tamen fuerunt cæca illorum insomnia. Nam demum dedita fuit Anno* 1604. *in Septembri, cùm cœpta fuerit obsidio Anno* 1600 *sub initium mensis Iulij.*

B. Aufugiunt.] *Periculum fugæ vt auertat Imperatore, expedit primò exhortatione animos militum erigere. Iphicrates victoriã suis promisit, si vbi signũ dedisset, vnum gradum processissent; idque dedit, cùm res in inclinatione esset, & vicit. Epaminondas quoque eodem exhortationis genere vsus. Alexander suos videns inclinare:* adhuc semel viri Macedones, adhuc semel accedamus; atque ita hostem confecerunt. Retineat etiam cedentes. *De Cæsare Lucan.*

Ipse manu subjicit gladios ac tela ministrat
Promouet ipse acies, impellat terga suorum,
Verbere conuersæ cessantes excitat hastæ.

Sueton. cap.67. *Et dum nutantes videret pro concione, non eos milites, sed blandiori nomine* Commilitones *appellabat.*

*Secundò, operæ pretium stratagemate eos eludere. Fuluius contra Samnitas victores, pugnaturis suis animum addidit*, cùm diceret, vnam hostium legionem à se pecuniâ corruptam ad proditionem.

Sueton. cap.62. *Tertiò, magnanimitate*: Ita Iulius Cæsar inclinatam aciem solus sæpè restituit obsistens fugientibus, retinensque singulos & contortis faucibus conuertens in hostem: & quidem adeò plerumque trepidos, vt Aquilifero moranti cuspide se comminatus, alius in manu detinentis reliquerit signum. *Itaque animo hîc opus est. Mitte statim, quibus facundia adsit, mulcendique vulgum artes norint. Sed vbi periculosa est seueritas, dent verba, quæ plurimum valent, spem offerant, metum intendant, blanda promittant, speciosa verbis, & re inania, aut subdola. Ita mox irrita facturus es, quæ per seditionem expresserint. Tacit. l.3. Annal. & 4. Hist.*

---

## ¶. *Imperator, siue Dux supremus suo exemplo milites prouocet.*

Si quid subitò confici optet Imperator, *primus ipse, manu operi admota*, con-
A. spiciatur. Nec enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis, Ducem suum in re attrectanda existimare festinandum esse, cessare erubescit, imperatisque non parêre veretur: nec iam vt seruus, aut imperio subditus, sed commilitionis instar, ad opus quoque prouocatus accedit.

*NOTÆ.*

# NOTÆ.

A. PRimus ipſe manu operi admota.] *Suadet auctor, quod vides, vt in obſidionibus operi alicubi faciundo, primus ipſe Imperator manum admoueat. & meritò herclè ſuaſorem ſe huius rei præbet. Quid enim abnuat miles, quod aggredi audet Princeps? Vide mihi, & attende Alexandri Macedonum Regis induſtriam, in oppugnatione Tyri vrbis:* Cùm amplam foſſam mœnibus Tyriorum adiectam ſuperare cuperet, primus ipſe corbem arenâ refertum apportauit. Macedones cùm regem ſuis manibus opus facere viderent, confeſtim abiectis omnes chlamydibus celeriter loca exæquarunt. *Nec minor, immò mirabilior illius Caracallæ:* Ipſe vtique nullum non militiæ munus obire: & ſiue quid fodiendum foret, primus fodere; ſiue pons flumine imponendus; aut exſtruendus agger, ſiue quod opus manuum faciendum, aut labor ſubeundus, primus omnia occupare: tenuique menſa ac ligneolis poculis vaſisque eſculentorum contentus eſſe: panem etiam temerè factum comeſſe. quippe tritico quantum ſatis vni foret, manu ſuâ molito * maſſaque inde facta, atque in carbonibus decocta veſci ſolitus. Omnia denique elegantiora aſpernari, & viliſſimis quibusque ac vel pauperrimo gregarioque militi facillimis vti. Tum commilitionem, quàm Principem vocari ſe malle. ac plerumque iter facere, perinde atque ipſi pedibus ambulans; raroque vehiculum conſcendere aut equum. ſibi ipſe portare arma; nonnunquam etiam ſigna militaria longiſſima, & multis aureis ornamentis prægrauia, ac ne robuſtiſſimis quidem militibus facilia, ipſe humeris ſubire. Ob hæc igitur aliaque huiuſcemodi vt hominem militarem diligere eum ſuus exercitus, & vt virum fortem admirari. Quippè inſtar miraculi videbatur tantulæ hominem ſtaturæ, tantis eſſe laboribus parem. *Similem, etſi non parem induſtriam in Manuele Imperatore legimus:* Vrbis autem (*Dorylæi*) inſtaurationem aggreſſus, ipſe primus ſaxa humeris portare cœpit: eaque re aliorum alacritatem ita excitauit, vt murus celerrimè in altum rectus, vallo extrinſecus muniretur: & intra mœnia putei complures, vt affatim aqua ſuppeteret, effoderentur. *Itaque non extra fidem Poëta de exercitu Catonis loquens:*

Imperatoris exemplo milites prouocandi.

Polianus l. 4.

Herodia. l. 4.

* Manuariis molis.

Choniates l. 6.

——— Cogit tantos tolerare labores  
Summa Ducis virtus, qui nuda fuſus arena  
Excubat, atque omni fortunam prouocat hora  
Omnibus vnus adeſt ſatis, quocunque vocatus,  
Aduolat, atque ingens meritum manibusque ſalutem

Lucan. l. 9.

Contulit in letum vires; puduitque gementem
Illo teste mori.

*Et in persona Valerij Coruini Historicus:* facta mea, non dicta vos milites sequi volo: nec disciplinam modò, sed etiam exemplum à me petere. *Hinc Cyrus apud Xenophontem:* In rebus gerendis si quidem in æstate fuerit, debet Imperator plus solis tolerare, in hyeme verò plus frigoris, & in laborando plus laboris: ista enim plurimùm conducunt ad amorem subditorum. *Iure igitur dixit Cicero*, Pro leg. Manilia. *hasce res in summo Imperatore inesse oportêre, laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in prouidendo.*

---

## ¶. *De machinis ad oppugnationem.*

Cùm multæ variæque sint obsidionales machinæ, ijs Imperator vt
A. poterit, vtatur. Nec enim mei instituti est, docere adhibendos esse *arietes*, parandasque helepoles, & sambucas, & turres subiectis rotis ambulatorias, & testudines aggestitias, & catapultas. Nam pro variis bellorum casibus, proque opibus & facultatibus parari debent: atque ad fabrorum mechanicorum industriam, solertiamque pertinent, Sed illud Imperatoriæ pru-
B. dentiæ est, si machinæ admouendæ sint, certam *seligere loci partem*, vbi illis commodè vti milites possint. Nec enim muros machinis admotis vndique cingere facile est, nisi vrbis admodum angustæ. Imperator autem siue Dux supremus exercitum multifariam diuidat, & ad quasdam simul murorum partes scalas erigi iubeat. Sic enim obsessos ad consiliorum inopiam,
C. *desperationemque rediget.* Nam si cæteris multorum partibus derelictis, ad machinarum impetus obtundendos omnes concurrerint, tum, qui in scalis erunt, nemine prohibendæ, facilè in muros ascendent, aut si in varios tributi ordines, opem operamque singuli separatim ferre velint, qui machinarum viribus resistere conabuntur, vehementiore illarum impetu discutientur, pugnamque sustinere non poterunt. Imperator igitur strenuum se athletam præbeat, sesèque in species varias conformet, hac illucque aduersarios distrahendo, fallendoque: vnum intereà præcipuè molia- tur, vt totum vrbis corpus valida vi comprehensum, euertere tandem, ac supplantare possit.

*NOTÆ.*

# NOTÆ.

A. ARietes.] *Censet auctor ille Discursuum Florentinus ,machinarum vsum nequaquam prodesse obsessis, sed modò obsidentibus, id quod variis exemplis probare satagit: verum eius adsertiones acutissimè nuper eleuauit vir doctus Scipio Amiratus, quem si belli Duces legerint, laboris eos non pœnituerit, nisi qui sint fortean priscorum obtrectatores, quorum tormenta etsi nostris discrepantia fuerint, eosdem tamen effectus habuisse iis in confesso est, qui antiquas Romanorum & Græcorum historias perlustrarunt. Tantùm ex Iosepho vim machinæ bellicæ ostendam, quam Arietem nuncupabant:* Est autem aries, *inquit*, immensa materia, malo nauis assimilis: cuius summum graui ferro solidatum est, in arietis effigiem fabricato, vnde etiam nomen accepit. Dependet autem funibus, medius ex trabe alia, velut ex trutina, palis vtrimq; fultus, bene fundatis. Retrorsum autem magna virorum multitudine repulsus, iisdéq; simul rursus impellentibus missus, in fronte prominente ferro mœnia percutit, nec est vlla tam valida turris, aut murorum ambitus adeò latus, vt etsi priores ictus fortiter sustinuerit, assiduos vincat. Oppugnabatur autem ista machina per tela, & faces, quas oppidani iaciebant contra illius impulsores, & his artibus arietum, machinarumque tegmina dissipabantur, teste eodem Iosepho. Lib.19. Differt. polit.disc.3. Lib.3.de bell.Iud. cap.9. Lib.6.c.7.

B. Certam seligere loci partem.] *Aduersus hanc machinarum constitutionem Æneas oppidanis suadet, vt quà accessionem ad muros ipsæ sunt facturæ, cuniculos occultos fodiant, quo machinarũ rotæ impressæ fidant cuniculosq; subeant. Verumtamen, cauendũ ne hostis p̃sentiat oppidanos cuniculos agere, ne cõtrariis cuniculis eos oppugnet, quod citra offensam faciet, si ex humidâ materia igne succenso fumo eos suffocet. fuerunt etiam qui vespis atque apibus in cuniculum immissis, magno ibi hostes incommodo affecerunt. De istis machinis & cuniculis scribit plura ex professo Antonius de Ville Tholosas libro 2. parte 2. qui liber editus gallicè Lugduni Anno 1628. illum videant Martis filii.* Poliorcet. c.32. & 37.

C. Desperationemque rediget.] *Illud autem vitabit qui præest vrbi obsessæ, si Æneæ δηδοικτηελον sequatur, quod est eiusmodi; vt vnicuique tribuum certam murorum partem sorte attribuat, ad cuius defensionem earum singulæ simulatq; aliquid increpuerit, sese conferant. pro multitudine autẽ ciuiũ, quæ in quaq; tribu censentur partem murorũ custodiunto. His ita constitutis è quaque tribu eos, qui firmissimo sunt ad labores corpore, seligere conuenit ad statione͂ in foro habendã, aut ad circuitiones, aut si quid est aliud in quo taliũ hominũ opera sit necessaria. Similiter vbi munitio aliqua sociorũ p̃sidio tenetur, singulis gentib⁹ pars certa murorũ custodie͂da attributor. Si ciues inter se mutuis suspicionib⁹ laboret, ad loca singula, vnde in muros ascenditur, fidos homines collocare oportet,* Cap. 2. Poliorcet.

*oportet, qui, si quis alius conetur conscendere, sint impedituri. Sed & hac ratione sopiendas docet ciuium dissensiones, quæ plerumque ab inæqualitate facultatum oriuntur, vt qui victus quotidiani laborant inopia, his prospiciatur, vt eius copiam habeant: atque hæc, vt tributione æquâ & sine molestiâ diuitum, quoties vsus postulauerit, parari possit videndum est. Itaque quamcumque suspitionum aut dissentionum segetem tollet Imperator, quippè quæ magis exitio sunt in obsessa vrbe, etiam inter se ipsos Duces, quàm bella externa, quàm fames, quàm alia denique belli incommoda.*

---

## ¶. *Quomodo oppugnatio acriter vrgendo continuari poßit.*

A. Si aut oppidum, aut arcem, aut vallum celeriter, & in continenti expugnare cupiat, metuatque, ne militibus suis vires deficiant, nec tamen *pugnæ vllam intermißionem fieri* velit, copias suas in agmina certa diuidat, prout hostium & vrbis habitâ ratione sufficere existimabit. Noctu autem producto primo agmine, oppugnationem incipiat; iubeatque secundum subsidere, paratumque esse in primi agminis defessi gradum substitui: at tertium, & quartum, & quintum, si tot fortè sint agmina, indulgere quieti permittat, atque ita postquam à primo agmine oppugnatio aliquandiu tentata fuerit, reuocet illud & ad somnum capiendum mittat, dato simul signo secundo agmine vt è castris prodeat. Interea temporis tertii ordinis ductor ad arma sumenda suos excitet; Et postquam secundi agminis milites tamdiu in oppugnatione permanserint, quamdiu primi, ducatnr agmen tertium, secundum verò ad somnum è pugnâ recedat: Exinde quartum excitetur, ac deinceps quintum, singulis ita vicissim quiescentibus. Similiter autem exoriente die, qui noctu primi pugnauerunt, primi quoque mane iterum per duas horas, si quidem sex fuerint agmina, pugnaturi prodeant: Si quinque, paullò diutiùs; Si quatuor, per tres horas: Si tria, quatuor horarum spatia oppugnando sustineant: redeuntes à certamine prandeant, & sic deinceps alij vsque ad vltimos, vt ita res in orbem veluti conuertatur. Atque hoc pacto, & noctu & interdiu, absque vllâ intermissione, oppugnari ciuitas poterit, ac milites alternis vicibus recreati, validis semper nouisque viribus concertabunt. Neque verò quis putet, obsessos, etsi permulti numero sint, eodem contrà vti posse stratagemate. Nam, qui in periculis versantur, ij, ne si permittatur quidem, somno frui velint. Nam metu periculi, etiam quo tempore licet quiescere, veluti vrbe iam iam capienda, vigilare coguntur. Quique oppugnantur, obsidentium copias, quamuis exiguæ

guæ sint summo studio propulsare nituntur, quotquot verò intra mœnia sunt, mentis agitatione anxij, metuunt semper, supremumque exitium, si vel leuiuscula neglexerint, exspectant. Ideoque curis atteri necesse est, neque vllo temporis memento quiescere, nimiisque vigilijs ac laboribus fatigatos ærumnis ita confici, vt res suas deinceps præ infirmitate *defendere nequeant*, coganturque oratores mittere vrbis deditionem postulaturos. B.

---

# NOTÆ.

A. PVgnæ vllam intermissionem. ] *Solicitè enim curare solent prouidi Imperatores siue supremi belli Duces, ne vllum interiungendi, & respirandi ocium ijs qui obsidentur detur.* Vrbs obsessa sine intermissione oppugnanda.

——— Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens cùm quid super esset agendum
Instat atrox. Lib.5.

Itaque obsidio eius vrbis, quam citò capere velis, & vrgenda, & premenda est, Lucanus l.2. *teste Liuio; qui Appium Claudium ab eiusmodi instantia dilaudat, facitque sic eum loquentem in obsidione Veiorum:* Hic sit terror, *inquit*, nominis nostri vt exercitum Romanum tædium longinquæ oppugnationis, non vis hyemis ab Vrbe circumsessâ semel amouere posset; nec finem vllum alium belli, quam victoriam nouerit, nec impetu potiùs bella, quàm perseuerantiâ gerat. *Vnde Q. Fabio Marcellus ab eadem mente dicebat:* Multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis, non dimittenda esse: quia magna famæ momenta in vtramque partem fiunt. *Qui memorabilem illam Ostendæ obsidionem scriptis commendarunt, Albertum scribunt Archiducem Austriæ hìc offendisse, vt qui lentior & cunctatior fuerit quam expediret, vtpotè cuius milites tædio ac torpore afficerentur, hostes verò ad sustinendam obsidionem lenitudine nimiâ obfirmarentur. Verè ergò dixit Appius Claudius:* Per intermissiones & interualla lentiorea spes nostras facimus. *& alter quidam Romanus:* Multa bella impetu valida, per tædia ac moras euanuere. *Id quod experimento quoque didicit Archidux Matthias, qui dum Sinderoniæ obsidionem neglexit, ( quæ vrbs sola restabat ad liberandam Bulgariam ) in caussa fuit, vt tota ea prouincia Turcæ imperio postea cesserit. Idcircò, Marchio Spinolæ Bredæ obsidionem, quam maximè vrsit & cœpit Ludouicus XIII. Rupellæ, Hispani Vercellæ, Stephanus Poloniæ Rex Polotiæ: Hìc certè licet Moscorum excursionibus vexaretur, annonæque premeretur penuriâ, nullo tamen modo obsidionem deserere voluit. Itaque consulto consilio oppugnationem generalem instituit tandemq; animosè fœliciterq; expugnauit, sed premi iussit; & quam* Liu. l. 7. Liu. lib. 8. Bonf. lib. 3.

T Eduar-

*Eduardus Anglorum Rex Anno* 1347. *vndecim mensium spacio vix vincere potuit, intra paucos dies expugnauit. Obsidio itaque non trahenda, sed premenda. Ne verò laboribus continuis obsidentes frangantur aut debilitentur, prorsus obseruanda, quæ hoc loco memoriæ prodidit Onosander. Quod si vrbis obsessæ non sit spes potiundæ, prudenter fecerit Imperator, si à susceptâ re maturè desistat, Romanorum exemplo,* qui circumspectis difficultatibus, ne frustrà tempus tererent, celeriter absistebant incepto. *Enimverò pertinacia Caroli Burgundiorum Ducis in continuandâ obsidione Nancæana, exitio illi fuit: & patrum memoria Lantrechii ad Neapolim obstinatio cladem illi & suo exercitui magnam attulit. Contrà verò Alexander Magnus, cùm Tyrum Vrbem* 4. *Menses frustra obsedisset, inertis & abiecti animi non credidit iisdem conditionibus solutionem pacisci, quas à ciuibus oblatas, priusquam vrbem circumsideret, ipse respuerat: quanquam iam insolentior ciuitas facta eas respuit, ideoq; direpta tandem & euersa fuit. Ferdinandus Daualus, Piscariæ Marchio, ab obsidione Massiliæ destitit, præclaro illo ac decoro in Italiam receptu, quem ipsemet suis omnibus bellicis facinoribus, quæ multa edidit & præclara, longè anteponebat. Ita Franciscus I. Galliæ Rex cùm Perpinianam Vrbem illam ac arcem humanâ solertiâ tantùm non expugnabilem, iam à* 100. *circiter annis exercitu* 46000. *circumsedisset, videns se operam ludere, prudenti & cauto consilio trahere in longius obsidionem noluit. Verùm, quam ille arcem & vrbem ingenio munitissimam oppugnare tantùm potuit, & tandem deserere, hanc Ludouicus XIII. modò regnans pertinaci obsidione longè minore manu expugnauit, suoque dominio adiecit.*

> Soluenda mox vrbis obsidio si illius potiundæ nulla spes affulgeat.
>
> Cominæus.
>
> Guicciard. lib. 19.
>
> Mensis Septembris die 9. 1642.

——— Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes,
Concidere has.

*Sed quæ norma in obsidione soluenda sit seruanda, quærunt plerique. Placet opinio existimantium, vt quoad eius fieri poterit sit secreta, & ut pauculis antè diebus sensim maiora subducat tormenta, dein & ex interuallo minora sequantur, tum impedimenta ac munitiones bellicæ, annonæ item curatores, læsi, ægri, & imbelles, denique agmina imbellem illam turbam claudant suo ordine, quæ quidem postrema acies suis alis à tergo includet. Quod si noctu soluatur obsidio, ignes eò loci vbi castra fuerant relinquant, vt & igniarios fomites, quos mesches aut cimeau vocamus. Hoc vsus decipulo Princeps quidam Hæreticus non nominandus cùm Ciuitatem nostram ante* 70. *& quot excurrit annos obsedisset, falsusque esset spe proditionis, solutâ turpiter obsidione templum D. Laurentio sacrum in suburbiis, flammis euertit. Verùm, vt ad rem reuertar, dum in tenebris sine strepitu recedunt milites, ex facili ductum perdere possent, prouidendum est, vt maior pars militum binos gestent manibus lapides, quorum collisione posteriores audiantur, iterque ordinatim peragans sineq; vlla confusione.*

> Ordo seruandus in obsidione soluenda.

B. Defendere nequeant.] *Quid si obsessi auxiliaribus copiis destituantur? aut ad condictum diem non mittantur? an obsidentibus impunè & honore saluo se dedant?*

Prorsus:

*Prorsus : Ita Mytileneorum excusata fuit deditio facta Athenìensium, teste Thucydide, quod Lacædemonij* 40. *triremes auxiliares ipsis promissas non transmisissent.*

## ¶. *Quo pacto Imperator siue* Dux *supremus quiescere à laboribus aliquando poßit.*

Ipse igitur Imperator, inquiet aliquis, ferro, vel adamante fusus ac conflatus, solus his rebus semper invigilet ? At non ita sanè se res habet. Nam aliquando dum ille sese ad breue tempus quieti & somno dederit, intereà tempo- A.
ris *Ducum aliquis* fide, ac virtute præstantissimus, qui in militari imperio secundas teneat, exercitui præficiatur.

## NOTÆ.

A. DVcum aliquis.] *Ita Philippus Macedonum Rex cùm in exercitu multo tempore dormisset, expergefactus, iis qui circa se:* Tutò dormiui, *inquit,* vigilauit Plut.
enim Antipater. *Quo dicto innuit Philippus, tutò belli Ducem quandoq; dormitare, dum aliquis è præstantißimis, qui secundas interea partes teneat, exercitui præficiantur. Sed non ita dormitandum, vt non intermittat meditationes militares. Omnem scientiam vult diuinus Plato meditatione conseruari, vtpotè quæ memoriam refricat, vt quasi rebus agendis incubat, iuxta illud Periandri.* Meditando omnia vinci.

## ¶. *Loca, quæ obseßi inacceßa existimant, obsidentibus sæpenumerò prodesse.*

Interdum verò partes vrbis aliquæ salebris, ac rupibus confragrosæ, quæque munitiores videntur, muris hominum arte operaque constructis, commodiorem hostibus vrbis capiendæ ansam præbuêre. *Huiusmodi enim loca*, quasi à A.
naturâ satis præmunita, nescio quo modo negligi, & minùs accuratis vigiliis custodiri solent. Et facilè tùm peritus Imperator quid faciundum sit excogitabit; atque audacissimorum nonnullos, tùm præmiis; tùm pollicitationibus faciet, vt vel per ardua illa loca euadant, vel scalis admotis, aliquid emoliantur, & in mœnia taciti subeuntes, aut ostium perfringunt, aut portam reserabunt.

# NOTÆ.

Loca quæ videntur tuta sæpè intuta.

Lib 7.

A. HVIusmodi enim Loca.] *Quàm verum sit, suique creberrimum vsum habeat auctoris monitum hoc, non paucis probari potest exemplis. In veteribus occurrit Lagoræ Cretensis, qui cùm Sardium oppidum munitissimum obsidione cinxisset, tandem illud cœpit qua inaccessum cunctis existimabatur. Polybium super eo scribentem iuuat audire: Cognito partem illam muri, quæ est ad Prionem incustoditam manere, in hanc spem & cogitationem totus incubuit: ac custodum quidem negligentiam ex huiusmodi indicio coniecit: Cùm sit is locus admodum præruptus eique barathrum subiaceat, in quod moris erat cadauera mortuorum & equorum atque iumentorum insepulta iacêre, eo semper vulturum aliarumque auium multitudo ingens conueniebat. Lagoras igitur, postquam deprehendisset dictas aues, vbi satiatæ essent in summis rupibus, & super mœnibus semper requiescere, ex eo didicit necesse esse, vt non custodiretur murus, magnaq; parte temporis esset desertus. Itaque silentio noctis accedens, quâ adiri locus posset & scalæ admoueri, sedulò inspiciebat. quæ cũ in vnâ parte, in vnâ èdictis rupib⁹ cõmodè fieri posse inuenisset, agit de hoc incepto cum Rege (Antiocho) Ille spem oblatam non aspernatus, Lagoram hortari, perficeret quod moliebatur, qui omnia pro viribus se facturum pollicitus, petiit ab Antiocho vt Theodotum Ætolum & Dionysium Præfectum satellitum sibi adiungeret; vbi primùm illos iussisset & hortatus esset, vt vnà secum iter aggrederentur, & ad facinoris huius societatẽ coirent. Cũ ꝓtinus postulationẽ huius Rex implesset. cõiuncti animis prædicti viri, vbi de rebus omnib⁹ cõsilia inter se cõmunicaßẽt noctẽ captabant quæ circa diluculũ esset illunis. nacti autem eiusmodi noctem pridie quàm eiusmodi consilium exsequerentur, viros quindecim delegerunt validissimos, qui in admouendis scalis & in ascensione illarum audacis incepti participes erant futuri. Secundùm hos triginta alios designârunt, qui modico interuallo subsistentes subsidio illis forent; vt postquam ipsis superatis mœnibus ad proximam portam accessissent, illi extrinsecus irruentes cardines portarum & iugamentum siue lignum transuersarium, effringere conarentur tantisper dum ipsi vectem intus & claustra discuterent. electi sunt & bis mille milites à tergo secuturi, quibus negotium datum erat, vt factâ in vrbem irruptione theatri summam præcinctionem occuparent, &c. Rebus vt consultum erat præparatis, Lagoras, Theodotus & Dionysius superatis ruptibus ad portam subiectam perueniunt, & erant ex illis, qui cùm occurrente hoste dimicarent, alii seras effringebant: eodemque tempore, quibus id negotium fuerat datum, extrinsecus irrumpentes idem faciunt. mox patefactis portis irruunt, delecti milites bis mille & theatri summam præcinctionem occupant, & vrbem denique totam, alii portas proximas effringendo, irrumpunt & inuadunt. Hoc astu La-*

*ſtu Lagoras ei oppugnationi, cuius iam alter annus agebatur, finem impoſuit, vir qui rei bellicæ non mediocrem vſum habebat, & qui obſeruauerat euenire vt plurimũ, vt munitiſſimæ quæque vrbes negligentiâ oppidanorum capiantur, vbi naturalibus aut manufactis munitionibꝰ confiſi, cuſtodias negligẽter agere cœperint, aut etiã agere omninò contẽpſerint, qui hoc etiam ipsâ doctus experientiâ animaduerterat ea parte capi ſolere vrbes, quâ ſunt munitiſſimæ, & de quibꝰ, ne ſpẽ quidẽ vllã hoſtes videntur poſſe habere. Hactenus Polybius, apto confirmans exemplo Auctoris noſtri documentum. quod veriſſimum quoque eſſe Geneuenſes, non ita diu didicerunt, qui à Sabaudo obſeſſi, periclitati ſunt eâ vrbis parte, quæ omnium conſenſu munitiſſima erat, & hoſti aditum ad vrbem præbuiſſet, niſi vnus excubitorum inopinantes catarractas ſoluiſſet.*

*Et ipſi Leodienſes in expugnatione Ciuitatis ſuæ à Carolo Burgundo, qui nullum genus atrocitatis in ea prætermiſit, & eâ parte, quæ ipſis munitior videbatur expugnatâ, Ciuitatem ferro flammaque deleuit, ſuo malo id ipſum experti ſunt.*

---

## ¶. *Quid valeat Tubicinis opera in expugnatione.*

Magnoperè quoque profuerit, hoc etiam vti conſilio, nimirùm, vt *tubicines* vnà cum militibus, qui primi murum inſcenderint, attrahantur. Hoſtili enim tubâ noctu de mœnibus exauditâ, obſeſſorum animi inſanùm percelluntur, quaſi iam vi penitus expugnata ſit ciuitas: & ſæpè portas, ac propugnacula deſerentes diffugiunt. Vndè obſidentibus militibus, qui adhuc extra vrbem ſunt, facilius eſt vel portas perfringere, vel per ſcalas ſeſe in vrbem dirigere, nemine hoſtium arcente, fieriq; hoc modo poteſt, vt vrbs aliqua ab vno & inermi tubicine capiatur. A.

---

## NOTÆ.

A. TVbicines.] *Romanis non ſolùm Tubicines, ſed Cornicines, & Buccinatores: illi, qui tubâ; alii, qui ære recuruo, hoc eſt, buccinâ prælium committere ſolebant, vt Vegetius inquit. Prioribus vti ſuadebat Onoſander, quòd eorum videlicet concentus vehementior eſſet. Lucanus:*

——— ſtridor lituum, clangorque tubarum.

*Ideò* Sentius, *apud Tacitum*, occinere tubas, peti aggerem, erigique ſcalas iuſſit.

*Tuba autem belli, erat in citamen, castri signum, arenæ admonitio, scenæ commissio, funeris deploratio. qualis autem illa fuerit, D. Hieronymus sic describit:* Tuba tribus fistulis æreis in capite angusto inspiratur per quatuor voci ductus æreos, qui per æreum fundamentum quaternas voces producunt, mugitum nimium vehementissimumque profert, eoque excitabantur equorum hinnitus, scutorum ictus, loricarum collisiones. *Ita ille epistola ad Dardanum.*

---

## ¶. *Quid debeat agere Imperator siue Dux supremus vrbem expugnandam inuadendo.*

Imperator si vrbem aliquam florentem, & viris viribusque pollentem vi cœperit, ac fortè metus, aut suspicio sit, ne ciues collectis hinc indè turbis concuertant sese, atque irrumpentibus obsistant, aut eminentiora loca, arcesvè occupent, atque illic repugnando molestiam aduersariis exhibere possint, per A. præconem edici iubeat; Non occisum iri inermes. *Quisquis enim sibi mortem*, si in hostium potestatem veniat, perferendam esse cogitat, aliquid priùs tentare constituit, & necem alicui, antequàm patiatur, inferre. Et verò ciues aliquando effusos iam per vrbem hostes exegerunt, aut cùm hoc minùs perficere potuerunt, in arcem munitissimam sese receperunt, & rursus nouos labores & ærumnas iis creauerunt, & alteram denuò, ac diuturniorem moliri oppugnationem coëgerunt, immò & grauibus plerumque illatis cladibus valdè luctuosam. At, si præco, quemadmodum dictum est, adhibeatur, confestim omnes, aut certè quamplurimi arma abjicient. Nam etsi vnusquisque cæco impetu ad defensionem consurgere velit, veritus tamen, ne alia omnia sentiat socius, arma quoque deponere cogetur. Ac licet omnes id nunquàm facere decreuerint, nihilominus, ob suspicionem cuiusque se in armis solùm deprehendi metuentis, abjicere singuli festinant. Nempè subita illa tempora, noua consilia detegi non sinunt: quique sospites esse cupiunt, quamdiu nulla salutis spes commonstratur, etsi non consilio, attamen necessitate, ad vim repellendam adiguntur: simulac verò tantulam salutis spē superesse acceperunt, quibus anteà infensissimi hostes erant, iis iam supplices obuiam vltrò procedunt. Atque etiam eadem præconis voce auditâ, qui obstinato animo, arma sua nunquam deserere decreuerant, in aliam adducuntur quoque sententiam. Porrò militum in bello mors insolabiliter lugenda nunquam est: eam quippè victoriæ cupiditas intulit; quæ verò victa iam, & captâ vrbe infertur, etiam victoribus ipsis lugenda est, & vecordiam potiùs quàm virtutem testatur, Nam etsi deuictorum audaciam, ferociam-

ferociamque, quâ olim obsidioni repugnauerunt, obliuioni minimè tradiderit Imperator, non ideò tamen victoriæ suæ fraudem fieri putet, si obuii quique statim trucidati non sint, cùm iis deindè captiuis, citrà periculum, in ocio deliberare possit, quàm dicere multa debeat.

---

# NOTÆ.

A. QVisquis enim sibi mortem.] *Hoc Geneuæ non ita diu didicit Sabaudiæ Dux, cuius milites licet vrbis iam bonâ parte potiti essent, sic tamen ab oppidanis & præsertim rusticanis, qui Ciuicâ in domo excubabant, oppugnati fuêre, vt quotquot scalis in vrbem sese penetrarant, ad internecionem vsque deleti fuerint. Adeò verum est, quod Dionysius Halicar. scribit:* Vehemens res est necessitas, & extremum periculum satis est ad induendam audaciam, si cui non est innata. *quo respectat Tragicus:* Lib. 8.

Prohibere ratio nulla periturum potest, In Hippol.
Vbi quis mori constituit, & debet mori.

*Idem in aliis occasionibus necessitatis dicendum est. Vnde rei militaris periti hostem non coarctant, imò fugiendi potestatem concedunt. Lubenter enim cupit commori, qui se sine dubio scit moriturum. Sic Gallis per agrum Pomptinum data est fugiendi facultas. L. Marius Pœnis desperatione repugnantibus, cùm essent circumuenti, fugæ spacium dedit. Ætolos erumpentes fugere permisit Antigonus. Agesilaus Thebanos emisit, Xerxem Themistocles. Eadem Alphonso Regi mens, qui fugienti pontem argenteum esse sternendum censebat. Plura generis eiusdem legantur apud R.P. Conzen lib. 10. polit. cap. 49.* Vnde Machiau. rectè scribit animos militum necessitate coactos ad dimicandum fortes & obstinatos fieri. Hinc Romani in id maximè incumbebant, vt suis necessitatem pugnæ, captata quauis occasione imponerent; hostibus verò eandem de industria adimerent. In quem vtique finem persæpè transitum hostibus per ea itinera aperuerunt, quæ custodire facilè potuissent; & suis iter clauserunt, quod facilè potuissent aperire. Quicumque ergò cupit, siue ciues vrbis alicuius fortes, audaces, & obstinatos ad sui defensionem efficere; siue alium exercitum fortem & pertinacem ad pugnandum in prælio reddere: is summo studio in id incumbere debet, vt necessitatem huius rei ipsis imponat, aut certè, vt persuasum habeant talem sibi necessitatem incumbere. Lib. 3. c. 12.

*G. Im-*

## ¶. *Imbelles captiuos remittendos, si fame vrbs prematur.*

Si ciuitatem obſederit Imperator, quam vi expugnari poſſe deſperet, diutinâ tamen obſidione tandem fame ad deditionem compelli poſſe arbitretur, quotquot fortè captiuos interceperit valenti corpore, & virenti ætate A. viros belli vtiles, vt ipſi ſibi collibitũ erit, excipiat. *Mulierculas verò*, puerulos, & inualidos, ac decrepitos ſenes, vltrò in vrbem remittat. Illi enim ad belli munia prorſus inepti, ciuium ſuorum citiùs abſument cibaria, & hoſtium magis, quàm ſociorum munere fungentur.

## N O T Æ.

Egregia Alphonſi Regis Clementia.

A. MVlierculas verò.] *Hoc tamen conſilium minùs eſt ſecutus Alphonſus Aragoniæ Rex in obſidione Caietæ: & meliùs herclè res ei ſucceſſit quàm ſi ſeueritatem, quam noſter proponit, vſurpaſſet. Cùm enim oppidani impuberes, ſenes, mulieres vrbe pepuliſſent, tactus miſeratione Rex ſummâ eos humanitate excepit, & objicienti cur illos non remiſiſſet (fore enim vt breui vrbs ſe poteſtati eius dediſſet) reſpondit,* Pluris ſe facere eorum vitas, quàm centum Caietas. *Facinus cùm laudabile, tum auctori ſuo vtile: quàm enim vrbem quadraginta fermè millium conatu capere nequiuiſſet, poſtea ſolutâ ac diu deſitâ obſidione, ſine vi, ſine armis, eâ gratitudine in ditionem redegit: quæ verba ſunt Panormitani lib. 2. de geſtis Alphonſi. Alia nectuntur obſeruanda, tàm oppugnaturus Ciuitatem obſeſſam, quàm ipſis obſeſſis per D. Strauoltium propoſita, quæ documentis, exemplisque per eum illuſtrantur, ſed breuitatis cauſa hîc omiſſa.*

1. *Præmittat equites leuioris armaturæ, qui obuios quoſque intercipiant, ne quis ſe ad vrbem curſu proripiat, hoſteſque aduentare ſignificet, ſed incautis improuiſis immineat exercitus, etſi non per proditionem victoriam ſurrepturus.*

2. *Aditus hoſtilibus auxiliis obſtruat, ne in ſubſidium venire poßint, ſeu aquâ, ſeu terrâ, vel ſi quid fuerit ingreſſum, ne egredi inde valeat.*

3. *Quæ hoſtibus vſui eſſe poßint, inutilia reddat, aut corrumpat ſeu perdat, ſiue ea ſint eſculenta, ſiue poculenta, aut fruges fructuſvè qui in agris reperiuntur.*

4. *Non minùs ſua conſilia occultare ſciat, quàm qui obſidione vrgentur; nam aliter, aut cladem ſubibit aut ab obſidione re infectâ recedere debebit.*

5. Quos

5. *Quos obsides, quantum potest fallat.*
6. *Ad proditionem sollicitet.* } Quod intelligo, virtute saluâ.

7. *Astu excogitato ipse ad mœnia impetu repentino aduolet.*

8. *Transfugas qui deciperent, aut opprimerent submittat.*

9. *Hostes ad inopiam omnium rerum redigat.*

10. *Obsidionem diuturnam fore persuadeat.*

11. *Præsidia distruat obsessorum.*

12. *Seditionem intestinam, id quidem vt supra, apud obsessos faciat, admotoque exercitu potiatur Ciuitate.*

13. *Fluminum deriuatione, & vitatione aquarum ad deditionem cogat.*

14. *Aquarum inundatione obruat.*

15. *Pauorem obsessis injiciat.*

16. *Obsessos per insidias eliciat.*

17. *Regressum simulet.*

18. *Opera ad oppugnandum præparet, licet parum proficua interdum.*

19. *Cùm Vrbem aliquam obsidet, aut arcem, videat ne in superuenientibus à tergo copiis ipsemet obsideatur.*

20. *Habeat vias securas ad conducendum commeatum.*

21. *Vrbem quam minimè obsidere vult, velle se obsidere simulet, vt quam obsidere desiderat, præsidio, aut necessariis nudatam obtineat faciliùs.*

22. *Eruptiones prohibeat fossis ante portas factis & tormentis dispositis.*

---

# Documenta pro obsessis.

1. *IMprimis caueant ne propugnacula extra Vrbem quæ mœnia non contingunt extruant. Si quis verò Vrbis murus sit dirutus, videant vt interuallum obturent saccis lanâ plenis, doliis terrâ aut fimo refertis, trabibus, cistis, sportis etiam terrâ oppletis, ignea etiam fomenta, & circuli pice obliti in milites iaciendi, & similia.*

2. *Quia frequenter dolum excogitant obsidentes ac simulatâ desperatione longiùs abeant, non ipsis fidant obsessi; nec iccircò plures in vrbe habeat præsidiarios quam ad eam protegendam sunt necessarii.*

3. *Caueant obsessi, ne primò manè portæ inconsideranter aperiantur, verùm aliquantò seriùs.*

4. *Nemo priùs emittatur, nisi exploratis locis circa Vrbem.*

5. *Vt is qui Vrbi præest portarum custodes constituat, qui omnia, quæ in Vrbem inferuntur curiosè inspiciant.*

6. *Imprimis autem vitetur negligentia Vigilum; quia sic maximæ capiuntur Vrbes, cum per aliquot stratagemata vigiles ad socordiam fuerint deducti.*

7. *Vt non semper iisdem milites vigilent: aut iisdem Ducibus vtantur, sed vt quàm frequentißimè rationes vniuersæ, quæ ad Vrbis custodiam pertinent, mutentur.*

8. *Nemo Vigilem norit, neque vbi stationem habebit, neque in quâ Vrbis parte vigilabit.*

9. *Quamplurimos per noctem vigiles collocent, vbi aliquot imminet periculum.*

10. *In singulis specularum locis tres minimùm stationem agant.*

11. *Maximè verò ad portas delectus custodum habeatur.*

12. *Imprimis autem illud inquiratur, an sit inter ciues concordia.*

13. *Curare quoque debet periclitantis loci Gubernator, ne ob causam quamcumque vllus iniussu suo, ex aßignata sibi statione decedat.*

14. *Loca illa curiosiùs custodienda sciant obseßi, quæ minùs occupari posse arbitratur.*

15. *Præterea curet is cui Vrbs tuenda venit, ne quidquam tumultuariè, aut præter institutum fiat, sed cuique in omnibus actionibus functio sua constet.*

16. *Vt ii apud quos pauoris, nocturno præsertim tempore, initium fuerit exortum, quieti in loco se contineant, ne cæteri metu panico consternati, totum iam exercitum hostilem, Vrbē inuasisse existiment: q̄ & murorum propugnacula deserentes, mox aufugiant.*

17. *Nullos transfugas è castris hostilibus recipiant.*

18. *Vt omnes Vrbis portæ sint clausæ, vna dumtaxat aperta, quâ difficillimè Vrbs aditur; & vnde videri è spacio quàm longißimo poterunt qui appropinquauerint.*

19. *Fraudem omnem caueant, nec egrediantur è mœnibus.*

20. *Eruptiones cautè faciant, de quibus suprà dictum cap. 41.*

21. *Auxilia ad succurendum submissa cautè recipiant.*

22. *Præsidia sua in subsidium aliis non dimittant, licet hostis abscesserit à mœnibus.*

23. *Cautè emittant, & recipiant nuncios.*

24. *Monstrent se abundare iis rebus quæ eis desunt, idq; dolis & vaframentis, virtute semper saluâ.*

25. *Obsidionem constanter ferant.*

26. *Cauendum quoque ne literis fictis nomine sui Principis decipiantur ab hoste.*

27. *Sed & hoc defensorem Vrbis scire velim, nihil hosti animum ad occupandam Vrbem tantoperè addere, quam si nouerit obseßos bello non assuetos, animoque inde alieno esse.*

28. *Nec illud omitendum, obseßis hæc esse paranda, triticum, sal, bitumen, sulphur, pix liquida, puluis tormentarius, igniarii fomites, quæ mesches nuncupamus, globi mißiles, oleum quod incendiarium vocant ad exurendas hostium machinas, Rhomphææ, murices, triboli, qui extantibus aculeis infestant hostiles irruptiones, incendiariæ situlæ, hamæ, aliaque generis eiusdem: & hæc maximè præparanda cùm suspicio est obsidionis, vt in occasione, quæ plerumq; moram non patitur, sint in promptu.*

*§. Qualis*

## ¶. *Qualis esse debeat Imperator siue Dux supremus, parta victoria.*

Posteaquam autem omnia fœliciter & ex animi sententiâ cesserint, fine bellicis negotiis imposito, caueat Imp. *ne ob res secundas elatior*, aut grauior videatur, sed placidus sit ac benignus, nevè fastum minaci, ac truculento vultu præ se ferat, sed ciuilem, atque amabilem benevolentiam comiter omnibus exhibeat. A.
Illa enim inuidiam, ac liuorem gignunt; ista æmulum amorem conciliant. Et inuidentia quidem mœror est, ob res alicuius benè gestas: Æmulatio verò, virtutũ quæ alteri sunt, imitatio. Tantũ auté inter vtramque discriminis est, vt inuidere, sit optare laudem, quam aliquis sibi virtute comparauit, perire; Æmulari verò, parem alicuius laudi gloriam discupere. Itaque vir strenuus, non solùm erit patriæ, & militarium copiarum Dux præstantissimus, sed & gloriæ, quàm egregiis indeptus est facinoribus, farctæ tectæq; conseruandæ consultissimus Imperator.

# NOTÆ.

A. OB res secundas elatior.] *Ab eadem mente scribit Corn. Tacitus*: Maioribus placitum quantâ peruicaciâ in hostem, tantâ beneficentiâ aduersus supplices vtendum. Solet certè humanum ingenium, *inquit Gregoras*, in magna fortuna & insperata victoria humanitatis obliuisci, nisi incerta fortunæ momenta singulari prudentia moderetur. In pugna quidem & acie, quidquid egeris excusationem habet, cùm ratio oppressa iacet, & manus velut ebriæ mente non reguntur. Verùm, periculis iam propulsatis & animorum æstu sedato ac tranquillitate menti restituta sæuire & ab officio decedere improbi animi est argumentum. Postquam vicisti, *inquit Petrarcha*, caue ne te vincat ira, superbia, crudelitas, furor, rabies: hi sunt enim victoriæ comites, & victorum hostes, à quib⁹ sæpè clarissimi victores turpissimè victi sunt. Quibus nominibus culpatus est Aulus Vitellius Imper. Romanus, cùm post editam Galbæ antecessoris sui cædem campos in quibus pugnatum erat adiisset, ac plerique cadauerum tabem abhorrerent, detestabili voce eos confirmare ausus est, his verbis: Optimè olere occisum hostem, & meliùs civem. Nec eo secius ad leniendam gravitatem odoris plurimùm meri propalam hausit passimque

Lib. 12. annal.
Lib. 6. Hist.
Sueto c. 10.

Cap.17. diuisit pari vanitate & insolentiâ. *At quomodo perijt? audiamus Suetonium:* Religatis post terga manibus iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forũ tractus est, inter magna rerũ verborũq; ludibria, reductâ comâ à capite, ceù noxii solent, atque etiam mento mucrone gladij subiecto, vt visendam præberet faciem nevè submitteret, quibusdam stercore, & cœno incessentibus, tandem apud Germonias minutissimis ictibus excarnificatus, atque infectus est, & inde vnco tractus in Tyberim. *Quantò culpatior Carolus Burgundus dictus* Audax *Philippi Brabantiæ Ducis filius, qui tametsi Christianus deuictâ Ciuitate Leodiensi exercitu* 40. *militum millibus vbique sæuiente, haud contentus fuit obuios ciues ferro, flammaque, contra legem diuinam delêre* (Insontem enim & innocentem non occides.) *verumetiam suis mandauit, vt si quos vspiam errantes, ac fugientes inuenirent, vel ædibus clausos deprehenderent, in flumen mox præcipitarent, adeoque Vrbem iam tum Clero spectabilem flammâ delerent, cui præclaro, scilicet, facineri, quatuor hominum millia, teste eius Cubiculario Cominæo destinauit. At,*

Crudelitas Caroli Audacis.

Quis cladem illius Solis, quis funera fando
Explicet?

*Nã & ipse Vrbe recedens, quos nõ deleuerat ciues pfugos (qui ad syluas atq; salt[9] concurrebant, vim eius metuentes) ad internecionẽ deleuit, pauca manu q̃ se abdiderat quo cerui cornua, incolumi relicta. Eodẽ etiam seueritatis, ac potiùs crudelitatis anteriorib[9] sæculis processit aduersus eosdem Leodienses* Henricus primus Dux Brabantiæ, *qui ob enatas cum Ecclesia Leodiensi contentiones ratione Comitatus Mohaui, copiosissimo instructus exercitu, eorum Ciuitatem non contentus incendio vastare, verum etiam viros, iuxta ac fœminas puerosque imbelles deleuit: at pòsteà suæ crudelitatis pœnas dedit. Nam ex interuallo Leodienses collecto exercitu prælium cum illo commiserunt in Campis de Steps patrono Leodiensiem Lamberto Martyre propugnante, sic quidem vt hostem depulerint, profligarintque cuius tamen exitus ( humanitus loquendo:) saluti propior fuit, quàm Caroli, ( licet is in expiationem tantæ crudelitatis dono dederit iconem ex solido auro D. Georgio sacram) quippe qui Henricus post cùm fuit profligatus, eâ pœnitentiâ ductus fuit, vt ab ipsâ Ciuitatis portâ, nudis ad Ecclesiam Cathedralem pedibus supplex venerit, vbi imbrẽ lachrymarũ flexis genibus ante SS. Martyrũ reliquias pfundens, nexu dirarũ execrationũ à Præsule Hugone solutus fuit. Sed mittamus crudelitates istas ipsa crudelitate atrociores: magis animũ, & stylũ conuertamus ad placabilitatẽ, clementiã, lenitatem. Legimus ergò Cardinalem Regiam Hispaniæ Regis sobolem, dum ditionum Belgicarum habenas moderaretur, oppugnasse propugnaculum* Calloo *propè Antuerpiam cum magna Batauorũ strage: sed clementiã seueritati sic miscuisse, vt detractis tantũ ex* 88. *nauib[9] manubiis, militib[9] superstitib[9], & profugis pepercerit, adeoq; humanissimè exceperit. Clementia ita q; victoris laudanda, animi impotẽtia, impietas, sæuitia, crudelitas improbanda.* O Dij boni! *loquar cũ Seneca,* quàm istud malũ est, occidere, sæuire, delectari sono catenarum, & ciuium capita decidere, quocumque ventum est, multum sanguinis

Crudelitas Henrici Ducis Braban.

Clementia victori probanda.

ſanguinis fundere, tectis ignem injicere, &c. *Quanta cæcitas incertam belli fortunam flocci pendere, quæ non raro triumphantem, & ſecundis rebus volitantem ex alto ad ima præcipitat. Quod Vates ille teſtatur :* Ξυνὸς ἐνυάλιος· καί τε κτανέοντα κατέκτα : Mars communis, & interimit quoque iam perimentem. *quod ipſe Carolus iam dictus experimento didicit, dum ipſe vrbem Nanceam obſidens, miſerè, ita ſcribente familiari eius Cominæo, ſuper cæſorum aceruum læſus occubuit. Philippus Macedonum Rex aliam rationem iniit, cùm Athenienſes adeoq́ Ciuitatem ipſam ſubiugaſſet, ſuique iuris feciſſet,* non irâ, aut indignatione aliquâ *(verba ſunt Polybij)* proſecutus eſt victos, ſed tamdiu cum hoſte dimicauit, quoad oblata ei occaſio foret oſtentandæ benignitatis, ac virtutis ſuæ. Enimverò Athenienſibus ( etſi eos paſſus fuerat infenſiſſimos ) captiuos gratis remiſit, imò occiſorũ corpora ſepulturæ tradidit, &c. Ex quo hoc conſecutus eſt, vt elati Athenienſium animi magnitudine eius victi, ſibi in poſterum obſequentiſſimi fuerint, ſemperque ad omnia Regis iuſſa prompti. *At nos Chriſtiani, qui iuſtis bellis tantùm arma gerimus, aut certè deberemus, ſecundam lætamq́ fortunam, vt loquimur, auctori victoriæ Deo tribuimus, moderatè illã ferre debemus, exemplo Caroli V. de quo Guicciardinus, inquit, quod inſigni victoria de Gallis reportata, ipſo etiam Rege Franciſco capto, nullo tamen neque geſtu, neque verbis, nimiæ lætitiæ ſignum ediderit, quin legatis ei gratulantibus excepta eius vox fuerit, ſibi eo nomine tantum gratam eſſe victoriam, quod per eam ſibi data eſſet anſa Remp. Chriſtianam in tranquillo ſtatu conſtituendi, bellumque contra Chriſtiani nominis hoſtem adornandi, & maior occaſio de amicis benè merendi; inimicis verò ignoſcendi facultatem eſſet habiturus. Præclarè omnia; videturque hanc animi moderationem imbibiſſe à magno illo Seneca, ſic inquiente:* Si magnanimus fueris, cùm inimicum in poteſtate tuâ videris, vindictam putabis, vindicare potuiſſe. Scito enim honeſtum & magnum vindictæ genus eſſe, ignoſcere. *Nobiliores certè Principes atque Duces ſæuitiam exercêre promiſcuè in omnes non ſolent, ſed præcipuæ notæ viros conſeruandos publico edicto ſancire, quod ipſum etiam inter alia decora notatum Traiano, cuius ea animi moderatio fuit, vt etſi militaris gloriæ cupidus eſſet, tamen victoriâ contentus, & hoſtes depreſſiſſe, teſte Dione, ſocios ſubleuaſſe ſatis habebat. Apage ergò crudelitatem & ſæuitiam, ſatis ſit parcimonia ſanguinis. Narrabat quiſpiam magno, pio, inuictiſſimo Imp.* Ferdinando II. *in quadam pugna Supremo Duci exercitus hoſtilis plumbea glande brachium fuiſſe traiectum. Ex Aulicis vnus intulit erraſſe militem illum, & quidem grauiter, debuiſſe vicinum cor trajicere, non brachium. Ad hunc non ſinẽ ſtomacho Cæſar: Obſecro, inquit, quâ conſcientiâ proximo tuo tam grande malum audes optare. Non poterat amantiùs quid loqui de amico, quam de inimico locutus eſt beneuolus & clementiſſimus Cæſar. Amurathes Turcarum Imper. hac humanitatis arte plurimas ſibi prouincias ſubiugaſſe creditur: quos enim bello vicerat Principes, benignè tractare, humaniter excipere, nihil grauius in illos ſtatuere, quàm ut aulam ſuam ſequerentur, & copias ſuas cum reliquo exercitu necterent. Quæ ſanè conditiones, ita æquæ atq́ benignæ*

*victis visæ sunt, vt neque obstinato, nec peruicaci animo sese porrò defenderint, imperiti artis & doli, quem Amurathes machinabatur, qui Principes Græcos subiugare, & prosternere moliebatur. Bellis ciuilibus in Gallia sæuientibus, legitur interceptus celebri illa pugnâ ad oppidum Dreux, Princeps Condæus à Duce Guisio, sed ita humaniter ab eo acceptus est, vt etiam suo ipsius toro & mensa dignatus illum fuerit. Ex quibus siue exemplis, seu documentis efficimus, Ducum & Imperatorum belli plurimum referre, vt ciuiles se humanosque erga victos exhibeant, cùm à nullis tàm grauiter erretur, quàm ab iis qui Imperium credunt grauius, aut stabilius vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adiungitur, vt Terentianus ille Mitio, inquiebat.*



# Finis Strategici, ac Notarum.



# INDEX RERUM

## In quo notes, litteram B. ſecundam Operis partem, nempe Notas in Onoſandri Strategicum deſignare :

### Tertia pars de Legatis, peculiarem habet Indicem.

B



C



Filium

D.



Direptiones

Fabia-

F.

M.

N.

Pecu-

Regno-

## S.

T.

V.



APPRO-

# APPROBATIONES.

HUNC Aphorismorum Politicorum Thesaurum cum Notis in Onosandri Strategicum, & Tractatu de Legato, pridem & sæpius prelo & publicâ luce donatum legi, & etiamnum ab ipsomet Auctore Reverendo admodum & Nobili Domino JOANNE A CHOKIER de SURLET, Canonico ac Vicario Generali Leodiensi, novo studio, & cum accurato rerum, & sententiarum delectu concinnatum, & locupletatum. qua potui diligentia perlustravi, & quia nihil continet fidei, aut bonis moribus contrarium. sed multa Principum & Magnatum conscientiæ, & communi Politiæ dirigendæ utilia, ideò censui magno cum Reipub. fructu iterum atque iterum in publicum emitti posse. Leodii 3. Februarii, 1643.

LEONARDUS STOCKIS, S. Theologiæ Licentiatus, & q. Professor, Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Leodii Canonicus & Scholasticus, & Parochialis S. Servatii Pastor, & Pastorum Leodiensium Decanus.

---

VOlumen hoc Politicorum Aphorismorum, à Reverendo admodum & Nobili Domino JOANNE A CHOKIER de SURLET, Canonico ac Vicario Generali Leodiensi, immenso labore, ac studio elucubratum, & aliàs à S. D. N. Paulo V. Pontifice Max. approbatum, & nunc tertiùm novâ industriâ exemplis, ac gnomis Politicis; cùm profanis, tùm sacris variè actum & locupletatum, ac Notis in Onosandri Strategicum, sive de Imperatoris institutione, atque tractatu de Legato exornatum, accuratè legi, nihilque in eo quod Religioni Catholicæ ac bonis moribus adversari possit reperi, quin ita omnia cautè prudenterque exposita, ut nihil in eo sit à Christianâ puritate, veræque Politiæ regulis alienum aut dissentaneum, ut dicere liceat cum Regum sapientissimo, *Proverb.* 1. *Audiens Sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit*, Ideoque non modò tutò legi, sed pleraque illius documenta mentibus Lectorum non sine voluptate ac utilitate mandari merentur. Ita censui Leodii, hac tertiâ Februarii, 1643.

REYNERUS PROENEN, *S. Theologiæ Licentiatus, ac Collegii S. Crucis Leodiensis Canonicus.*

---

*SApientia, quam sine fictione didici, & sine invidiâ communico, infinitus Thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Sap. 7. *Ex illo infinito, hic Thesaurus Politicorum Aphorismorum ab admodum Reverendo & Nobili Domino* JOANNE A CHOKIER de SURLET, *Canonico ac Vicario Generali Ecclesiæ Leodiensis depromptus, & liberali animo etiam posteritati communicatus. nulla levioris aut adulterinæ monetæ suppositione vitiatus, sed pondere Sanctuarii ac Lydio lapidæ Doctrinæ Christianæ probatissimus est: quo qui usi fuerint, participes erunt non tantum amicitiæ Principum, sed etiam ipsius Dei. Insigne profecto suo Principi tributum, & opus vicaria sua Episcopali authoritate dignissimum: quo hæretici sua illa severissima Parænesi moniti. & in Atheismum, sub fucato titulo politiæ degeneres, hujus politiæ Christiana fulgure, imo fulmine feriantur, veræ autem pietatis studiosi, usque ad Principum arcana, imo & artem militarem, ejusque stratagemata, hujus Thesauri sumptibus promoveantur. Atque hic meus est sensus quem scripsi Leodii 5. Februarii, 1643.*

F. MATTHIAS HAUZEUR, S. Theologiæ Professor emeritus, Provincialis FF. Min. Recoll.

Errata

# Errata Typographica, Thesauri Politicorum Aphorismorum.

PAg.5.li.11.lege Alvildæ.p.9.l.1.lege Cap. ibid.l.15.dele ei.p.11.l.1. lege cap.15.p.18.l.29. lege priusquã.p.22.l.1.pro 38.
lege 22.ibid.l.14.lege nam.p.25.l. .lege Cap.V.p.26.l.1.pro 27.lege 26. ibid.l.12.l.impietatem. ibid. l.19. post verbum,
infinitæ, adde divitiæ.p.27.l.22.lege Copronymum.p.28.l.17.lege ac declarat.p.30.l.8. lege amentiam. p.32.lin.25.lege
meritò.p.38.l.20.lege dici.p.39.l.1 .lege agnascitur. p.41.l.37.lege ullum. pag.42.l.11.lege VII. p.43.l.27. lege exanimes.
p.44.l.10.lege jam.ibid.l.15.lege Christianam conscientiam. p.46.l.27. lege suo(quod. p.47.l.20.lege sedandis.p.51.l.1.
legeCap.8.p.52.l.14.lege cultus.ibid.l.18.dele:& l.19.in fine dele;& pone, p.53.l.1.lege lib.1.Cap.8. p.57.l.1. pro 35.l.57.ibid.
l.36.lege civitatis.p 58.l.24.lege justitiæ.p.60.l.25.lege excusatius.p.61.l.18.lege facundia. ibid. l.penult. lege virtutum.
pag.62.lin.10.lege genus pag.63.lin.antepenult.lege naturæ.pag.70.l.31.lege munus. p.75.l.1.legeCap.11. p.78.l.5. lege a-
lios.ibid.l.26.lege affluentem.ibid.l.32.lege vastam.ibid.l.penult.lege jacturam.p.59 .l.25.lege illa.lin.28. lege VIII.pa.80.
l.1.legeCap.1.p.83.l.35.lege Princeps.p.94.l.1.pro 78.lege 94.l.33.lege dicat.p.95.l.9.lege sint.ibid.l.10. lege ingeniis. p.98.
l.13.lege tamen.p.99.l.28.lege innumeris.p.100.l.34.post verbum legum adde capita.in eadem l.lege servarentur.l.penult.
lege præstantiorem.p.110.l.20.lege non. ibid.lin.antepenult.lege sacra omittamus.p.112.l.7.lege audaciam.p.116.l.1. pro
108.l. 16.p.140.l.13.lege argenteis.p.144.l.16.lege par.p.157.l.1.legeCap.1 .p.158.l.3.lege invadendi.p.158.l.28. lege vin-
cuntur.l.37.lege agerent p.159.l.15.lege præmium.p.170.l.14.lege servanti.p.177.l.23.lege quo p.180.l.1.pro 170.lege180
l.4.lege violandam.p.181.l.1.legeCap.14.p.190.l.6.lege sic ferre.seq.l.lege qui non.l.29.lege appare.p.191.l.1.lege Cap.16
l.24.lege ille.l.seq.lege ab.p. 93.l.1.legeCap.16.lin.pen.lege.12.p.194.l.30.lege 13.p.197.l.1.pro 179.lege 197 ibid.l.11.lege il-
lis.p.198.l.19.lege avaritiæ.p.200.l.4.lege terebratis.l 34.lege fecerat p.202.l.4.lege eosque.p.203.l.penult.lege 12.p.204
lin.3.lege eminuêre,dum. lin.postr. lege dum.p.205.l.15.lege delatum. p.214.l.30. lege VI. lin.40.lege percipias. pag.221.
l.33.lege suas.p.223.l.1.legeCap.21.p.224 l.ult.lege finem.p.225.l.10.lege hebetari.p.226.l.3.lege datore.p.229.l.5. lege ab.
l.21 lege offensionẽ.p.238.l.lege septũ.p.240.l.1 .lege delectus.p.241.l.6.lege feras.p.244.l.15. lege tantisque.p.147.l.1.
legeLib.3.p.251.l.9.lege antequam.p.253.l.1.legeCap.4.l.15.lege 13.p.254 l.12.lege missos.l.22,lege Bononiensibus.p.255.
l. antepenult.dele si.p.256.l.2 lege ætas.p.261.l.19.lege colluvie.p.265.l.1.lege Cap.7.l.13.lege exigebat. p.271.l.4.lege no-
stram.p.273.l.2 .lege Pompejo. l.6.lege quæ. l.8.lege Ultramontanus. p.277.l.18.lege judico. p.280.l.11. lege prævide-
re. linea eadem lege patiendo. pag.288.lin. à fine 4. lege sed, pag.289. lin. lege Cap.14. pag.295 lin.1. lege Cap.15. lin.11.
lege callebat. pag.301.lin.1.pro 201.lege 302 pag.305.lin.1.lege Cap.16. pag.310.lin.21.lege esset exortum. pag.312. lin.1.
pro 12.lege 312.p.313.l.29. lege portate. l.32.lege cavendum. l.38. lege ferunt. p.314.l.7.lege hebes p.315.l.2. lege decere.
p.318.l.7.lege animam.p.319.l.2.lege prosperitatis.p.325. l.14.lege cornibus.p.327.l.21.lege stratagema.p.330. l.1.pro 350.
l.330.p. 333. l.penult.lege nepotem. p.334.l.13.lege negligit.p.336.l.1.pro 33. l.336.l.11.lege adjuta.p. 337. l.25. lege obtem-
pero.p.340.l.5.lege affabilemque.p.341.l.21. lege exigat.l.30.lege meminerint.p.342.l.10.lege ostendunt.p.343.l.1.lege
Cap.3.p.345.l.25.lege regalẽ.p.347.l.12.lege VIII.ead.l.lege ignorari.p.349.l.1.legeCap.5.p.352.l.5.lege laudabilis.p.35 .
l.10.lege chariorem.p.356.l.12.lege erigant.p.360.l.10.lege illud.p.371.l.1.lege Cap.3.l.25.lege strategicũ.p.378.l.32. lege
ab.p.380.l.7.lege quod.p.381.l.ult.lege terreant.p.382.l.13. lege salutationes.p.387.l.22. lege utilium.l.27.lege Testulæ.
p.39 .l.2.lege quandoquidem.p.395.l.4.lege ostendant.l.26.lege involvens.l. à fine 3.lege Polybius.p.398.l. à fine 7. lege
saturet.p.402.l.1.pro 403.l.402.p.403.l.27.lege adscribe.p.408.l.21.lege mediocris p.411. l.1.lege Cap. 8. p.415.l.1.pro
407.l.415.ibid.l.28.lege Ludouicus XI.l.33.lege victis.ead.l.lege Gunziensibus.p.417.l.1. pro 407. lege 417. p.418 l.13.
lege verebatur.l.32.lege hæredem.p.420.l.penult.lege dissensionum.p.43 .l.13.lege inter. p.433.l.15. lege notate. p.436.
l.13.lege sculptas.p.437.l.30.lege Constantinũ. p.439.l.24.lege rebus.p.440.l.20.lege Thebanum.p.441.l.à fine 10.lege
plebeoque.p.442 l.à fine 3.lege nitidæ.p.443.l.penult.lege rura.p 445.lin 28.lege sanxit. p.446. lin. à fin. 4. lege terræ
motu. p.447.l.à fine 8.lege mentis.p.448.l.19.lege instaurando p.452.l.19. lege Eburonum. p.455.l.1. lege Cap.18.p.
457.l 1.lege Cap.18.p.458 l. antepen. lege pistores.p.463.l.17.lege amoveat pellatque.p.465.l.à fin. 6.lege ex acceptissi-
mis.p.468.l.penult.lege sed p.471.l.2.lege IX. p.473.l.1 lege Cap.20.p.475.l.20.lege vestigio. l.28. lege defectionem. p.
479.l.1.lege Cap.20.p.480.l.4.lege notavi.p.484.l. à fin.7.lege afferat.p.485.l.5.lege Onosander.p. 487. l.14. lege qui-
bus.p.488.l. à fin.12.lege Regia.p.489.l.10.lege ab hæreticis.ibid. l.30.lege queri.p.492.pro 249. lege 492. p.493. l.ult.
lege graviore.p.495.l.30.lege delectus.p.502.l.9.lege quisquis.l.24.lege pectore. l.27.lege sit.p.505.l.1.lege Cap.3.l.5.
lege gaudio.p.509. l.1.lege Cap.5.p.510.l.13.post præsertim adde qui.l.27.lege Caput.6.p.511.l.1.lege Cap.6.p.5 2.l.1. lege
Cap.6.ibid.l. 18.lege substitit.p.515.l.1.lege Cap.6.p.517.l.1.lege Cap.6.ibid.l.penult.lege ferentium.p.118.l.2.lege Ca. 7.
l.3 lege veluti.p.519.l.1.lege Cap.7.p.521.l.1.lege Cap 7.p.523.l.1.lege Cap.8.ibid.l.18. lege Cap.8. l.19. lege illa.p.524. l.
22.lege aurisugis.p.526.l.à fin. 5.lege. altero.p.527.l.2.lege Cap.9.p.529.l.1.lege Cap.9.p.531. l.1. lege Cap. 9.p.532. l.9.
lege Sabaudica.p.533. l.1.Cap.9.ibid l.17.lege apud. p.535.l.1.lege Cap.9.ibid.l.28.lege alii.p.536.l à fin.10. lege Principes.
p.537.l.1.pro 539.lege 537 p.539.l.à fin.11.lege poteras.ibid.lege revelli.p.54 .l.8. lege malevoli. p.544. l. antepenult. lege
delectum p.545.l.27.lege Patritius.p.553.l à fin.3.lege cæde.p.554.pro 545.l.554.p.564.l.21. lege moribus.

Cetera, si quæ adhuc inveniantur, prudens Lector
corrigere facilè poterit.

# PARS TERTIA POLITICORVM

*Continens*

MATERIAM LEGATIONVM

*Auctore*

IOANNE A CHOKIER DE SVRLET, ECCLESIÆ CATHEDRALIS LEODIENSIS CANONICO,

ac Vicario Generali, Abbate Seculari Ecclesiæ Visetensis.

*Uti tempora Pacis & Belli, quorum ad vsque executi sumus partes, suis interdum opus habent Legationibus, sic tertiam hanc, Divis benevolentibus, aggredimur de Legato, sed brevi & succincta methodo, crebrisque omnis ævi monitis & exemplis illustrata.*




COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IOANNEM ANTONIVM KINCHIVM sub Monocerote.

Anno M. DC. XLIX.

*Cum Gratia & Priuileg. Cæs. Maiest. Generali.*



# REVERENDISSIMO

Nobili, multaq; eruditione & scriptis Clariss. Dño.

# D. IOANNI A CHOKIER DE SVRLET.

*SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS Coloniensis per Episcopatum Leodiensem, Vicario in Spiritualibus Generali, & eiusdem Cathedralis Ecclesiæ Canonico & Capitulari &c. Domino & patrono omni obseruantiâ Colendißimo.*



*Mnium vitiorum peßima est ingratitudo,* Reuerendissime & Nobilis Domine, *non superis modo sed hominibus etiam exosa. Quippe quæ amorem Societatis humanæ vinculum arctißimum plane extinguit tollitque. Quod cum seriò mecum expenderem, non potui non agnoscere tuum erga me propensum beneuolumque affectum; dum quod Parenti meo hactenus tribuisti, id iam mihi pari liberalitate concedis, Librorum inquam, tuorum editionem vulgationemque. Qua in re non modo commodo atque vtilitati posteritatis, sed etiam officinæ meæ priuatim prodesse studes atque allaboras, quam tuis doctißimis commentationibus quæ iam per manus Eruditorum paßim vagantur*

*tur celebranturque, illustrare atque adornare dignaris. Prostant enim in officina nostra pleraque omnia exactissima ingenij atque eruditionis monumenta, tam à R^mâ D^one Vestra, quam à Fratre ipsius Erasmo summo studio industriaque elaborata. Inter quæ tamen, nisi me fallit animus, haud parum excellit, quem iam tuo iussu recudendum curaui,* Thesaurus Politicus. *Neque adhuc vti compertum habeo, pro bono posteritatis laborem intermittis, plane vt libris & commentationibus tuis immori velle videaris, & nunquam aliter quam inter studia & lucubrationes reperiri. Quæ cum ita sint, & tu fortasse præ modestia minime agnoscas, fatebitur tamen omnis posteritas, & officina nostra etiam post mortē tuam quam diutißime loquetur. Quam quoniam ita pergis instruere, æquißimum fuit, hanc tuam erga me egregiam voluntatem publico testimonio confiteri & deprædicare. Interim Diuinam clementiam enixissime precor, vt te bono publico diutissime inuigilantem, quam diutissime sanum sospitemque conseruet. Datum Coloniæ. XII. Cal. Aprilis Anno. M. DC. IL.*

Reuerendissimæ Dominationis Vestræ

Obsequentissimus seruus

*Io. Ant. Kinchius.*

# ELENCHVS CAPITVM.

## Huius Partis III.



R^DO ADM. NOBILIQVE
& Scriptis Clarissimo Viro
DOMINO
# IOANNI A CHOKIER DE SVRLET,

Cathedralis Ecclesiæ Leodieñ. Canonico, ac Generali Ser^mi Principis & Episcopi in Spiritualibus Vicario, necnon Ecclesiæ Collegiatæ S. Hadelini Oppidi Visetensis Abbati Sæculari, &c.

*Dum suos de re Monetaria Commentarios, bonis auibus, in lucem ederet.*

*PRodi Moneta, prodi opus probissima,*
*Libelle prodi belle, docte, gemmee,*
*Accede cultis culte frater, Fratribus:*
*Summi Parentis Benjamin suauissime,*
*Tibi à Caninis, nil Theonis rictibus,*
*A Zoilorum nil pauendum fascino.*
*Tu quippè es ortus Maximi è cerebro Viri,*
*Flexanima quem Pallas suum Indigetem vocat;*
*Charites Alumnum; dulce Phœbus, Corculum,*
*Astrææ gazas cui suas, suas Themis,*
*Virtutum & omne detulit Collegium,*
*Ad cuius aurea scripta, Momo palpebra*
*Vt noctuarum, Solis ad faces hebent.*
Politia *namque* Polita *bis tribus libris,*
*Prudentiæ Ciuilis exundans penu,*
*Laudata multis affatim, nulli satis:*
*Quam Principanti Rupe Tarpejâ fuit*
*Accepta* PAVLO! FERDINANDO PRÆSVLI,
CVRAE SECVNDAE, *Nobili auctu diuites;*
*Caræ vt fuère quam* Triumphali *sono*
*Applausit illis Litterarum Cohors!*
*Viuuntque famæ, nunc perennis in sinu,*
*Viuentque, quamdju viuet Æthræ Machina.*
Cœlo, Cedroque *digna quis Volumina,*
*Voluenda seris postmodum Nepotibus*
*Non suspicit? non vsque gestit voluere?*
Legationum *ritè queis tramam ordinat,*
Sagoque *claros instruit, Clarus* Toga.
HENRICE BAVARÆ *Stirpis Augustùm Decus,*
Coloniensis *digne* Atlantis Hercules;
*Quæ luce tantum Nominis splendent tui;*
*Quantum venusti facibus emicant styli.*

*Libri sex Polit. primò dicati Paulo V. P. Max.* Anno 1609. Deindè multo auctiores 1649.

*De Legationibus deq; Arte militari Antiq.*

Syn-

Syntagma *radijs inde Natiuis nitet,* *Syntagma de Permut Benefic.*
*Summumque Genio prodit Authorem suo,*
*De* Transferendis *editum* Beneficijs,
*Solidè explicatum, quod palam Mundo exhibet,*
*In hocce stadio, quidquid implexos tenet*
*Iurisperitos lubricis ambagibus:*
*Tuis sub alis vsque iussum viuere,*
FRANC. SCE *Sedis lumen* Osnaburgicæ.
Romana *scito* Praxis *emergens gradu:* *Commenc. in Reg. Cancell: Apost.*
*Medulla* Apostolicæque Cancellariæ,
*Punctum eruditionis omne vendicans,*
*Et* Gregorjanum *fronte nomen præferens:*
*Sincerioris Aucupi elegantia*
*Valide saliuam quot diebus commouet,*
*Doctamque iugiter explet, ac auget sitim:*
*Et Architecto plectit Adoream suo.*
*Ad* Cæsaris Preces *peritæ indagines,* *Comment. ad Preces Cæsareas.*
*Et dexterè tornata Commentaria,*
Triumuirûm *superba signis* Præsulum, Tribus
*Quos* Imperantis *est* legendi ius *penes,* Imperij
*Et Vrbem, & Orbem laude complerunt suâ:* Elect. Ecclesiast.
*Quæ curioso penderata examine;* Anno
Cathêdra *quantum* Sancta Iuris Cæsari, 1621.
*Indulserit quondam, è tenebris eruunt.*
*Bellata bello bella successu loquar,* *Parænesis contra Hæreticos.*
*In Matris hostes perfidos Ecclesiæ?*
*Sectariorum quam catè aures vellicat,*
*Fidei, Deique causam agens* Parænesis.
*Configit istis vt oculos Cornicibus!*
*Vt* FERDINANDI *roborat* AVITAM FIDEM!
*Vmbone veritatis inuincibili!*
*Ferale monstrum, morde humum, vah! Hæresis,*
*Discordiarum seminatrix omnium:*
*Oppetere nempè Marte sub tanto iuuat.*
Ecclesiæ *protecta* Libertas *quoque* *Vindiciæ libert. Ecclesiastica.*
*Locuples beata testis eloquentia,*
*Cœloque fœta certa Mentis Tessera*
*Legitur; in vsum* Immunitatis *debitæ,*
*Ex legis os, frenat que peruicaciæ,*
*Sub ominato* Publici Patriæ Patris
*Producta Vitæ merito in auras* Nomine,
*Per se, suæque rara* Gentis Sidera,
*Qui iura stabilit, prouehit que* Ecclesiæ.
*Quanta* Senectam *laude laudat cum sua?* Tractatus De Senectute Ferdinando
*Expers* Senectæ *dignus Heros viuere,*
*Expersque mortis, vel* Senectæ *vulnera*
*Sentire nulla, ac sine metu mortis mori,*
*Cuius nihil Iuuenta consciuit sibi,*

*Exsue-*

*Exſucca membra cur* Senectuti *daret,*
*Inſons nihilq́ Vitâ, cur metuat necem,*
*Authore viuet vſque Nobili hic liber,*
*Tutore viuet, atque magno* Principe.
*Et modò* Nepotum Romuli Numiſmata

*De Re Nummaria 1649.*

*Æruginoſis euoluta ſordibus,*
*Nouiſque prompta ſæculo nitoribus,*
*Recreant tuentes & Politorem ſuum*
*Splendore famæ perpetis fœlicitant.*
*Pluresque fœtus, id genus tam fertilis,*
*Genij vigent per cuncta, & Orbis Climata*
CHOKIERII *decus propagant Nominis,*
*Quod nullus animis eximet mortalium,*
*Marcor dierum, vel Senectus temporum.*
*I nunc maligno dente, Tantum* IBIS *virum*

*Fax hiſtoriarum* in fol.
Apologeticus cōtra Hæreticos

*Mendax laceſſe** Publicæ *nega* Rei
*Geſſiſſe curam: ſola dum cunctas rapit,*
*Vna* Arca *curas, eminus veſtigia*
*Sectare ſi potes: aliquid da publico*
*Quod, vel remotè Dædalam hanc induſtriam,*
*Ad ſumma nati adumbret Herois:* Rei
*Te commodaſſe, nos canemus* Publicæ:

* Hoc nomine maledicum obtrectatorem indigitare lubuit. Callimachi, & Ouidij exemplo Alluſum ad inſulſum conuitium à neſcio quo in popina ſomniatum.

*De Gente Crabronum Vnus etenim deſidum,*
*Aliena tantùm noſti mella carpere,*
*Proprio & vibrare tincta felle ſpicula:*
*Quæ liuor armat perpetim improbus in probos.*
*Liuore vel ſitu nigro tamen crepes:*
*Florebit vſque Volucrium ſuppar Poli*
Semideus *iſte Ciuium, diſpar tui;*
*Remque, alite bona, promouebit* Publicam,
*Aceius* Arcas *dextera implebit Dei,*
*Cui volupe facere ſemper eſt bonis benè:*
*Dum nocte cæca merſus ignorantiæ,*
*Et incitas redactus Iri ad vltimas,*
*Monumenta contra ex culta nequidquam latras,*
*Solem & flagellas irritis conuitijs,*
*Tibique,* Publicoque *Vappa inutilis,*
*Naturæ abortus, Carcinoma* Patriæ.

*Arca pluſquàm Reſpublica.*

*Obſeruantiæ ergò*

P. M. D. Auguſtinianus.

# IOANNIS A CHOKIER
## ECCLESIÆ CATHEDRALIS LEODIEN. CANONICI
### & Vicarij in Spiritualibus generalis.

## *Tractatus de Legato.*

### CAPVT I.

*Legati definitio, legatio alia libera, alia Publica: ista Ordinaria, vel Extraordinaria.*



LEGATVS est is qui à Principe publicè mittitur ad expediendum, exequendumuè id, quod ei mandatur: qui enim priuatim it, non legatus, sed Procurator, sed Internuncius appellatur, priscisq; eiusmodi legatio *libera*, quam ij tantum obibant qui priuatim, id est ob negocia priuata proficiscebantur. *Canicius*, inquit Cicero, *familiaris meus vir omnibus rebus ornatus negociorum suorum causa, legatus est in Aphricam legatione libera, eum velim omnibus rebus iuues, operamq; des, vt quam commodißime sua negocia conficiat.* Erantque sine procuratione, sine mandatis, imò sine legatitio, sine viatico, ideoq; nullis rationibus reddendis obnoxij erant. Quare, legatio quæ à Senatu sine Imperatore donabatur clarissimis viris titulotenus ad res proprias, & priuatas gerendas nullo tempore & loco definita, veluti ad adeundas hæreditates sibi delatas, aut voti soluendi caussa, aut ex alia, *libera* dicebatur, eaque lege XII. tab. sublata fuit: *Rei suæ ergò*, inquit lex, *ne quis legatus esto*. Postea, lege Iulia definitum his legationibus tempus quinquennij: ac demum à Cicerone ad annum restrictum, ita enim inquit: *Omitto quamadmodum isti se gerant, aut gesserunt, qui legatione hæreditates, aut syngraphas persequuntur: Sed quaro, quid poßit esse turpius, quã sine procuratione Senator? legatus sine mandatis? sine vllo Reipub. munere? quod quidem genus legationis, ego Consul, quamquam ad commodum Senatus pertinere videatur, tamen approbante Senatu frequentißimo, nisi mihi Leuinus Tr. plebis, interceßisset, sustulissem, minui tempus, & quod infinitum erat annuũ feci, ita turpitudo manet, diuturnitate sublata.* Hæc igitur fuit *libera legatio*, quæ etiam *honesta* dicebatur: quâ (mandante Tiberio) vsus fuit Agrippa, quò Curia procul eliminaretur, teste Tacito. Porrò de huiusmodi legationibus hic non agemus, cum illa

Epist ad famil.

Cic. de leg

Lib. 1. Annal.

exoleuerit vixq; vlla illius iam imago superſit. Itaque duntaxat de *Publicis* tractabimus, hoc eſt, de his legatis qui alicuius Principis, poteſtatiſuè perſonam ſuſtinent, illiuſq; negocia in ſe ſuſcipiunt gerenda, & exequenda; quos quidem legatos idem Cicero appellat Nuncios pacis, ac belli Curatores, Interpretes, bellici conſilij Auctores, Miniſtros muneris prouincialis : & hi, vel legati propriè dicebantur, puta ſi à Principe ſuperioris poteſtatis ad æqualem aut minorem Principem mitterentur, vel ſi à minoris conditionis aut ſuperiorem agnoſcentis ad maiorem Principem *Agentes*: vel ſi à Principe ad ſubditos aut prouinciales *Commiſſarij*: vel ſi à ſubditis ad Principem *Deputati*. Ex quibus conſtat legationem ab ipſa neceſsitate inuẽtam eſſe, ſcilicet vt cum non ſemper, aut tutò liceat Principibus inter ſe affari, at ſuccedaneis, & vicarijs vt ſic dicam linguis vtantur. Quod igitur homini eſt loquela, hoc Imperijs ſunt legationes: quippe quarum vſu, vim atq; Iniuriam aliorũ à nobis deprecamur, fœdera inimus, amicis gratulamur, cum hoſtibus tranſigimus: ſed & illorum, aliorumq; conſilia, vires, arcanaq; indagamus, bellorũ deniq; ſegetem, quod maximum, auerruncamus: quo nomine ſuſcepta eſt legatio illa Iliad. α Vlyſsis, & Menelai ad Troianos, quam Princeps Poetarum hac fini miſſam, verſibus aureis teſtatur, vt Helena Menelai viri ſui penatibus redderetur. Talis etiam fuit Plautina legatio:

Amphit. ———*Vbi primum terram tetigimus*
*Continuò Amphitruo delegit viros primorum Principes*
*Eos legat Thelobois, iubet ſententiam vt dicant ſuam,*
*Si ſine vi, & ſine bello velint, rapta, & raptores tradere*
*Si quæ aſportaſſent, redderent ſe, exercitum extemplo domum*
*Reducturum; abituros Argos Argiuos, pacem, & ocium*
*Dare illis, ſin aliter ſint animati, neq; dent quæ petant*
*Seſe igitur ſumma vi, viriſq; eorum oppidum expugnaſſere.*

Procop. lib. 2. Bell. Perſ. Eodem animo, id eſt, virili, ac potiùs regio Dux ille Beliſarius ad legatum Coſrois: *ſi quid* infit *ab ipſis Conterminis deſideratur, id poſtulatum ijs mittitur per legatos, ſi ab iniuſtis iuſta obtineri nequeant manus ſcilicet conſerenda.* Dixi legationem aliam eſſe *Liberam*, aliam *Publicam.* Hæc diuiditur inter *Ordinariam*, & *Extraordinariam*. Illa infinitum tempus habet, & tantiſper durat, dum Principi cuius eſt legatio placuerit, atq; hæc eſt in vſu magis hodierno, illiuſq; appellatione veniunt ij quos *Agentes Principum* vulgo vocant, vt & illi, qui ab aliqua Repub. vel Ciuitate ad exteros Principes mittuntur, qui quidem ſi gaudeant ijſdẽ priuilegijs atq; legati, non tamen eadẽ honoris vt illi præro-

prærogatiua. *Extraordinaria* verò legatio, certo, & definito tempore circumſcribitur, eaq; hodie frequentiſsima, verſaturq; circa fœdera ferienda, pacem ſtabiliendam, gratulationes, ſponſalia contrahenda, & ſimilia ſexcenta.

## Capvt II.

*Diſsidia potius legatione tollenda, quam armis: ad Subditos tamen non eſſe mittendam.*

Falluntur opinione ſcęuâ, qui haud alio remedio, quam armorũ viribus iniuriam vlciſci volunt, eòq; bella temerè indicunt, imò bella ex bellis ſerunt; quaſi è re ſit nominis ſui, auctoritatem metiri ſuam robore, & contentione militari quam paciferis conditionibus. Aliter, ſed ex vero, Terentianus ille Gnato, qui cenſet *omnia prius experiri verbis, quam armis ſapientem decêre*: Nam præterquam quod mittere legatos, deq; tollendis bellorum irritamentis minimè pudendum ſit (ἄδηλα γὰρ τὰ τῶν πολέμων, *incertæ enim ſunt res bellicæ*) præſertim cum ad maioris potentiæ Principem mittuntur, minus eſt etiam inutile, nec Reipublicæ infructuoſum, cum plerumq; hoſtiũ molimenta pertentemus, & in abdita eorum conſilia plerumq; penetremus. Accedit, quod ſi bellum aggrediare, bene ſequiuſue geras, perficere tamen & exequi neceſſe ſit, id quod pulchrè apud Herodianum teſtatur Pompeianus: τὸν δὲ πόλεμον ἀτελῆ καταλιπεῖν μετὰ τοῦ ἀπρεποῦς καὶ ἐπισφαλές. θάρσος γὰρ ἐμβαλοῦμεν τοῖς βαρβάροις· οὐκ ἐπανόδου πόθον, ἀλλὰ φυγὴν καὶ δέος ἡμῶν καταγνοῦσι: *Bellum relinquere imperfectum præterquam quod indecorum videtur, etiam periculoſum eſt. quippè audaciã barbaris iniiciemus: neq; enim remeandi cupiditate diſceßiſſe nos: ſed aufugiſſe metu perculſos arbitrabuntur.* Eodem collineant iſta Xenophontis: *Qui quæ agunt neſciunt, & eligunt male, poſtquam inſtituto ſuo fruſtrantur, non tantum damno, ac pœna mulctantur: ſed etiam inglorij, & ridiculi ſunt, & ſpreti, dedecoreq; notati viuunt. Vides etiam Ciuitates quotquot ignorantes vires ſuas bellum aduerſus potentiores ſuſcipiunt, partim prorſus euerti, partim ex liberis in ſeruitutem redigi.* Itaque priuſquam aggrediare, vires noſcendæ ſunt; cognitis, verbis adhuc quã armis decerne. Bellorum enim exitus dubij & obſcuri ſunt, nec ſemper votis reſpondent aut humanis conatibus. *Omne bellum* inquit Salluſtius *ſumi facilè cæterum acerrimè deſinere. non in eiuſdem poteſtate initium eius, & finem eſſe: incipere, cuiuis ignauo licêre; deponi, cum victores velint.* Excipio, ſi cum ſubditis negocium ſit. Siquidem in eiuſmodi euentu *eſt omnino turpè*, inquit Cicero, *Legatis vti ad ciues: Nam cum*

Eunucho. act. 4. ſce. 7.

Thucid. orat. archid. lib. 2

lib. 4. Memor.

Iugur.

Apud Dio. lib. 45. Hist.

*extraneis rectum quidem, ac necessarium est, prius per internuncios, & legatione, quam vt agi. Ciuibus autem iniustis confestim supplicia infligenda: iudicio quidem, si sententias de ijs ferre liceat; sin ad arma confugerint, bello prosequendi sunt.* Congruunt ea quæ admodum eleganter prodidit idem Cicero in M. Antonium, vbi multis ostendit legatos non esse mittendos ad seditiosum Antonium, Mutinam, atque adeò patriam ipsam oppugnantem, verba eius memoratu digna sunt hæc: *Ad hunc, dij boni! Legatos mitti placet? norunt isti homines formam Reipub. iura belli, exempla maiorum? cogitant quid Pop. Ro. maiestas, quid Senatus seueritas postulet? Legatos decernitis; si vt deprecentur, contemnet; si vt imperetis, non audiet. Deniq;, quamuis seuera Legatis mandata dederimus, nomen ipsum legatorum, hunc quem vidimus restinguet ardorem Municipiorum, atq; Italiæ franget animos. vt omittam hæc quæ magna sunt, ista legatio moram & tarditatem afferet bello. quamuis dicant quod quosdam audio dicturos: Legati proficiscantur, bellum nihilominus paretur; tamen Legatorum nomen ipsum, & animos molliet, & belli celeritatem morabitur. Minimis momentis P. C. maximæ inclinationes temporum fiunt cum in omni casu Reipublicæ, tùm in bello, & maximè ciuili: quod opinione plerumq;, & famâ gubernatur. Nemo quæret quibuscum mandatis Legatos miserimus: nomen ipsum legationis vltrò missæ, timoris esse signum videbitur. Recedat à Mutina, desinat oppugnare Brutum, decedat ex Gallia: non est verbis rogandus: cogendus est armis. Non enim ad Annibalem mittimus, vt à Sagunto recedat, ad quem miserat olim senatus. P. Valerium Flaccum, & Q. Fabium Pamphilium, qui, si Annibal non pareret Kartaginem ire iussi sunt; nostros Legatos, quo iubebimus ire, nisi paruerit Antonius? ad nostrum Ciuem mittimus, ne Imperatorem, ne Coloniam populi Romani oppugnet, ne agros depopuletur, ne sit hostis.* Hactenus Cicero & quidem omnia præclarè, & notanda in eiusmodi occasione. Nam profectò legatum qui mittit auctoritatem eius qui legatione aditur agnoscere, & se illi inferiorẽ esse fateri videtur: At cum exteris aut vicinis difficultas vertitur procliuius est legatione illam terminare: Nam vt apud Xenophontem memoriæ proditur: Σωφρόνων μὲν δήπου ἐστὶ μηδὲ εἰ μὴ μικρὰ τὰ διαφέροντα εἴη πόλεμον ἀναιρεῖσθαι: *Sapientis est à bello abstinere, etiamsi graues belli causas habeat.* Vnde rectè Tiberius Cæs. dicebat *non vtendum Imperio, vbi legibus agi posset.* Nam siue vincas, siue vincaris, vtrobique non exors eris damni: si vincaris, nil nisi dolor & gemitus; si vincas, etiam ipsa tibi victoria grauis, vtpote tot incommodis & proprijs, & ciuium tuorum parta. Itaq; rectè hic dici potest:

Philip. 5.

De Reb. gest græc.

Apud Tacit.

*Qui vicit perijt, plorant qui succubuêre.*

Maneat ergò diſsidia potius tollenda legatione, quàm armis. At qui ad illam legendi, prudentiæ erit Principis diligenter aduertere. Facile enim reperiuntur qui freti potentia eius cuius vicarij ſunt, rem aliquam perturbent, & diſsidijs materiam ſubminiſtrent; qui verò dexteritatem illam habeant, & voluntatem conciliandi animos, & componendi ſimultates, vix paucos inuenias. Videamus itaq; deinceps qui ad hoc ſacrū operoſumq; legationis munus ſint admittendi.

## Capvt III.

*De aſſumendis à Principe Legatis auctoritate præditis. Auctoritas vnde naſcatur.*

Rectè & ex verò Philippus Cominæus aureis illis Commētarijs de Rebus geſtis Ludouici xi. Gallorum Regis ſcriptis prodidit prudētis eſſe Principis prouidere quibus hominibus ſua negocia credat, cum non ſolum mittentis perſona ab Internūcijs Legatiſq; æſtimetur; ſed etiam omnis omninò rerū ſucceſſus pendeat. Itaq; videndum quibus dotibus inſtructi eſſe debeant qui à Principibus Legati mittūtur. Non diſciplicet opinio exiſtimantiū primas Auctoritatem obtinere: quippè quæ rerum omniū bene gerendarū genere quodam ſit mater. Siquidem aliæ quæ deſiderātur dotes ſine illa incaſſum recidunt, veluti eloquētia, hiſtoriarū cognitio, nobilitas, corporis forma, atq; aliæ eiuſcemodi internæ & externæ dotes, quæ etiam ſimul iunctæ nequicquam ſine illa ad perſuadendum valent. Auctoritas autem naſcitur ab opulentia. Nam humana diuinaq; pulchris parent diuitijs, vt ille inquit: præterquam quod ſi quando re nummaria laboret Princeps, nihiloſecus legationem pro ſua ſuiq; Principis dignitate ampliter diues aliquis tuebitur atque pertendet. Deinde, ab opinione Pietatis, vitæq; Integritatis. Nam vt Valerius inquit, *Cæteræ virtutes, admirationis tantummodo multum, Pietas verò amoris etiam meretur plurimum.* Porrò, vbi amor, ibi beneuolentia, ibi conſenſus animorum, & inde perſuaſio, quæ longius abeſt, vbi illa deſunt. Comprobemus facto Lacedæmoniorum, qui cum frequenti conſilio de ſumma Reipublicæ agerent, ſurrexit quidam ſententiæ dicendæ gratia homo quiſpiam turpitudine priſtinæ vitæ defamatiſsimus: ſed lingua tunc, atq; facundia nimium quanto præſtabilis. Conſilium quod dabat acceptum fuit ab vniuerſis, futurumq; erat ex eius ſententia populi decretū: at, ibi extemplo vnus ex ijs quos Lacedæmonij tanquam arbitros, & magiſtros diſciplinæ publicæ verebantur, commoto atq; irato animo exilijt, inquiens: Et quænam ô Lacedæmonij, ratio, aut quæ tandem ſpes erit? vrbem hanc, & hanc Rempublicam

Lib. 1. c. 5.

Agell. lib. 18. Noct. att. cap. 3.

publicam ſaluam inexpugnabilemq; eſſe diutius poſſe, ſi huiuſcemodi anteactæ vitæ hominibus Conſiliarijs vtimur? Quod ſi proba iſthæc, & honeſta ſententia viſa eſt, quæſo vos non ſinamus eandem dehoneſtari turpiſsimi auctoris cõtagione. Atq; vbi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque iuſtitia præter alios præſtantem: ſed inopi lingua, & infacundum, iuſsitq; eum conſenſu petituq; omnium eandem illam ſententiam diſerti, ſed deterrimi, viri, cuiuſmodi poſſet verbis dicere, vt nulla prioris mentione habita, ſcitum, atq; decretum populi ex eius vnius nomine fieret, qui ipſum denuò dixerat. Atq; ita vt ſuaſerat prudentiſsimus ſenex, factum eſt. Sic bona ſententia manſit, turpis auctor mutatus eſt. Talis igitur ſententia eſt, qualis is vnde profluxit, & ſi quantiuis pretij ille ſit, etiam laudatiſſima; ſi illaudatus, illaudatiſsima ſit neceſſe eſt: vnde recte Hecuba ad Vliſſem:

τὸ δ' ἀξίομα κὰν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πεισεί· λόγος γὰρ ἔκτ' ἀδοξούντων ἰὼν
Κὰν τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει:

*Auctoritas verò, & ſi male dicat tua*
*Perſuadebit: nam ab inexiſtimatis proficiſcens oratio,*
*Et ab exiſtimatis eadem haudquaquam tantumdem valet.*

Porrò, Pietas illa & Religio vnde auctoritatem enaſci diximus, alias habet ancillantes, vt ſic dicam, virtutes, ſiue etiam diſciplinas; de quibus ſigillatim poſtea dicemus.

## CAPVT IV.

*Prudentia legato neceſſaria: quibus illa conſtet: quibus adminiculis iuuetur, an paretur, & vbi maxime requiratur.*

QVemadmodum Pietas cunctis ciuilium virtutum officijs præponitur, efficitq; vt qui ea præditus eſt, auctoritatem vimque maximam ad perſuadendum obtineat; ita qui Prudentiæ dote inſignitus eſt, certam habet normam, quâ non difficulter vera à falſis diſcernere, dubia, obſcuraq; interpretari, optimam conſultandi rationem inire, quidquid deniq; in omni vita agendum eſt, quo ordine quave methodo queat expedire. vt ſanè non inſcitè Philoſophus ille dixerit Prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto alijs ſenſibus præſtaret viſus: vt enim oculi prælucent toti corpori, ſic prudentia cæteris virtutibus. Prudentia verò procedit primum à natura ipſa, quæ plerumq; nonnullis ſuppeditat iudicium, imaginationem, & memoriam. Hac enim indole qui ſunt, facile in conſultationibus diſtinguunt, eligunt, inferunt. Porrò, ad has facultates

Biõ apud Laert.

viam

viam ſternet hiſtoriarum cognitio. Vt enim adſpectus à circumfuſo aëre lumen accipit: ſic animus, ait Laertius, ab hiſtoriarum diſciplinarumq; liberalium cognitione. Vnde vere dixit Salluſtius, *ex alijs negocijs quæ ingenio exercentur imprimis magno vſui eſſe memoriam rerum geſtarum.* Ergò habeat in ſcrinio vt ſic dicam pectoris maximum rerum (præſertim de quibus legationem ſuſcipitur) vndecumq; geſtarum collectũ penu, vt legationes multas obijſſe, antequam vllam attigiſſe videatur. Quare, meo quidem ſenſu, is legatus rectè ſumitur qui pro directore prudẽtiam, pro comite hiſtoriarum cognitionem, pro ſatellitio vt ſic dicam, magnanimitatem integritatemq; habeat. quæ facultates ſi illius inſtruxerint iuuentutem cuius maturam ætatem exercuerit vſus atq; exercitatio, næ legatum muneris omnibus perfectum exiſtimabo. Nam vt cum Plutarcho: τελείους ἀνθρώπους ἡγοῦμαι, τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν νίξαι καὶ κεράσαι τῇ φιλοσοφίᾳ: *Perfectos homines puto illos, qui poſſunt politicam vim miſcere, & infundere Philoſophiæ.* Eam ob rem Lycurgus dicitur à Philoſopho deſideraſſe eloquentiam in concionibus, virtutem in prœlijs, ſcientiam in Senatu. Audi Marium illum Romanum æmulis ſuis inſultantem: *Quæ illi audire, & legere ſolent eorum partem vidi, alia egomet geßi: quæ illi litteris, ea ego militando didici: nunc vos exiſtimate, facta, an dicta pluris ſint.* Cæterum, non eſt omittendum, ſummam vtiq; requiri prudentiam in Legatis qui cum *liberis mandatis* de ſumma rerum à Principe mittuntur, de quibus poſtea opportunè agemus. Neq; enim tantum eſt Legationis onus, vbi mandata conceptis verbis dantur, atq; vbi libera relinquũtur prudentiæ Legati. Imò, etiamſi mandatis Legati poteſtas ſit circumſcripta, tamen multa occurrunt, de quibus in mandato nihil definiri poteſt, quemadmodum è diuerſo multa legatis ſępe cõmittuntur, quæ vel tempore quo tractari debent circumſtantijs mutatis, aliam atq; aliam poſtulant diſquiſitionem. Itaque vt iſta rectè, hoc eſt, loco, & tempore exequare, ſingulari opus eſt prudentia, longo, & frequenti rerum vſu, & tractatione comparata. *Magna enim pars Conſilij eſt in tempore,* inquit Seneca, *Conſilia enim rebus aptantur; res ipſæ feruntur, imò voluuntur, ergo conſilium ſub die naſci debet, & hoc quoq; tardum eſt nimis; ſub manu, quod aiunt, naſcantur oportet.* Legatos populi Rom. Athenas miſſos, concepta quidem habuiſſe mandata conſtat, vt Solonis ſcriptas leges Romam adferrent, iuraq;, & mores aliarum nationum exquirerent, ipſorum tamen prudentiæ commiſſum erat, vt ipſi quæ Solonis leges eſſent, quæ iura, & mores Ciuitatum deſpicerent, Ro-

Salluſt. Ingur.

De Inſtit. puer.

Salluſt. Ingurt.

Epiſt. 17.

mamq; transferrent, vt ex melioribus exterarum gentium legibus suas côderént atq; stabilirent. Narrat Gregoras Carolum Italiæ Regem Filiam è Balduini Imper. exulis filia suscitatam Michaeli Andronico Imperatori nuptui per Legatos obtulisse: at cum eiusmodi Legatio minus grata haberetur, alios Legatos del git eius ætatis doctissimos viros, Meochitem, Theodorum, & Ioannem Glycijs: non ob id tantum quod rerum vsum haberent: sed quod prudentiâ, doctrineq; copiâ, tam diuinarum, quam humanarum rerũ Græcarumque litterarum cognitione excellerent. *Tales enim eos esse opus est*, (inquit Gregoras) *qui Legati ad exteras nationes proficiscantur vt linguis ab omni parte instructi in quouis disputationum genere palmam reportent.* Porrò, ad prudentiam quoq; non mediocriter faciet frequens consuetudo cum ijs qui antea eadem functi sunt legatione, vtpote à quibus quoq; sumet tractatus omnes, & recessus coetuum publicorum, hinc enim plura non dubiè in vsum suum hauriret, quam à mutis vt aiunt Magistris. Vnde Leonem X. Pontificem maximum dicere solitum ferunt tria esse quæ magno Principi in gerendis rebus, & laudem, & fœlicitatem pararent: cum amicissimis iudicij ac prudentiæ opinione præstantibus, diffusè consultare: statimque ab ipso animi decreto maturare ad perficiendum: nunquam obliuisci amicorum absentium: & nullam omninò suspicionem superfluam putare, quæ vitæ Principatusq; salutem respiceret. Philippus ille Comineus de seipse scribit, missum se à Carolo VIII. Galliæ Rege Legatum ad Venetos, sibiq; litteras à Ludouico Sfortia Duce Mediolani datas ad illius Legatum, qui Venetijs erat: quo fine? nisi vt intercedête cum illo necessitudine plurima inaudiret, vnde facilius legationem suam exequi posset. Itaq; Legatus sibi illud Menandri dictum putet:

Lib. b. hist.

Paulus Iouuius in vit. Illust.

Lib. 2. de Bell Neap

Σοφοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ σοφός:

*Sapiens eris sapientibus sæpe aßidens.*

Presertim si natu grandiores & moribus laudabiles sint: *Nec enim omnium seniorum*, inquit Cassad. *quorum capita canities tegit, quosq; longæuitas sola commendat nobis sunt spectanda vestigia, ac monita suscipienda: sed eorum quos laudabiliter vitam suam, ac probatißimè comperimus iuuentutem traduxisse, nec iudicijs proprijs, sed maiorum traditionibus instituisse.* Igitur cum his non rarò versetur, colloquendo, disserendoq; de rebus ad legationes spectantibus. *Minuta quædam animalia, vt ait Phcedon, cum mordent non sentiuntur, adeò tenuis illis, & fallens in periculum vis est, tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet; idem tibi in conuersatione bonorum virorum eueniet, non deprahendes quemadmodum*

Senec. Epist. 94.

modum

*modum, aut quando tibi propositum profuisse deprehendes.* Denique, ne quid omittam, videtur ad prudentiam non mediocriter conferre iuris Ciuilis ſcientia, cognitioque; ſi non ſumma, at illa quæ ex facili tollat difficultates, quæ enaſci ſolent circa ambiguitates obſcuritateſque clauſularum vnius pacis, fœderum, Induciarum, aut circa iura ſucceſsionum, & repræſaliorum, diſsidia etiam limitum, & maximè iuriſdictionum, captiuorum, iura quoq; maritima, de quibus plerumque apud Anglos, Danos, Batauos, alioſque Neptuni filios controuertitur. Poſtremo & illud prudentiæ in legato deſideratur, vt certos habeat vt ſic dicam, corycæos in Aula vnde prodijt, ne quid ipſum latere poſsit quod ad ſuam functionem quoquomodo pertinere poſsit. Nam etſi qui à ſecretis ſunt Principum debeant legatos de quibuſcumque rebus, ob falſos plerumque rumores, qui ab hoſtibus æmuliſque ſparguntur, certiores reddere, grauioribus tamen obruti curis, vel omittunt, vel ſi quid præſtant, minutiora non tangunt, ex quibus tamen excitari maximas animis legatorum perturbationes, haud dubium eſt. Quare bene prudenterq; faciunt qui auricularios miniſtros in Aula ſuorum Principum ſtabiliunt, operaſque ipſorum certa mercede redimunt, vt certò vel de minimis quibuſq; rebus alternis veredarijs gnari certioreſq; reddantur.

## Capvt V.

*Eloquentiam legatis eſſe neceſſariam: in multiloquio illam non conſiſtere: quod vitandum. Dilectus verborum habendus: In pronunciatione quid obſeruandum.*

Facultas apertè conuenienterque dicendi vt ſit omnibus qui negocijs Reipub. tractandis intendunt, neceſſaria, peculiari tamen ratione legatis conuenit: quippe quorum curæ incumbit, non vnum aliquem de multis mulcere; ſed Principis ad quem miſſus eſt animum, (à cuius nutu alij dependent) quoquouerſum ducere atque delinire. Pyrrhi vox vt vera & laudabilis meritò notata, plura ſe recuperaſſe opida vnius Cyneæ legati eloquentia, quam multa & copioſa cataphractorum manu. Id autem ex facili legatum aſſequi poſſe plerìq; putant, ſi primum quomodo, quo quidq; loco, & quo verborum complexu, & ornatu edicat, accuratè circumſpexerit. Minus enim probantur, qui phalerata confuſaque loquacitate ſaburratas, vt aiunt, reddunt aures audientiũ: quales pleriq; qui (vt Liuius de Legatis Regis Antiochi inquit) maria terraſq; inani verborum ſonitu complentes omnia gloriantur, omnia iactant, omnia cum minis & imperio agunt, qui nullas dicendi

De bello Maced. lib. 5.

dicendi partes ordine sibi proponunt, dicta identidem repetunt, denique qui in multiloquio facundiam, elegantiamque constituunt, in quo sæpè, & infantiam suam produnt, & Principum, si non maleuolentiam, certè sannam reportant. Vt in prægrandibus imaginibus, & simulacris, errata pictoris sculptorisuè facilius deprehendis: ita longè procliuius in prolixâ, & longâ, quam in succinctâ oratione, dicentis imperitiam animaduertis. Vnde non nemo linguam dixit esse speculum & effigiem animi: & alius non inconcinnè; sicuti probam aut adulterinam monetam sono plerumque iudicamus, ita hominis sermone, illius mores, ac naturam comprehendi, atq; indicari. Hinc Cicero de eiusmodi loquētibus, veriùs quā eloquentibus dixit, *qui quod aut postulet tempus non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum cum quibus est, dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere inconcinnus, aut multus est, Is ineptus dicitur.* Quare scitè Bion Borysthemtes cuidam immodicè loquaci, & oranti vt aliquid sibi opis ferret, respondit: Abundè tibi morem geram, si Aduocatum miseris, nec ipse venias. Quo mentis instinctu Henricum IV. Gallorum Regem si quis quid negocij cum ipso haberet, & præfationibus longis, ac phaleratis vteretur verbis, vultum auertere, aliumque fortè ibi præsentem ad se arcessere, sicque cum verecundia ineptum illum à se dimittere consuesse ferunt. Neq; illud tam propriū fuit Henrico IV. quā omnibus Magnatibus quibus semper amica est breuitas, tædiosa verò & suspecta prolixitas. In Gallis satis cōstat illos nulli rei magis studere, quā breuiloquentiæ: vnde quendā è veteribus dixisse retulit non nemo: *Gallos duas res accuratè nosse, rem militarem, & arguitè loqui.* Vitium porrò illud prolixitatis ex facili vt reor legatus effugiet, si quæ mente conceperit, cōgruenti meditatione, & ordinata methodo, hoc est per partes disponat, idq; non temerè, non inconsultò & casu in medium efferat; sed quid primò, quid secundò, quid tertiò, & deinceps dici oporteat expendat. Immane enim quantū afferat lumen orationi, quantumq; valeat ad res non tantum memoriâ firmiter retinendas; sed etiam ad easdem perspicuè explicandas apta, & localis vt ita dicam, earum dispositio. Nam vt præclarè inquit S. Gregorius Nazianz. quemadmodum Regiā magnificè exstructam non tam exornat suppellex elegans, & prætiosa, quam illius dispositio non confusa, & perturbata, sed congruis locis collocata; eodem modo in explicanda sententia, non solùm ea quæ occurrunt commemoranda sunt, verùm imprimis danda est opera, vt oratio neq; confusa sit, neq; perturbata, sed quidquid profertur suum locum, suumque gradum tenere videatur.

Cicero de Orat.

Orat. de modo in dispos. adhib.

Contra,

Contra, qui multa verborum colluuie ſine modo, & ordine æſtuat, hic procul dubio, & ſeipſum, & alios inuoluit, illiq; oratio vagari, in oreq; non in pectore enaſci dicitur. *Oratio*, inquit Xenophon, *leuium, & inconſtantium hominum, vana & ſine honore, ac pondere hinc inde vagatur.* Ideò linguam debere non eſſe liberam nec vagam ſcribit A. Gellius, ſed vinculis de pectore imo ac de corde apertis moueri, ac gubernari. ſic enim videas quoſdam ſcatere verbis ſine vllo iudicij negocio cum ſecuritate multa, & profunda, vt loquentes plerumq; videantur ſeſe neſcire. Vlyſſem contra Homerus virum ſapienti facundia præditum vocem mittere ait, non ex ore, ſed ex pectore, quo ſcilicet non ad ſonum magis habitumq; vocis, quam ex ſententiarum penitus conceptarum altitudine pertineret: & petulantiæ verborum coercendæ vallum eſſe oppoſitum dentium luculentè dixit, vt loquendi temeritas non cordis tantum cuſtodiâ, atq; vigiliâ cohibeatur, ſed & quibuſdam excubijs quaſi in ore poſitis ſepiatur. Itaq; in omnibus rebus videndum eſt quatenus: etſi enim ſuus cuiq; modus eſt, tamen *magis offendit nimium, quam parum* vt Cicero ait. hinc idem Homerus vnum ex omnibus Therſiten, *ἀμετρεπῆ ἄκριτὸ μυθον*, *loquentem ſine Iudicio, & modo,* non immeritò taxat. Adeò verum eſt quod idem Cicero alibi dixit, *vt in vitâ, ſic in oratione nihil difficilius, quam quid deceat videre, πρέπον appellant hoc Græci, nos dicamus decorum, cuius ignoratione non modo in vitâ; ſed ſæpiſſimè in poëmatis, & in oratione peccatur.* Plura poſſent de decoro in medium proferri: ſed quando Cicero libro ipſo de Perfecto Oratore, & primo de Officijs multa copioſeq; diſſeruerit, ſuperſedere ſatiùs duco; tâtum necto, haud penitus cenſeri illaudabile illorum inſtitutum, qui antequam Principis ſui mandata publicè exponant, ſcriptis, quo ſecuriùs, certiùſq; & magis ordinatim dicant, exarant, alijſque multo ante communicant, cum plures, vt de triuio collectum eſt verbum, videant oculi, quã oculus, & ſuo vno orbatus, etiam clara luce bonam precatur noctem monoculus. Non quod propterea conſultum eatur legato, vt memoriæ ante deſcripta commendet, ne immemoriâ labatur: ſed vt magis ordinata dicat methodo, ſine qua planè vileſcit oratoris ſermo. hæc igitur ad modum dicendi pertineant. Cæterùm, verborum quoq; delectus in oratione habendus: *Non enim omnis honos,* inquit M. Tullius, *non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec verò etiam locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem verborum aut ſententiarum genere tractandus eſt.* Sæpè inquam temporis ratio habenda eſt, vnde *turpe eſſet* inquit idem alibi, *valdeq; vitioſum in re ſeuera, conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inſerere ſermonem.* Sæpè etiam perſonarum, & negocij conditio

[Marginal notes: lib. 1. exped. Cyri. — lib. 1. Noct. Att. c. 15. — In Brut. — In Brut. — lib. 1. de Offic.]

ditio non tam exigit vt flosculis dicendi vtamur, quam vt ijs spretis incomptum vsurpemus dicendi genus, cuius rei non inelegans est exemplum apud Tacitum: *Legati*, inquit, *Heluetiorum haud facilè dictu est, minusue placabilem Imperatorem, an militem inuenerint, Ciuitatis excidium poscunt, tela, ac manus in ora Legatorum intentant, ne Vitellius quidem minis, & verbis temperabat, cum Claudius Cossus vnus ex legatis notæ facundiæ; sed dicendi artem apta trepidatione occultans, atq; eo validior militis animum mitigauit (vt est mos vulgi) mutabilem subitis, & tam pronum ad misericordiam, quam immodicum sæuitiâ effusis lacrymis, & meliora constantius postulando impunitatem, salutemq; Ciuitati impetrauere.* Illud autem quoad delectum verborum vniuersè sentiendũ est, ne Legatus vtatur vulgaribus, plebeisq; verbis, vt nec obsoletis, aut nouis, & incognitis: cum *vti verbis*, inquit Gellius, *nimis obsoletis, aut insolentibus, nouitatisq; duræ, & illepidæ par esse delictum videatur.* Itaq; iuxta illud tritum, loquendum vt multi, sentiendum vt pauci: *Neq; enim quemquam hoc errore duci oportet*, quod rectè monet Cicero: *vt si quid Socrates aut Aristippus contra morem, consuetudinemq; ciuilem fecerint, locutiuè sint, idem sibi arbitretur licere.* Non enim in omnes omnia conueniunt, nec eloquentia dicenda est, si minus personæ loquentis congruat. Nam sicuti quædam est eloquentia quæ ætatem Iuuenilem decet, quædam quæ senilem, vt docet D. Augustinus, sic certum est non omnia verbornm ornamenta, quæ alios decere possunt Legatorum dignitati quadrare. Itaq; singulari quodam studio non solum vitabit ostentationis suspitionem, & flosculos illos dicendi, quos prauo, & delicato huius temporis vitio pleraq; iuuentus suspicit: sed etiam omnem affectationem circa operosum sermonis cultum, & nitorem. Hinc Regem Galliæ Henricum IV. legimus tædio affectati illius sermonis affectum, frigidè dimisisse quendam Nobilem qui recés ex Italia redierat, dixisseque: *breui quæso expedias, scimus enim te venire ex patria bene culti sermonis.* Vitabit ergò Legatus nedum nimiam prolixitatem; verum etiam accersitam verborum elegantiam, ne si exquisitè dicenda studeat contexere, ad perpendiculum, vt ille inquit, oratio composita, nimiumq; lucernam olere videatur. Ideòque benè Seneca; *quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse, & simplex*: vel eo maximè quod isto dicendi genere vtens, sibi magis sit præsens, & minus mente exerret. Restat vt de pronunciatione quædam obiter dicamus sed non tam meis; quam Senecæ verbis. Is igitur properantiam, & præcipitantiam in dicendo sic damnat: *Oratio illa (Vlissis) apud Homerum concitata, & sine intermißione in morem niuis superueniens oratori data est: at lenis, & melle dulcior Seni (Nestori) profluit. Sic itaq; habe, istam vim dicendi*

Marginalia: lib. 2. hist. — lib. 11. Noct. att. cap. 7. — lib. 1. de Offic. — lib. 4. de Doctr. Christ. — Anno 1606. — Plutarch. in polit. — Epist. 40. — Epist. 40.

cendi

*cendi rapidam, atq; abundantem aptiorem esse circulanti, quam agenti rem magnam, & seriam, docentique. Aequè stillare illam nolo, quam currere, nec extendat aures, nec obruat: Nam illa quoq; inopia, & exilitas minus intentum auditorem habet tædio interrupta tarditatis: Facilius tamen insilit quod expectatur, quam quod præteruolat.* Atq; sint hæc omnia dicta, obseruanda quidem legatis, vbi illorum arbitrio permissa est legatio: in quo euentu illud adhuc monitum obseruandum signandumq;, ne inter orandum vtantur figura illa quam Rhetores Præsumptionem, seu Anteoccupationem vocant, quæ est cum id quod obijci potest occupamus. Siquidem hic dicendi modus metum arguit, eumq; qui eo vtitur onere probandi se coarctat, quod est improuidi litigatoris. Illius tamen vsus conceditur, vt rectè monet Paschasius, in prima oratione legati, cum legatio missa est ad excusandum, accusandum, defendendum. Nam quia tunc legatus sumit partes patroni, aut actoris, eius est obijcere, arguere, auide inficiari, transferre, deprecari, mollire, minuere, auertere, eludere, diluere, taliaq; inserere suæ orationi quæ sunt Oratorum propria; At verò vbi legati potestas restricta est ad normam mandatorum, tum sanè ne latum quidem vnguem à formula recedet, & is qui est Principi vel à libellis, vel à consilijs intimis, vel etiam actuarius Concilij totidem verbis, & sententijs atq; mandata scripta sunt actis perscribet. Atq; hactenus de eloquentia legatorum; nunc ad alia stylum & animum conuerto. de leg.

## Caput VI.

*Legati sunto clari à Natalibus, & Virtute: sint & senes.*

Legatio etiam ijs committenda, quos nominis, & virtutis claritudo commendat. Nam quamuis & Nobiles & ignobiles personam illius vnde missi sunt sustineant, nihilominus Principes qui legatione adeuntur, multa circumspicere & singula accuratius rimari solent, ac plerumq; indignantur, quoties viri minus celebres ad ipsos legantur. quid, quod humili legatione negocium videtur sperni, & is qui eam suscipit ludificari? Taceo, quod quò quisq; genere, famâ, patrimonio honestior est, hoc se honestiùs fortiùsq; gerit, tantoq; diligentiori cura negocia sibi à Principe credita exequi solet, quantò viciosiore culpa veretur maiorum stemmata inquinare. Notum illud:

*Fortes creantur fortibus & bonis:*
*Est in iuuencis, est in equis patrum*
*Virtus, nec imbellem feroces*

 Progen-

*Progenerant aquilæ columbam.*

Hinc Veſpaſianum memorat Tranquillus ad comprimendum tumultuantium Iudæorum motum, inter legatos, Titum maiorem filium aſſumpſiſſe. Gordianum quoq; filium legatum habuiſſe Capitolinus auctor eſt. Tales certè ſunt quaſi obſidis loco à maioribus Principi, ac Reipub. relicti, vt poſtpoſita inuidia, morte, pœna, nihilo ſegnius ſalutem Reipub. tueantur. Summa, proniore iſti audientur aure, & validiore argumentorum face, accendent animum eius qui aditur; vt contra quibus nulla eſt honoris, aut familiæ prærogatiua, procliuè eſt vt ſpernantur, vtpote quos iam ante ipſa generis ignobilitas deſpicabiles reddit. Quis neſciat ob Romanos legatorum ignobilitatem, ſiue

Liu. lib. 30 indignitatem Cartaginenſibus pacem denegauiſſe? Audi Annibalem ad Scipionem verba facientem: *Veſtri quoq;, vt audio,* inquit, *Patres, nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerant pacem: Annibal peto pacem.* quaſi dicat: quod hactenus Cartaginenſes, homines ignobiles, nullaq; virtute commendabiles, legatione ad vos, legatos miſerint, nihil vtique miramur ſi pacem petentibus abnuiſtis: at, nunc ego tot victorijs antea clarus, & nunquam per fallacias, & dolos; ſed militari adapertaq; via vos Romanos depugnans, Annibal peto pacem. Centum, & octoginta iam ſunt circiter anni cum Ludouicus XI. Galliæ Rex Oliuario tonſore ſuo in legationibus vtebatur. Is ab obitu potentiſsimi Caroli Burgundiæ Ducis Gādauum legationem obibat ad Caroli filiam cum mandatis, & litteris, vt eam ad partes

lib. 8. Regis traduceret. Venit igitur ad Concilium. (verba Comminæi) ſplendidiùs aliquantò veſtitus, quam pro ipſius conditione. Erant cum puella Dux Cliuenſis, & Leodienſis Epiſcopus & alij proceres magno numero: redditis puellæ litteris, iuſſus eſt exponere mandata. Refert ſibi iniunctū eſſe vt ſoli puellæ loqueretur: illi cōtra, & inuſitatum hoc eſſe dicebāt, & indecorum, eo quod & adoleſcentula eſſet innupta. Cum perſiſteret in ſententia, illi incipiunt minari, & cogere, tandem re infecta, è Senatu non ſine ludibrio receſsit. pleriq; enim eum ridebant & propter generis ignobilitatem (nam originē ducebat à quodā vico, non procul à Gandauo) & propter ineptum ſermonem. Certior autem factus imminêre ſibi periculum, & fore vt in flumen abijceretur, profugit Tornacum. Eiuſdem generis Legati fuere Aloyſius Soderinus, &

P. Iouius lib. 28. Hiſt. Andreolus Nicolinus diligens potius mercator, quam Senator. Hos vbi Bononiam peruenerunt, CLEMENS VII. Pontifex, cum nec ſatis dignitatis, nec ſatis induſtriæ, ſinceræque volūtatis, & fidei in his conſpiceretur, adeò contempſit, vt effuſè rideret, quod ad ſe pro

eximijs

eximijs Senatoribus mercatores, nec quidem primæ claſsis è Florentia miſiſſent. Nam, quod ad eleuandam, Legationis exiſtimationem maximè pertinuit, apparitores miniſtrique vectigalium Bononienſium in ipſorum ſarcinis nexi auri filorum ad telas aureas texendas, magnam vim, mercimonij cauſa, vt portorium ſubterfugerent deprehenderant. Quæ calliditas inepta negocio longè grauiſsimo tanquam inuoluta, tenuiſsimi lucri ſordibus, eò validiùs ridenda fuit, quod nihil certi ad conficiendam pacem prolatis mandatis attuliſſent: atque ita Clemens, ridente etiam Cæſare mercatorum auaritiam, & imperitiam in maximarum rerum Conſilio, periculoque ad exiguam lucri ſpem vocatam, ſtomachatus, ſic pertinaciam inſaniæ proximam exprobaret, vt indè non obſcurè exploſi dimitterentur: vbi verò domum reuerſi ſunt, quod nihil omninò pepigiſſent, tanquam patriæ dignitatis egregiè memores, atque conſtantes, ab ipſa factioſorum multitudine laudati celebratique ſunt, gementibus bonis ciuibus qui deſperata concordia nullum niſi maximè funeſtum belli, atque obſidionis exitum expectabant. Tales igitur ſunt exitus ignobilium Legationum, quæ vt Cæcias nubes, ſic iliades malorum, & ſibi, & Principibus accerſunt tales tenebriores. In eodem vitio ſunt qui adoleſcentes Legatos mittunt, qui cum impotentiâ animi plerumque laborent, non eſt quod ab ijs moderationem, legatis alioqui perneceſſariam, expectes. Vide mihi legatum illum ex Aſia miſſum, quem Agellius adoleſcentem indigetat: Is in lectica ferebatur: ei obuiam bubulcus de plebe Venuſima aduenit, & per iocum cum ignoraret qui ferretur, rogauit num mortuum ferrent? vbi audiuit, lecticam iuſsit deponi: ſtuppis, quibus lectica deligata erat, vſque adeò verberari iuſsit, dum animum efflauit. In eo etiam offenderunt Epiſcopi Ariminenſis Conſilij teſte Seuero Sulpicio. Nam cum ab Arianis, & Catholicis ſeparatim miſſæ eſſent legationes ad Conſtantinum, à noſtris inquit Sulpicius, grauiter peccatum fuit, quòd in eam Legationem lecti eſſent homines adoleſcentes parum docti, & parum cauti, cum ab Arrianis miſsi eſſent ſenes callidi, & ingenio valentes: Ergò verum eſt quod Cicero alicubi dixit *maximas Reſpublicas per adoleſcentulos labefactatas*. id quod maximè didicit Eccleſia Romana tempore iam dicto: nam cum Arriani aſſeclis acerrimè conflictaretur, grauiſsimæque premeretur, miſsione illius Legationis, ſe tum leuatam iri credebat, cùm legati illi ætate minores & parùm cauti

lib. 10. c. 3.

lib. 2.

Barō. An. Christi. 359.

Zosim. lib. 4. ti adducti sunt ad Arriannorum perfidiam subscribendam, quos propterea reuersos Synodus in communionem suam recipere recusauit. Longè aliam rationem inierunt Antiocheni, qui ob deturbatas Imperatricis iam defunctæ, & ipsius Theodosij statuas propter imposita ipsis Tributa, cum maleuolum illius animum sibi conciliassent, & tantùm non excidium vrbis ipsis impenderet, doctos, & nobiles viros placandæ ipsius iræ ad illum miserunt, in quibus Libanum Sophistam, virum eloquentiæ id temporis celebratæ, & Hilarium quendam è clarissima, & nobilissima Familia ortum, qui tantum sua facundia, & nobilitatis existimatione effecerunt, vt à proposito delendæ vrbis Imperatorem alioqui in vltionem pronum auerterent. Ita tamen nobilitatem in legato requirimus vt præ illa virtutem non negligamus neq; enim generis nobilitatem metimur à maiorum imaginibus: sed à virtute, præsertim erudita, quæ propriè, ac verè virum facit nobilem.

Iuuenal. Satyr. 8.
——*Quis enim generosum dixerit hunc*
*Qui indignus genere, & præclaro nomine tantum*
*Insignis?*

Quid? an Mario septimum Consuli obfuit generis obscuritas, quo minus bello in Ingurtham gerendo cæteris nobilibus posthabitis præficeretur? Minimè sanè: vnde de suis æmulis nobilibus præclarè ad Quirites dicebat. *Contemnant*, inquit, *nouitatem meam, ego illorum ignauiam; mihi fortuna; illis probra obiectantur: quamquam ego naturam vnam, & communem existimo: sed fortissimum quemq; generosissimum esse.* Alphonsus ille Aragonum Rex cum quidam illum laudaret, quod & Rex esset, & Regis filius, & Regis Nepos, & Regis frater: dixit se ista nihili facere, cum laus ista sua non esset; sed maiorum, qui virtutum præstantiâ regnum, & Regias opes acquisiuissent. Nouitas etiam generis minus obfuit, quo minus Sfortiæ cognomento Magno Ducatus Mediolanensis obtigerit, ita vt à ligone, & vomere ob singularis indolis præstantiâ ad illum Ducatum accitus sit, si Paulo Iouio credendum est. Similiter natalium obscuritas minus obstitit quo minus Matthæus ille Langus patrum memoriâ vir clarissimus ciuisq; Augustanus varias obiret à Maximiliano Imperatore legationes, quas tanta cum laude suscepit, vt postea Præsul, mox archipræsul factus, & demum in Cardinalium numerum cooptatus sit. Nostra verò ætate nunquid vidimus nonnullos Aulicos tametsi mediocri familia ortos Serenissimo Electori Coloniensi Ernesto Bauaro bon. mem. Leodiorũ Principi, insignem, & laudabilem operam dedisse, Legationes quà ad Cæsarem, quà ad Hispaniæ Regem, quà ad alios Principes multoties, &

Sallust. Ingurt.

In vit. Illust.

quidem

quidem dexterrimè suscepisse, obiuisse, gessisse? Igitur quæ in Legatis desideratur nobilitas, illa est quæ eruditæ virtutis fulcro roboratur: hac vna cote acuitur nobilitas, & maiorum præclara facinora in nobis illustrantur. Cato, cum illi simultates cum Scipione Africano essent, ioco dixisse fertur: *Ita demum maximam Romam fore, si viri magni, & illustres virtutis primas partes inferioribus non concederent; contraq; plebei* (qualis ille fuit) *virtutis certamen cum his qui gloria, & genere essent clari, susciperent.* Sed hodie tantum abest, vt ista æmulatio Reip. bono cedat, quin non mediocriter illam incommodet, dum plerique sui nimium pleni alios præ se contemnunt, & isti nec ab illis parum alioqui virtute & eruditione tinctis negligi, minus multo despicatui haberi sustinet.

## CAPVT VII.

*Mittendos esse gratos ijs qui legatione adeuntur; Illi considerati à moribus gentium, ætate, Religione.*

AD rem etiam legationis pertinet, vt gratiosus acceptusq; mittatur: quia dum is qui displicet ad intercedendum mittitur, inquit D. Gregorius, irati animus ad deteriora prouocatur; E contrario vbi adest φιλαλληλία, amor inquam mutuus inter eos qui in rem aliquam coeunt, faciliùs haud dubiè negocia expediunt. Hinc verum illud vetus verbum, *Si vis mittere, mitte gratum.* Vt solers piscator non quamlibet piscibus escam obijcit, sed quam auidiùs glutiunt: ita peritus temporum moderator, non quemuis muneri huic præficit, nisi quem maximè gratum fore prouidet. Accepti porrò erunt legati si ingenia ingenijs respondeant, vt si in disciplina rei militaris versato miles, si alijs studijs exercitato, doctus; si collegæ studiorum, collega; si populo leni, benigno; facili, comis, & amœni ingenij mittatur, vt hac similitudine morum, atq; studiorum seueriùs, & arctiùs animi coalescant. Hinc non nemo suadet vt si Romam aliqui mittendi, pij ac religionis obseruantia noti, & potiùs politici, quam Ecclesiastici, vt eorum desideria qui Pontifici maximo minus obnoxij sunt, maiorem habeant auctoritatem. Si in Hispanias, moribus, & ingenio graues, & sedati, & quamminimè nouarũ rerum dignitatumuè appetentes: In Moscouiam cauti in credendo, quòd ibi rarò quis loquatur aperto pectore. Per Italiam proficiscantur humani, & officiosi: cum ibi ciuilitatis, & humanitatis perpetuum sit inter homines certamen. In Gallias ingenio acri, & celeri, vt è re nata consilium capiant, & scenæ, quod aiunt, sciant inseruire. In Angliam forma spectabiles, etiam proceræ staturæ, cum talibus quasi suis popularibus afficiantur. In Germaniam deniq; promis-

*In cap. in grauibus 3. quæst. 7.*

ſorum tenaces, cum ab omni æuo dictorum factorumq; conſtantia cæteris nationibus Germani anteſtent. Diſcernenda ergò Legatorum ingenia, vt participatione quadam morum, atq; voluntatum inclinatione faciliùs compotes fiant voti, ſicq; ipſi gratiores Principi reddantur. Tales fuêre Legati Iuſtiniani Imper. ad Ioannem Epiſcopum vrbis Romæ, vt patet verbis his eiuſdem Epiſcopi ad Iuſtinianum: *Præterea Serenißime Principum, laudamus legatorum veſtrorum perſonas Hiſpatij, & Demetrij fratrum, & Coëpiſcoporum noſtrorum, quos Clementia veſtræ gratos fore ipſa manifeſtauit electio. Nam tantæ cauſæ pondus non niſi perfectis in Chriſto potuiſſet iniungi, tantæ verò pietatis, tantæ reuerentiæ plenos affatus, niſi per amantes minimè dignaremini deſtinare.* Idem ille Iuſtinianus Tribunum medicum de pace miſit ad Coſroëm Perſarum Regem: tum quia eum ad ſe mitti Rex petierat, tum quia eum à grauiſsimo morbo liberauerat, & ex eo gratiſsimus, & acceptiſsimus erat. Et prioribus ſæculis Senatus Romanus orta propter Decemviros ſeditione L. Valerium, & M. Horatium ad plebem Auentium iam montem inſidentem miſit, non alia nimirum ratione, quam quia repudiatis C. Iulio, P. Sulpitio, & Sp. Tarpeio, qui primum mandata Senatus ad eos detulerant, hos maximè viros quibus reſponſum darent ad ſe mitti petierant. At, quid ſi re ipſa miſsi Gratijs litare neſcij, minus inquam grati & inuiſi, hoſnè licebit circumſcribere, non admittere? Nequaquam: ſiquidem exterorum Principum legati ſint; ſi prouincialium, poteſt, ſi illi lubitum eſt, cui dici nequit, cur ita lubet. Aetas quoq; hic erit ſpectanda, vt ea eligatur, quæ ei rei obquam mittitur conueniat. Quid enim ſi legetur quiſpiam grandior natu lippus aut claudicans ad Nympham nupturientem? vt ſæpè fit magnates inter, qui non aliter coniuges ſibi procantur, quam per procuratores, & vicarios, nunquid non inquam perindè ridiculum foret, ſenem huic muneri deſtinare, atq; ſi in ſcena aliquis perſonatus exacta ætate Thaidem ſollicitaret? eâ re non ſemper contemnenda adoleſcentia, etiamſi à tractatione ciuilium rerum pleriq; omnes arcendos velint, vt ſuperiori capite diximus. Religionis quoq; congruentia gratos reddunt legatos ijs ad quos mittuntur. Vnde ſi Papa adeundus ſit, aut Rex Hiſpaniæ, tum mittendum volunt virum compoſitũ & orthodoxum; & viciſsim ſi Princeps ſequioris religionis ſit adeundus, gratiorem ei fore legatum eiuſdem ſectæ & religionis, quam Catholicum; licet intutum videatur talem mitti, vbi præſertim vacillat probitatis opinio.

in l. Inter C. de ſumma Trin.

Procop. lib. 2.

Liu. lib. 3.

CAPVT-

## Caput VIII.

*Ab Ecclesiasticis concinnè suscipi Legationes præsertim supplices; indecorè contensiosas. eosdem bellicis expeditionibus nonnunquam non indecenter interesse.*

NEc illud silentio inuoluere lubet, nonnunquam vtiliter nedum conuenienter Prælatos Ecclesiasticos onus legationis obeundæ suscipere, vbi præsertim deprecanda est vis maior. Hæc fuit caussa legationis susceptæ à Iustino ad Anthoninum Pium, à Magno Episcopo Berrhoeæ ad Cosroem, à Reparato Præsule Carthaginensi ad Gilimerem, à Sueuis Sacerdotibus ad Theodoricum, à Flauiano Archiepiscopo ad Theodosum Iuniorem, ab Episcopis Iussu Magnensi ad Constantium, à Theophilo Indo iussu Constantij, ad Gentes orientales, ab Vphila Episcopo Gothorum, ad Valentem. Quid longingua me tenent? Nunquid S. Ambrosius Mediolanensium Antistes gesit in Anglia legationem pacis inter Maximum pseudo-Cæsarem, & Valentinianũ Imperatorem conciliandæ caussa? Eodem æuo & sanctitate simili D. Martinus asiduè licet versaretur in Episcopali munere, eiusdem tamen tyranni maximi Comitatum subijt necessarium, Turonibusq; Treuiros est profectus, cum ob alia, tum pro Narsete Comite & Leucado Præside Gratiani partium pertinaciùs studiosis. Memoriæ quoq; proditum est Theobaldum, è familia vice-Comitum Placentiæ qui ob vitæ sanctimoniã, è Canonico, & Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis ad Pontificatum Maximum, licet tum in extremis Syriæ oris existeret, accitus est; eiusq; nominis Gregorius X. dictus, (de cuius iam Canonizatione in Vrbe tractatur) diuersas & maximi momẽti legationes suscepisse, nedũq; in Syria, sed in Anglia cum Ottobono Cardinale perniciosa animorũ diuortia Regem inter & Proceres, sedauisse, compescuisse, sustulisse. Talium exemplo, nil vetat quominus Ecclesiastici, eminentioris gradus, doctrinæ, pietatis, sacrum istud legationis munus sustineant, imò non aulas modò, vtar verbis eruditisimi Choppini, sed Castra etiam sequantur aliquamdiu. His enim Sardicensem Canonem Gratianus accomodat, non vt armis quidem illi suppetias ferant Principi, sed eum cum exercitu obsecrationibus habitis concilient numini, & sacris consilijs iuuent. Sic D. Bernardus ad Senonum Archiepiscopum scripsit, vt Principibus Episcopi sedulò adsint in eorum curis, negocijs ac exercitibus etiam ipsis. Sanctorũ namq; Patrum cõtubernio protegitur admodum Regalis, publicusq; Regnorum status, vt non minus orantium Christi, quam pugnantium Regis militum præsidio, hostes à Patrijs finibus arceantur. Quod animo meditans Mascelzer, Gildonis

Procop. lib. 6. belli Pers. Id. lib. 2. bell. Vand.

Io. Chapeauille Hist Pontif. Leodieñ. tom. 2.

23. q. 8. §. reprehenduntur & can. Si vobis.

Epist. 42.

Africæ Comitis Germanus, haud aliud sibi popoſcit præſentiùs remedium vlciſcendæ fratris perfidiæ in Theodoſij Cæſaris liberos, quam ſi Clericorum ſatellitio ſtipatus, qui Chriſtianis armis id eſt pijs precibus accincti in ijſdem ſecum agerent caſtris cum hoſte dimicaret: itaq; in ſomni nocte orationibus hymniſque tranſacta Malcelzer, victoriam reportauit, incruentam octonis armatorum millibus, à quinque millium exercitu in deditionem redactis. Ex quibus omnibus officio non inconuenienter, à Sacerdotibus integris, & inculpatis Ciuilia interdum tractari, & legationes interdum ſuſcipi: nam vt præclarè PhiloIudæus inquit: *Veri Dei miniſtri, eo mentis acumine præſtant, vt ne minimum quidem erratum pro leui habeant ob excellentiam eius Regis qui ab ipſo coluntur.*

De Principe cap. 7.

## CAP. IX.

### *Mittendos Indigenas, quam Exteros.*

EXteros in hoc negocio intelligo, qui ſunt alteriùs imperij, ac ditionis, non etiam qui diuerſæ ſunt à nobis linguæ: & illos duplici de cauſſa à legationibus arcendos eſſe pleriq; ſentiunt. Priore, quod magis ad maieſtatem, & ſecuritatem pertineat regnantis, aliquem è ſubditis mittere, quam exterum: quòd illi fidem plerumq; Principi ſuo addictam habeant, aut certè minus ſyncerè negocia aliorum Principum adminiſtrent. Hinc Auguſtus Cæſar, (vt auctor eſt Tranquillus) ſopitis bellis ciuilibus ſtudẽs otio, & magnitudini Imperij, magni exiſtimauit, ſyncerũ, atq; ab omni colluuie peregrini ſanguinis incorruptũ ſeruare populum, & proinde Ciuitatem Romanam rariſsimè dedit. Quid quod Princeps mittens aliquem è ſuis ſubditis diligentiori curâ dilectum faciet perſonarum, cum alias verecũdum foret ipſi pandere ſuam inopiã, & raritatem hominum ad illud munus idoneorum. Altera eſt, quod exteri iuris & moris patrij vnde mittuntur plerumq; ignari ſunt: & tamen quotuſquiſq; eſt qui ignoret *ad Conſilium de Repub. dandum caput eſſe, noſſe Rempublicam?* Cicero id quidem totidem verbis adſtruit in libris officiorum, tum etiam in libris de legibus, vbi ſcribit, Senatori neceſſarium eſſe noſſe Rempublicam, idq;, inquit, latè patet, videlicet quid Princeps, vel Reſpub. habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere, tenẽre conſuetudinẽm decernendi, noſſe exempla maiorum, &c. quæ omnia vt percalleat exterus quiſpiam, tantùm non

Cap. 40.

lib. 2.

fieri poteſt. Non nego tamen exteris interdum vbi diu aſſueuerint moribus, & conſuetudini patriæ, vtiliter id muneris mandari, vt patrum memoria legimus Carolum V. familiariter Granuello natione Burgundo, Franciſcum I. Galliæ Regem Triuultio, & Henricum III. Petro Strotio Florentino, alios item alijs expertæ fidei, & notæ prudentiæ viris vſos eſſe. Imò legimus Imperia exteris aliquando fuiſſe data. Conſtat enim Athenienſes non ſolum idoneis ciuibus Rempub. & militiam adminiſtrandam commiſiſſe: ſed ſæpè etiam peregrinos ciuibus antetuliſſe, eoſque Reipublicæ gubernationi præfeciſſe, dummodo viri boni honeſtiq;, & ad ſubeunda munera apti formatiq; probarentur.

## Cap. X.

### *Forma etiam, & dignitas corporum in legatis attendenda.*

INter notas atque dotes, quæ non exiguam legatis commendationem afferunt, illa non in poſtremis eſt habenda, quam benefica natura pleriſque ſolet indulgere, nimirum formæ venuſtas, dignitaſque corporis. quippè quæ occulta quadam naturæ illecebra homines ad ſui amorem prouocet. vndè Græci dixerunt, *καλὸν παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ, pulchrum à calando (id eſt vocando) quoniam omnes ad ſe vocat.* Theophraſtus autem vocauit formæ venuſtatem *ἀπάτην σιωπῶσαν: fraudem ſilentem*: quòd mutæ cuidam ſuadelæ aſſentiamur, quoties faciei decor obtutui ſeſe offert. Hinc pulchritudinem veteres Imperio dignam cenſuerunt, & vbi forma apparet, ibi regium quiddam ineſſe arbitrabantur. Apertè id teſtatur Curtius: *Etiam barbaris hominibus*, inquit, *in corporum maieſtate veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putauit, quam quos eximia ſpecie natura donare dignata eſt.* Crede exemplis omnis æui: ecce tibi Ariobazanes Taciti, qui ob inſignem corporis formam, & præclarum animum apud Armenios in Regem eligitur: Vide quoque Ariſtocratem Rhodiorum Ducem ob eximam corporis ſpeciem præ cæteris Principatu dignum. In Elide quoq; fieri de pulchritudine iudicium adſtruit Atheneus. Apud Romanos Traianum illum conſidera, & videbis *procerıtatem corporis*, *honorem capitis*, vt Plinius loquitur, *& dignitatem oris* viam illi ſtrauiſſe ad Principatum. De Theodoſio Pacatus: *Virtus meruit quidem Imperium: ſed virtuti addidit forma ſuffragium: illa præſtitit, vt oporteret illum Principem fieri; hæc vt deceret.* & Titus ille cognomento Deliciæ generis humani, adeò ad

Athen. lib. 13. c. 7.

lib. 4.

lib. 2. Annal.

lib. 13.

Paneg.

Paneg.

Tacit. 2. Annal. Imperium ambiendum corporis forma profuit, vt licet illi ingenium quantumcumq; fortunæ capax fuerit, *decor tamen oris, cum quadam maiestate ad illud capessendum plurimum suffragari visus est.* Itaq; non corpus modo: sed animum etiam ipsum commendabilem reddit formæ dignitas: quam sic pleriq; considerant, vt non sit longurio, aut vasto nimis corpore; sed nec pusillo: in illo paruam habitare virtutem dixit Aristoteles, in isto angustam: non sit etiam corpus sagina graue, vt nec strigosum seu macilentum, aut extenuatum, quod illud ad labores capessendos minus aptum sit; istud ad tolerandos imbecillum. At quantò magis à sacrarijs huius muneris arcendos esse claudos, loripedes, gibbosos, mutilatos, detortos, verrucosos, & similes quoq; ludibrio natos dixerim? Vnde M. Cato tres illos Romanorum legatos missos ad faciendam pacem inter Nicomedem, & Prusiam, despicatui habuit, vtpote quorum vnus podagra teneretur, alter caput haberet cicatricosum, & tertius vecordiâ laborabat: vnde ridens dixit, *Populus Romanus mittit legationem quæ nec caput, nec pedes, nec cor habet.* Nempe prisci illi animum ex ipsa corporis cõstitutione metiebantur. Hinc etiam Cicero C. Fannium Chaream notat, illiusq; sacerrimam mentem à corporis sui deformitate depingit: *Faciem considerate*, inquit, *nonnè ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olére malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonnè ab imis vnguibus, vsq; ad verticem summum, ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur? qui iccircò capite, & superciljs semper est rasus ne vllum pilum viri boni habere dicatur.* De Iuliano quoq; Imper. sic aliquando ominatus est Gregorius Nazianzenus, vt propter eius inflexam ceruicem, humeros subsultantes, oculos vagos, & furiosè intuentes, pedes instabiles, nares contractas, contumaciam, & contemptum spirantes, sermonem hærentem, & spiritu concisum, magnum Romano Imperio malum illaturus esset. Ad hæc vide mihi Tersitem illum hominem præfractæ naturæ apud Homerum, qui vt mores eius suis coloribus effingat, sic illum describit: *Strabo erat, claudus autem altero pede, & eius humeri curui, in pectus contracti. Cæterùm, desuper acutus erat capite rara; & inerat lanugo.* Sed & ipsi Turcæ animorum alioqui vera monstra ab ipsa corporum deformitate auersi sunt, & despicatui habuerunt legatum cui vlcerosa facies, membra mutilata, aut distorta. Vndè purpuratus quidam Turca ad legatũ illum Hispanum: *Deerantnè tuo Domino*, inquit, *quos sine cicatricibus ad nos misisset?* tum ille: *Non deerãt*, respondit: *sed hæc mihi adacta in facie vulnera, testis est nostra ad Naupactum victoria, in qua & tu certè occubuisses, nisi fuga te mandasses.* Ludibrio quoq; habitus est Leo Bizãtinus vt memorat Pascalius, qui legatus athenas

Plut. & Ammia.

Orat. pro Roscio.

Orat. 2. in Iul.

Iliad. 2.

Athenas missus, homo valdè obæsus, cum editum suggestum tumultui compescendo conscendisset, populus eum tam prominente ventre deformem conspicatus, totus in risum solutus est, quamquam is risus illico cesit in admirationem, ob cordatum ipsius Legati de hac ipsa pinguedine sermonem. Vndè non est quod quispiam putet tantum formæ, & dignitati corporis tribuendum, vt ex ea solum, animi habitus dignosci queat: cùm non pauci inueniantur illaudatâ formâ, laudati alioqui & argiuo digni clypæo. Virtus siquidem amœno, vel deformi non est circumscripta domicilio, æque magnum ipsa decus ex se habet, corpusq; omne sua Venere condecorat. Sic Agesilaus Spartanorum Rex corpore deridiculo fuit, vtpote facie ignobili, & pede claudo, ideòq; moriens edixit, ne aut pingeretur, aut saxo incideretur: & tamen quanta ipse rerum gestarum laude floruerit, vix quisquam est pauxillum in historia Græcorum versatus qui ignoret. Ita

*Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses,*

Igitur, nõ tam pulchritudine Legati præstantia constat, quam Virtute: nec tam vultus, oculi, & oris decus spectandum, quam facies animi introspicienda, iuxta illud Mænandri:

μὴ κρίν ὁρῶν τὸ κάλλος, ἀλλὰ τὸν τρόπον:

*Noli iudicare videns pulchritudinem: sed morem,*

Eodemq; collineant illa Syracidis,

*Non laudes virum in specie sua, neq; spernas hominem in visu suo.* Eccles. 11.

Siquidem ea despicabilis demum est deformitas, quando illi ancillantur vitia, vt contra laudabilis est, & in pretio pulchritudo, cum ei virtus præsertim erudita præsidio est.

ὡς ἡδὺ κάλλος, ἔτα ἔχει νοῦν σώφρονα:

*Quam suauis res pulchritudo quando habet mentem sapientem*

inquit idem Comitus. cui alludit Poeta latinus:

*Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.*

Atq; de his satis dictum esto, ad alia iam ire libet.

## Capvt XI.

*Legati à pecuniæ studio longius absint: vt & Aulici illius Principis qui aditur.*

SI quid in humana vita est quòd homines ad sequiorem vitam ducit, sacra illa est, & mortalibus frequens habendi cupido. Cætera vitia pudorem incutiunt animo, quem verò ambitio, lucriuè studium semel transuersum egerit, is haud dubiè pudorem, existimationemque suam floccipendet, imò fidem, probitatem, integritatem despicatui habebit, & pro-

& pro his improbitatem, fallaciam, dolos, technas reponet. Cætera rursum vitia suis quodammodo limitibus circumscribuntur, auaricia verò aceruis auri, & argenti incubat, desideratis rebus haud extinguitur: nullo fræno coërcetur, nullis repagulis retinetur, nulla ætate saginatur, imò cum alia vitia senescente homine senescant, sola vtique iuuenescit auaritia. quodlibet denique vitium grato quodammodo sensibus oblectamento fertur in vnum obiectum; pecuniæ verò auiditas, *quò intendit*, inquit Sallustius, *oppida, agros, fama, atq; domos vastat, diuina cum humanis permiscet, neq; exercitus, neq; mænia obstant, quo minus sua vi penetret; famâ, pudicitiâ, liberis, patria, atq; parentibus cunctos mortales spoliat.* Vide mihi Iugurtham illum qui cum Numidiæ regnum, quod sub protectione Romanorum erat Adherbali abstulisset, facinus suum cum animo reputans, timére populum Romanum, neq; aduersus iram eius vsquam, nisi in auaritia nobilitatis & pecunia sua spem habére. Itaq; paucis diebus cum auro, & argento multo Legatos Romam mittit, queis præcipit vti primum veteres amicos muneribus expleant, dein nouos acquirant, postremò quæcunq; possint largiundo parare ne cunctentur. Sed vbi Romam legati venêre, & ex præcepto Regis hospitibus, alijsque quorum in Senatu eâ tempestnte auctoritas pollebat magna, munera misére, tanta commutatio incesit, vti ex maxima inuidia in gratiam, & fauorem nobilitatis Iugurtha veniret. Deindè datâ vtrisq; fandi copiâ. vbi dixerunt, Curiâ egrediuntur, Senatus statim consulitur, fautores legatorum, præterea magna pars gratiâ deprauata, Adherbalis dicta contemnere; Iugurthæ virtutem laudibus extollere, gratiâ, voce, omnibus modis pro alieno scelere, & flagitio, suâ quasi pro gloriâ nitebantur. ac contra, pauci quibus bonum & æquum diuitijs cariùs erat, subueniendum Adherbali, & Hiempsalis mortem seuerè vindicandam censebant. Ex qua historia sexcentisq; similibus vides lector nihil esse potentiùs ad fascinandos mortalium oculos, quam pecuniam. Hinc verè Tacitus dixit, *vbi magnitudo quæstuum speratur, rarò fides integra manet.* Testor etiam Agrippinenses, qui cum legatos cum donis ad Ciuilem, & Velledam misissent, *Cuncta*, inquit idem Tacitus, *ex voluntate Agrippinensium perpetrauêre.* legi etiam Philippû Cominæum cum is legatus esset missus ad Venetos à Rege Galliæ vt illos in fide, & amicitiâ sui Regis Caroli VIII. continere, & sub id tempus aduenissent quoq; Regis Hispaniæ, & Cæsaris legati qui Venetos ab eiusmodi p roposito auerterent, nihil non egisse, quò ipsorum consilia inaudiret, quæ tandem resciuit cum ab alijs, tum ab ipsis legatorum famulis: neque enim vlli sumptui parcebat, ideòq; nihil ipsum latebat, adeò vt etiam

Ad Cæs. de Repub. ord.

Sallust. Iugurth.

Annal. 11.

lib. 4. hist.

etiam quid initio propositum,& quousq; facta esset progressio optimè sciret. Supersedeo similibus exemplis, quibus doceri potest eos, qui legatione adeuntur, & legatos ipsos attendere debere ne comites & ministri largitionibus, & corruptelis inescentur. largitiones enim & munera, *excæcant prudētes. & subuertūt verba Iustorū.* Quare nō iniuria mouētur qui Legatos mittūt, vt à cōtinētia spectabiles ad hoc sacrū ac operosum munus secernāt, atq; vt munera, quæ ijs artibus dantur, quibus iniuriâ Reip. factū eatur reijciāt, seriò mandent; ea enim occæcarunt legatos sedis Apostolicæ, qui missi in Gallias vt cognoscerēt de causa Imperatoris Ludouici II. qui repudiata vxore, ob incestum cum fratre commissum, alteram superducere volebat, pecuniâ corrupti propositum, ac potiùs factum illius laudarunt, & Imperatori vt Archiepiscopos Coloniensem, & Treuirensem Romam Pōtifici satisfacturos mitteret, persuaserunt. Ecce, quomodo per vnam auaritiam ruunt in plura scelera: dolis eludunt Sanctam sedem, legem diuinam infringunt, rem pessimi exempli ob oculos hominum proponunt. itaq; verè dixerit Timon ille apud Stobæum, *elementa malorum esse auaritiam atq; ambitionem*: quarum ansam tollet Princeps, cuius agitur legatio, si prouideat ne legato deficiant stipendia: cæteroqui procliuè est, vt qui à suo Principe non accipit, apud aliū inueniat, lacunamq; rei familiaris damno sui Principis expleat.

Exod. 23.
Baron. An Christi. 863.
Serm.

## Capvt. XII.

### *De Temperatia Legatorum in Venere, Baccho, Colloquio, Dicterijs, & Salibus.*

Legatis quoq; temperantiam necessariam esse nemo nisi quæ cæcutit negare pōtest. Eam verò sic breuiter definimus, vt sit virtus per quam coërcemus appetitum ab his quæ turpiter appetuntur, præsertim circa voluptates quæ in tactu, gustuq;. In his nulla potentior, quam libido. *Graues enim Dominæ,* inquit Cicero, *cogitationum libidines, infinita quædam cogunt, atq; imperant, quæ quia expleri, & satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis impelluntur.* Quò magis legato cauendæ, quòd publicam personam sustineat: nam vt Poeta inquit:

*Omne animi vitium tantò conspectius in se*
*Crimen habet, quantò maior qui peccat habetur.*

Illius enim actiones velut in excelsissima sitæ speculâ, oculis omnium patent, adeò vt nihil tam in abdito committatur, quin excussa latebrâ ab exploratoribus, ceù Coricæis quibusdam deprehendatur. *Hoc enim habet primùm magna fortuna,* inquit Plinius, *quod nihil tectum, nihil occultum*

lib. 5. de Repub.
Paneg.

*tum esse patitur. Principum verò* ( & Legatorum ) *non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosq́; recessus recludit; omniaq́; arcana noscenda famæ proponit, atq́; explicat.* Sed eò magis tibi hæc cauenda, quò maiorem quam alia ἁμαρτήματα tibi suffundunt pudorem. *Licet auaros mihi, vel iracundos enumeres,* inquit Seneca, *vel odia exercentes iniusta, vel bella;*
de Breuit. vit. c. 6. *omnes isti virilius peccant: In venerẽ, ac libidinem proiectorũ inhonesta tabes est.* Planè inhonesta: nam si quid est quod despicabiles nos reddit, si quid quod ridiculo nostris hostibus, aut æmulis exponit, libido certè est.
Iud. c. 6. testis ille Sampson qui postquam cum Dalila consuesset, ludibrium factus est Philisthæis. Itaq; ex ore veritatis est quod dixit Sirachides,
Ecclesi. 18. *si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Taceo, quod exemplum tuæ familiæ præbebis eiusdem incontinentiæ.
cap. 19. Nam vt verè Basil. Imper. ad filium suum inquiebat, *quâ fronte eos qui tuæ dominationi subiecti sunt ad pudicitiam, cæterasq́; virtutes seruandas cohortaberis, si eas ipse non seruaueris? Nam quæ facientem te viderint, eadem quoq́; permitti sibi facere interpretabuntur.* E contrario, *quid est negocij,*
Epist. 1. ad Q. Frat. inquit Cicero, *continere eos quibus præsis, si te ipse contineas?* His igitur documentis edoctus, vide ne prauo indulgeas prolubio: quin, dictum illud Periclis imitêre, qui cum Sophoclem collegam in Præturâ haberet, isq; publicè officio præsidens, egregiam formam cuiusdam fortè visam laudasset, Periclem eius incontinentiam notantem, dixisse ferũt: Non solùm manus à turpi lucro Prætorem: sed etiam oculos ab aspectu
Tacit. lib. 14. Annal. inuerecundo decet habere continentes. Quid ita? quoniam *animo per libidines corrupto, nihil honestum inest.* Fidem faciunt legati illi à Megabazo Persa missi ad Amyntam Regem Macedonum. Hi benignè ab eo accepti, vt narrat Iustinus, inter epulas rogauit Amyntam, vt apparatui epularum adijciat ius familiaritatis, adhibitis in conuiuium filijs, &
lib. 17. vxoribus, & filiabus, quæ vt aduenerunt procaciter legatis illas contrectantibus, Alexander Amyntæ filius patrẽ rogat vt nonnihil è conuiuio abscedat; quo digresso mulieres quoq́; euocat, paulò post comptiori habitu redituras. Itaq; iuuenes supponit matronali habitu exornatas, quibus mandat, vt indignam Legatorum libidinem coërceat, qui iussis obsequentes, ferro, quod sub veste gerebant, legatos omnes interfecêre. Id vt intellexit Megabasius Persarum præfectus, rem indignè admodumq́; egrè ferens, Bubarum cum exercitu iniuriam vlturus ociùs mittit. Ille re diligenter cognitâ, dixit iure cęsos fuisse, & non modo ab omni iniuriâ in Macedonas abstinuit, verumetiam amicitiam cum Amynta Rege contraxit, & eam affinitate firmauit. Taceo laudi
Plut. datum esse Catoni, qui cum Censor esset Q. Flaminium propter ni-

niam libidinem Senatu mouit, quod ille cum in Gallia Procõsul esset, scorto morem gesserit vt vnum ex his qui carceribus mancipati erant capite plecti iussisset. De Manlio quoq; legimus eum Senatu circumscriptum fuisse, quod is præsente filia vxorem deosculatus esset. Superioribus annis quidam Galliæ legatus, qui noctu grassabatur prolubio fœminarum intentus, in carcerem à circuitoribus ductus est, & dum Regis Galliæ Legatum se diceret, responsum, Regis Galliæ Legatum sapientiorem, quam vt noctu sine face,& assecla grassetur, sicq; insignis ille tenebrio ludificatus est. Denique, quid Regnerum Daniæ Regem, quid Othonem Vrbini, quid Galeatium Mariam Mediolani Principes Imperio priuauit,nisi effrenata libido? Porrò,proposui voluptatẽ quæ in gustu consistit rationis freno moderãdam. Nam vbi regnat ebrietas, ibi nihil castum, nihil verecũdum, nihil sensatum, nihil non lubricum, nihil non fatuum, quid multis? nullum secretum inesse potest, nihil deniq; opertum, quod non facilè pandat ebrietas. Hinc enatum prouerbium, *Vinum ostendit mentem hominu*:testatur idipsum Poeta:

*Loqui meri te multa cogit copia*

*Referre vera nunquid aiunt ebrios?* apud Ath. lib. 2.

*Quemadmodum musto.* inquit Seneca, *dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eructat: sic vino æstuante, quidquid in imo iacet abditum effertur, & prodit in medium. Onerati vino quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec secretum quidem, quod suum, alienumq; est pariter effundunt.* Hinc Æschines dicere solebat speculum formæ esse æs, vinum autem animi: quo voluit indicare nihil tam secretum animo esse insculptum, quod homo ebrius effutire non audeat: quod & vidit asseruitq; alius Poeta: Epist. 85. Maxim. serm. 30.

*Pectora nudantur condita quæq; mero.* Cyreneus

Quicumq; autem non reticendi secreti suspecti sunt, nullam à Principibus gratiam assequi possunt. Fidem enim, ac taciturnitatem à seruis Domini imprimis expetunt, vt Terentianus Simo à seruo suo exigit. Ac licet alijs virtutibus affluant qui apud Reges sunt, si sola taciturnitate carent,inutiles sunt,& hoc vitio virtutes reliquas obscuriores reddunt. Hoc Poëtæ ostendunt teste Fr. Patritio in ea fabula quam de Tantalo scribunt, quem sitientem in medio aquarum faciũt, & impendentia ori suo poma neutiquam attingentem. Apud Inferos enim ob hoc damnatus hac pœnâ perpetuò dicitur, quod credita sibi Deorum secreta vulgauerit. Coërcendum itaq; abdomen omnis licentiæ seminarium, & infidum taciturnitatis receptaculum. Quò magis etiam inculcant prudentes, legatos oportére à nimio vsu vini abstinere, quod lib. 9. de Regno.

Principes omnem moueant lapidem, vt in vino detegant, quod in imis
cap. 17. de eorum sensibus conditum est. *Pleriq; enim*, vt inquit D. Ambrosius, *vi-*
Aelia & *no vtuntur, vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos*
Ieiun. *tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium in defensionis suæ prodant*
*consilia. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* Ita M. Crassus apud
Plu. Romanos, ita Bonosus Imperator, ita alij in legatis exterarum natio-
num excipiendis hoc vaframento vsi sunt, vt in libentiâ conuiuiorum
eos ebrios redderét, quò à madidis elicerent, quæ à siccis, & sobrijs ne-
Panor. quaquam possent. Equidem, legatos, Alphõsum illũ Aragonũ Regem,
lib. 2. imitari cuperẽ, quẽ summè abstemiũ fuisse historici tradũt. Vndè sciscí-
tanti cuidã cur vino dilutissimo vteretur, præclarè respondit, vino sa-
pientiã obscurari: itaq; non decère Regẽ immodicâ potatione illud ex
animo exstinguere, sine quo Imper. ac Regis nomen tueri non posit.
Nõ quin liceat genio interdũ indulgere, potuque solutiore vti: sed eo
Senec. de qui, vt moderatissimæ vitæ Philosophus loquitur, *nõ mergat nos; sed vt*
Tranq. a- *deprimat curas.* vegetior enim excitatiorq; quin, & prudentior redditur
nimi. c. 15. animus, solutiore quãdoq; potu, etiam Homerico sensu apud Athęneũ:

lib. 2. c. 1. *Si biberis, magnum referes mihi crede iuuamen.*

Et rursum:

*Iucundum Menelaum, pij fecère iuuamen*
*Vina Dei, curasq; virum disperdere prauas.*

Cauendum etiam esse tradunt, ne in conuiuijs multiloquio delectetur:
siquidem nihil penè est, quod magis despicabilem legatũ reddat, quam
loquacitas. quid? Annon huic statim ingeretur:

Sophocles *τί ταῦτα πολλῶν ῥημάτων ἔτ' ἐςί σοί;*
*τὰ γὰρ περισσὰ πανταχοῦ λυπηρ' ἔπη:*
*Quid tibi vis amplius cum tanta garrulitate?*
*Verba enim inania sunt molesta vbiq;?*

Sapiens enim præcogitat dicenda, & examinat in pectore, priusquam
proferat ex ore. Scitum est illud Henrici IV. Imper. symbolum, Qui
tacẽdi non habet artem, nec loquẽdi nouit opportunitatem. Vt nomine,
sic re similis illi fuit Hẽricus IV. Galliarum Rex, quem legimus si quis
prolixum coram illo exordiretur sermonem, alium quempiam illo ne-
glecto aduocare, sicq; incusso pudore ineptum illum à se abigere solitũ.
Pauci igitur loquentia sectanda: quæ hoc saltem boni habet, quod etiã
à bardis in tẽpore seruata suffragetur, quod qui tacere scit, loqui quoq;
Ecclesi. 20. sciat: iuxta illud Sirachidis, *Sapiens tacebit ad tempus; Lasciuus autem, &*
*imprudens non seruabit tempus.* Caput esto, ne in conuiuijs de ijs disse-
rant rebus quarum ipsi cognitionem parum, aut nullam habent, veluti
si de Philosophia differat miles; si de militia Philosophus, aut Theolo-

gus; ſi de Apicibus iuris, vel Theologiæ, is qui ab Alno vt dicitur diſciplinas iſtas tantum ſpectauit. Meminerint ſuum cuiq; decorum eſſe, vtq; ſerijs grauitatem, iocis lepôrem adhibeat. eſt enim ſapientis ſerijs interdum ingenuas miſcere facetias, de quibus Cicero libro de officijs primo abundè diſputat: n: ∻ in mediocritate iocandi virtutem quandam Philoſophi conſtituerũt, quam ipſi Comitatem dixerunt. vndè Mercurium in medio Gratiarum collocabãt, quaſi ſermo noſter facetijs interdũ condiri oporteret. quãquam à dicterijs & mordaci abſtinendũ eſt vrbanitate; ob quam ſæpenumerò duella indicuntur, cædes inferuntur. Vt ſal cibo immoderatèionditũ noxium eſt; ita ſcommata, vero præſertim vicina, crebrò iniecta non tam condiũt amicitiã, quã ſoluũt. Itaq; hilaris ſit nõ ſolutus, feſtiuus nõ mordax, deniq; qui ſui cõtemptus non præbeat anſam, cuiuſquã non incurrat offenſam. quod Ciceroni accidit, qui dũ acutis ac nimiũ frequẽtibus cauillis inſequeretur Stoicos vt eos contẽnendos oſtẽderet, ridiculus Cõſul à Catone appellatus eſt. Omninò autẽ cauendũ, vt ſi quid in dictione Principis qui cũ fortè ſermocinatur, minus terſũ, aut aptũ depręhẽderit, ne interrũpat, aut verba cõmutet, vel repręhẽdat: quo noĩe quendã Legatũ apud Imp. Ferdinãd. offendiſſe legimus, qui cũ ſemotis arbitris ſermones miſceret, aliquodque verbũ cõtra pręceptiones grãmaticas protuliſſet, is Legatus Cæſarẽ notare, ac ſubridere, tùm verò Cæſar hoĩs ruſticitatẽ eludens, haud memorẽ ſe eſſe dixit, quod cum Ludimagiſtro, nõ cũ Legato loqueretur.

## Cap. XIII.

### *De Muneribus quæ dantur Legatis.*

SOlet quæri, vtrũ Legatus rectè munera accipiat à Principe, apud quẽ legatione fungitur? Equidẽ illius manus eatenus reſtrictas, clauſaſq; cẽſuerim, vt munera quæ in hoc dãtur, vt ipſi corrũpantur, omninò reijciãt. Quid ni autẽ talia eſſe putes quæ à Principe, re hauddũ finitâ offerũtur? Nã quẽadmodũ cauſæ patronꝰ honorariũ nõ aliũdè accipit quã à ſuo cliẽte, ne duos parietes, quod dicitur eadẽ fidẽliã dealbare videatur; ſic & Legatus qui tẽpore ſuæ functionis ab alio, quã Principe ſuo munera accipit, tantùm non corruptæ fidei inſimulatur. Nam, vt ille inquit,

——— *Malè verum examinat omnis* Horat. 2. lib. 2.

*Corruptus Iudex.*

At verò, quæ expleto legationis tempore teſtandæ beniuolentiæ confirmandęq; amicitiæ gratiâ tribuuntur, equidem cur illa reſpuere debeant, non video. Nonnullos tamen ſcio cum è veteri, tum è recẽtiori memoria, adeò ſanctioris fuiſſe integritatis, vt qualitercumque, & quandocũq; data abnuerent, negartẽq; fas eſſe accipere, quippè qui ſcirent vix fieri poſſe, vt is qui munera accipit, ſui ipſius libertatem

non amittat, imò suiipsius Dominum illum constituat à quo illa accipit. Hinc Socratem Alcibiadis munera respuisse legimus: Congerebat, inquit Cælius Rodiginus, ambitione quadam in Socratem munera Alcibiades: eorum admirata multitudinem Xantippe eius vxor, existimauit digna quæ à Socrate non respuerentur. at is, ambitiosè, inquit, ista mittit Alcibiades; itidem nos ambitiosè non admittamus. Vnde pulchrè Aeschines, Concionem non manu in sinu condita habendam censebat; sed legationem eadem manu in sinu retenta esse obeundam. nam quemadmodum necesse est, vt bilanx in eam vergat partem vnde plus accipit: ita illius animus vt propensior sit in eum oportet, cuius maiori præmio, atq; munere delinitur. Ideò Epaminondas celeberrimus ille Græcorum Dux, cum tria Daricorum millia Artaxerxes Persarum Rex ei misisset, Diomedontem legatum asperiùs increpauit, si tantam nauigationem suscepisset corrupturus Epaminondam, eumq; iussit ad Regem hæc verba referre: *si fauet commodis Thebanorum, habiturus est Epaminondam amicum gratis; sin minus hostem.* In eadem Græcia, eiusdem fertur abstinentiæ Phocion qui cum Alexander Macedo centum talenta illi offerret, percunctatus est, quid cum essent Athenienses permulti, sibi vni mitteret Alexander. Illis respondentibus, quoniam vnum te iudicat virum & honestum, & bonum; ergò, sinat, infit, me talem, & haberi, & esse: quo responso, & magnam præ se tulit integritatem, & maiorem se esse Alexādro ostendit. Quid ita? quia teste Aeliano μεγαλοφρονέστερός ἐστι τοῦ διδόντος ὁ μὴ λαβών: *Celsiore est animo qui non cepit, quam qui donauit.* Annon ab eadem integritate laudabils apud Romanos M. Curius? cum ad eum Samnitum legati magnum auri pondus obtulissent, benignis verbis inuitatus, vt eo auro vti vellet; vultum risu soluit, protinusque, superuacuæ, inquit Legationis ministri, narrate Samnitibus M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem, atq; istud vt pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote: & mementote me nec in acie vinci, nec pecuniâ corrumpi posse. ô quam suspiciendus etiam Caius ille Gracchus, qui cum ex Sardinia Romam redijsset, oratione ad populum habita, ausus eo vsq; se iactare, vt toto biennio quo in Prouincia fuerat, ne assem quidem, aut eo plus in muneribus, se accepisse: & tandem ita conclusit.: *Itaque, Quirites, cum Romæ profectus sim zonas quas plenas argenti extuli: eas ex Prouincia inanes retuli: alij vini amphoras, quas vini plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportauerunt.* Gratulatur etiam Q. Fratri M. Cicero quod in Asia triennium summo cum Imperio sic fuerit, vt nullum signum, nulla pictura, nullum

lib. 21. cap. 40.

Plut.

Plut.

lib. 5. c. 5.

Agell. lib. cap. 12.

Epist. 1. ad Q. Fr.

vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla for ma cuiusquam, nulla Conditio pecuniæ ( quibus rebus abundat illa Prouincia ) ab summa ipsum integritate, continentiaq; deduxerit. E Christianis celebratur Martinus ille Cardinalis S. Bernardo familiaris, cuius exstat elogium lib. 4. de hoc: Is Cardinalis, inquit, Præsbyter factus, functus aliquando lega- Consid. tione in Dacia, tam pauper remeauit, vt penè expensis, & equis deficientibus, vix perueniret Florentiam. ibi Episcopus loci donauit ei equum, quo Pisos vsq;, vbi eramus tunc, peruectus est. Verùm, prætermitti hic non debet exemplum legatorum Romanorum, quorum lib. 4. meminit Valerius Max. Hi reuersi ex legatione, quam susceperant ad Ptolemeum Regem, munera quæ ab eo priuatim acceperant in ærarium, & quidem priusquam ad Senatum legationem referrent, detulerunt, publico scilicet ministerio nihil cuiquam prter laudem benè administrati officij accedere debere iudicantes. Verùmtamen ( quæ humanitas Senatus fuit ) data sunt legatis, quæ in ærarium reposuerant, non solum Patrum Conscriptorum decreto; sed etiam populi Romani permissu, eaq; legatis Quæstores promptè vnicuiq; distribuerunt. Bart. & alij in l. Si Quo quidem exemplo pleriq; inferunt legatos quidem citra corruptelæ suspitionem accipere, dum quæ priuatim accepêre, posteà publicè plures §. in arrogareddant. At enimuerò Apophoreta & Xenia quæ ad munerum qualitatem, vt Vlpianus inquit, producenda non sunt, accipere non prohibentur, sed cum moderatione, quam ICtus suggerit Proconsuli, verbis his: *Non verò in totum Xenijs abstinere debebit, sed modum adijcere, vt neq; morosè in totum abstineat, neq; auarè modum Xeniorum excedat, quam rem Diuus Seuerus, & Antoninus Imperat. elegantißimè epistola sunt moderati, cuius epistolæ verba hac sunt: Quantum ad Xenia pertinet, audi quid sentimus: vetus prouerbium: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε πάρα πάντον: id est, neq; omnia, neq; quouis tempore, neq; ab omnibus: nam valdè inhumanum est à nemine accipere; sed paßim, vilißimum; & omnia, auarißimum: & quod mandatis continetur, ne donum, vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit accipiat, ematuè quid, nisi victus quotidiani causa, ad Xeniola non pertinet; sed ad ea, quæ edulium excedunt vsum: sed nec Xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.* Dicuntur autem propriè Xenia, inquit Ianus Langlæus, munuscula hospitibus, & amicis dari solita. Is enim mos apud lib. 6. Seveteres inoleuerat, vt peregrinis, & hospitibus munera esculenta mit- mest. terentur. quæ Xenia *hospitalia* appellabant. hinc & Iuppiter *Xenius* dictus seu *hospitalis* Deus, cui hospites curæ erant, de quo Virgilius:

to ff. de Vulg. in l. solent §. 3. ff. de Off. Procons.

*Iuppiter hospitibus: nam te dare iura loquuntur.* lib. 1. Aeneid.

Et apud Ciceronem Xeniæ balneæ id est hospitales. Ab his ergò, & Orat. pro Cælio.

similibus,

In Illyr.

ſimilibus, quę magni pretij non ſunt, minus eſt vt Legatus abſtineat. Nam, & Appianus ſcribit Phameam qui cũ Scipione nauigauerat è Senatu ſuſceptum Xenijſq; plurimis donatum. Sic Legatus Athenienſium miſſus ad Dionyſium Tyrannum, qui duabus ad ſe miſsis ſtolis, vt vtram filio deferendam eligeret, reſpondit filiam ſuam melius ſe electuram: itaq; acceptis ambabus abſceſsit. Si tamen in turpem cauſam dentur, omninò cauendum legato ne accipiat, quin Demoſtenem vnum ex Athenienſium legatis imitetur, qui Philippi munera magno cum faſtidio, quæ corruptelæ gratiâ dabantur, remiſit: cum enim munera exquiſitiſsima ijs miſiſſet, Philippum exorare cępit Demoſthenes, vt ijs Xenijs captiuos Athenienſiũ redemptos vno ſibi,ſuiſq; collegatis mitteret,ac proptereà falſę Legationis Aeſchinẽ collegam inſimulans, cum munerũ obtentu, ingentibus donis à Philippo corruptũ eſſe dixit. Quare non carebat ratione Corynthiorum lex, vetans legatione fungẽtes munera accipere ab his ad quos mittebãtur. Ac legibus Romanorum, præſertim Iulia repetũdarum,dãnabatur is qui pecunias in Magiſtratu,legatione,alioue miniſterio publico acceperat. Venetorũ etiam legimus Senatuſconſultũ,quo capitale ſauxerũt legato in legatione munera ambire:idq; ſuo periculo expertus fuiſſet Hermolaus Barbarus vir Patricius, niſi propriâ morte Senatorum iudicium euaſiſſet,quem communi tacitoq; ſuffragio reum capitis declararunt, quòd in legatione ad Innocentium VIII. Aquilienſem Epiſcopatum ab illo accepiſſet, vt refert P. Mathæus. Apud Moſcouitas quoq; legatis capitale erat ſi munera accepta ſuis ſaculatibus adſcriberent: ſed Fiſco ea cedere debebant. Deniq; notatum in equite Pauleto Regis Angliæ Legato, eum abnuiſſe Galliæ Regis munera, quo ad ipſa durauit legatio: ea verò finita, egreſſum iam Lutetia primo fere ab vrbe lapide torquem ſibi à Rege miſſum accepiſſe. Quid multis? omnis ætatis hiſtoriæ ſatis euincunt licitum fuiſſe legatis, vt prædictum eſt, legatione iam expletâ à Principe qui aditus fuit munuſcula recipere, & ſibi retinere, vt vidimus ſuperioribus annis in Domino de Rhoſny legato Regis Galliæ ad Iacobum Magnæ Britanniæ Regem, à quo donatus fuit torque gemmeo longè faberrimo. Sub id fere tempus D. Cheurieres Regis Galliæ Legatus ad Ducem Sabaudiæ pro pace ſtabilienda, & confirmanda Ducem inter & Regem, donum ab eodem Duce accepit ęſtimatum quatuor millibus coronatorum; ipſius verò nobiles equos perinſignes. Patrum verò ætate cum Richardus Britanniæ Rex ipſo Chriſti natalitij feſto ſacram Palatij ædem auro gemmiſq; exornari feciſſet, in eaq; Aquenſis Epiſcopus Bonifacij Pontificis legatus mane ſacrificium peregiſſet, dum

Plut. in Lyſand.

Plut. in Apopht.

l. 1. ff. ad l. Iul. Repet.

Villadiego tract. de Legato p. 2. q. 4. num. 9.

is

is Pontificias exueret vestes, ex aræ ornamentis nihil moueri Rex iussit, apprehensaque posteà legati dextra cum ad aram accessisset, dixit ęquum non videri Pontificium Legatum in aliena veste, ornamentisq; sacrificare, & propterea quæcumq; tunc in æde essent, ei dono se dare. Supersedeo alios commemorare ne in re explorata superuacuo stylo indulgeamus. Itaq; ad alia pergamus.

## Capvt. XIIII.

*De Muneribus quæ sibi mutuo Principes mittunt: qualia mitti expediat. Remuneratio non negligenda, & quidem cita.*

VIx, ac ne vix quidem vlla Legatio perficitur amicos inter Principes, quin vltrò citroq; muneribus sese cohonestent. Quippè si non compendijs delectentur, certè his veluti pignoribus amicitiæ vincula confirmantur. Nam qui à nemine, inquit Cicero, beneficium accipere vult, nulliq; beneficium conferre, solus sibi consulere cupiens, ferali potiùs more, quam humano viuit ritu. Vndè fit vt perpauci inueniantur è veteribus munera aspernati, si tamen à Romanis, & quibusdam alijs æui superioris, sed syncerioris notæ discedamus. Nam ecce bellum Romani cum Carthaginensibus gerebant insidente in Italiâ Annibale, qui ad Trasimenum maximam Romanis cladem inflixerat, quibus pecuniâ indigentibus, Neapolitani eximiâ liberalitate Legatos Romam miserunt : ab ijs quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in Curiam allatæ, atque ita verba fecêre, vt dicerent se ærarium populi Romani bellis exhauriri, & cum iuxta pro vrbibus agrisque sociorum, atque pro capite, & arce Italiæ vrbe Roma, atque Imperio geratur, æquum censuisse Neapolitanos quod auri sibi, cum ad ipsorum ornatum, tùm ad subsidium fortunæ à maioribus relictum foret, eo iuuare populum Romanum si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos, gratum sibi Patres Conscriptos, populumque Romanum facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent, dignosque indicauerint, à quibus donum, animo ac voluntate eorum qui libentes darent, quam re maius, ampliusque acciperent. Quæ tamen fuit Romanorum modestia, Legatis gratiæ actæ pro munificentia, vnaque patera ponderis minimi ab illis accepta fuit. Dispares valdè à Romanis Babilonij : quippè qui Legatos ad se venire sine muneribus probum ducerent; id quod de liu. lib.22

lib. 2. legat. Babyl. Soldano Babiloniorum Rege prodidit Petrus Martyr. Imò Persarum
Aelian. 1. lege cautum erat, vt nullus admitteretur ad Regem sine munere, etiãsi
cap. 32. tenuissimæ esset conditionis. Hinc legitur de Sineta viro inope, cum nonnihil à suo tugurio'o dissitus esset, Regiq; obuiam factus, metu legis, seipsum cæpit excruciare. Itaque ne solus donis non ferendis infamis esset, ad præterfluentem fluuium proximè summa celeritate accurrisse, & aquam vtraq; vola hausisse, Regemq; sic allocutum esse; O Rex Artexerxa, regnes in æternum. Nunc, ego prout possum te munere dono, vt non immunificus quantum ad me attinet, & quantum in me est prætereas. Rex hac re delectatus, ego verò, inquit, ô homo, grato animo munus tuum accipio,& maximis pretiosissimisq; par, & æquale esse dico; mandauit porrò Eunuchis vt munus ab eo reciperent, qui sine mora accurrentes in auream phialam de manibus eius exceperunt. Rex verò ei dari iussit stolam Persicam, & Phialam auream, atq; mille Daricos: simulq; ferentem hæc dicere iussit: Iubet te Rex animum tuum isto auro oblectare: quoniam ipsius quoq; mentem voluptate affecisti, qui non indonatum præterire passus sis; sed vt necessitas ferebat ita sis veneratus, vult etiam vt ex hac phiala deinceps bibas. Si lympha Regi Persarum grata fuit, est quod non à pretio munera metiamur: sed ab ingenio eius cui mittũtur. Nã vt Plautus inquit:

——— *Nullum beneficium*

*Esse dico id, quod quoi facias non placet.*

lib. 1. de Seneca profectò graphicè monet ea esse danda munera, quæ sint acci-
Ben. c. 11. pienti vtilia, iucunda, etiam mansura, deniq; quæ opportunitate grata sint; vt non vulgaria, quæq; aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc ætatem habent, aut hoc modo quæ etiamsi naturâ pretiosa non sunt, tempore, aut loco fiant. Videamus quid oblatum maximè voluptati futurum sit, quid frequenter occursurum habenti, vt toties nobiscum, quoties cum illo sit. vtiq; cauebimus ne munera superuacua mittamus, vt fœminæ, aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studijs, ac ac litteris dedito retia. Arthabanus Parthorum Imperator, inter munera, quæ magna multaq; Tiberio Cæsari, cum Dario filio suo misit, hominem quoq; donauit magnitudine septem cubitorum, vt ex Iosepho memorat Brunus. Sic & Ferdinando Vngariæ, & Bohemiæ Regi
lib. 18. Ant. Iud. duos homines, quorum alter miræ magnitudinis, & proceritatis; alter ita breuis, vt magni illius vix poplites capite attingeret, donatos fuisse.
Anno. Alphonsus Rex Hispaniæ, expugnatâ vrbe Olyssiponâ, manubias per
lib. 4. legatos Carolo magno misit, videlicet mauros septem, cum totidem
cap. 86. mulis atq; loricis. Sic Rex Indorum Constanti Imperatori misit ani-

mal Pana nõ prius in Europa visum, nec cuiquam alij Regum missum. Niceph 9. cap. 19.
Grata quoq; fuere munera à Regibus, & Dynastis Asiæ subactis Alexandro magno missa, vti etiam à primoribus Macedoniæ ob honorem nuptiarum, quas cum Statyra, Darij filia celebrauit: Nam vt auctor est Athenæus, coronæ à Legatis, & alijs in ea celebtitate missæ, quindecim lib. 5. millibus æstimatæ sunt, quas Budeus non minus nonagies centenis millibus coronatorum valuisse existimat. Deniq; accepta grataq; fuere, vt erat genium hominis, munera quæ icto fœdere cum Solimanno ei dedit fama ille inclytus, licet minus secunda, Barbarussa, videlicet pueros aliquot decora facie, itemq; lectissimas virgines, eunuchosq;, & lybicas feras, leones, & pardos. Omninò autem cauendum est, ne quæ dantur munera ab alijs erepta dicãtur, aut talia esse censeantur: *nam qui alijs* 3. de Off. *nocent*, inquit Cicero, *vt in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, vt si in suã rem aliena cõuertant.* Talia igitur munera minus grata sunt accipiẽti: quod idem ille Cicero docet exemplo cuiusdam præfecti Messanissæ Grat. 6. in Ver Regis, cuius classis appulsa ad Melitam Insulam, idem Præfectus ex antiquo Iunonis fano dentes eburneos incredibili magnitudine dicitur sustulisse, & eos in Africam portasse, Massanissæque donasse. Regem quidem primum delectatum esse munere. post verò vbi audisset vndè essent, statim certos homines in quinqueremi misisse qui eos dentes deportarent, atq; in his inscriptum litteris punicis fuisse, Regem imprudentem accepisse; re cognita reponendos, restituendosq; curasse. Postremò perspicuum est eos qui munera accipiunt, de remunerando cogitare. Id autem vt confestim & cum fœnore fiat, è re nominis est beneficiarij: quia tantùm gratiæ demitur, quantum moræ adijcitur. dixi etiam vt cum fœnore: quia turpe est, vt dicitur, aliquem beneficijs vinci. Ideò Aristoteles Cyrenensis, dicebat non oportere beneficium Aelia. 10. Var. c. 8. oblatum à quoquam recipere: aut enim vt rependere possis molestias habiturum te; aut si non referas, ingratum visum iri. Sed Principum non est æstimatione moueri; ideò magis vertunt in contẽptum: & mittentis animum plerumq; metiũtur à muneris magnitudine, vel exiguitate. Deniq; animaduerti interesse Mittentis, vt munera cohonestet propriâ legatione. Ita Senatus Romanus dato responso legatis Syphacis; dona Regi decreta, nequaquam Legatis dedit; sed Romanis ad hoc liu. lib. 17. ipsum missis. Atq; hactenus dictum sit satis de muneribus, nunc ad sessiones Legatorum stylum conuertamus.

## CAP. XV.

### *De Seßione Legatorum.*

PLurimum intereſt Legati, imò Principis, vt eam Seſsionem ſibi ſumat ille, quæ dignitati ſuæ reſpondeat. Iccircò, ſolent illi ad quos habetur Legatio, obuiam mittere primæ notæ Conſiliarios, vel aliquos Dynaſtas, qui Legatos in Concilium, ſiue Senatum introducant, deſignato illis loco, qui dignitati perſonæ Mittentis conueniat. Perſpicuum enim eſt Legatum, illum referre à quo mittitur, ideòq; eum ſedere eo loco par eſt, qui Principi ipſi qui miſit, aſsignaretur. Vndè Princeps ad quem à Papa, Cæſare vel aliquo Rege mittitur Legatio, aut alio ſe ſuperiore, honoratiſsimum & primum aſsignabit in Senatu locum; ſi autem inferior ipſo fuerit, inferiorem quoq; ſedem deſignabit, vtpote ab ipſo ſiniſtram, vel aliquantum remotam, aut certè propriam conſtituet. Itaq; prudentiæ erit & curæ Legati, eius perſonam, cuius gerit nomen, conſiderare, vt & illius ad quem mittitur: hac conſideratione certam aſſequetur ſeſsionis ſuæ fiduciã, quam etiam non minus cõtentè, quam cõcinnè obtinere conabitur; ſua enim cuiq; ſunt ſacra, vt habet prouerbium. Hinc Tacito ſcriptum, cum quidam Germanorũ Legati Romam venientes in Senatorum ſedibus, ſedere externos Legatos animaduertiſſent, & quibus id honoris datum percunctati fuiſſent, *& fide in populũ Romanum magnis*, reſponſum accepiſſent: *Deos, hominesq; teſtari nullos mortalium in hac parte Germanis præferendos, ſicq; inter Patres conſederunt.* Quo exemplo, & Auſtriæ Ducis Legatos in Senatu Pariſienſi ad conſeſſum admiſſos, Ioannes Lucius Placitographus auctor eſt. Nolim tamen peruicaci animo, aut elatè excandeſcere, ſi locum ſuæ dignitati minus congruentem aſsignent Admiſsionales, præſertim re publicâ, cuius eſt Legatio, dubiâ, aut minus ſecundâ; quẽadmodum ſuperioribus annis cuidam noſtrati nobili contigit, qui eam ob cauſam eò mœroris proceſsit, vt domum reuerſus poſt paulò vita exceſſerit. In quo dupliciter peccauit: tũ quod ignominiã Principi ſuo illatã malũ ſibi ipſi fruſtràaccerſiuit; tùm quod inſalutato illo Principe receſſerit: nefas enim eſt ſine illius ad quẽ veneris voluntate ab Aula recedere. Sic nec probãda æmulatio Domini de Belieure, qui Legatus à Rege Galliæ ad Heluetios miſſus, gladio regredi Legatum Hiſpaniæ Regis iuſsit, quòd honoris prærogatiuam ipſi præripere vellet. Multò minus conceſſerim Legato, vt quod magni Principis perſonam ſuſtineant, magnos ſibi ſpiritus ſumat ad audendum, vt nonnulli Luſitanorum Legati; quibus in Aulam Regis Catholici aduentantibus, & nõneminem hoſpitiorũ causâ præire iubentibus, palatij Præfectus ſalsè, & aptè reſpondit: eo enim ſciſcitãti quot

[Margin notes: Lib. 13. hiſt. — An. 1482. Nonis Februarij. — P. Mathæi 1. Hiſt. Narrat. 2.]

quot essent numero, cum respondisset mille quidem omnes; sed quingentos prorsus Deo, alios de plebe similes hominibus, tùm Præfectus; benè habet, inquit, quos tu Deo similes esse dicis, in templa, cæteri in hospitia: quo dicto, eorum perstrinxit audaciam, & supinam arrogantiam, quę Principum ministris solet maleuolentiam vt cæcias nubes accersire. Cæterùm, quod diximus eum Legato locū deberi, in quo Mittens cōsideret, hactenus verum est nisi Legati persona sit vna de multis, vilis vtpotè & abiecta, quæ nimirum citra Principis dedecus, haud in colloquium, aut Senatum admitteretur. quod quidem Augustū Cæsarem probè considerasse video, dum in orchestra (loco Senatorum in theatro proprio) quosdā libertini generis Legatos à socijs ad se missos considere vetuit. Deniq;, si diuersæ de diuersis rebus legationes vno eodemq; tempore conuenerint, in illius erit qui aditur arbitrio, vel singulatim eos admittere, vel vno eodéq; coetu oēs audire, præordinata quibusq; sua sessione. Eadem honoris ratio seruāda in sententijs seu opinationibus dicendis, vt & in subscribendo, alijsq; rebus generis eiusdem, de quibus posteà suis locis dicemus.

Sueto August. c. 44.

## Capvt XVI.

### *Non temerè suscipiendas esse Legationes præsertim periculosas.*

QVi in rerum ciuilium curis officijsq; versantur experimento didicerūt Legationes ferè omnes circa negocia valdè ardua, implexa, periculosaq; versari. quis enim non videt rem spissam difficilemq; esse ad hostes mitti, res ab ijs repetere, bella ipsis indicere, eorū res, & munimenta lustrare, consilia explorare, vaframenta vitare, deniq; inter eos versari, & cum ijs agere, apud quos inuidia in occulto, adulatio in aperto est: de quibus illud dici potest, Plauti in Trucul: *In melle sunt linguæ sitæ vestræ, atq; orationes corda felle sunt sita atq; acerbo aceto.* Taceo quod plerumq; siue benè gesseris legationem siue malè, non exors eris inuidiæ, aut iudicij; quæ subire, si debeas, optem vt citò, tanquam à negocio minus apto abstineas, ne te posteà sera maneat pœnitētia. Ecce Pompeius Legationem in piratas, quæ ei ab A. Gabinio trib. pl. cum plenâ potestate, & Imperio triennium duraturo proponebatur, abnuit, valereq; à se iussit. prudentiori certè vsus cōsilio quam Demosthenes, qui cum publicè missus Legatus ad nescio quem, iamq; bonam itineris partem emensus esset, quòd illius animi impotentiam iracundiamque vereretur, ad suos magno cum dedecore regressus est. Deprecanda enim nobis ea sunt in tempore, quorum nos aliquando debet pœnitêre. Sed quid? *hoc efficij amor nostri nimius*; inquit Seneca, *inuiolatos nos*

Dio. lib. 36.

lib. 2. de Ira c. 31. *nos etiam inimicis iudicamus esse debere. Regis quisq; intra se animum habet.* Si tamen fors ferat, vt eiusmodi legatione implicêris, auctor tibi sim, ne legationem exponas verbis tuis: sed potius proferas mandata Principis tui scripta: ita faciliùs calumniam vitabis, sed & inuidiam eorum qui legatione adeuntur declinabis. Quod si legatio sit ad hostes, aut suspectos, aut gentes odia blanditijs velare solitas, tum itineri te non des, nisi exploratò, & accepta seu impetrata ab ijs fide publica; imò si impendeat periculum, acceptis obsidibus, si de communi re legatio sit instituenda. Cæterùm, illud legationem suscipientibus propositum velim, vt priùs explorent

——— *Quid ferre recusent,*

*Quid valeant humeri:*

de Tranq. animi c. 4. Senecam Philosophum audiant: Inspicere debemus, inquit, primùm nosmetipsos, deindè quæ aggredimur negocia, deindè eos quorum causa, aut cum quibus agendum est. Ante omnia necesse est seipsum æstimare; quia plus ferè nobis videmur posse, quam possimus. Alius eloquentiæ fiduciâ prolabitur, alius patrimonio suo plus imperauit, quam ferre possit, alius infirmum corpus laborioso oppressit officio: quorundam parum idonea est verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem desiderant: quorundam contumaciâ non facit ad Aulam; quidam non habent iram in potestate, & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert; quidam vrbanitatem non sciunt continêre, nec periculosis abstinent salibus: omnibus his vtilior negotio quies est. Sed quid? plerìq; sunt ita sui pleni, vt parum, aut nullus metiantur quid quantumq; possint; indeq; fit vt parum decore, & ex vsu Principum negotia ipsis credita exequantur. Epictetius ille testis esto: Si quam personam, inquit, quæ vires tuas superat indueris, non solùm eam indecorè geres, verùm eam quoque quam sustinere posses negliges. Diuinus etiam Plato conductores sacræ aræ modum, & formam eius secum conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire iussit, scilicet ab his negocia aptiùs explicari posse ratus, qui eorum periti, & quotidiano vsu exercitati forent. Tantò igitur operosiore cura intendet animum Legatus ad ista, quantò plerumq; pondus legationis impar est ferenti. de Tranq. cap. 5. *Necessè est vt opprimant onera*, inquit idem Seneca, *quæ ferente maiora sunt.* Ac sanè illius ruina tolerabilior esset, nisi etiam & ipse Mittens interdum, aut respublica rueret vnà. Vndè haud imprudenter quidã dixit, nihil turpiùs ambiri, nihil inuidiosius suscipi, nihil difficiliùs peragi, quam legationem. vnus enim vel minimus commissus error, totam eneruat vim rei benè gerendæ, & propter pauca legati vitia, sæpè euanuerunt

nuerunt plurima, & maxima, quæ erant imprimis dilaudanda. Est enim legatus persona publica, omnibus ad spectandum quidem proposita, sed paucissimis ad prædicandum commendata. Proindè sicut Principes, inquit Cominæus, prouidere debēt diligenter, ne quibusuis hominibus rerum tractationem committant: ita vicissim illi qui mittuntur suas vires explorare debent, ne quod munus subeant, cui se impares putant. Nec enim paucos noui magnos alioqui viros, qui similium rerum tractationibus adhibitis summā offenderunt difficultatem. Si tamen eam prudentiæ tuæ fiduciam habeas, vt periculosas posse te dextro pede putes decurrere legationes, aduerte ne dissitam longinquamq; & in qua minimum negocij sit suscipias: cum huiusmodi legatio parum tibi fructuosa futura sit; siuè quod Principes, vt Dij, laboribus, vt est in prouerbio, vendant bona, siue quod præsentes importunitate victi, absentibus etiam optimè meritis sæpius præferant: vndè illud notum. lib. 2. Cōment.

———— *Vrget præsentia Turni:*

Et illud:

*Segnius irritant animos demissa per aures*
*Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

## Capvt XVII.

*Legati nonnunquam ex compacto à Principe remorantur; quin plerumq; eluduntur: in quo euentu robore animi opus est.*

Is qui legatione aditur consulto plerumq; consilio, varijsq; de causis legatum remoratur. quid enim si commodum aliquod Principi ex mora accedat? tùm certè par est vt Princeps aditus legatum specie comitatis, vel aliquâ blandulâ spe lactet & deliniat, quò tardiùs ad suos reuertatur. hoc stratagemate, etsi in re illaudabili, Persas vsos video in Martino Ro. sedis Legato, pro pace stabilienda ad illos misso: hunc enim specie pacis, quam tantùm non illi spondebant, aliquandiu retinuerunt, & quidem quo-ad vsq; opus illud quod in hostes construere cæperant absoluissent, quo tandem perfecto dissimulanter concordiam negantes, Legatum ad suos Penates redire iusserunt. Sic Dion Imperator exercitus Syracusani, admissionem Legatorum Dionysij Tiranni tamdiu distulit, donec absoluta ea muri parte, quâ aditus ad Vrbem, tandem opere perfecto, Legatis introductis & pacem postulantibus, respondit non aliâ viâ pacem quæri, quam si Dionysius positâ tyrannide certis honoribus contentus esse vellet. Interdum non excusatione Procop. lib. 2. Belli Pers. Dio. Sicul 16. Biblio.

vtitur is qui aditur; ſed, quod peius eſt, faſtidit, & deſpicatui habet legationem. Nimirum ſocors ſuperbia, ait Carolus Paſchalius, dignitatem collocat in alio tædio, aut contumelia; neq; intelligit quantum moræ additur, tantùm gratiæ demi. Indè quantum irarum excitetur docent, quæ hanc ſtoliditatem ſæpè conſequuntur *faces*, vt ait vetus Poeta, *obuolutæ ſanguine*. Octauius auerſum à ſe Antonij animum ſubodorari cæpit, quod foribus eius diu adſtitiſſet. Lacones cum ad Lygdamum Tyrannum iſſent Legati, atq; ille congreſſus ſæpiùs differret, dicens ſe in ætate molli eſſe, & capulari, dic, inquiunt Legati, non veniſſe nos cum illo colluctaturos: ſed cùm illo collocuturos. Huius animi, & roboris nedum ſagacitatis velim eſſe Principum adminiſtros, qui ſicpote promant cum opus eſt, conſtantiam, vt rerum magnitudini par eſſe dicantur. Ipſum quod tutò fecerint, ſi legatio ad pares, multò magis ad impares ſit data, & ſi morâ iniuriâ factum iretur Principi, vel Reip. à qua miſsi. Ita Popilius cum à Senatu Rom. litteras Regi Antiocho attuliſſet, quæ eum iubebant exercitum ex Aegypto abducere, neq; regnum Pupillorum Ptolomæi vita functi vſurpare, ijſq; litteris deliberatione habitâ reſponſurum ſe Rex diceret, vix dignatus Regem reſalutare, bacillo Popilius orbem circa eum deſcripſit, inquiēs, hic ergò ſtans delibera, & reſponde. Omnibus magnanimitate Legati perculſis, cum Antiochus ſe ex Romanorum ſententia acturum confiteretur, ita demum eum Popilius ſalutauit, & ambabus, quod dicitur vlnis, amplexus eſt. Nonnunquam non admittitur Legatio, quia ſpernitur, aut ab æmulis impeditur, ne admittatur: quemadmodum legimus in Legatis S. Sedis, in gratiam Io. Chryſoſtom. ad Impp. Arcad. & Honorium miſsis à cuius aduerſarijs Legati impediuntur ne exſcēdant, mandata exponant, litteras tradant, &, quod peius eſt, diſtrahuntur, recluduntur, cruciantur, & vix tandem re infectâ redire permittuntur, impoſiti in nauem peruetuſtā, & putrem, pretio dato, vt ferebatur Nauclero, vt illos perderet nauigantes. Sūt deniq; alij qui admiſsionē differunt, ne à paratis Legatis imparati inueniātur, & proindè quod tēpus rei ſeriæ impartiri deberent lubentiæ conuiuiorum, & comitati tribuunt; non alio hercle fine, niſi vt quæ in pectore, occulunt, arcana legationis, nimio potu, aut alio vaframento pandant. *Nam onerati mero*, vt infit Seneca, *quemadmodum non retinent cibum vino redundante: ita ne ſecretum quidem, quod ſuum, alienumq; eſt pariter effundunt*. Non neſciuit hoc M. Craſſus, qui cum belli contra Dacos, & Baſtarnas Dux eſſet, ab eorum Legatis aditus, non alio fine eos detinuit, admiſsionemque in vnum, & alterum diem diſtulit, niſi vt ab opiparè exceptis audiret

Cic. 1. de Diuin.
Appian. 3. Ciuil.
Plut. in Apopht.
Barō. An. Chriſti 406.
Epiſt. 84.
Dio. lib. 51

(vt

( vt reuera tùm accidit ) quæ à ſiccis, & ieiunis nequaquam potuiſſet, pluſcula dixi ſupra,& lib.3. Aphoriſ. politic. cap. 15.

## Capvt XVIII.

*Legato maturanda interdum non eſt admiſsio. Edere Mandata cogi non poteſt, etſi plerumq́ expediat vt promat, imò vt deſcripto dicat.*

VT ſolertis eſt Legati poſteaquam à Palatinis hoſpitali libentia exceptus fuit, quamprimum poſtulare admiſsionem; ita ipſius quandoq́; eſt induſtriæ, ſi res aliter dictet, vel commodum aliquod morà Principi, vel Reip. accedat, properantiam in tarditatem conuertere. Siquidē in eiuſmodi euentu, χρήσιμον κὰι σφαλέρον πράγμα ἀναβολὴ: *vtilis & tuta res dilatio.* Exemplo ſit Themiſtocles, qui certantibus inter ſe Lacedæmonijs, & Athenienſibus, effecit vt ab his Legatus Lacedæmonem ad illos mitteretur, eo fine vt tamdiu cunctaretur, dum Athenienſes muro debiliorem vrbis partem cinxiſſent; & quoniam inſigne fuit vaframentum, illud ex Æmilio Probo volupe erit recitare. Poſtquam, inquit, Lacedæmonij audierunt muros inſtrui, Legatos Athenas miſerunt, qui id fieri vetarent. his præſentibus deſierunt, ac de ea re Legatos Lacedęmonē miſſuros dixerūt. hanc legationē ſuſcepit Themiſtocles cum nōnullis alijs; At ille cautè ſolus profectus eſt vt ille eo prætextu quod ſuos collegas exſpectaret, tēpus quamlongiſsimè duceret, & admiſsionem ſuam ad Ephoros ( qui magiſtratus Lacedæmoniorum ) differret, ſicq́; intereà temporis Athenienſes cæptos perficerēt muros, neq́; vlli loco parcerent, ſiue ſacer, ſiue profanus, ſiue priuatus, ſiue publicus eſſet, quò factum vt Athenienſium muri ex ſacellis, ſepulchriſq́; conſtarent. Cum autem Lacedæmonij quererentur opus nihilominus fieri, & proindè conari ſe fallere, adueniunt alij Legati collegæ Themiſtoclis, à quibus cùm audiſſet non multum ſupereſſe munitionis, ad Ephoros acceſsit; & apud eos contendit falſa his eſſe delata. quare æquum eſſe illos viros bonos, nobileſq́; mittere quibus fides adhiberetur, qui rem explorarent, intereà ſe obſidem retinerent. Geſtus eſt ei mos; treſq́; Legati ſummis honoribus Athenas miſsi, cum his collegas ſuos Themiſtocles proficiſci, hiſq́; prædixit, vt nē prius Legatos Lacedæmoniorum dimitterent, quam ipſe eſſet remiſſus. Hos poſtquam Athenas perueniſſe ratus eſt, Ephoros adijt, quibus expoſuit Athenienſes ſuo conſilio, quod communi iure gentium facere poterant, muris ſuam Ciuitatem, quo ſe faciliùs ab hoſte poſſent defendere ſepſiſſe: quare ſi ſuos Legatos recipere vellent quos Athenas miſerant, ſe remitte-

Dio. Halicar. lib 8.

In Them.

rent, alias illos nunquam in patria recepturi essent. Seriem historiæ audisti Lector; sed commentum etiam percepisti. vnde vides prudentis esse Legati in simili aut alio euentu moram quandoque interponere: imò præcipuum, & maximum Legati munus est, moram inijcere rebus quæ maximam celeritatem postulare videntur: tempori quoq;, personis, & loco sic inseruire, vt mandata eius à quo missus est ad optatum perducat exitũ. Ideoq; Orator Græcus dicebat nõ cõmitti Legatis triremes, aut legiones, aut arces; sed verba, & tempora. Suspecta enim ferè semper solet esse celeritas: siquidem *animo cupienti*, inquit Sallustius, *nihil satis festinatur*. Verumenimuerò sagacis erit Principis odorari, an sublestæ, & suspectæ sint eiusmodi dilationes: si sint, curabit postquam aliquantò collegerint animos, vt pandãt statim mandata, & quæcumq; Legationis arcana expromant. Sic Senatus Romanus excedere templo iussit Eumenem: quod data illi dicẽdi potestate, nollet dicere. Non quod cogi possint Legati mandata ipsa promere, vt infra cap. 35. dicemus: siquidem satis & super est dum litteras legationis & fidei pandant, atq; oratione complectantur, quæ mandatis continentur. Læuum enim est, & impium cogere ad id Legatum, cum adeat periculum rei benè, vel sequius gerendæ. Deniq;, cum Legatum audis, eius vnde venit audis mandata: quamquam interdum opus est, vt ipsi illa promant: quid enim si eius sit momenti res, qua de agitur, vt nec Legato temerè credi possit? Ita Patres Africani Concilij postulatis Faustini Philippi, & Aselli Ro. Sedis Legatorũ haud fermè credentes flagitarunt, vt si quod inscriptis ferrent Commonitorium, proferrent. Quid si res intricacior sit quam vt verbis legatis enodari possit? Quid si legatio ita sit inuidiosa, vt illam oratione explicare periculosum sit? Quid item si multitudine rerum proponendarum verearis memoria labi? tum enim licebit de scripto dicere vt contigit Demetrio filio Philippi Macedonum, qui cum Iuuenis admodum, neque capere omnia quæ dicebantur, nec quæ oportebat ad ea respondere posset. Senatus Ro. ab eo Commentarium Patris poposcit, & vt eum recitaret permisit. Itaq; vbi multiplices à legato sunt promendæ rationes, vitio, vt reor, non dabitur si illas omnes potiùs recitet, quam aliquas vacillante memoriâ præterire, maximè in re grauioris curæ. Neq; putes carere venere huiusmodij de scripto propositionem. Nam neq; illa olim viris maximis displicuit vt Ciceroni, Augusto Cæsari, & alijs, Ciceroni, cum ecce scribit ad Plancum: *Id ex ipso Senatusconsulto, poteris cognoscere, ita est enim perscriptum, vt à me de scripto dicta sententia est*. Augusto Cæsari, de quo Sueto. scribit *quod neq; in Senatu, neq; ad Populum, neq; ad milites locutus est vnqnam nisi meditata, & composita oratione, quamuis non deficeret ad subita ex temporali*

Demosth. de falsa leg.
Ingurth
Liu. lib. 27.
c. nobilissimus 97. dist. l. prohibitũ ff. de Iure fisci.
Afric. Cõcilij. c. 101.
Liu. lib. 9. belli Maced.
lib. 1. ad Famil. Epist. 13.
Aug. c. 84

*facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia.* Ex quibus videt legatus nihil obeſſe, quo minus ſi commoda dictet occaſio, dicat de ſcripto.

## Capvt XIX.

### *Legationes quando accelerandæ.*

DIximus ſuperiori capite accelerandam quandoq; non eſſe legationem, ſed vſu ſic exigente proferendam. eſt tamen cum è veſtigio ſuſcipi debet, vtpote cum Principi aut gratulandum, vel ſolatium promendum. Vtrobiq; peccatur, ſi in lætitiâ non repræſentetur gratulatio, aut ſi in mœſtitia ſolamen. Ac licet moram, vel itinerum prolixitas, vel rerum ignoratio excuſare videatur, hæc tamẽ minimũ gratiæ meretur. Itaq; auerruncãda omnis moræ ſeges, citiuſq; quã aſpargi, vt eſt in prouerbio, coquãtur in eiuſmodi euẽtu properãdum. Crede exemplis omnis æui. Ecce, Cęſari optatiſsima fuit Herodis acceleratio nũciantis profligatum Antoniũ, & Cleopatram: & impẽdiò gratior, quò ſciebat Herodem relictis omnibus, etiã rebus domi dubijs, citiſsimo gradu aduenisse. Notat prudẽter ſuo more Cominęus, cũ legatione apud Venetos pro Rege Galliæ fungeretur, illos audito fratris Turcæ obitu, quem S. Põtifex dicto Regi captiuũ dederat; mox eidẽ Turcæ denũciari per certos homines iuſsiſſe, quos ne quis anteuerteret, mãdarãt ne qua nauis eâ nocte exiret inter duo illa caſtella, quæ ſunt in aditu maris, atq; eius ſinus, qui ad ipſos pertinet: Excubitores quoq; eo diſpoſuerãt, ne minora nauigia in propinquo trãſirent: quippè ſciebant eum nũcium vehementer gratũ fore Turcarũ Cæſari. Ijdem Veneti ſuperioribus annis, poſtquã Hen. IV. Galliæ Rex pacẽ toto iã regno cõſtituiſſet, & nouiter Margaretã de Medices ſibi deſpõſatam haberet, viros quoſdã illuſtres ad eũdem Regẽ miſerũt, videlicet D. Donatũ, & Delphinũ procuratores S. Marci, qui eidẽ de ſecũdo rerũ Gallicarũ ſucceſſu, deq; matrimonij illius dignitate gratularetur. Cõſimile officij genus iã dictus Galliæ Rex nõ ita diu præſtitit, Iacobo Magnæ Britãniæ Regi, vt primũ regnũ illud iure hereditario ipſi obtigerat, eoq; Marchione de Rhoſny legatũ trãſmiſerat, cũ magnifico rerũ oĩũ apparatu. Is autẽ orã Caleti ſoluit in Iunio quo die cõuenerat ProAdmirallius Angliæ naues trãsfretãdo neceſſarias oblaturus. Superioribus verò annis, vt primũ rẽnunciatũ fuit Turcarũ Principi Ferdinand. Archid. Auſtriæ modò Imp. inuictiſsimũ eius nominis II. electum fuiſſe Bohemiæ Regẽ, mox legatum citiſsimis equis expedit maximis cum muneribus qui prima regni auſpicia fęliciſſima ei apprecaretur. Legationibus gratulatorijs ſuppares ſunt Conſolatoriæ, quibus nimirum Principes teſtantur ſe aduerſis aliorum caſibus

[Margin notes: Appian. 2. Ciuil. — lib. 2. de bell. Neap — 1603. — 1617.]

æquè affici, atq; suis. atq; hic etiam aduertendum vt maturrimè expediantur, ne si tarditas adsit, voluptas in alterius mœrore posita videatur. Vide quam indignabundus acceperit Tiberius Cæsar sera Legatorum Iliensium solatia, qui de morte Drusi ipsius filij paulò seriùs solamen attulerant. his enim, irridendo, non aliud respondit, quam *vicem eorum quoq; dolere quod egregium ciuem Hectorem* multis iam ante seculis mortuum *amisissent*. Sublato è medio Henrico IV. Galliæ Rege anno 1610. mox vndequaq; adueniunt Legati Solamen Ludouico XIII. filio & regni successori allaturi, & quidem Dux de Feria ab Rege Hispaniæ, Antonius Millortus ab Angliæ, Dux Bucquoius ab Archiducibus, & alij ab alijs. Verùm, nimio plura sunt huius farinæ exempla, quibus palam fit satiùs omittere legationes istas, quam rebus iam exoletis superuacuas mittere. maximè cum huius generis legationes inter illustres habeantur, nec alij quam Palatinis primæ notæ, alijsq; sublimibus viris soleāt demandari, qui nihil præter dedecus à Principe, qui seriùs æquo aditus est, reportant.

Suet. Tib. cap. 52.

## CAPVT XX.

### *De Congreßionibus Legatorum.*

PRincipis cum Principe, vel Principis cum Republica, aut istius cum Principe, aut plurium inter se Principum negotium commune est. At quia Principes & Reges in congressum colloquiumq; rarenter veniunt, per Legatos negocia tractant, & exequuntur. vndè declarandum, quo pacto sint habendæ eiusmodi congreßiones, & quis primum alterius colloquium petere: hoc enim tangit arcanum dominationis. Breuiter, Legati Principis, seu potestatis imbecillioris, colloquium validioris primum postulare par est. validiorem intelligo, qui alterùm potentiâ, vel dignitate præstat. si par alter alteri sit, ille minorem se profitetur, cuius rogatu congreßiones habentur. Romanorum exemplis elucidabimus. nam non est quod quisquam iam putet Hispanos, aut Italos, aut aliûs Prouinciæ Principes accuratiores illis fuisse cerimoniarum cōgressuum obseruatores; quos scilicet singulares ijs in rebus quæ ad maiestatem Populi Rom. retinendam & augendam constat fuisse. Igitur cum Legati Rom. cum Perseo Philippi Regis Macedonum filio colloquium habituri essent, narrat Liuius desiderium mortalibus incesisse videndi congredientes, nobilem Regem, & populi Principis terrarum Legatos. Dirimebat Regem, & Legatos flumen, prima fuit contentio vti transgrederentur: à partibus Regis, allegabatur Regia Maiestas, Legati autē populi Rom. nomini, & amplitudini suæ aliquid deberi

lib. 31.

deberi existimabat, & Perseum petijsse colloquium, itaq; primus transiret; cum vtriq; cunctarentur, alter legatorum, qui L. Philippus erat, quod nomē patris, Regisq; fuerat, acutè & ioco dixit. *Minor ad maiorē, & filius ad patrem*: tunc facilè Regi persuasum, vt transiret: sed aliud exinde ambigebatur, inquit Liuius, cum quam multis transiret: *Rex cum omni æquitatu transire eum æquū censebat. Legati vel cum tribus venire iubebāt, vel si tantum agmen traduceret obsides daret, nihil fraudis fore in colloquio. Rex Hippiam, & Pantaucum Principes amicorū obsides dedit.* signa lector quæ sequuntur, *nec tam*, inquit Liuius, *in pignus fidei obsides desiderati erant, quā vt appareret socijs nequaquā ex dignitate pari congredi Regem cum Legatis.* Aliud quod sub manu est subnecto: Artabanus tametsi Rex Parthorum, nec vt pleriq; alij bello victus, cessit tamē maiestas Romanorum, adeò vt non sit dedignatus venire ad Colloquium Legati Consularis, & transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana Cæsarumq; imagines adorauit. Reges, & Principes, sui arbitrij sunt: si legatione fungens id præstitisset, impunitus, opinor, haud redijsset. Orobazum etiam Legatum reuersum à Sulla, è medio sublatum ab Arsace Partorum Rege, quod is sede vsus fuisset impari dignati Regiæ tradit Plutarchus. nam Sulla tribus sedibus allatis, vnam Ariobarzani, alteram Orobazo dedit, tertiam, eamq; mediam sibi sumpsit, in eaq; Legatum mandata exponentem audiuit. Omissis lōginquis Dux Birronius sollertior, certè in isto, fuit, qui superioribus annis Legatus ad Reginam Angliæ ab Henrico IV. Galliae Rege missus, cum sedem sibi assignatam infra solium Reginæ, quod gradibus constabat tribus conspexisset, stans, pede primo graduum posito, Regis sui mandata edidit. Sagaciter quoq; & falsè quidam Caroli V. Legatus ad Turcicum Imperatorem, cum accitus ad exponenda mandata aliquamdiu stetisset, neq; considere iussus esset, veste quam habebat substrata humi sedit, sicq; mandata sui Principis intrepide exposuit. Mox insurgens cum illud quod substrauerat fortè reliquisset, quamobrem id facere sciscitatus, respondit, Cæsaris Legatū sellam sibi portare non solere. Ismeniæ Thebani nouitijs iungendū callidum factum. Is patriæ causa legatione ad Regem Persarum suscepta venit, & voluit ipse de suo negocio Regem conuenire. Tribunus itaq; militum cuius officium erat res nunciatas ad Regem deferre, & admittendos ad eum introducere: verum ô Thebane hospes, inquit, lex est apud Persas, vt is qui in conspectum Regis venit, non ante sermonem cum eo conferat, quam eum adorauerit: quod si igitur vis ipsum adire, necesse est vt quod lex iubet peragas. Sin minus, idem tibi per nos præstabitur, quamuis tu non adoraueris. Ismenias verò, deduc me, ait:

Sueton Calig. cap. 14.

An. 1601.

Cũ autẽ accesſiſſet & tantũ nõ Regi proximaſſet, annulũ, quẽ geſtabat è digito detractũ, clã abiecit ad pedes, cõfeſtimq; procũbẽs tãquã adoraret ſuſtulit eũ iterũ; & opinionẽ adorationis Regi Perſarũ pręſtitit, nihilq; quod ignominioſũ eſſet Gręcis cõmiſit, ſed & quod petierat à Rege impetrauit. Hęc igitur, & ſimilia legatis eiuſdẽ generis cauẽda ſunt, tũ cauſa iã dicta, tum quod deinceps ſemel tolerata in exẽplũ, ac vſũ abirẽt, quod ne accidat Principũ intereſt auctoritatis. Pertinet etiã ad cõgreſsũ Legatorũ diſquiſitio titulorũ quibus honorãdi ſunt qui adeũtur, ne plus minuſuè tribuatur eorũ dignitati, quã aſſolet. Vnde hac in re peccauit Legatus quidã Lacedæmoniorũ, qui Antigonũ Demetrij filiũ Regẽ ſalutarat: & tametſi is in magna annonæ caritate modium tritici pro quolibet Lacedæmone impetrauiſſet, eũ tamen exẽpli cauſa puniuerũt. Epicrates Atheniẽſis Legatus ad Alexandrũ miſſus, cũ multa munera ab ipſo accepiſſet, nõ erubeſcebat ita apertè, audacterq; Regi adulari, vt nõ nouem qui Athenis imperarẽt; ſed nouẽ Legatos ad Regẽ quotãnis eligere ſolitos. Admiratus ſum ego, inquit, Athenæus, quo pacto Atheniẽſes hũc impunè neglexerint: cum Demeadẽ decẽ talentis mulctarint, qui Alexandrũ Deum exiſtimarit. Deniq;, ad cõgreſſum pertinet locũ aliquem deſignare, in quo colloquia inſtituãtur: & hic quoq; obſeruatu dignũ id quod ſupra diximus, vt qui maiori pollet autoritate primus locũ adeat, ad ſuũq; colloquiũ aliũ nõ ęquè potẽtẽ admittat. Nolo mea bilãce ponderare potẽtias vtriuſq; Regis, & Galli, & Hiſpani, quibus ſcimus nihil eſſe auguſtius in toto orbe Chriſtiano: ſed hoc tãtùm animaduerti ſuperioribus annis in cõgreſſu Legatorũ vtriuſq; Regũ de pace inter ſe tractantium, Legatos Regis Galliæ primum aduenisse eò loci qui cõuentibus celebrãdis deſignatus erat, & poſt paulò Legatos Regis Hiſp. Huius tamẽ potẽtiſsimi Regis auctoritati nolo mea obſeruatione iniuriã facere quaſi quod poſtremus in cõuentũ cõuenerit Gallo ſit inferior (de eo viderint alij) ſed hoc vnum adſtruo, vbilibet ferè gentium vſum ſic inoleuiſſe, atq; cerimonias magnorũ Principũ ita ſe habere, vt in conuentu, ſeu cõgreſſu publico, is primo adueniat ad locum deſtinatũ, qui potẽtiã, & auctoritate alteri præualet; impotẽtior autẽ aliquo interiecto tẽporis ſpatio ſubſequatur, qui tùm à potẽtiore illo (ſiquidẽ in illius Prouincia cõuentus celebretur) officij cauſa primus aditur, atq; ſalutatur. Cõſimilem in modũ in cõgreſſu Papæ Clemẽtis VII. cum Franc. I. Galliæ Rege in vrbe Maſsilia, Rex biduo, aut triduo poſt aduentũ Papę illuc appulit. Idem quoq; obſeruatũ fuiſſe in conuentu qui Papã inter, & Carolũ V. Imp. Boloniæ agebatur, memoriæ proditũ eſt. Sed hæc quidẽ pacis tẽpore: nam in cõgreſsibus, ſeu collocutionibus bellicis qui Duce inter habẽtur, illud eſt exploratiſsimũ, vt locus cõgreſſus æquis ſpa-

Plut. in Lacon.

Lib. 6. c. 6.

An. 1598.

cijs distás ab vtrisq; copijs cõstituatur. Atq; ita institutũ fuit colloquiũ legatorũ Galliæ in expeditione Neapolitana, de quo deq; seipso Cominæus: *Interim de salute Regis erã valde sollicitus, & vt tutò progrederetur cõsti tui intermissam pacis conditionẽ renouare: sed vix ægre licebat internunciũ aliquẽ reperire qui ad ipsorũ castra proficisceretur; vbi tandẽ esset inuẽtus qui iret, missæ fuerũt vltrò citroq; litteræ, quibus idoneè cauebatur venturis ad colloquiũ, quod illi æquo spatio ab vtrisq; castris haberi postulabãt.* Simile illud Ariouisti Germanorũ Regis cum Cæsare: *Planities erat magna* (inquit ipse Cæsar) *& in ea tumulus terreus satis grãdis. hic locus æquo ferè spatio ab castris vtriusq; aberat, eo vt erat dictũ, ad colloquiũ venerũt. Legionẽ Cæsar quã equis deuexerat, passis ducẽtis ab eo tumulo cõstituit. itẽ equites Ariouisti pari interuallo cõstituerũt. Ariouistus vt ex equis colloqueretur & præter se denos, vt ad colloquiũ adducerẽt postulauit.* Ita Cæsar: cui iũgẽda sũt ista Onosãdri: *In cõgressibus det operã Imperator vt secum prodeant selecti, & præstabiles quiq; Iuuenes, robusti, decori, splẽdidis armis insignes.* Rationẽ adfert hanc: *Sæpe enim inspecta parte, de totius præstantia iudicari solet. Atq; hinc hostium Imperator non tantũ de ijs quæ audiuerit deliberabit, quantum illis quæ viderit terrebitur.* Deniq; in eiusmodi legationibus bellicis hoc quoque obseruatur, vt is qui alteri præualet multorum dierum inducias cum alio non faciat: quippe quod desidia & otio lãguescat exercitus, & suâ sponte soluitur *cũ difficile sit*, inquit Xenoph, *vel vnũ hominẽ alere desidẽ: multo etiã difficilius totã domũ; sed omniũ est difficillimũ vniuersũ exercitũ cõtinere otiosum.* atq; hæc ratio superioribus annis mouit Henricũ IV. Galliæ Regẽ in memorabili illa arcis Momelianæ obsidiõe, vt illust^mo Card. Aldobrãdino nomine Ducis Sabaudiæ inducias petẽti, negaret, quin acrius solito obsidionẽ vrgeret, si P. Mathæo fides. sed hæc sunt alterius loci & otij, discusšiq;, ni fallor, in Notis ad Onosandri Strategicon.

lib. 3. de bell. Nea

lib. 5. de bell. Gall.

cap. 10. Strateg.

lib. 1. Cyri pæd.

## Cap. XXI.

*Quæ notanda ante ingressum Legati in vrbem, & ad Principem: quæ secundum ingressum: quæ vestes? quæ fandi tempora, deq; officijs salutationum.*

QVæ superiori capite diximus eius vnde Missus est personæ côueniũt, nũc quæ ipsũ Legatũ proprie deceat, quędã hic subnectamus. Igitur illud imprimis legato incũbit, vt priusquã itineri se accingat, probè sit instructus de Prĩcipis qui aditur & Aulæ Procerũ ingenio, & natura, seduloq; inquirat regionũ situs, limites, instituta, ac consuetudines subditorum, ærarij quoque vires, quibusque fœderibus ditio illa firmetur, adhæc rerum commercia, & quibus abũdet rebus quibusq; careat, & quâ formâ Reip. gubernetur, & quod maximum inquirat an quædam molimenta & insidiæ parentur Principi, vel patriæ illiusue socijs quorum agit legationem: deniq; nihil non ediscat, quæ vel ad munus dextrè obeundum, vel fœliciter exsequendum pertinere existimabit. Hæc autem vndę

melius accipiet, quam à simili legatione functis? Nam sicuti varijs maritimis fluctibus, & tempestatibus agitati, securiora, & certiora, alijs præbêt consilia: ita illi qui Aulæ lubricum, illiusq; naturam experti,& varijs legationum laboribus perfuncti fuêre, longè haud dubiè meliora, & saniora mentibus legatorum instillant consilia. Vbi itaq; iam ante de his edoctus fuerit, & tandem Vrbem appulerit, diuertat ad ædem Deo sacram oraturus eum qui dat consilia magnifica, sana & recta. Cum enim diuina prouidentia consilijs & actionibus humanis non suffragatur, malo & infęlici exitu terminantur, vt Gregoras inquit. Hospitio autem vbi exceptus à Primoribus Aulę fuerit,ac sese aliquanto temporis spatio collegerit, nihil prius, nihil antiquius habeat, quam ijsdem Principem adeundi desiderium ostendere, fandiq; copiam petere: quâ datâ,cultu, vestituque, non tam eleganti & magnifico, quam moderato, & muneri cui deputatus est congruenti, petat Aulam, splendoremque vestium turbæ potiùs sequentis officio relinquat: non quidem vt Principis cui ista neglectui sunt, quam vulgi studia assequatur: præsertim cum prudentiores censeant, vt auctor est Cicero, *munditiam non odiosam, neq; exquisitam nimis, sed tantùm quæ fugiat agrestem, & inhumanam negligentiam adhibendam in cultu, vestituq;* ; in quo sicut in plerisq; rebus mediocritas optima, & Legato si vlli sequenda:

lib.7.hist. — lib. 1. de Offic. — Homer. Odyss. 3.

Ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει
Ἐσθλή:

*Quippè homini ex istis surgit bona famâ decusq;*

Sed præsertim temporum conditioni sese accommodare, & id quod in Ecclesiasticis etiam dicitur, vt not. glo. in cap. Quod verò 21. quæstione 4. Iunioribus verò Legatis, & Martis, vt sic dicam, alumnis, conceditur habitus venustior, quod iuuentus floridior sit, & nescio quid delectabilis habeat viriditatis,vt & militia plus libertatis. Quamquam & interdum isti externum illum apparatum,& agmen seruorum nitentium fastidient, ac potiùs in tempore vitabunt, vtpotè in rebus dubijs, & afflictis. Ita Antonius Marci frater, & si erat cum Imperio, tamen vt vndiq; obsessus, ac propemodum victus, cum duobus lictoribus iuit ad Cæsarem à quo pari exemplo exceptus est. De Anatalio Duce Orientis ex Procopio narrat Pascalius, quem Theodosius Imperator ad Varanem Persarum Regem legauerat. Vbi is eò peruenit ac à Rege conspici poterat, non præmisit qui nunciaret aduentum suum: sed solus, ac tacitus descendit ex equo, pedesq; accessit ad eum, quem Rex conspicatus, & qui mortalis esset sciscitatus, tanto honore obstupefactus habito sibi ab homine eximiæ claritudinis, confestim ad alia

Appian. lib. 5. Ciu. — cap. 38.

flexit.

flexit: Hinc magnus ille regnator voluit sciri quam non agnosceret hunc tantum sui cultum. Dein, in Regiâ Legatum excepit magna humanitate, pacemque Imperatori, quibus conditionibus Anatalitio placitũ erat, dedit. Ecce vides, quãti referat in occasione modestiã, moderationemq; sibi renunciare. Atq; si in secũdis prosperisq; rebus insolentia, fastus, arrogantia minus amandos homines facit, quid in aduersis, afflictisq; quibus demum condolemus, si facta elata non repugnent? His addendum, dedecêre Legatum deserere cultum habitumq; suæ gentis: quippè qui patriam suumq; Principem negligere imò & aspernari videbitur, qui alterius gentis mores assumit. At nunc porrò pergamus: Priusquam Principem conueniat omni studio inaudire conetur an ipsi aliquid fortè sinistri, vel offensionis materia acciderit; in quo euentu aditum differat dum æger molestiâ animus mora vel aliquo laxamento leuatus sit. Nam vt in multis tempus rerum omnium est primum, vt Terent. inquit, ita hic maximè iuuat scire ipsa conueniendi tempora, ne, sicut est in prouerbio, non ad propositum Legatus venisse dicatur. Quare tum maximè, vt fandi occasionem quærat, suadeo, cum solutus à molestijs, iucunditati propior erit, vt talem petitionis effectum sortiatur, qualem animum inuenerit. Ingressus autem si quæ dona danda acceperit, idoneis verbis, & cærimonijs Patriæ receptis offeret, idq; vt recte notat Brunus, pro mandatis sibi datis id quod Phædria apud Comicum facit, qui Parmenioni seruo mandat non solum vt munus Thaidi offerat: sed ipsum quoque quoad posit verbis exornet: vt & Aeneas apud Virgilium facit, qui Oratores suos dona quidem latino Regi ferre iubet, formam autem, & qualiter munus, quibusq; verbis offerant non præscribit: sed tacitæ Legatorum industriæ relinquit. Ideoq; Legati munera non solum offerũt; sed etiam à dignitate eorum laudant, & commendant. sic enim aiunt: lib. 3. c. 13. lib. 7. Aeneid.

*Dat tibi præterea fortunæ parua prioris*
*Munera, relliquias Troia ex ardente receptas.*
*Hoc pater Anchises auro libabat ad aras.*

Adhæc, Principem ijs honorum titulis compellabit, quibus eum insigniri voluit is à quo missus est: quippe satius est mandatis Principum obtemperare, quam iudicio suo fidere, nec modum illum excedere qui est inter nimium, & parum. A quo sibi minimè cauit Legatus ille missus ad Lacedæmonios, qui Antigonum Demetrij filium Regem salutauerat; quo nomine sic illi excanduerunt, vt etiamsi legationem fœ- Plut. in Lacon.

G liciter

liciter exsecutus fuerit, pessimè tamen illum mulctarint. Memoriæ proditum est Carolum V. post initam cum Francisco I. Gallorum Rege ad Cameracum pacificationem, cuidam Legato summis encomijs in os eum laudanti, in orationis extremo dixisse: vtinam nunc verè laudasses, biennio ante me parcius in Anglia vituperasses. Cæterum, vt est procliue, mediocritatem excedere, in laudando: ita etiam haud parua caret culpa debitos Principis honores depeculari. Testis sit magnus Moscouiæ Dux qui Legatum Imper. Turcarum insolenti pœna mulctauit, quod pro merito eum non honorasset. quippè dum pileum ponere, ne à ritu suæ gentis recederet, tergiuersatur, mox iussu Turcæ tegmen capiti clauis impactum fuit, vt quod deponere stolidus iste abnuerat, firmius hæreret. Quid de Antonio, qui eandem ob causam Legatum Augusti pessimè accepit quod scilicet Cleopatrę parum ciuiliter locutus esset? Nũquid Emanuel Oriẽtis Imperator eandem ob rem legatum Venetorum flagris conscidi iussit? sed barbara inquies isthęc facta sunt: quæ tamen memorantur, vt legati saltem indignationis periculum effugiant, magnaque humanitate, & comitate vtantur, cum proximant Principi, pręsertim offensioni prono. Ita Antonius, & Ferdinandus Gennarij, legati à Ioanne Galeatio Mediolanensium Duce ad Ludouicum Sfortiam (illius quidem Patruum, sed hostem atrocissimum) missum, luculentam de Ludouici laudibus in consessu primorum ordinum orationem habuerunt, quæ eo pertinebat vt æger ambitione animus postquam nihil aliæ artes valuissent, gloriæ, ac laudis mentione sanaretur. Assuescat insuper Legatus cum Aulicis primæ notæ, qui ingressibus, & egressibus adhærescunt; ac discat cum ijs officijs certare, alios verò inferioris notæ minus contẽnere; cum sui verò similibus, id est aliorũ Principũ Legatis, eorumve administris rarò cõgredi, aut sermocinari: quippè quod plerisque innatũ est nimioperè sibi familiares contemnere. Sed & inquirere, & explorare in Principum arcana, præsertim inter Liberum, quo vt equuleo nonnulli vtuntur. Non tamen nego quin priusquam in publicum dicturi veniant, informent animos procerum, in suamque sententiam præmijs, pollicitationibusq; perducant. Vnde Carolus Galbianus Ludouici Sfortiæ Legatus ad Carolum Gallorum Regem pro tuendo Ducatu Mediolanensi, contra Aragonum, seu Ioannem Galeatium cuius causam agebat, non prius sibi in Consilio Regis de bello differendum arbitratus est, quam proceres, quos gratia, & auctoritate potentes esse cognouerat, pollicendo præmia, atque docendo, quam facilis ac expedita res foret, ad capessendum bellum accendisset. Est tamen quod aduertant ne in congres-

P. Iouius lib. 1. hist.

sionibus, siue salutationibus capiantur, & proprijs sese decipulis vt sic dicam inuoluant. Meminerint illius Taciti nusquam gentium plures inueniri qui *specie amicitiæ dolum alteri parent, quam in Aulâ facti naturâ, & consuetudine exerciti, velare odium fallacibus blanditijs.* Ibi aderit fortassis nonnemo Proteo mutabilior, qui ficte & simulatè illaudata de Principe promat vel Heroicas eius virtutes cum alterius conferat, vt quid probes, vel improbes, ilicò referat. sed de his in Politicis dixi. Redeo vnde diuerti. vt Legatus Principem, qui suo maior est, cum maiori reuerentia, ac honore adire debet; ita paris Principis auctoritatem sic ob oculos, habere debet, ne suam negligat. Itaq; siue in sessione, siue in dicenda sententia, siue in subscribendo, siue in incedendo sarctum, & tactum gradum suum, ac potiùs Principis, à quo missus est, tueri debet. Itaque hallucinatur is qui vbi à Principe qui aditur semel iterumque ac cumplurimum tertium monitus fuerit, imperatis non pareat, caput non tegit, loco qui illi designatus fuerit (dignitati tamen mittentis congruo) non sedet. litteras porrò qui credentiæ obtulerit, concessa vtetur dicendi facultate, & quæ in mandatis habet, liberè & enucleatè edicet: Mandata verò, siue Instructiones neutiquam edet, nisi id mandatis contineatur, aut sua ipsiusvè à quo missus est intersit exhiberi, id quod infra de Mandatis dicemus. Denique, negotium, quod missioni legationis causam dedit confidenter, & pro illius momento exponet, & quidem cum ea dictionis, & actionis venustate & perspicuitate quam rei dignitas videbitur postulare. qua de re si alibi scripserimus; hoc tamen subnecto, cum eximia dicentis actio mirum in modum valeat ad persuadendum, esse interdum nonnullos, qui sibilis, murmure, & colloquijs, perstrepunt, & interturbant, existimantes tantùm suæ demptum gloriæ, quantum ex culta oratione accedit Legato gratiæ, vel admirationis. In publicis verò sessionibus, Legatus, aut is qui primas inter plures tenet, non nisi rogatus sententiam suam, suorumque collegarum dicet, & quidem quæ non abhorreat à re quæ in medium proponitur, & eo dicendi genere, quo nullus eorum qui communi interest consilio, offendatur. Quod si diuersi diuersorum Principum Legati super vna eademque re aduenerint, & ad Consistorium seu consilium indictum vocati fuerint, curæ pretium erit, vt priusquam conueniat, aliorum mentem & sententiam ediscere satagat: quò commodius ipse suam promat. vbi autem vna conuenerint, patiatur vt hi primum dicant, quorum oratione præinstrui, atque confirmari caussam suam existimabit. Simul atque dixerit,

lib. 14. Annal.

attentissimis auribus, quæ à Principe dicentur audiat, caueatq; ne minimum præterlabi sibi verbum patiatur: memor, Lycurgum eo fine olim constituisse, ne aliquid pictum in loco ad consilia constituto appareret, ne videlicet Senatorum cogitatio distraheretur: sed tota in rebus deliberandis dijudicandisq; defigeretur. Nam in minimo plerũq; verbo permagna latet emphasis, vt Duc Mauritiæ didicit in verbis *evvich* & *enich* quibus fuerat vsus Carolus V. Porrò, simul atque responsum à Principe datum erit, pauca subiunget, nec nisi de re, atque argumento tempori, loco, personæ suæ conuenienti, eritq; demum in Principem honorificus, quem demissè recedens venerabitur. Ad extremum, prætermissis, aut certè non accersitis Aulicorum colloquijs, illos humaniter salutabit, domumq; se recipiet: quod si à quibusdam primoribus Aulicis, vel alijs minorum gentium legatis reducatur, studeat vt posteà similibus respondeat officijs, neq; vlla humanitate ab aliquo se maiori vinci patiatur. Nam de ijs qui multis parasangis inferiores sunt, quique publicam non sustinent personam, planè alienum est à dignitate legati, vltroneis indulgere salutationibus. Dico vltroneis: nam vt adeuntibus promiscuè & opido-quàm humanum sese exhibeat, suadent peritissimi legationum. Hinc legimus Cyneam Pirrhi legatum Senatores Romanos comiter, & quidem nominatim resalutasse. quippè sciebat philautiam homini à natura inditam, & quosq; impensè æstimari ab alio gaudere, præsertim æstimato. Ac licet fluxa & Vertumno inconstantior sit voluntatis propensio, verborum, vt assolet, pompis declarata, immanè tamen quantum homines illâ capiantur: Si quando autem aliquos primæ notæ viros visitandos, salutandosq; duxerit, videbit ne id crebrò fiat, verùm abundè erit, si eiusmodi visitationes geminauerit, aliterq; pro consuetudinis regione vsurparit. Enimuerò, humana ambitio ne dicam vanitas, officijs istis mirè capitur; ideòque aduertat, ne vltra citraq; ciuilitatis fines in istis quicquam præstet. Ac, vt ad institutum redeam sermonem, domum reuersus curæ habeat vt diligenter memoriâ repetat, quæ in Senatu gesta, dictave à Principe fuerint, & quo nihil dictorum excidat, operæ pretium sit Ephemerides sub manu habere, quibus omnia sigillatim consignet. Denique si quæ legatus dicenda depræhenderit obliuione fortassis, vel alia de causa à se prætermissa, aut non ita clarè vt decuit explicata, videat ne pudore vitioso illa non detractet, aut primo quoq; tempore, etiam extra consistorium Principi liberè edicat, alioqui paris esset periculi malum, si dolosè mandata reticeat, aut pudore iuuenili omissâ memoriæ, lapsu non prodat. Postremò, aduertendum legato ne mandata ab his qui

lega-

legatione adeuntur accipiat, si vel ij hostes sint, aut alias suo Principi suspecti, vel illorum postulatis morem non gesserit: quod is non careat fraudis, & doli suspitione, qui cum norit istos Principes diuortia fouere animorum, complacet tamen ei, à quo cum repulsa redit. Atq; eo nomine Legatos ad Antonium missos acriter Cicero repræhēdit, quòd eius qui Senatui parere dedignatus fuisset, mandata ad Senatum suscepissent, qua de re vberius alibi dicemus. Denique, legati prudentiæ incūbet, inquirere an alius item sit ibi Legatus cui fortè debeat salutationis officium: in quo regionis, & vrbis quæ aditur consuetudo maximè attendenda est. Certè Venetijs ita inter nuncios S. Sedis, & Legatos aliorum Principum perpetuò obseruatur, vt is qui vltimo aduenit, primus ab alio adeatur, & visitetur. Hinc ortam superioribus annis difficultatem legimus, inter D. de Messe Regis legatum, & Nuncium Apostolicum, qui quod ille identidem pro re nata à suo Rege Venetias missus esset, vltimùm illuc aduenienti salutationem negauit, astruens illum non esse recens missum, & proinde illius esse ipsum præsalutare, id quod præstitit: tum quia postremus illius reditus, nec pro primo suæ legationis ingressu capi interpretarivè poterat, tùm quia eò loci erant res regni, vt officijs, & humanitate potiùs deuincēdi essent S. Pontificis ministri, quam ansam de prærogatiua certandi quærere. Legatus tamen Regis Catholici sui magis plenus noluit, quod postremò Venetias appulisset, Nuncium Sedis Apostolicæ ibi agentem præsalutare, nec vicissim Nuncius ipsum: sic quod vtriq; annos suæ legationis, absq; vllo salutationis officio transegerint.

Philip. 8.

P. Mathæi lib. 4. hist. narrat. 4. num. 7. An. 1592.

## Capvt XXII.

### *Legatio qua linqua edi debeat: deq; Interpretibus Legatorum.*

Vicino deflexu querendum est qua lingua Legatus promere debeat legationem. Breuiter dicimus, eius qui illum misit, seu illius Imperij vndè aduenit. Pertinet enim ad maiestatem mittentis ipso sermocinari idiomate, quo si mittens ipse præsens esset. hinc in Catone scribit plutarchus ipsum Athenis morantem à Græcæ linguæ vsu, cuius tamen peritissimus erat, abstinuisse, & quando latinè commodè non licuit, nec Græcè etiam loqui voluisse, sed interpretis opera vsum fuisse. Tantum enim honorem latino sermoni tribuebant Romani, vt ne Græcis quidem vnquam, teste Valerio, nisi latinè responsa darent: nec in vrbe tantum, sed etiam in Græcia, & Asia per interpretem eos lo- lib. 2. c. 2.

 qui

qui cogerent, vt latinæ vocis honor per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Vnde Ciceroni probro datum à Verre dicitur, *quod apud Græcos græcè locutus esset: id fieri nullo modo potuisse.* Tametsi autem legatum deceat lingua vti vernacula sui Principis, non eò tamen imperitum volumus linguæ eius qui aditur, licet alioqui subsidiaria interpretum opera vti posit. hæc enim linguarum cognitio, varia, & magna incommoda amouet, vt contra affert summa, & plurima contraria, si vicaria alterius lingua vti necesse sit. Vnde Pompeio Lentulus auctor fuit, ne profectionem ad Parthum susciperet, quod linguæ Parthicæ imperitus esset, qua de re latiùs dissero lib. 3. Polit. Aphorismorum. Porrò Legatis istis dissimili lingua ab illius qui legatione aditur vtentibus, Interpretes dari solent, ijq; è primoribus Senatus aut Magistratus, vel vt hodie vni de fidissimis Principis ministris. Vnde *tribus Philosophis, quos Athenienses Romam ad Senatum populumq; Romanum legauerant, in senatum introductis, datus est interpres Cæcilius Senator.* Sic Cæsar cum in Duumnorigem Diuitiaci, sibi alioqui amicissimi, fratrem, quid grauius statuere constituisset, eundem Diuitiacum *ad se vocari iubet, & quotidianis interpretibus remotis per Caium Valerium Procillum Principem Galliæ Prouinciæ familiarem suum, cui summam rerum omnium fidem habebat, cum eo colloquitur, simul commonefacit, quæ ipso præsente in Consilio Gallorum de Duumnorige sint dicta, atq; hortatur vt sine eius assensione animi, vel ipse de eo causa cognita statuat, vel Ciuitatem statuere iubeat.* verùm, quia Interpres consors est arcanorum Imperij, Principis quidem prudentis est, hoc munus non nisi dignitate præditis, & fide integritateque valde spectatis credere, præsertim cum illis ceù internuncijs plerumq; excipiantur subditorum, ac vicinorum desideria. Non enim ex facili, & directò Principes sui copiam faciunt, mauolunt per Interpretes, aut internuncios, quòd hinc maior ipsis concilietur veneratio, auctoritas, maiestas. Hinc Alexandrum magnum nedum Legatis, sed & hominibus suæ linguæ nonnisi interpretis opera auscultasse & respondisse ferunt. quomodo etiam Traianus Cæsar: *Augebat,* inquit Plinius, *maiestatem Præsidentis diuersi postulantium habitus, ac dissona voces, raraq; sine interprete oratio.* & Senatus Rom. cum Legatos Antiochi Regis humaniter excipere iussisset. l. Quinctio mandarunt vt illos attentius audiret, ipsisq; responderet *quæ ex dignitate, atq; vtilitate populi Rom. responderi possent.* In Pericle notat Plut. quod licet sub initia Imperij comis & vbique adeuntibus se facilem præberet, postea tamen animaduertens ad auctoritatem (sine qua incassùm est Principis potestas) non parum prodesse moderatam abstractionem, à pristina

6. in Ver.

Plut. in Cato. Cæs.

A Gell. lib. 7. noct. Att. c. 14.

Cæs. lib. 1. de bello Gall.

Q. Curt.

Paneg.

pristina se subduxit consuetudine. prudenter. *Nam* vt idem Plutar. inquit, *comitas facile omnem fastum atterit, & in familiari consuetudine ægrè custodias illud opinionis de te Augustum.* Cæterùm, etiamsi moribus sit introductum, vt Legatus in consistorijs publicis non alia quam lingua eius Imperij, vel Principis vnde missus est vtatur: attamen secus dicendum est in sacro illo, & augusto Cardinalium consistorio, cum in illo latini sermonis dignitas, & vetustas semper sit obseruata, adeò vt tam in consultationibus, quam responsis dandis, decretis sanciendis, Legatis Imperatorum, Regum, ac Principum quorumcumque excipiendis, alijsq; ferè omnibus rebus gerendis, lingua hæc inuiolabilis perpetuò fuerit, vt memoriæ prodidit Illustriss. Cardinalis Palæotus. In alijs autem Principum Consistorijs vsus ita inoleuit, vt eius lingua legatus vtatur quæ Principi vernacula est vnde missus, non quòd legatus ijs plane verbis mandata exponere cogatur, quibus vsus est ipse Princeps, cum satis sit & abundè, si mentem illius suo idiomate, breuiter, & succinctè explicet, ne alioqui nobis ex superuacuò datam esse eloquentiam dicamus, si pro re, & occasione eâ nobis vti haud liceat. Ego tamen cum erudito Pascalio lingua demum Principis vel Reipublicæ cuius legatio agitur vtendum censuerim cum propria est. Nam incompta, egena, & contorta idiomata quarundam Prouinciarum, non tam linguæ, quam linguarum pedissequæ dicendæ sunt. secundò, cum solemnes tantùm sunt legationes, & in Consistorio explicantur mandata. Nam vbi priuatim cum Principe legatus agit, aut occultus eum adit, aut certè semota omni specie, ac secretis sermonibus res transfigitur, atq; in tali secreto panduntur mandata, tum certè consultius est, vt legatus, & Princeps, si quam habent peregrinæ linguæ notitiam, hac vterq; arcana sua expectoret, & legatus quidem vt Principi quod affert altius inserat, illiusque vt sic dicam præcordia excutiat Princeps vt singula momenta legationis callidius penset æstimetq; ac sua occulta facilius promat. Nam facultate vicissim loquendi, intimi affectus vicissim repræsentantur, cui rei impedimento est, frequens interuentus Interpretis, quo impetus orationis expugnator voluntatum frangitur.

In Pericle.

De S. Cõsist. Consult. p. 5. cap. 2.

cap. 30.

## Capvt XXIII.

### *De excipiendis Legatis à Principe, & quidem amicorum Legatis.*

Excipiẽdus Legatus à Principe vt sit videamus. & quidẽ haud dubium est, quin alia atque alia habẽda sit ratio legatorũ excipiẽdo-

rum

rum, vtpote pro conditione, & qualitate mittentium: vnde si illi eximij, & magnifici, magnificè quoque, & eximiâ quadam humanitate excipiendi. Est ne Cæsar, Rex aut Princeps alicuius supremæ auctoritatis qui legatos mittit? tum is qui aditur designabit primates, qui obuiam legato procedant. vt hi verbis suis nedum aduentum comiter gratulentur, sed & alia humanitatis officia præstent, quin etiam sese penetrent in animos, & sagacius sicpote eorum abdita odorentur, vt priusquam ad colloquium admittatur arcana norint legationis. Quemadmodum igitur honorificum, & ciuile aliquos præmittere, qui legatũ aduenientem excipiant: ita in ignominiam suam, & contumeliam facile vertet is cuius agitur legatio, si obuiam processerit nemo. Rex Ptolomeus, inquit Valerius, à minore fratre regno spoliatus petẽdi auxilij gratia, cum paucis admodũ seruis squalore obsitus Romam venerat, ac se in hospitum Alexandri pictoris contulerat. Quod postquam Senatui relatum est, accercito iuuene, quâ potuit accuratâ excusatione vsus est, quod nec Quæstorem illi more maiorum obuiam misisset, nec publico cum hospitio excepisset. eaq; non suâ negligentiâ: sed ipsius subito, & clandestino aduentu facta dixit: & illum è curia protinus ad publicos penates deduxit, hortatusq; est vt depositis sordibus adeundi ipsius diẽ peteret; quin etiam curæ habuit vt munera ei quotidiè per Quæstorem darentur. Et posterioribus sæculis Carolus Magnus præcipue nobilitatis viros misit, qui Aaronis Regis Persarum exciperent legatos, cum primũ Pisas aduenirent. Ita Veneti legationem exceperunt Regis Galliæ, quam illius nomine tum obibat Philipus Cominæus vt de se ipse testatur verbis fere his: Quo die Venetias veni obuiã ex ipsis multi prodierunt meque prope Patauium in loco qui à quinque miliaribus abest excipebant 25. nobiles elegãtissimè culti & cum propius vrbem deduxissent in templum D. Andreæ sacrum, aderant totidem alij nobiles cumque his legati Mediolanensis, ac Ferrariensis, & cum peramicè salutassent, sumpsimus paulo maiora nauigia splendidissime ornata, in quibus singuls considere poterant quadraginta, mihiq; locum tribuerũt medium inter duos legatos, quod honoris causa facere consueuerunt. Eo comitatu deducebant me per magnum riuum qui mediam vrbem diuidit, &c. Hi igitur quinquaginta nobiles perpetuò comitati hospitium mihi præbuerunt in Abbatia D. Gregorij. Postridie cum accersitus ab illis, atq; deductus in Senatum venissem, quas à Rege habebam litteras, Duci Reip. dabam. Eo die nihil actum fuit præterea, & acceptis à me litteris per Curiam circumducebant, vt structuras, & ædificia spectarem. Inde ad templum D. Marco consecratum, post illa

lib. 5. c. 1.

Ammo. lib. 4.

lib. 2. de Regno Neapol.

illa ad armanentarium & ita ſuperioribus annis ſerenis. Dux ſabandiæ An. 1602.
per primores Aulæ ſuę proceres opidoquam magnifico excipi curauit apparatu Dominũ de Cheueriers quem Henricus IV. Gallorum Rex ad eum legarat, pro excipiendo ab illo Concordiæ, & pacis inter ipſos initæ iuramento. Finis non eſſet, ſi cum è veteri, tum noſtra memoria huius rei petantur exempla, quibus fit perſpicuum legatos maiorum Principũ, nedum per primæ notæ Aulicos excipi ſolitos, verum etiam aduentitio,ſeu honorario donari munere,ab omniq; impenſa,ſumtuq; quem per ditiones eius ad quem miſsi faciunt, liberari. Hac tamen humanitate non omnes legati excipiuntur. quid enim ſi prouincialium, aut Municipiorum ſint legati? hos ſane eo honore minus dignari nimis compertum eſt; vt nec incognitos, propter longinquitatem, aut obſcuritatem, quos Romani priuſquã admitterent, minores magiſtratus ijs mittebant obuiam, vt cuiates, & quid poſtularent, inquirerent. Ita Artaxernes legatos Athenienſium ſciſcitatus eſt: *vnde itis,& qui mortales* Herod.
*eſtis,qui expetitis ſocietatẽ Perſarũ?* Acceptis igitur in modũ,qui modo di lib.5.
ctus eſt legatis, vbi illi aliquantiſper ſeſe collegerint ſolent admitti,non quidẽ priuatim ad Principẽ,ſed publicè, frequẽti cõcilio: *alioquin enim,* inquit Diocaſsius, *è dignitate Reipublicæ eſt videri omnia eſſe in poteſtate Se-* lib. 52.
*natus, ac multos eſſe eorum aduerſarios qui eum ſpernant. Taceo quod Senatorum opera facilius ea quæ legibus ſunt conſona, Princeps exequetur, nihilq; iniuſſu eius cum quoquam agat: hoc pacto, & dignitas Imperij magis confirmabitur, & legum inſtituta aperta, ac conſpicua omnibus reddentur.* Quamquam nec hoc vrgent à Principe, vt ſemper pendeat à Sententia Senatus, cum quædam legationis capita plerumque paucioribus, & arcano conſilio ſint committenda, vt quotidianus rerum docet euentus, atque hoc ipſum, & Auguſtum Cæſ. & Tiberium & Galbam, & Veſpaſianum, & alios olim factitaſſe in Polit. Aphoriſmis oſtendimus. Siquando au- lib. 2.
tem ad priuatum Principis colloquium admittendi, cautio iſta adhi- cap.XXIII.
benda, quam ſuggerit idem ille prudentiſsimus Cominæus: *Prudentia,* inquit, *ſingulari, & dexteritate quadam opus eſt in tractandis exterorum Le-* lib. 4.
*gatis, & principio, meo quidem iudicio, amicorum Legati de quibus nullam ha-* Cõment.
*bemus ſuſpicandi cauſam, liberaliter ſunt, & honeſtè tractandi, facta ſubinde illis poteſtate conueniendi Principis ad quem miſsi ſunt, modo ſit prudens,& honeſtâ ſpecie: Nam alioqui præſtat eum vel rarius conſpici, vel non diu inſiſtere collocutioni, ad quam cum deſcendit prouidere debet, vt ſit eleganter veſtitus, & de ijs quæ pronunciare, & reſpondere oportet edoctus; & mox reuocetur à congreſſu.* Nec enim diuturna eſt Principum beneuolentia, vt nec ex dignitate illius diutius quam par eſt ſui copiam facere; *cum nimius ad-*

lib. 35. *spectus*, vt Liuius loquitur; *minus verendos magnos homines ipsa satietate faciat*. Sed & illud consideratione dignum est vt propter cultum corporis magnificum, adsciscat etiam ea ornaměta, quæ maiestatem Principis commendant. Alexandrum Magnum haud aliter Lagatos ad suum tabernaculum admisisse legimus, nisi circa se adsisterent quingenti Persæ Clauatores, vestibus purpureis induti: post hos mille sagittarij sagati quibus antistabant quingenti Macedones clypeis argéteis. In meditullio tabernaculi statuta erat aurea sella, quâ sedés Rex ius dicere, & legationes audire solitus erat: Extra id tabernaculum in orbem dispositū erat paratū agmé elephátorum cum mille Macedonibus vestitu patrio: hos sequebantur Persarum millia decem, & quingéti purpurati, quibus Alexander eum ornatum iniunxerat. Nonnũquam huic ipsi Alexandro in hortis aureũ soliũ cóstitutũ fuit, & lecti fulti pedibus argenteis. Ibi sedebat cum amicis, responsa dabat legationibus. Magnificétia hercle, vel ad inuidiã rara, nec nostris imitãda, nisi signanda, vt pro suo quisq; modo talé se præstet qualis haberi cupit. Ideò Cyrus Rex inita cum Medis contra Assyrios societate, monetur ab auunculo Cyaxaro, vt non nisi magnifico ornatu Indorũ legatos accipiat, eoq; fine mittit illi pulcherrimã vestem, vt summo in splendore ab Indis cóspiceretur. Notauimus in libris Aphoris. ciuil. Ludouicum XI. Gallorũ Regem non aliam ob causam ab Hispanis ridiculò habitũ, quã quod cultu corporis abiecto, & infra priuati cõditionem neglecto se illis cóspiciendum publicè præbuisset. Aliam herclè iniuit superioribus annis rationé, Regina Angliæ, quæ vt audiuit Ducé Birroniũ ad se ab Henrico IIII. Galliæ Rege legatum aduẽtare, id operam dedit, vt tota curia, totaq; Anglorũ nobilitate vrbe exciperetur, in hospitiumq; duceretur, & vbi se collegisset biduo, aut triduo, inde in maioré Regiæ aulam vsquequaq; magnificentia conspicuam introduceretur. Ibi eminens solium Reginæ trigradum, auro, gemmisq; exornatum, conopeium supra magnificentiam regiam, aulæa è penitissima Turcia exquisitissima, ipsa veste serica auro, gemmisque bracteata & intexta: sedes tamen legati quę propter solium nimium depressa; quò factum est vt Birronius stans dixerit, altero pedum, dumtaxat primo solij gradu imposito. Nam ad sui Domini iniuriam pertinere existimabat, si in imâ sede, mandata exposuisset. Atq; hæc quidem dicta sint de excipiendis à Principe Legatis.

Athé. lib. 12. cap. 18.

Zonar. tõ. 1. Annal.

An. 1601.

## CAPVT XXIIII.

*Aliter excipiuntur Legati exteri; aliter domestici, deq; hospitijs ijs dandis.*

PRo conditione legationis solent Legati excipi, ijsq; hospitia assignari. Aut enim legationes externæ, aut domesticæ sunt. Illæ, principum

cipum sunt, aut Rerum publicarum sui iuris; istæ, prouincialium qui iure Regio seu principali gubernantur: Illæ, maiori cura, & circumspectione excipiebantur; istæ non itẽ. Itaq; in illis caueri solet ne legati, tam legati sint, quam speculatores, cum sub specie legationum permulta sæpè perniciosa tractentur; ideoq; singulari quadam prudentia, & dexteritate opus est in tractandis exterorum legatis, quod pulchrè monuit Cominæus. hinc legimus Scipioné, & Gn. Octauiũ ab Senatu missum ad explorãdas gentes, & Regũ mẽtes indagãdas. Sic quo tẽpore, inquit Polybius, victus à Romanis Annibal, relicta Africa, cursũ ad Antiochũ direxerat; Romani conatũ Attolorũ animaduertẽtes, legatos ad Antiochũ miserũt, *qui volũtatẽ Regis explorarẽt, & sub specie legationis apparatum eius specularetur.* Vaframẽtũ nõ tam prisci, quã & hodierni æui, quo isti Prothei subdola humanitate penetrẽt se in arcana Principũ. Nã seu vocati, seu inuocati, solẽnijs, ritibus, sacris, ludis, ludicris, spectaculis intersunt, quo fine? nisi vt dextrè se insinuẽt & sagaci naso odorari, & rimari queãt, quæ animo populi, & Principis latẽt? prudẽter meo iudicio fecerint, si quos ad cõsilia sua explorandũ missos arbitrabũtur, aut mox auditos dimittant, aut dissita ab aula assignent eis diuersoria: ipsum quod Maximilianum I. Cæsarem factitasse proditum est, vt nunquam videlicet exteros legatos propè Aulam hospitio excipi vellet: quod & Cominæus in Hisp. sub Ferdin. Catholico Rege accidisse sibi testificatur. Siquidé haud aliter distãt vt Cominęus loquitur, legati ab exploratore, nisi nomine, & impunitate. Imò nullus est quãtumuis prouidus, & fidus explorator, qui tantam habeat facultatem multa cognoscẽdi, quam eiusmodi legati, qui cum sint vnus, & alter, aut etiam plures, fieri non potest, quin multa videant, aut certè aliquid inaudiãt. Nam qui sunt prudentes Principes eam operã dant, vt etiam apud aduersarios habeant quosdam à se non alienos, quos muneribus vel pecunia eo fine lactant:

[lib. 9. cõment.]

[lib. 3.]

——Quidvis nummis præsentibus opta
Et veniet: clausum poßidet arca Iouem.

Illud satis cõstat cõsiliũ esse tam frequẽs, quã Politicũ in Aulis Principũ, vt sæpissimè missitent legationes ad eum Principẽ, quorũ ipsi verentur potẽtiã, id quod exẽplo Ducis Allobrogum docet prudẽs Scriptor Petrus Mathæi. siquidé quãdiu cõsistũt in Aula Principis ad quẽ missi sũt, oẽs ingenij neruos extendũt, in explorãdis arcanis illius Principis, deq; illis certiorẽ illũ reddũt à quo missi sunt, id quod est pręcipuũ, & maximũ legati officiũ. hinc antiqui moris fuit, vt auctor est Procopius, specie honoris sic obseruare legatos, vt ne frigidam quidé gustare eis liceret sine permissu custodum qui ijs appositi erãt; atq; adeo accepto respõso

[lib. 2. hist. narrat. 5.]

[lib. 1. Belli Gothici.]

continuò ad ſuos remeare iubebantur. Enimuerò, vetus Romanorum fuit inſtitutum, teſte Seruio, vt ſi quando Legati incogniti venire nunciarentur, primò quid vellent ab exploratoribus requireretur; poſtea ad eos egrediebantur Magiſtratus minores, & tunc demum Senatus, & ſi ita viſum fuiſſet, admittebantur. Henricus VII. Angliæ Rex paucis ante obitum annis, ita ſuſpectas habebat exterorum Principum legationes, præſertim ordinarias, vt quotquot erant in Anglia Principum legati, domum eos remiſiſſet, niſi morte præuentus fuiſſet. In poſtremo Ordinum conuentu Rothomagi celebrato anno reparatæ ſalutis 1617. Ludouico XII. Gallorum Regi propoſitum fuit ne fas cuiquam deinceps eſſet legatos exteros viſitare vel alloqui, ſine expreſſa Regis venia & facultate: quæ propoſitio adeo vſque Regi placuit, vt qui ſecus faxint, pœna læſæ Maieſtatis teneri voluerit.

## CAPVT XXV.

### *De admißione, ſeu audientia Legatis danda.*

QVI operam dederunt legationibus notarunt in Principibus aditis magna ſolere eos vti humanitate & comitate erga Legatos, quin etiam facilitate, in adeundo: cum ſpecies iniuriæ ſit, legatos longiore mora protrahere, diemque ex die ducere antequam admittantur. Illaudatus ab hac re Demetrius apud Plutarchum, cuius difficiles aditus, ſuperba reſponſa, intolerabilis faſtus erat, vnde factum vt regno è veſtigio eliminatus ſit. Nam & Legatos exterarum gentium, & nominatim Athenienſium poſtquam toto biennio vana ſpe lactaſſet, domum abire iuſſit. Nihilo humanior Conſtantius Imper. qui licet neceſſitatem itineris in Barbaros ſuſcipiendi prætexeret, pari tamen cõtemptu viginti Epiſcopos fidei Catholicæ contra Arrium aſſertores Adrianopoli ſuam expectare regreſſionem iuſſit, *vt cùm,* inquit, *vniuerſa Reſpub. fuerit bene diſpoſita* (ſpecioſum hercle prætextum) *tunc quæ geſſerint audire poſſimus:* ſed illi videntes ſe dolis eludi Ariminum vbi conuocatum erat Patrum Conſilium, infectâ legatione redierunt. Non deſunt noſtra ætate tales verecundiæ, & comitatis flabuli, quos ſilentio ſatius ſit inuoluere. Non quin interdum interueniant impedimenta, quibus neceſſariò ſolet, aut negari legato admiſſio, aut certè in aliud tempus reijci. Quid enim ſi magnus aliquis ſit, aut ſuperueniat in Aulâ luctus, nonne verius eſt tunc legatum non vrgere eum, qui præter ſolatia nihil ſuſtinet? Notabilis eſt Iulij Publij apud Liuiũ prudentia, qui cum intellexiſſet Regem Antiochum ad quem à Senatu miſſus erat; graui luctu ob mortem filij

Plut.

Niceph. lib. 9. c. 41.

lib. 25.

filij affectum, ne molestiam ipsius ægritudini animi adiungeret, ad suos infectâ legatione regredi maluit. Sæpè etiam accidit vt temporum & negociorum conditio legatum admitti ad Principem non patiatur; aut si admittatur citò à Principe absolui, vt si nimirum vrgentibus alijs, an alijs Reip. negocijs aliò trãsmigrandum sit; tum enim haud erit incongruum, si legatus Principem sequatur, responsionem ab eo accepturus tempore, & loco oportunis. Ita Scipio legatos Carthaginensium adueniented quidem suscepit, at desideria ipsorum non illicò audiuit, verùm Tunetem venire iussit. Eodem modo Principes nostri temporis si quando interueniant legati, nec ratio status exemplò patiatur illos audiri, mittunt qui significet se alio, sed magis congruo tempore pronis auribus mandata ipsorum accepturos, vt contigit nuper Domino de Cheuriers Legato Regis Galliæ misso ad Ducem Sabaudiæ pro confirmanda pace inita inter eum & Regem. Is enim vt aduenit Thurinum, & peractis de more quà publicè, qua priuatim cærimonijs, cæpit ordiri, & exponere causam suæ legationis, at Dux sciens se in verba Concordiæ iurare non posse, nisi demum accepta à Rege Hispan. Iurisiurandi formulâ, inducias aliquot dierum pro mutua & vlteriori sermocinatione petijt: atque intereà temporis aduenit veredarius cum mandatis Regis, iuxta quorum seriem Dux cum legato negocium composuit. Ita sub id tempus dum legati Veneti, Dominus videlicet Donatus, & Delphinus procuratores S. Marci, Lutetiã aduenissent, eidem Henrico IV. Galliæ Regi gratulaturi de suo matrimonio in mandatis dedit Rex Domino de Rhosny, vt ijs indicaret sibi gratum forê si Fontembellacum concederent, præsertim cum vtrique legatio esset communis, & Regina iam tum vterum gestare crederetur. In his igitur similibusq; rerum euentibus, haud ambigendum, quin liceat salua humanitate moram aliquam rebus interponere, dum tempus tamen, quod rerum omnium est primum, id patiatur.

liu. lib. 10.

An. 1601.

## Capvt XXVI.

*In Legatione hostili quæ obseruanda Principi: mandata ab hoste ad Principem suum referre intutum Legato.*

Cæterùm, si legatio missa est à Principe, vel gente minus amica, nihilosecus amicè legati sunt accipiendi, multiformiq; humanitatis officio æque atq; amici tractandi: hoc enim vt inquit Cominæus, ad securitatem, & honestatem pertinet, ac simul eo confert vt quid agant, & quibuscum loquantur, quosq; habeant familiares cognoscatur. Ferè enim

enim in omnibus Principum familijs semper aliqui existunt, qui mutationem aliquam, & res nouas cupiant,

*Vixq́; tenent lacrymas cum nihil lacrymabile cernunt.*

Et quoniam periculi plenum est habere domi suæ hostem, suaserim primo quoq́; tempore eiusmodi legatos dimitti: verum ita, ne quam habeant querendi de inhumanitate occasionem. Sed ne bello quidem exorto sunt intermittendæ pacis rationes, aut repudiandi legati, quin audiendi sunt, ac inuicem ad hostem mittendi, ijsq́; mandatum vt diligentissimè obseruent quid quoq́; tempore geratur, qui cum quibus colloquantur. Crebrò enim mittendum est etiamsi hostis iubeat abstinere deinceps, & commeatu prohibeat. Neq́; enim vllus quantumuis prouidus,& fidus explorator,facultatem habere potest tam multa cognoscendi:atq́; eiusmodi legati,qui cum sint vnus & alter,aut etiã interdũ plures,fieri non potest quin aliquid odorẽtur.Nã qui sunt prudẽtiores Principes, omnem mouẽt lapidẽ,vt apud aduersarios habeãt quosdã à se non alienos. Verũ, si quis tam frequentes mittat internũcios, dicet aliquis,futurũ est vt hostis fiat insolertior. Atqui in eo nihil est mali:& præterea de ipsius rationibus ac cõsilijs cognoscetur semper aliquid.& licet eandẽ rationẽ hostis instituat,& suos inuicẽ mittat nõ tamẽ idcircò desistendũ est, imò vel ob hãc solã causam immorãdũ est legationibus, vt varia,multaq́; cognoscantur, & omnes practicæ omniaq́; hostiũ vaframenta percipiãtur.Postremò, conandũ est vt aduersarios prudentia vincamus.Nam semper melior est prudẽtioris cõditio.Cuius rei Anglis exẽplum proferre possum, quos semper Gallorũ industria vicit Nã & ab Anglis dici solet, bello, & armis se semper Gallis fuisse superiores, verũ cõsilio,tractatibus,prudẽtiã inferiores.Hactenus Comineus;cuius verba ceù cedro digna, vt nõ piguit referre,ita illius mentem,nolim sic accipi,quasi in priuatos lares sint hostiũ legati introducendi.Nã, vt auctor est Cicer.*domũ recipere legatũ hostiũ, in cubiculũ admittere,& reducere,*

Philip. 8. *hominis est nihil de dignitate, nihil de periculo cogitãtis.* Vndè Romani lega-

liu. lib. 44 tos Persei, ne quidẽ intra Vrbem admiserũt,sed Senatu foris dato, ijs vt

Zonar. 2. Italia excederẽt,mandarũt, vndecim dierũ interstitio illis assignato, ad-

Annal. ditũq́; si quid ijs posthac opus esset, cum Publio Licinio Cõsule agerẽt, qui breui in Macedoniam cum exercitu profecturus esset, & nemini in posterũ in Italiã reuerti liceret,comitesq́; adiũcti qui eosdẽ, quo vsq́; in nauim adscẽderẽt,comitarẽtur. Sic nec Melesippus legatus Lacedæmo-

Thucyd. niorũ Athenas missus, in Vrbẽ est admissus,neq́; ei Senatus datus,quòd

lib. 2. ab hoste armato missus esset. Sic Cõstantinus Imp. legatũ Magnẽtij metu

Zonaras

in Cõstant speculationis castris exclusit. Siquidẽ, è forma exercitus ex facili indicabant Romani an is copiosus, an cõtra exiguus esset: nam ex semirotũda

exiguitatem copiarũ, ex quadrata numerosum, ex triangulari numerosissimũ inferebant. Itaq; non temerè admittẽdos hostiũ legatos volunt, præsertim si ex mãdatis terreri aut percelli possint ciues: tum enim consiliũ est vt publicè non admittantur, aut à pluribus spectentur vel audiantur: seorsum potius & extra populi coetũ mandata excipienda, ne arbitrio istius pondus legationis cõmissum videatur. At quid tempore belli? Certè, in castra minus recipiendi, vt exẽplis ostendi: excipio nisi Admittentis sint validiora: hic enim legatis peruia illa redderem, imò vbiq; perlustrãda, vt factum anno salutis 1576. apud Andreoniam (Poloniæ opidũ). Cõuentus ibi erat equestris ordinis, quo multi mortales cõuenerant. Inibi Rosembérghius illustris eques Bohemus à Maximiliano Cæsare legatus ad Polonos per media castra, interq; equitũ confertissimas turmas exceptus, productusq; est ad locum vbi Senatus frequẽs cõsederat, hoc cõsilio vt is rem omnẽ vt erat apud Cæsarẽ expromeret, id quod memorat Carolus Pascalius Regius Cõsiliarius, & pluſculis exẽplis idẽ cõfirmat monitũ. Ne tamẽ legatio sperni, quadantenus videatur, si aditus ad priuatũ Principis cõgressum præcludatur, consiliũ est vt Princeps simulato vel morbo, vel aliquo grauiori impedimento deleget qui excipiat, audiatq;. atq; hoc exemplo Antiochus legatos Senatus non audiuit: sed id negotij mãdauit Principibus amicorũ, & quidem cum Minius, cui præ cæteris data erat ea cura, ea respondisset, quæ Antiochus ausus esset: tum Sulpitius legatus: *Fecit verecundè*, inquit Antiochus, *qui si alia pro causa eius non erant quæ dicerẽtur, quèlibet ista, quam se dicere maluit.* Hoc modestè Principibus; illud ministris Principũ amicè: intutũ valde esse, nõ impetrata prius fide publica proficisci per hostilem regionẽ: deinde odio etiam plenũ mãdata ab alio, quam suo Principe accipere, multo magis verba, vel scripta cum hostibus, illorumve legatis cõferre: quippè quod nõ careat perfidiæ suspitione, Principe suo imprudente negotio hostili, aut aliũs potestatis implicari. Hinc apud Antiochũ in inuidiã vocatus est Annibal, quod cum eo Romanorũ legati ad Antiochũ missi clanculũ sermonis cõmunionẽ habuissent, vnde factũ vt illũ posteà ceũ hostẽ, ac proditorem suũ oĩs cõsilij expertẽ fecerit, vt auctor est Iustinus. Huius quoq; documẽti nõ nescius fuit superioribus annis Dñs de la Guiche pręfectus Vrbis Lugdunẽsis, cui cum Comes de Viesque Ducis Sabaudię legatus litteras sui Dñi dedisset, illas è vestigo Regi misit: qui factum illud dilaudauit, atq; epistolari monito admodum notãdo, sic illum erudiuit. Nequaquam erat necesse inquit litteras illas ad me mitterẽ, vt dę tua fide mihi constaret, cui ita certa atq; spectata est, vt neq; his, neq; cuiusquam litteris in dubiũ queat reuocari. Tametsi qui prudẽtiores sunt Principũ ministri, haud temer vnquam

Liu. lib. 35.

Iustin. lib. 31.

An. 1602.

recedunt ab antiquis Formulis, in queîs non eſt poſtrema iſta, nihil videre, aut recipere ab exteris Principibus ſuo inſcio, atq; inconſulto. Enimuerò à priſca illa Gallorum ſimplicitate ne latum vnguem recedendum, qui vt omnis doli expertes erant, ita non norant duabus ſedere ſellis, vt pleriq; hodie ſolent eſſe Prothei, atque in omnem vertere ſpeciem. Maiores quidem veſtri pro ſummo habuiſſent probro, Principis alicuius litteras accipere, niſi illas illicò ad Regem mitterent, quò, illius ſuper reſpóſo explorarent voluntatem. Nunquam non inter verba honoris, & adfectus, quæ extremo epiſtolæ ponuntur excepiſſent Principis perſonam, vt quæ ſola ſolidum miniſtri officium poſtulat, nec alteri cuipiam patitur communicari. Magnum inſuper erat magnanimitatis ſpecimen, aliorum Principum recuſare liberalitatem, illorũq; munera ſi non aſpernari, at negligere: *quod celſiore ſit animo is*, vt inquit Aelianus, *qui non capit, quam qui donauit*. Sed hac de re alibi commodior dabitur ſcribendi anſa. Præmiſsis affine eſt, quod prudentibus notatur, Legatum in reditu ad ſuum Principem haud quaquam debere alia mandata ab eo qui aditus eſt accipere, niſi negotium ob quod miſſus eſt tangant: quod alioqui res ſit non caritura fraudis ſuſpitione, maximè Principes apud exteros, nec vllo conſanguinitatis, affinitatis, aut amicitiæ vinclo copulatos: quod ipſum alibi commonuiſſe me ſcio.

lib. 5. Var. hiſt. cap. 5.

## CAPVT XXVII.

*Quo ordine Legati excipiendi.*

LEgatis compluribus, ijſq; diuerſorum Principum admiſsis, dubitatur quo quiq; ordine ſint audiendi, quibuſq; primùm dicendi poteſtas ſit danda. Hoc moribus receptum eſt, vt primùm qui cæteris dignitate eminent audiantur. Alexandri magni docemur exemplo, quod tale ex Diod. Siculo: Sequenti anno, quo Athenis Ageſias imperauit, & Romæ Conſules fuerunt Q. Popilius, & Papirius acta eſt Olympias 114. victore Micina Rhodio ex oĩbus fere orbis terrarũ partibus Legati ad Alexandrum venerunt, aliqui vt ea quæ fœliciter geſſiſſet gratularentur, alij, vt coronas offerrent, nonnulli, amicitiam & ſocietatem petituri, à multis ſplendidiſsima offerebantur munera: quidam etiam de obiectis criminibus expurgatum venerant. Nec tantùm nationes, populiq; & Principis Aſiæ diuerſi legationes miſerant: ſed & pleriq; etiam ex Europa, & Aphrica. Hinc quidem Carthaginenſium, hinc Phœnicum gentiumque omnium iuxta mare ad columnas vſq; herculis habitantium; Illinc autem Græcarum plurium Ciuitatum

lib. 2. de geſt. Alex.

Macedonum Illyriorum. Denique, missæ ab his, qui vicina mari Adriatico incolunt à Traciæ gentibus, ac Gallis conterminis, quæ gens nunc demum cœpit innotescere. Alexander auditis omnium legatorum voluntatibus, constituit quibus primum, ac deinceps per ordinem ab se respondendum esset. Primi expediti sunt qui sacrarum rerum causa venerant. Secundi, qui munera attulerant; Tertij quorũ tractatio erat de obsidibus. Quarti quibus de priuatis negocijs agendum. Vltimis fuit locus exulum detrectantibus restitutionem. Ante omnes autem Hammonij, Delphici, Corinthij, Epidaurij, & alij quidam ob dignitatem sacrorum de quibus agebãt cognitionem, &responsum obtinuerunt. Cunctiq; in vniuersum legati benigna, ac liberali responsione, quantum eorum negotia patiebãtur, vt læti, ac bene erga se affecti dimitterentur, studuit. Hactenus Siculus, ex quo quid olim factum, quidq; hodie fieri debeat perspectum habemus.

## Caput XXVIII.

*De audiendis suffragijs Consiliariorum in Consilijs publicis, in queis admißi Legati.*

AVditâ Legati propositione, consilia inuestigãda sunt, discutienda, ponderanda, singulorum deniq; consiliariorum sententiæ eliciendæ. Bifariam autem sententiæ, seu suffragia exquiruntur: vno modo secreto: altero, aperto. Secretus exquirendi modus is est, cum Senatores tabellis vel calculis sententiam suam clam promunt, eamq; in vrnam conijciunt. Apertus, cum voce, aut externo aliquo signo, nimirum assurgendo, capite annuendo, aut quo simili modo cuiusq; opinio profertur. Vter autem altero præstet, paucis est nobis disquirendum. sunt qui priorem modũ præferant, cum liberiora videãtur suffragia, nec nemo quisquam eo vtens odiũ vel offensam Principis, vel legatorũ metuat. Hanc ob rem Romani veteres permultis annorum curriculis vsi fuerunt aperto isto suffragandi modo, licet postea alter in mores receptus sit, & latæ leges tabellariæ quibus suffragia occultabantur, quo quisque liberius ex animi sui sententia loqueretur: vnde eiusmodi tabellæ *Indices tacitæ libertatis seu vindices libertatis* sunt appellatæ. *Si populo est grata tabella*, ait Cicero, *quæ frontes aperit hominum, mentes tegit, dantq; eam libertatem vt quod velint faciant.* Augusto Cæsari hunc modum suadebat Mæcenas: *In grauioribus causis, sentẽtias non apertè rogabis, ne necessarijs suis fauentes non liberè quid sentiant pronuntient; sed in tabellas eas scriptas ad te solum, ne cui alij, innotescant perferri, ac deleri statim lectas iube. Sic enim vniuscuiusq; sententiam certißimè cognosces, si eam illi à nemine alio cognitum iri persuasum habeant.*

Cic. 2. de l. agra. Orat. pro Planc.

Apud Dio lib. 52.

In Nero cap. 15. Idipſumque Neronem vſurpaſſe Tranquillus Suetonius auctor eſt. Verum enimuerò apertam ego ſuffragādi viam ſecretæ prætulerim: quādo conſiliarij procliuius iſtâ corrūpantur, quam aliâ; cum non ignorent eorum ſuffragia occultanda iri, vel ſi adhæreant ſententiæ nequiſsimi, aliter atq; cum verbis ea palam ſunt pronuntianda: tum enim pudore & verecundiâ plerumq; deterrentur vt non audeant id palam cenſere, quod occultis cogitarent, vel auderent ſuffragijs. Vnde Cicero in ea eſt ſententia, *nihil vt ſit in ſuffragijs voce melius.* quod & alibi teſtatur, dum inquit: *Sic à me lex eſt recitata de ſuffragijs, optimatibus nota, Plebi libera ſunto: quæ lex hanc ſententiam continet, vt leges omnes tollat, quæ tegunt omni ratione ſuffragium.* quod videtur à Platone mutuaſſe, qui in ſuis legibus ſtatuit vt ſuffragia manifeſtè ferrentur. Vnde mirum non eſt ſi Hæbrei poſtpoſita illa via ſecretiore, apertam ſint amplexati, quippe qui in ferendis ſententijs iuniores prodire, ſeniores ſubſequi iuberent: ne pudore vitioſo iuniores, antiquioribus contradicere non auderent: quod & in ampliſsimo ordine Pariſienſi obſeruari ſcribit Lyranus: & in Conſiſtorio ſeu Camera Apoſtolica idem ſeruari prodidit Illuſt. Card. Paleottus. Nec mouet quod ſupra adduximus, occultis ſuffragijs magis libertatem, ac fidem retineri Conſiliorum. quoniam id ſimpliciter verum non eſt, imò vitioſum ſuffragium occultari, nec dari Principi materiam deliberandi, ſi rationes, & argumenta ſecretâ hac viâ ſupprimantur. Quid quod non ſatis ſit rem quæ in Senatu proponitur ilicò probare, vel improbare, cum altiorem interdùm indaginem expoſtulet. vnde rectè & ex vero dixit Paulus Caſtrenſis: *Ea eſt aromatum natura, vt quò magis contrita ſunt, eò magis redoleant, ſic & virtus quanto magis conteritur, & oppugnatur, tantò magis expulſis nebulis in lucem progreditur.* Porrò in excipiendis in Concilijs Imperij Principum ſententijs annotatur, vt palam quiſque dicat ſuam ſententiam, quam in conſeſſu Principum, & ordinum inferiorum per Marſcalchum à Pappeſthaim tanquam vices eius gerentem excipit Dux Saxoniæ. In concilio autem Principum Electorum Archiepiſcopus Moguntinus, & Dux Saxoniæ alternis vicibus, ordine quo inter eos pactum, & conuentum eſt, & ſe viciſsim, & alios cuius ſententiæ ſint rogant, vt ſcriptum prodidit Conrardus Brunus.

[Marginal notes: lib. 3. de leg. — lib. 9. de leg. — De S. Conſiſt. Cōſult p. 5. q. 3. — Conſil. 13. vol. 1. — de leg. lib. 5. cap. 5.]

CAP.

## Capvt XXIX.

### *De Responsis quæ Legatis dantur: qualia illa? eaq; non præcipitanda.*

ADmiſsionem legatis abnuere ſatius ſit, quam illis in Cõcilium
admiſsis citra reſponſum remittere. Nempe contemni ſe exiſti-
mant à quibus legatio miſſa eſt, ſi ipſorum legati non aliquo reſpon-
ſo dignantur. Dantur autem reſponſa interdum miniſterio alicuius
primarij Aulici: vt ecce cum ad Romanos Legati Antiochi Regis ve-
niſſent, vbi eos humaniter excepiſſent L. Quinctio iuſſerunt vt il-
los attentius audiret, ipſiſq; reſpõderet *quæ ex dignitate* (verba Liuij)
*atq; vtilitate populi Romani reſponderi poſſent.* Siue autem Princeps, ſiue
alius Principis nomine reſponſa det, curæ pretium ſit, vt breuia ſint, lib. 34.
& laconica. Hinc inter elogia Theodorici Regis Gothorum illud
eſt, quod intromiſsis gentium legationibus audiebat plurima, reſ- Sidon. A-
pondebat pauca. Sed & ſint nonnunquam obſcura, cum nimi- poll. lib. 1.
rum res dubiæ ſunt & parum expeditæ earumque reſolutio pen- Epiſt. 2.
detà mora. Vtrobiq; humana ſint, non ferocia. Nihil enim in Princi-
pe vtilius eſt, & ad laudem præſtantius, quam reſponſis humanitate
plenis, vel infimæ ſortis homines ab ſe dimiſiſſe. Romani, tametſi
rerum arbitri, mollia ſemper reſponſa legatis dabant. Tiberium te- Tacit. 2.
ſtor Cæſarem, qui Rhoſcupori Thracum Regi, homini alioqui de- Hiſt.
terrimo, mite, breueq; reſponſum dedit: *ſi fraus abeſſet*, inquit, *poſſe
eum innocentiæ fidere. Cæterùm neq; ſe, neq; Senatum, niſi cognita cauſa, ius
& iniuriam diſcreturos; ad ſummam, molliter reſponſum.* Singularem in-
quies humanitatem. erras: Nam ecce ad eoſdem mittuntur Roma-
nos Parthorum Legati, qui irriti quidem remittuntur, cum donis Id. lib. 15.
tamen. Celeberrimus eâ re quoq; Scipio prædicatur, qui tot fortu-
næ acerbitatibus iactatus, & caſuum varietate fatigatus, in ambiguis
Hiſpanorum legationibus modeſtiam, & maieſtatem adeò retinuit,
*vt nullum ferox verbum excideret.* Rhodij præ Romanis imbelles, Ro- Id. lib. 26.
mam legatos mittunt, cum petulanti mandato, niſi contra Perſeum
bello deſiſterent, *aduerſus Romanos, quid ſibi faciendum eſſet Rhodios con-
ſideraturos eſſe.* Immane quantum exacerbauit Romanos hæc legatio,
*quæ ue nunc quidem*, inquit Liuius, *ſine indignatione legi audirive poteſt.* Et Lib. 44.
nihilominus quæ modeſtia fuit Romanorum, munus paulo ante fe-
rocientibus legatis miſerunt. Hanc humanitatem, & iſtiuſmodi be-
nigna reſponſa minimè ſentiunt, qui ſuo vitio bello attriti ſunt. Idem
Scipio petentibus pacem Carthaginenſium legatis, eam quidem de- Liu. lib. 10.
dit: ſed non niſi acri cum caſtigatione, & monitis perfidiæ. *vt cladibus*

*edocti tandem Deos, & Iusiurandum esse crederent.* Sic Alexander Legatis Darij: *Nunciate* inquit, *Dario gratiarum actionem apud hostem superuacaneam esse, meq; quæ clementer, & benignè fecerim, non amicitiæ eius tribuisse; sed naturæ meæ.* Non absimiliter Consul Romanus Aetolorum legato qui dixerat eum imprudentiâ labi, qui ea iuberet quæ non essent in more posita apud Græcos, *nec Hercle*, inquit, *magnopere, nunc curo quid Aetoli satis ex more Græcorum factum censeant, dum ego more Romano Imperium habeam in deditos, modo decreto suo, ante armis victos. Itaq; ni properè fit quod Impero, vinciri vos iam iubeo, afferriq; catenas, & circumsistere Lictores iussit.* Idem Scipio legatis Antiochi pacem postulantibus eam se dare testatur, qualem victores solent victis, idque verbis aliquanto ad hoc asperioribus: *Postquam Hellespontum*, inquit, *traiecimus, priusquam Regia castra, priusquam aciem videremus, cum communis Mars, & incertus belli euentus esset, de pace nobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus.* Deinde datis pacis legibus, addidit: *In deteriori sua fortuna pacem faciet Rex, quia serius facit, quam facere potuit; si nunc remoratus fuerit, sciat Regum maiestatem difficilius à summo fastigio ad medium detrahi, quam à medijs ad ima præcipitari.* A Rege Macedonum vrgebat per legatos Agesilaus transitum; & cum se deliberaturum respondisset, ergo deliberet, inquit, sed nos interim transeamus. Eiusmodi responsa haud dedecent magnos Principes; quibus si quid in responsis peccatur, est obtentui, & auctoritas, & circumfusa negotiorum multitudo. Multò minus dabitur probro Principi, si indiscretâ, & ineptâ loquacitate & legati petulanti arrogantiâ sit accersitus. Legati Romani apud Gallos cum gloriâ, & magnitudinem Imperij Rom. extulissent, ac petijssent ne Pœno bellum Italiæ inferenti per agros, vitesq; suas, transitũ darét, tantus cum fremitu risus inter eos exortus est, vt vix à Magistratibus, maioribusq; natu iuuentus sedaretur; adeò stolida impudensq; postulatio visa est. Sedato tandem fremitu responsum legatis est, *neq; Romanorum in se meritum esse, neq; Carthaginensium iniuriam, ob quæ aut pro Romanis aut aduersus Poenos sumant arma. cõtra, audire se gentis suæ homines agris, finibusq; pelli à Romano populo stipendiumq; pendere, & indigna pati* Eiusdem farinæ Abderitarum Regis fuit responsum, qui legato plurima locuto, cum is tãdem destitisset, rogaretq; quid Ciuitati renunciaturus esset, Te, ait, *tacenti mihi tamdiu obstrepuisse, ac meã partem orationis exsecutum esse.* Stolidus certè, & vanus qui rabulam forensem, quam Oratorem agit: cum non tantum non persuadeat, sed etiam audienti Principi opidòquam molestus sit, varijs vtpote curis negotijsque di-

Liu. lib. 10. belli Pu.

Id. lib. 7. belli Mac.

Id. lib. 2. belli Pun. Liu. lib. 2. belli Pun.

Plut. in Apoph.

ſtricto Vt vaſcula inania maxime tinniũt, ſic quibus eſt minus men-
tis,eo plus eſt loquacitatis :contra quibus eſt minus loquentię eò plus
eſt ſolertię, atq; prudẽtię. Et hinc fit vt loquaculus legatꝰ, vel ridicu-
lo habeatur, vel dimittatur abſq; reſpõſo,vel pręcidatur,occupeturq;
illius ſermo.Labatus Lacedæmonius cuidam, cuius grau abatur mul-
tiloquio : *quid mihi*, inquit, *in re puſillâ longa texis prœmia*? Cauſa    Zonaras in Aug.
quamobrem Auguſtus Cæſar Antonij legatis poſt Actiacam victo-
riam ad ipſum identidem miſsis, non reſpõderit,eorum multiloquio
nonnulli imputarũt.Ita Senatus Rom. legatis Philippi,*lõgiorem exorſis*    liu.lib.22.
*orationem, breui interrogatione, ſeſſuruſne ijs tribus vrbibus eſſet, ſermonẽ in-*    Paſcha. in
*cidit.* Manum de tabula tollebam, cum vnũ, & alterũ occurrit docu-    ſuo leg.
mentum, quo Politici monent Magnates, ne nimiopere feſtinent in
dandis reſpõſis, præſertim vbi res grauiores ex inopinatò proponun-
tur : Ponderanda, diſcutienda,diſcernenda,& conto prudentiæ inue-
ſtiganda. Vt Cocleæ lentè ingrediuntur, nec domicilio ſeſe exerunt,
aut vſquam ſe mouent,teſte Plinio, niſi cornibus prætẽtarint : ita ſa-    lib.9.c.32.
pientem eſſe cunctabundũ decet, & pedetentim aggredi negocia,cum
ſemper præcipitantia boni conſilij ſit nouerca. Ab Ageſilao Rege vr-    Plut.
gebant legati Thebani, vt ſibi reſponſum daret: quibus ille, *Annon
ſcitis*, inquit, *cum ſeria res agitur in mora multum eſſe concilij*? legatis Rom.    liu.lib.1.
& Athenienſiũ bellũ aduerſus Philippum Regem ſuadẽtibus Aetholi    bellt Mac.
pro reſponſo dixerunt, rem concilijs nullam eſſe tam inimicã quam
celeritatem:celerem enim pœnitẽtiam, ſed tãdem ſeram, atq; inutilẽ
ſequi, cũ præcipitata raptim cõſilia,neq; reuocari,neq; in integrũ re-
ſtitui poſſent. Ideò veteres in grauioribus diſceptationibus, plerũq;
*ſibi non liquére* dicebãt, *& ſe maiore ad deliberandũ ſpatio indigere.* Nam ho-
mines quantumuis acumine ingenij valeãt,non ſtatim tamen tẽporis
momẽto ea omnia quę ad rem pertinẽt percipere poſſunt.Cum enim
duplex modus, ( inquit eruditiſsimus Card. Paleottus ) intelligendi    de S.Cõſiſt
in creaturis reperiatur, alter Angelorum proprius, qui protinus,ſine    Conſul.p.
vlla mora, & labore res ipſas percipiunt per ſpecies à Deo intellectui    4.q.5.
eorũ initio infuſas,vt ex ijs quæ naturaliter primo cognoſcũt, ſubitò
ea omnia quæ ſubſtãtialiter,aut accidẽtaliter (vt aiũt ) rẽ cõſequũtur,
eodẽ momẽto cõprehendãt : alter eſt hominis,qui vt res cõprehẽdat,    D.Tho p.
neceſſe eſt vt phãtaſmata ſpeculetur, ac aſsidua meditatione paulatim    1.q.56.
quę rebus inſunt, per ſpecies à rebus ſenſibilibus abſtractas inueſtiget.    art.6.
Sicut ergò agricola vt fructus vberiores colligat iterũ,atq; iterũ agrũ
aratro ſubigit,ita oportet hoĩes,vt apertius rẽ intelligãt tota mẽtisacie
illã ſępiſsimè,ac diligẽtiſsimè cõſiderare. Hinc Calixtꝰ Papa dicebat:

Nos

cap. Pōderet. 10. dist. *Nos tempore indigemus, vt aliquid maturè agamus, non præcipitemus consilia, & opera nostra, neq; eorum ordinem corrumpamus.* Deniq; vbi Principum res sunt dubiæ, & hauddum in vado constitutæ, consilium est vt responsa item dentur dubia allegorijs obscurata & Delio natatore digna. Tale fuit responsum à Senatu Rom. datū Achæis, & Lacedęmonijs, quod abstruso adeò sensu fuisse Liuius testatur, vt Achæi sibi de Lacedęmone permissum acciperent, & Lacedęmonij non omnia concessa ijs interpretarentur. Responsa inquam in eiusmodi euentu more carminum Sybillinorum inueniri debent, quæ adeò artificiosè contexta fuisse perhibentur, vt quicquid accidisset ab illa Sybilla, vt Cicero scribit, prædictum fuisse censeretur. Consimilia responsa pleriq; danda esse censent vbi terror incutiendus. nam vt in tenebris omnia timori sunt magis obnoxia, ita orationis vt sic dicam tenebræ terribiliora reddunt ea quæ proponuntur. hoc videntur secuti Lacedæmonij cum ad Philippum ita scripserunt: *Lacedæmonij Philippo. Dionysius Corinthi.* quo obscuro mordaciq; dicto innuebant Dionysiū propter impotentiam dominandi regno exutum, & Corinthi priuatam vitam agere; Philippum si pari dominatu Lacedæmonas regat, similem exitum manêre. Haud absimile illud Demetrij ad Locrēses: *Faxo, Cicadæ apud vos humi cœnant.* quâ allegoria significabat totam à se illorum regionem vastatum iri. Hoc Principibus; istud legato, vt huiusmodi respōsa non ei vnde missus est referat, sed scripto mandari postulet, ne obscuritas illi in mente nata, non à Principis qui aditur calliditate profecta videatur.

lib. 26.

lib. 2. de Diuinat.

## CAPVT XXX.

*Legatus esto interdum Conuiuator.*

INter alia quæ Legato beneuolentiam, & cultum pariunt, libentiam esse putant conuiuiorum. *Est enim vt mihi quidem videtur*, inquit Cicero, *valde decorum patêre domus hominum illustrium, hospitibus illustribus.* Aedes Legati, ædes Cydonis esse cuperem. Nam ex tempestiua hospitalitate ac conuiuijs, & mutuis nobilium officijs, commoda dari solet facultas inquirendi de statu Reipub. quæ legatione aditur. Hacque de causa non tantum Aulicos primæ notæ, verumetiam regios ministros epulis suis adhibebit, multisque humanitatis officijs excipiet. Igitur cum illis familiariter sermocinabitur; his dotes egregias tam sui, quam ipsorum Principis commemorabit, cum illis etiam comiter versabitur, vbi muneribus donabitur, sed & vicissim remunerabit;

nerabit; his litteras alicundè allatas communicabit; illis mentem ſuam aperire ſimulabit, vt pectoris aperti arcana introſpiciat; omnes deniq; læta fronte, ambabuſque vlnis excipiet; & Simonem illum Terentianum aget:

*———Facile omnes perferre, ac pati*
*Cum quibus erit, cumq; vna ijs ſeſe dedere,* And. act. 1. Sc. 1.
*Horum obſequi ſtudijs, aduerſus nemini,*
*Ita facillime,*
*Sine inuidia inuenias laudem, & amicos pares.*

Scio legatum publicam hoc eſt ſui Principis perſonam ſuſtinere, quam proinde circumſpectè tueri debet, neque committere, vt illius vnquam obliuiſcatur, ſed meminiſſe quoque cedere tempori ſapientis eſſe, relictâque publicâ, priuatam quandoque perſonam eſſe aſſumendam. Nam ſicut illi qui in comœdijs, aut tragœdijs, vt quidam inquit, Cæſarem, aut Pompeium repræſentant eorum videri quamſimillimi cupiunt, finita autem ſcena, relictaque chlamide ad geſtus veſtituſque proprios reuertuntur: ita & legatos in publicis theatris aut congreſsibus ſui Principis cuius perſonam referunt, par fuerit recordari: poſtea, ad priuati hominis perſonam redire, nequaquam ab illius dignitate alienum eſt. Etenim publicum cum priuato decoro ita eſt miſcendum, vt nec ſupra conditionem noſtram nos vnquam efferamus, nec nimium dimittentes, grauitatis noſtræ, & Principis à quo miſsi ſumus dignitatis penitus obliuiſcamur. Hoc vero cum in omni vita, tum maxime in conuiuijs, quæ ne tranſeant in commeſſationes, rectè prudentiores monent: ne ſpecioſo aliqui conuiuij prætexto, in turpes, & legato indignas debacchationes prolabamur. Ac licet eæ excuſationem mœreri videantur, præſertim apud Septemtrionales, quòd per liberaliorem potationem arcana aliorum eliciantur, attamen non eò minus à periculo ſunt immunes: cum ij ipſi vbi mero incaluerint ſæpius proferant quod poſt paulò eos pœniteat. Non ſum quoque neſcius dandum eſſe interdum iocis locum, & recedendum à ſeueriore illa ſobrietate ſolutioris vitæ exprobratrice: aſt, vt in omnibus, ita in hoc, modus eſt adhibendus. *Miſce*, inquit Horatius, *ſtultitiam conſilijs breuem*: rectè breuem. Nam neque diu, aut ſæpe ad liberiorem vitam, aut potationem proſiliendum eſt, *ne animus malam conſuetudinem ducat, & tamen in exultationem libertatemq; aliquando extrahendus, triſtiſq; ſobrietas remouenda pauliſper.* Tempori magis ſeruiet legatus, quam abdomini, & vultum madido aſsimilet, ne quæ à madidis licenter dicuntur, aut

Senec. de Tranq. animi c. 15.

fiunt

fiunt ipse sobrius annotare videatur, sicq; molestus morosusve conuiuator existimetur. Equitis illius Romani meminerit:

Tibull. lib 1. eleg. 6.

*Sæpe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam*
*Sobria supposita pocula victor aqua.*

In strepitu tamen luxuriantis mensæ cauebit ne quisquam suorum in obscœnitates, & lasciuias prorumpat, quin Sertorium illum Romanum imitetur, quem suos admonere solitum legimus, ne quid in conuiuio præter decorum committerent, imprimis verò à iurgijs, & obscænitate sibi temperarent. *Neq; enim obscæna petulantia mensis Principum ( & legatorum ) oberrare debet : sed benigna inuitatio, & liberales ioci.* addo equidem ne nimioperè indulgeat multiloquio : nam considerato, & cocto paucoq; sermone vti, id verò prudentis esse viri iudicatur. Marci quidem Varronis mihi placet opinio, scribentis, nec conuiuas loquaces esse oportere, nec mutos: *quia eloquentia*, inquit, *in foro est apud subsellia; silentium verò non in conuiuio, sed in cubiculo esse debet. Sermones autem id temporis habendos esse censet, non super rebus anxijs aut tortuosis : sed iucundos, atq; inuitabiles, & cum quadam illecebrâ, & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & amœnius.* Procax verò locutio, scurrilitas, & acerbæ facetiæ, imprimis legato vitandæ, vt & multo magis praua illa calumniãdi libido : imo ne quisquam præsente se alterius honorem depeculetur prouidebit, ne dictis ipse adstipulari videatur. *Eijce*, inquit sacer Codex *derisorem, & exibit cum eo iurgium cum omni dedecore.* Laudantur Cretensium mores, qui post cœnam de rebus publicis primum consultare solebant, postea de rebus in bello gestis, eosque laudabant qui viri boni, & fortes fuerant, iuuenes interim ad probitatem strenuitatemque simul adhortantes. Sed nec illud omittendum est, legatorum mensas exquisito epularum genere instructas esse debere; quippe si aliorum erga se humanitati non respondeant, pariaque non faciant, mox in suspitionem auaritiæ venient, qua nihil est fœdius legationem administranti. Cum enim illius Principis vnde missus est præferat maiestatem, nihilque magis Principem addeceat, quam liberalitas, & rerum omnium magnificentia, haud dubiè Principem suum non parua afficit iniuria, qui sordidè, & illaudatè in tam laudabili munere se gerit. Vnde cauendum censebat ille Cato, ne maior cura marsupij, quam vitæ, & dignitatis ratio haberetur. Luxus tamen vitandus sit : nam moueri, & dissolui esculentis, & poculentis, vt Xenophon inquit, porcinum quiddam, & immane videtur. Siquidem vt animal illud non nisi luto, sordidoq; cœno delectatur; ita is qui nimiopere saginæ intentus

Apud Plut

Plin. Paneg.

Apud A. gell. 13. noct att. cap. 12.

Prouer. 12.

Athen. lib 4. cap. 5.

Xenoph. lib. 5.

intentus est, non potest non immergi volutabris vitiorum. vnde rectè D. Hieronymus dicebat: *venter æstuans vino, facile despumat in libidinem.* quo spectat illud D. Ambrosij, *pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur.* Optandum est, si non sperandum, legatorum aliorumque magnatum mensas esse eiuscemodi, quales tempore nascentis Ecclesiæ, de quibus Tertullianus, cuius verba quando Christianus loquor, haud pigebit referre: *Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittitur, non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. editur quantum esurientes cupiunt; bibitur quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint, etiam per noctem ad orandum Deum sibi esse: ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Aequè oratio conuiuium dirimit; inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neq; in classes discursionum, nec in eruptiones lasciuiarum: sed ad eandem curam modestiæ, & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quam disciplinam.*

De Pœnit. 2. c. 14.

Apolog. aduersus Gentes.

## Caput XXXI.

*Legatus an intersit aliorum conuiuijs, & quid in choreis, & saltationibus?*

QVemadmodum dignitati legatorum expedit non nimium se præbere conuiuatores, ita quoq; ne crebrò sint alijs cõuiuæ è re est bonæ famæ: sed vbi, vt sint, & tempus, & ratio status postulat, quæri solet, an quæ comites solent esse conuiuij choreis interesse possint? Equidem, cum choreæ & saltationes apud omnis æui gentes inter adiaphora censeantur, imò in laude apud plerasq; ponantur, non video quid obsistat, quominus eiusmodi laxamentis queant animum relaxare. Sint eiusdem animi atq; iudicij vt Agricola ille Taciti, qui *tempora curarum remissionumq; diuidebat: vbi seria poscerent, grauis, intentus, seuerus: vbi officio satisfactum, nulla vltra potestatis persona, tristitiam & arrogantiam exuebat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut seueritas amorem diminuebat.* Huius genij videtur fuisse sapientissimus ille Socrates qui tantum abfuit vt saltationem duceret vituperandam, vt inter illius documenta legamus hanc quoque esse perdiscendam, velut insit multum voluptatis in apto concinnoque motu, & corporis afformatione composita, nec erubuit iam magno natu vir inter disciplinas serias habere saltationem, ipseque eam frequenter vsurpare, vt ex Xenophonte testatur Athenæus.

Coel. Rho. 5. antiq. lect. c. 3.

lib. 1. c. 16. Quid mirer ſapientem ſaltaſſe? cum Apollinem Pindarus orcheſten dicat, id eſt ſaltatorem, quod & Homerici comprobarunt hymni. Quinimò etiam alicubi ſaltantem comperias Iouem Deorum, vt veteres volebant Principem. Hinc pleriq; Principes, qui Græcis Διογενεῖς id eſt Ioue editi, ſiue etiam Διοτρεφέες Iouis alumni dicebantur, ſaltationibus mirè addictos fuiſſe legimus, vnde Periclem Thucydides, Antiochum Regem Demetrius, Sceppius Pyrrhum, Achillis filium Coelius, Epaminondam Thebanorum Ducem Alexander, Caligulam Cæſarem Dion, alijque alios ſaltitaſſe ſcribunt. Perſæ quoq; ſicuti equitare, ita & ſaltare diſcebant, modulatam id genus corporis motionem robori plurimum conferre arbitrati. Recentioris tamen æui Principes ab illa multum abhorruiſſe in comperto eſt, vt in Alberto, & Friderico Imperatoribus, & Alphonſo Neapoli Rege conſtat, quorum iſte cum argueretur quod cum à ſaltatione tantoperè ipſe abhorreret, in aduentu tamen Friderici Imperatoris tertij cum ipſo Imperatore, & Leonora Auguſta ſaltitare palam viſus eſſet, reſpōdit eum quidem qui luxuriæ cauſa ſaltaret, ſtultū, & inſanum meritò eſſe: ſed ſi honoris alicuius gratia fieret, reprehenſionem aliqua ex parte effugere, quandoquidem cum magnis viris inſanire decorum aliquando videatur. Noſtro æuo ſi Galliam, Angliam, ac pleraſq; Europæ partes conſideremus, vix eſt vt in vitijs ponantur ſaltationes, imò inter laxamenta animi quæ legatis exhiberi ſolent, primum dici poſſunt. Reapſe hoc oſtendit ſuperioribus annis Regina Angliæ dum Ducem exciperet Birronium ab Henrico IV. Galliæ Rege ad ſe miſſum. Nam dum ipſe conaretur officijs Galliæ Regis reſpondere, nihil non omittebat, quod ad ornamentum dignitatis ipſius legati reſpondere videretur. Vnde inter alia notatum fuit illum ad Reginæ Gynæceum admiſſum fuiſſe, dum cultui corporis operam daret, id quod ante ipſum legato conceſſum fuiſſe nemini ſcriptis proditum eſt. Iam, vt alia omittam, interdiu venationes, noctu ſympoſia, ſaltationeſq; mandato Reginæ ordinabantur, quibus intererat quantum erat virorum nobiliorum, quantum lectiſsimarum Angliæ Nympharum. Quid quæris? erat vt ille, inquit:

Coël. d. cap 5.

Panor lib. 2. de Reb. geſt. Alphon.

An. 1601.

*Maxima lætitiæ pars, & ſplendoris in illis,*
*Saltantum choræis, & dulci munere amoris,* (Panyaſis)
*Quare epulas inter letè potare iubemus.*

Epulas enim, & conuiuia etiam inter ea haberi, quibus Principis, qui aditur, beneuolentia panditur, haud dubium eſt. Teſtatur certè

Cleopatra

Cleopatra apud Lucanum: lib. 10.

*Pax vbi parta Duci donisq́; ingentibus empta est,*
*Excepêre epulæ tantarum gaudia rerum,*
*Explicuitq́; suos magno Cleopatra tumultu,*
*Nondum translatos Romana in sæcula luxus.*

Atq; ab epulari accubatione legatis ea ostendi solêre in comperto est, quæ laudem eius circumferendi qui aditur occasionem præbent; veluti sunt traphæa, manubiæ, signa hostibus erepta, statuæ, gazophylacia, armamentaria, aliaq́; id genus, ex quibus Imperio reuerentia, Principi amor, gloria, maiestas conciliatur, quæ longum sit, & superfluum exemplis firmare.

## Capvt XXXII.

### *De Mandatorum generibus quæ Legatis dantur.*

Acturo hic de mandatis quæ legato dari solent, disquirendum est mihi primum quid sit Mandatum. Inter omnes conuenit Mandatum esse certam legationis conficiendæ formam quæ ijs qui mittuntur dari solet. Vulgus *Instructionem* proprio nomine appellat, ab instruendo quod per eam instruatur legatus vt rem sibi creditam gerat. Dandorum verò mandatorum duplex est ratio: quædam sunt *libera*, seu *absoluta*, & quæ verbo plerumq́; dantur; & his nihil aliud continetur, quam vt legatus suo marte rem expediat, vtpote quæ tota ipsius fidei à Principe committitur: cuiusmodi erant Atheniensium legationes quæ hac formulâ mandabantur: *legati præterea quicquid boni possunt agunto.* Alia verò sunt *definita*, & quæ certis quibusdam litterarum formulis circumscripta sunt. De illis primùm tractandum nobis est. Igitur dicimus libera legatis mandata haud temerè dari, neq́; non nisi de his rebus, quæ aliter expediri non possunt, quam si fidei, & potestati legatorum committantur, hodieq́; magni Principes consueuerunt in rebus grauioris curæ, vel libera mandata sine scripto (datis duntaxat litteris fidei seu credentiæ de quibus postea) vel definita in scriptis, cum facultate tamen pro re nata supplendi quæ litteris mandati continentur, legatis concedere. Tale illud Selymi Othomanni ad Campsorum Gaurium Sulthanum: Mitto ad te Cadilescher legatum meum vt de illo rationem belli Persici totam cognoscas. Non enim cur mihi impedimento esse debeas, quo minus Hismaelem bello persequar, qui tot tantasq́; Asiæ calamitates intulit, inductisq́; nouis superstitionibus Mahometanæ religionis certissimas Ex Epist. Mūdi procerum.

leges deprauare dilacerareq; contendit. Ipsi legato meo in omnibus, & quibuscumq; rebus plenam indubitatamq; fidem adhibeas velim, à quo quicquid fœderis percussum, vel sancitum fuerit, ratum firmumq; esse volo. Ita Carthaginenses legatos suos Romam misisse legimus cum mandatis, vt pro re nata cum Romanis liberè agerent.
Liu. lib. 5. Consimilem in modum Aetolorum, legati ad Consulem Romanum mittuntur, vt quod ex vsu Aetholorum erat cum illo agerent. Itaq; lib. 5. de bell. Gall. pace impetrata in fidem se dedêre Romanorum. Nec dissimili consilio Iulius Cæsar in Britanniam traiecturus Labiênum in Gallia reliquit, diuersis quidem mandatis, sed præcipuè *vt consilium pro tempore, & re caperet.* Solent autem *libera mandata* legatis dari in rebus dubijs, ac celeritatem postulantibus, & quæ magis à casu, quam consilio lib. 1. Annal. dependent. Vide mihi Tiberium Cæsarem apud Tacitum, ac leges Drusum filium suum in Pãnomam ad seditionem militum compescendam *cum primoribus Ciuitatis, duabusq; pratorijs cohortibus misisse, nullis certis mandatis ex re consulturum*: Sed & Claudiũ Cæsarem qui Heluium Tacit. lib. 12. Annal. Priscum in Armeniam (vbi tum temporis res turbidæ) misit *pro tempore vt consuleret.* Nimioplura sunt huius generis exempla, quibus palam fit libera legatis mandata dari pro vsu, & tempore sic exigente, necessitate dico id dictante, & rebus vt dixi creperis & celeritatem exigentibus & quarum procuratio etiam dissita est & longinqua. Ac licet hæc forma suo periculo non careat, attamen in tali euentu sanèquam necessaria est, cum multa exinopinatò eueniant, de quibus nihil in mandatis actum, vel agi, tractarive minus potuit, aut debuit. Quotusquisq; enim est, qui non videat rem multo facilius expediri per eum (dummodo acumine ingenij valeat) qui præsens est, quam qui remotus est? præterquam quod *ex distantibus terrarum spatijs*, vt lib 19. hist. Tacitus loquitur, *consilia post res afferuntur.* Quamquam semper meminisse debet is præsertim qui mandata certis habet circumscripta articulis, vt si res moram patiatur, nihil vnquam statuat, cõcludatq;, quin prius Principis sui sententiam exquirat, aut certè cum intimis ministrorum qui in regione adita consistunt negocium communicet: ita inuidiam defugiet, & offensam Principis vitabit si res minus illius votis respondeat. Atq; hactenus de *liberis mandatis*, nunc de *Definitis.* quæ illa sint, supra ostendimus. Illa autem duobus modis dantur, primò si negocium tractandum legato exprimatur; at modus ipse expediendi, prudentiæ & peritiæ illius committitur. Secundò, si certum negocium eiusque gerendi designata forma, & certis verborum formulis, certusque modus exprimatur, & vtro-
biqu

bique in scriptis datur, adeò vt ne latum quidem vnguem à data formula recedi queat, siue illa de scripto recitetur, siue memoriæ mandetur. Neque enim tam eloquentiæ laus est legato quærenda, quam obsequij gloria, quam demum sibi quisque retulisse putabit, si omnia ex sententia sui Domini exsecutus sit.

## Capvt XXXIII.

*De mandatis apertis seu manifestis, deq; mandatis occultis.*

DIxi mandata tum *Libera*, tum *Definita*, verbo, & scriptis dari. Quæ scriptis, alia sunt *Aperta*, alia *Occulta*. *Aperta* sunt quæ rem vt est explanant, vt bellum indicere, fœdus sancire, gratulationem promere, munus offerre, & id genus multa. *Occulta* sunt quibus arcana legationis continentur, eaque vel mandatarijs duntaxat cognita esse cupimus, vel ne his quidem, nisi præfinito tempore. Talia Amilcar [Paschal. ex Front. cap. 1.] cum classe nauigaret in Siciliam dedit nauium gubernatoribus, & quidem signata: addito, ne quis legeret nisi vi tempestatis à cursu Prætoriæ nauis abductus esset. Sic C. Marius Consul bello Cymbrico, & Teutonico ad executiendam Gallorum, & Ligurum fidem, litteras eis misit, quarum pars prior præcipiebat ne interiores quæ præsignatæ erant, ante certum tempus aperirentur, easdem postea ante præstitutum diem repetijt: & quia resignatas reperat intellexit hostilia agitari. [Id. cap. 2.] Talia denique acceperunt M. Manlius & L. Marius Censorinus Coss. missi in Africam ad tertium bellum Punicum. Atque hæc occulta mandata plerumque eiusmodi sunt, vt præter id quod publicum negotium tangit, singulare aliquod legato detur: quale fuit illud quod Rex Antiochus Byzanthio Heraclidi legato dedit. [liu. lib. 4. bell. Mac.] Nam præter illud mandatum quod ad Roman. Consul. de pace petenda apertè constituerat, illud quoque in mandatis dedit, vt priuatim ea de re Scipionis animum tentaret, ac ad dandum quod petebat, etiam magnificis promissis alliceret: & huiusmodi mandatum nulli mortalium legatus communicat; & ne fortè incidat in alienas manus, secretis solent notis conscribi: imò nec litteris, aut notis exarari: sed verbis duntaxat declarari. In Vlysse legimus nunquam, aut rarò mandata scriptis accipere solitum; vtpote cuius sollertia pro certissimis mandatis erat. Quid, quod pleraque sunt negocia in quibus tanta opus est simulatione, vt ne quidem secretis, seu occultis mandatis,

cutè

tutò committantur, ideoq; qui eum ad quem legatus mittitur circumscribere vult, decipulo debet prius legatum ipsum illaqueare:

Seneca Thyest.

*——Sæpè Reges eos*
*Per quos fallere alium cogitant,*
*Fallunt.*

Nimirum, quò magis vero propiora credimus, eò pressiori pede in illa incumbimus; præterquam qnod non omnis aptam simulatoris personam sustineat. Accedit, quò minus quis periculum intelligit, eò animosius illud suscipit & exequitur: fit etiam circumspectior, dum ab euentu facili laudem & gloriam sperat. Sed hæc decipula in rebus negocijsq; grauioris ponderis vsurpari solent: quæ tecta esse Principis interest, ne intellecta, nullo negocio inuertantur, negligantur.

## CAPVT XXXIV.

*Fines mandati Legatum non debere transgredi.*

LEgatum ad præscriptum illius à quo missus est exequi debere mandata in confesso est. Imperium enim, & auctoritas mandantis vilescit, vbi obsequium illius minuitur. Hinc prudentiores legati ne apud suos Principes offendant rataq; non habeantur eorum gesta, non prius itineri se accingunt, quam Instructionem acceperint rerum earum, de quibus ipsi verba facturi sunt; quin eorum adeò mandatis inhærent, vt ne ab ipsis verborũ formulis, quoad res ipsa patitur, vnquã recedant. Meritò: cum semper capitale fuerit recedere à formula mãdatorũ, etiãsi res alioqui ex animi sẽtẽtia cessura esset. *Aliæ enim sunt legati partes, atq; Imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum; alter liberè ad summam rerum consulere debet.* Docuerũt hoc Athenienses, qui legatos suos in Arcadiã missos, quoniam alia via, quam imperatum erat profecti fuerant, tametsi rem benè gessissent, morte mulctarunt. Ita P. Crassus Mutianus, cum in Consulatu obtineret Asiam Prouinciam, & circumsedere, oppugnareq; Leucas oppidum pararet, opusque esset firmâ, ac procerâ trabe, quâ arietem faceret, quò muros eius oppidi quateret; scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniensium sociorum amicorumq; Populi Romani, vt ex malis duobus quos apud eos vidisset, vter maior esset, eum mittendum curaret. Tum magister ἀρχιτέκτων comperto quamobrem malum desideraret, non vti iussus erat, maiorem; sed quem esse magis idoneum aptioremq; faciendo arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari iussit, & cum interrogasset cur nõ quem iusserat misisset,

l. 3. § in bello ff. de Re milit.

Iul. Cæs. de bello ciuili lib. 3. Aelia. lib. 6. cap. 5. A gell. lib. 1. cap. 13.

causis

causis rationibusq́; quas dictitabat spretis, vestimenta detrahi imperauit, virgisq́; multum cecidit: *Corrumpi, atq; dissolui omne officium imperantis ratus, si quis ad id quod facere iussus est non obsequio debito, sed consilio non considerato respondeat.* Papirius item Dictator, cum aduersus imperium eius Q. Fabius Rullianus Magister equitum exercitum in aciem eduxisset, quamquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque virtute eius, neque successu, neq; nobilitate motus, virgas expediri, eumq; nudari iussit, & reuera acriter cæsus fuisset, nisi à Populo Rom. & vniuersis ciuibus exoratus improuiso facinori, veniam dedisset Papirius: testatus interim non pœnam illam se Fabio, sed Populo Romeno, & Tribunitiæ concedere potestati. Sint igitur legati circumspecti, ne quid vltra, citraque mandati fines exequantur, cum semper intutum sit iussa Principis negligere, aut in hanc, vel illam partem interpretari. Hinc Cæsar dicebat, Syllæ consilium (quem castris præfecerat) non reprehendendum videri, quod suos milites longius Pompeianos persequentes reuocasset, licet non deessent, qui existimarent, si acrius insequi voluisset, bellum eo die finiri potuisse. Semper enim, & auctoritas, & reuerentia Principis iudicio proprio præferenda, imò sic illud volútati illius cedere debet, quemadmodum lutum obsequitur suo figulo. Patrum memoria, cum Rex Galliæ Scotis bellum inferret, Mareschallus de Termes belli Dux quendam gregarium militem, qui primus propugnaculum quoddam iam tum obsessum transcendisset, insigniter remuneratus est: at post paulò eundem quod suo iniussu id tentasset in furcam agi, & strangulari mandauit. Philippus Cominæus cum à Carolo VIII. Gallorum Rege legatus missus esset ad Venetos, vt illos in fide, & amicitia Regis contineret, legati Cæsaris, & Regis Hispaniæ paulò post aduenerunt, qui Venetos ab eiusmodi sententia diuerterent, ac fœdus potius inirent cum Cæsare, Regeq; Hispaniæ, in quo questus vt fuit Cominæus, nec id citra violati fœderis crimen posse Venetos cum aduersarijs societatem coire, illique respondissent non esse ipsorum consilij, aut voluntatis inire fœdus contra Regem, sed potius cum ipso, & cum Maximiliano Cæsare, & Hispaniarum Rege, & cum Italiæ Principibus omnibus velle fœdus facere contra vim, & tyrannydem Turcicam, dissidiaque inter dictum Galliæ Regem, & ipsos Regemque Neapoli tollere his & his conditionibus velle, tum ad ea Cominæus respondit, non esse sui officij nec auctoritatis ea quæ proposuissent acceptare, scripturum omnia diligenter Regi: cui etsi haud inutiles cessuræ erant dictæ conditiones, noluit tamen illis assentiri,

Val. Max. lib. 2. c. 7.

Bellefor.

de bello Neap.

nisi

nisi illius accederet mandatum. Horum igitur omnium exemplis, discat legatus ne quod mandato non inest, vel quod est contra eius formam id faciat vel exequatur. Imò etiamsi non definitam, sed liberam exequendi mandata habeat facultatem, illa tamen vti non debet, si quidem res ipsa patiatur: sed Principem suum reddat de Senatuconsultis certiorem, illiusq; expostulet auctoritatem, vt discipulus potius quam magister, vt quidam inquit, mandatorum videri velit. Cum enim variè admodum accipi, & interpretari soleat legatio, & vix etiam benè meritis exigua interdum referatur gratia, annon satius sit obsecundare nutui sui Domini, quam suæ nescio ea in parte seruire cupiditati? proinde inoleuit haud plane spernenda apud nonnullos consuetudo, vt quæ antea legati iudicio permittebatur oratio, nunc exhibeatur scripto, vt ne transuersum quidē vnguē à præscripta formula discedatur: neque enim tam eloquentiæ laus (à qua paulò longius abest qui de scripto dicit) quærenda est legato, quàm flagrās obsequij studium, quod quisque demum assequitur cum sui Domini mandata diligenter exequitur. Ac licet in differendi vsu, atq; copia, vt & in dignitate actionis, magnum momentum sit positum, maluit tamen nonnemo, etiam his aliquādo caruisse, dum Principis sui gratiam referret. Quamquam consultius est ea dicendi grauitate, atq; copia legatos mittere, qui mentem comodè Principis sui explicent, modo tamen à lineis mandatorum non excidant. Sic superioribus annis cum de restituendo Marchionatu Salutiæ Regi Galliæ, legatos inter Ducis Sabaudiæ, & Regis tractaretur, placuissetque Regi certis conditionibus restitui, qua de re Dux certa dederat suis legatis mandata, inter quos D. Roncas, is tamen hinc inde actis subscribere recusauit, nisi nouis à suo Principe acceptis mandatis, etiamsi alioqui mandato ea comprehensa videantur, sine quo mandatum exequi non potest, quemadmodum hoc pleniore manu refert Petrus Mathæi lib. 4. Historiarum Galliæ.

## CAPVT XXXV.

*Legatus fines mandati transgredi interdum possit?*

SVnt tamen qui existimant fines mandatorum legatum transgredi posse, si vel occasio nouiter oblata, certum rerum successum polliceatur, vel ea interueniat necessitas, quæ Principem à quo missus est adire non patiatur. Nimirum sicpote volunt esse legatum vt nau-

clerum, qui cum remis velisque pafsis portum assequi non potest, commoda saltem velificatione, & obliquis fluctibus littus petit. Inepti enim qui vires suas ab obiecto rerum præsentium metiuntur, vt non audeant quod ex vsu Principis, aut rei sit publicæ de suo quicquam promere. Neq; enim nati sumus æuo seuerioris illius disciplinæ, qua vsi Papirius, P. Crassus, Mutianus, Malnius, Posthumius, & alij homines antiquorum vt sic dicam hominum: satis sit, & abundè si pro re nata consilium legatus capiat, id est pro occasionum opportunitate rem sibi commissam exequatur. Est enim occasio anima actionum, & rerum benè gerendarum mater, cui si ocyus morem non geras, frustrà posteà amissam studeas recuperare, iuxta illud:

*Fronte capillata, posthac Occasio calua.*

vnde pulchrè, ac vere Sophocles adstruit:

*Momentum haud exiguum confert* Philoct.
*Rebus agendis oportunitas;*
*Consilia omnia superat.*

Hinc Respublica Romanorum pro solemni habuit more, vt rebus in dubijs libera suis daret Ducibus mandata cum cautione hac, *Ne Respublica aliquid detrimenti caperet.* Quid quæris? Cæsar ipse liu. lib. 2. quoties res ita postularet arbitrio suorum legatorum relinquebat, *vti rerum euentu*, quod docuit in Labieno, qui cum certiorem ipsum fecisset, quod illi mandauerat, non sine grandi periculo exequi posse, Cæsar illius animum laudare, illius iudicium prædicare, monens ad certum diem adesse, *sed ita, si Reipublicæ commodo facere posset.* Rursum, legati ab Senatu misi ad Octauium ea quæ post liu. lib. 6. ipsorum discessum ab ordine amplißimo decreta erant audierunt, non expectato iussu eius in Vrbem remearunt. Amplius, legati Appian. 3. Ciuil. eiusdem Senatus misi, in Græciam cognitores controuersiarum quæ Achæos inter, & Lacedæmonios erant, cum obuiam habuissent Græcam legationem, quæ ad ipsam Romam mittebatur, quamuis iniussu domum reuersi sunt. P. Scipio Africanus Senatuscon- Zonar. lib. 2. sulto ad se perlato de pace cum Carthaginēsibus facienda, nequaquam vt obtemperaret animum induxit, quid ita? quòd illi compertum erat Carthaginenses fallacem pacem petijsse ab Senatu, vt eam aperto bello commutarent. Rursum, legati Romani etsi ad plebem missi, Dio. Halicar. lib. 6. cum summo iure promittendi quicquid illa postularet, tamen statim vt Tribunorum mentio facta est, rem nouam, & inauditam Senatui seruauerunt integram. Alia qui volet exempla, legat in legato

 Paschalij.

Paschalij. Quibus exemplis, & documentis licet cuipiam videri possit, Principum mandata pro necessitate, an oportunitate rerum mutabilia, tamen auctor esse nolim, vt quæ conceptis verbis à Principe mandata sunt, ea immutare se posse credat: cum Principes non aliter hodiè permittant suis legatis recedere à religione mandatorum, nisi in his quæ expreßè prudentiæ, ac iudicio illorum relicta sunt. Definita verò mandata, id est quæ certis præceptis circumscripta sunt, immutabilia esse volunt, & ab his ne latum quidem vnguem recedere legatum patiuntur, nisi ex noua caussa quæ Committentem latebat, præsertim si Mandato vel Instructioni, vt vocant, clausula hæc inserta sit; Reliqua tuæ prudentiæ & discretioni committimus.

And Gail de Pace pub. c. 4.

## CAPVT XXXVI.

*An Legatus cogi poßit vt mandata depromat? & an expediat eum vltrò proferre? & quid de litteris fidei seu Credentiæ.*

QVæstionis est an legatus cogi poßit ab eo qui aditur, vt mādata promat. De litteris fidei, seu, vt vulgus appellat, Credentiæ, haud dubium est quin iussus debeat proferre: at in mandatis, seu instructionibus præsertim occultis, in quibus arcana legationis continentur, nemo non nescit cogi non posse. Satis enim esse debet Principi ad quem itur, quod legatus sit actor publicus, quodq; acta ipsius à quo missus est non rescindentur. De eo autem cautum est satis & super, per litteras, vt diximus Credentiæ, ob quas is qui mittit, contractibus eorum qui mittuntur obligatur. Interdum etiam expedit legato, vltrò mandata proferre; vt ecce cum agitur quippiam tanti momenti, vt promissa dictaq; legati firmanda sint auctoritate mandatorum, vt accidit Aetholorum legato Romam misso: hic vt apertè Senatui dixit Aetolos se suaq; omnia fidei Populi Rom. permittere, Consulque fidem dictis haud inesse subdubitaret, legatus decretum, quo id conceptis verbis expressum erat, protulit. Secundò, cum res liquidò sciri non potest, nisi inspectis mandatis, vt in Demetrio Philippi Regis Macedoniæ filio legimus, cuius iuuenilis ætas haud temerè expediendæ, & exponendæ parentis legationis capax erat, ideò rogatus à Senatu Romano proferre Commentarium quem à patre acceperat, ilicò edidit, ita quidem vt illum solus inspiceret, ac recitaret. Insuper, cum pactis conuentis subscribere debent ij quorum interest: tum enim nihil conuenientius, & expeditius, quam promere mādata eius

Liu. lib. 26.

Ibidem.

eius rei quæ iam ſenſu communi expedita eſt. Ad hæc, vbi ſuſpitio oritur fraudis inter contrahentes. Amplius, cum legatus mittitur ad dirimendas lites inter aliquos: vt enim decreta eius firma rataq; ſint, profertur illa ipſa mandati pagina, qua id Iuriſdictionis continetur ad eam propè formam, quâ à procuratore mandatum exigitur, ſine quo geſta eius nulla ſunt. Poſtremò, cum legatio eſt odioſa, quæ nonniſi ſimili oratione edi poteſt: tunc enim prudenter legatus abſtinebit (inquit Paſchalius) à verbis caninis, minantibus, aut male omi- De leg.
natis: ſed ipſa potius edet mandata Principi recitanda, aut legenda vt ſic legatio cum bona potius componatur gratia, quam cum mala: alioqui etſi ſis exſors culpæ, dum ſeriem exponis ſuperbæ legationis, tamen vix eſt vt Princeps non excandeſcat, aut verba non commutet. Vnde legati Senatus miſſi ad Antonium cum mandatis odioſis, ac monſtroſis, nihil ipſi Antonio dixerunt: ſed mandata Senatus ei porrexerunt, vt illinc ipſi narraret decretum ordinis ampliſsimi. Illud ſilentio non eſt inuoluendum, ſi legatus mittatur ad diuerſas vnius prouinciæ regiones, ſatis ei eſſe ſi in Curia Præſidis Prouinciæ fidei edat, quia per omnes Prouinciæ regiones ei exinde credetur. In legatis verò Apoſtolicæ Sedis hoc obſeruatur, vt in ingreſſu Prouinciæ ſibi decretæ ſoleant legationis ſuæ litteras publicare, ne quis deinceps poſsit ignorantiam aliquam prætexere, 16. diſt. c. quod dicitis c. 1. de poſtul. prælat. quod hactenus accipe, ſi de alicuius præiudicio agatur, aut de re quæ ſpeciale fortaſsis mandatum poſtularet: alias enim nulla opus eſt litterarum demonſtratione c. nobiliſsimus 97. diſt. & d. l. prohibitum. 2. quſiſt. 5. c. quæ de cauſſa. Bondiſſaulus de Villadiego tract. de legato quæſt. 6. nu. 18. Card. Tuſchus tom. 5. concluſ. 160.

Bart. in l. Prohibitũ C. de Iure Fiſci l. vnica C. de mād Principi.

## Capvt XXXVII.

*De conſtantia Legatorum & libertate loquendi.*

Legatos modeſtiæ, ac humanitatis ſemper meminiſſe par eſt; at non ita, vt non cum vſus poſtulat in alia eat omnia, detque reſponſa viro magnanimo digna. Minus enim probantur, qui ſubleſtâ humanitate blandis verbis cum adito Principe agunt, timore, an odio, vel aliquâ ſpe lucelli iniectâ, obitam ſemel legationem ſuſque deque ferunt, aut quod peius deſerunt, vel illam remiſsiori animo, quam legationis cauſa poſtulat exſequuntur. Contra, prædicantur, qui ſpem, & metum quibus maximè faſcinari, mouerique ſolent

mortalium animi, pro nihilo habent. Isti enim liberè, & grauiter eloquentur, respondebunt prudenter, obiecta diluent fortiter, firmi denique stabilesque in proposito consistent. Vide quam fuerit inconcussus ille Pompeius. Is cum legationis officio fungeretur, inquit Valerius, à Gentio Rege Illyriorum interceptus, cum Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: eaque patientiâ Regi simul, & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excusit, & expetendæ Populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. Eiusdem animi Theodorus ille apud Ammianum, cuius linguam non effrenem modò norant omnes, sed despicientem quæ loqueretur. Q. Fabius Romanus, legatus Carthaginem missus, ad percunctandum publicóne consilio Annibal Saguntum oppugnasset, & si id faterentur Carthaginienses, bellum eis indiceret, leui quidem oratione quod mandatum erat percunctatus est, sed ferociore non solum sermone, sed etiam facto, bellum indixit. Nam Pœno superbius respondente: *Quod parturit animus vester, aliquando pariat*, sinu ex toga facto, *Hic*, inquit, *vobis bellum, & pacem portamus*. Par constantia in Mutio Scæuolâ, cui legato à Senatu ad Carthaginienses misso, duæ tesseræ punico ingenio oblatæ sunt, in quarum vna pacis signum inscriptum erat; in alterâ belli, eiusque arbitrio permissum est, vt vtram vellet referret: Ille autem vtramque sustulit, & ait, Carthaginienses petere debere vtram mallent accipere, & sic astuto consilio calumniam euasit, declarauitque Romanos potentiores, digniore sque Carthaginensibus esse. Itaque vt hæc constantia, siue etiam in dicendo libertas citra reprehensionem, aut periculum vsurpetur, diligenter considerandum est vter Principum auctoritate, & potentiâ altero præstet, quoque animo vtrique sint affecti: nam si is qui eum misit formidabilis sit ei ad quem mittitur, atq; etiam sit ita affectus, vt iniuriarum tam sibi, quam legatis illatarum sit impatiens, tum verbis etiam ferocioribus vti licebit, modo tamen (vt rectè monuit Conrardus Brunus) eiusmodi verba ad tuendam Principis vnde missus est dignitatem non iniuriam cuiquam irrogandam pertineant. Sin verò periculum sit, ne irritent eos apud quos dicunt, tum abstinendum erit verbis durioribus, & talibus vtendum quibus nec offendantur ipsi qui legatione adeuntur, nec dignitas, & vtilitas eorum qui eos miserunt negligatur. Teucas Illyriorum Regina, cum duobus Romanorum legatis, querelas sociorum, prædas, & iniurias, quas ab Illyrijs paterentur sibi

[Margin notes: lib. 3. c. 3. — lib. 29. — Liu. lib. 1. secun. bell. Pun. — lib. 2. de leg. — Polyb. lib. 2. in pr.]

expo

exponentibus, respondisset datu am se operam nequa ab Illyrijs iniuria publica Romanis inferretur: cæterum prohibere Illyrijs, quò minus priuatim fructum è mari caperent (fecerat enim i s nauigandi potestatem, & maris latrocinium in quoscunque finitimorum exercendi) neque Regij id moris esse, neque prohibituram. Ad ea Reginæ verba, qui inter duos legatos minor erat (inquit Polybius) intrepidè quidem magnanimum responsum; sed non satis pro tempore, in hunc modum dedit: *At quoniam* inquit *Romanis, ô Teuca optimus mos est priuatas iniurias publicè vlciscendi, iuuandiq́; iniuriâ affectos, dabimus operam, Dijs volentibus, vt vel inuita regias istas consuetudines emendes.* Quo feroci responso temerè, ac muliebri ingenio eò iracundiæ prorupit, vt neglecto iure gentium cum legati reuerterentur, miserit, qui eos sequerentur, & iuniorem illum auctorem eiusmodi verborum obtruncarent. Præcopis Tartarorum filius bello profligatus & captus à Stephano Præfecto Valachiæ, centum legati missi ad eum redimendum: qui minis vsi atrocioribus, Ni filius Principis redire postliminio patiatur totam regionem ferro flammisque deleturos. Hac contumelia & arrogantia sic excanduit Præfectus, vt mox omnes interimi legatos præter vnum iusserit, qui quid contumelia posset Domino referret. Sic dum Legatus Augusti Cæsaris Antonio, vt se dederet, denunciaret, ab Antonio actutum è medio sublatus est. Ex his vides, quam cauto, & cocto sermone vtendum, cum his qui potentiâ, & auctoritate præualent. Ergò B. Anthelmo meritò placuit, vt

*γλῶσσα χαλινὸν ἔχοι κραδίης ἔνδοθε δεδεῖσα:* In Monost.

*Lingua suos habeat frænos in corde ligatos.*

Absit itaque omnis à verbis asperitas, à voce contentio, & clamor, à vultu, atq́ à cætero corporis habitu iræ, vel alterius perturbationis suspitio, nihil denique arroganter, nihil protervè, nihil ad ostentationem proferatur, vt rectè ex Quintiliano monebat Illustrimus Cardinalis Palæottus. Et quoniam loquendi fiduciam conscientia ipsa, atque innocentia excitare solet, proderit multum, si is qui dicturus est veterem virtutis existimationem sibi antea compararit, nec eo tantum tempore, & loco qui se tunc offert: sed quandocunque res postulat liberè loqui assueuerit, ita vt eam sibi apud alios opinionem vitæ, probitatis conquisierit, se ad publicæ rei commodum, & dignitatem, actiones suas præcipuè referre. Quod & Quintilianus quamuis Ethnicus sensit, cum scripsit libertatem loquendi ab eo aptius exercendam,

De S Cō-sist. cōsult. p. 5. q. 1.

lib. 11. c. 1.

cuius

An. Syluius lib. 3. de gest. Alphon. cuius mens vitijs omnibus erit libera. Testor Ludouicum seniorem Bauariæ Ducem Stephani Ducis filium, qui etsi in vinculis ab Alberto Marchione Brandeburgensi detineretur, hicq; in illum mirum in modum excandesceret, quod quædam ab ipso petita abnuisset, eoque traditurum se illum in manus inimicissimi cuiusdam, tum Ludouicus: *quæ poteris ex me*, inquit, *libero imperare, eadem ex capto modo petito. Siquid amplius voles, corpus meum in tua potestate, animum mihi, non tibi inuenies obnoxium.* Pomponius omitti nõ debuit, non Ic^tus^ ille, sed Eques Rom. vtpote à constantia & libertate dicendi valdè celebris, is cum in Luculli exercitu contra Mithridatem stipendia faceret, fortè incidit, vulneribus iam pœnè confectus, in manus Mithridatis, à quo interrogatus si curatis vulneribus liberaretur, amicusne ei futurus esset, intrepidè respondit fore se, si ipse quoq; Rom. Populus amicus foret. Quid de legato illo Atheniensium dicam? qui Philippo Macedonum Regi sibi capitis minutionem minitanti, respondit, *statuam pro capite, pro morte, immortalitatem patriam reddituram.* Omitto Fabricios, Scæuolas, aliosq; Romanos ab eadem virtute, & dicendi libertate celeberrimos, tantum dico legatos aliosque Principis ministros, non magis sine libertate dicendi exequi posse ea quæ muneris sui sunt, quam militem sine manibus hostem depugnare, siue id metu siue pudore, siue affectatâ nimium reuerentia, siue proprij amoris inuolucris, siue quacumq; id specie accidat: cum constantia, & libertas dicendi, vt inquit idem Illust. Card. Palæottus, sint veluti nerui spiritus, & vita consilij. Itaque rectè M. Tullius dicebat, nihil esse quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioq; capiendo seruare constantiam. Quid enim prodest acutè, & prudenter prospicere quid consulendum sit, si id eloqui liberè non audeas? inutile, languidum, emortuum sit necesse est, quicquid liberè non enunciatur. Vidit hoc vir diuinus: *Vile est consilium cui robur fortitudinis deest. quia quod tractando inuenit carens viribus, vsq; ad perfectionem operis non perducit.* Graphicè etiam Seneca *Mutatio voluntatis indicat animum natare alibi, atq; alibi apparere prout tulit ventus. Non vagatur, quod est fixum & fundatum.* Neq; putes libertatem seu constantiam ad audaciam, vel immodestiam, contentionisue studium pertinere, quin ad charitatem potius, ad ingenuitatem, ad benè de alijs merendi propensam voluntatem: nam qui liberè dicit, nihil ad suum commodum refert, sed publicæ seruit vtilitati, quando non personam sustineat priuati, sed publica procurantis. Quare, & liberum, & modestum esse licet, imò modestia cum libertate iuncta, proprium est, & magnum legati, & Consi-

lib. 1. de Offic.

S. Gregor. 1. Moral. cap. 16.

Epist. 35.

Conſiliarij ornamentum. Fiducia autem auctoritatis Principis cuius negocium geris, ſed & eruditionis virtutiſq; tuæ, animum tibi dabit ad audendum: Nam vt nobiliſsimus iuxta ac eruditiſsimus D. Hermannus à Burgundia Comes Falleſius in ſua Dauidis Monomachia canit:

*———Omnia Virtus*
*Supplet, & excelſo nihil inſuperabile cordi eſt.* lib. 1. pag. 7.

## Capvt XXXVIII.

*Quibus de rebus certiorem reddit Legatus ſuum Principem, & obiter de ſtylo epiſtolari: deq; Notis & characteribus occultis.*

SOlent quidem legati Principes ſuos non rarò certiores facere his de rebus, quæ vel in aulâ, vel ditione eius apud quem legatione funguntur interueniunt: ſed dubitatur an, promiſcuè de omnibus. Ego in ea ſum ſententia, vt imprimis ea potiſsimum ſcribant, quæ negocium legationi cauſam dedit concernũt: eorum enim minimam partem omittere ſocordiæ, & negligentiæ imputatur. Ideò non modo res ipſas quæ in Senatu propoſitæ ſunt perſcribet: ſed ordinem ipſum rerum agitatarum, adeò etiam vt verba ipſa quo-ad eius fieri poterit, & quo loco, & tempore, nec non à quo, & quo vultu dicta ſint, an etiam extemporali, an verò meditatâ oratione res ad Senatum delata ſit, ſcriptis conſignabit. quæ licet leuia, ac minuta hæc prima fronte videantur, iuſta tamen iudicij trutina appenſa, ſuum momentum habitura ſunt: cum ex rerum perſonarumque circumſtantijs, magnarum ſæpè rerum certiſsimæ coniecturæ oriantur. Adhæc, vt ſi quid aduerſus Principis ſui auctoritatem dictũ factumque intellexerit, nõ aliter perſcribat, quam ſi in publico cœtu id euenerit. quid enim ſi nugigerulus quiſpiam, aut madidus, menteque alienatus quicquam de ſuo Principe effinxerit? hoccine ſtylo committet? nequaquam. Si enim nunciata falſa ſint, exiſtimatio eius periclitabitur; ſi vera, nihilo plus augebitur. Philippi itaq; Cominæi ſequatur monitum, vt non temerè rumores qui leuiter de Principe ſparguntur ei nunciet, ne pro beneuolentia, maleuolentiam conſequatur. Nam plerumq; accidit, vt ob falſam aliquam contumeliam Principibus delatam, fœdera (quæ alioqui ſunt arctiſsima Imperij vincula) nonnunquam interrumpantur. Itaq( non temerè nunciabit Legatus, quæ priuatim de Principe ſuo dicta fuerint. Imò nec

delato-

delatoribus eiusmodi haud facilè fidem adhibebit: cum pleriq; alios deferant, vel ob odium in ipsos, vel etiam ob gratiam, quam ab æmulo accusandi reportare sperant. Hinc Tiberius Cæsar cum ei accusatus fuisset Silanus, *non quidem sibi ignara respondit quæ de Silano vulgabātur: sed non ex rumore statuendū.* Si Princeps ille parui retulit vulgi rumorem, multò herclè minus fecisset ministri aut inuidi alicuius ea de re scripta. Aliud tamen dicendum est vbi vel in Senatu, vel pro concionibus, aut comædijs, aut libellis famatorijs aliqua Princeps notaretur ignominiâ: aut etiam fraus pararetur patriæ ob quam missus est: tum enim nulla interposita mora debet hoc ei nunciare, & calumniæ vel damni vindictam ab adito Principe postulare. Sed quid in extero Principe? huic duntaxat ea nunciabit quæ grata ei futura sunt, nec ingrata aut inhonesta ei cuius gerit legationem. Priuatarum verò rerum suarum nihil legatus suis inseret litteris: quòd grauiter, molestèq; ferant res priuatas suis negocijs commisceri. At, quid si iniuria affectus, aut lacessitus sit? distinguendum est, si iniuriam acceperit publicè, videlicet aut à Principe, vel à populo, aut etiam à priuato, sed frequenti concilio, eoq; conniuente; ex templò Principi significabit. sin aliter, sed à priuato priuatim, tum remedium habet ordinarium vlciscendi iniuriam per principem aditum, qui violator iuris gentium diceretur, nisi iniuriam legato illatam iusto supplicio vindicaret. Sed longū sit singula exsequi, tantū dico, vbi quid erit quod curæ pretium scribere iudicabit, aduertat diligēter ne à quoquam mortalium præueniatur: quippè si aliundè nuncianda inaudierit Princeps, nullam gratiam referet, imò in socordiæ & negligentiæ suspitionem veniet. Hinc risu exceptus fuit Saxoniæ Ducis, & Philippi Langrauij Hessiæ bello Saxonico in Gallijs legatus, qui cum Francisco Galliæ Regi nūciare deberet progressus Caroli V. in Germaniâ, non prius intellexit Dominos suos à Carolo interceptos, quam illud ipsum Rex illi significaret. Hoc in legatis. Principibus illud politici proponunt, vt quæ renunciata sunt diligenter examinent iustaque iudicij trutina ponderent; neq; ea tanquam à verò aliena negligant. Ferdinandus Gonzaga, cum Salassiorum Marchio ei fidem non habuisset, in extremum ferè periculum vniuersum Insubriæ statum adduxit. Monuerat is eundem Ferdinandum Dominum de Nerieu de Vercellarum oppido Gallis prodendo consilia tractare, ac simul auxilia, rebus suis postularat. lectis litteris Gonzaga sibi persuasit id eo tantum à prædicto Marchione confictum esse, vt auxilia tanto facilius impetraret. quid cōtigit? vix mensis exierat

Tacit. 3. Annal.

cum,

cum Vercellarum oppidum Domini de Neriu potissimum opera in Gallorum potestatem venit, ac nisi arx, cuius ope deinde oppidum fuit recuperatum hostiles manus effugisset vniuersus Insubriæ status ad incitas & summam miseriam redactus fuisset: quod quidem periculum, & alia multa nunquam incurrisset Conzaga, si huiusmodi monitum atque alia generis eiusdem obseruasset, qualia sunt audire omnia, secreta habere omnia, examinare diligenter omnes circunstantias & conditiones personarum, rerum, loci, temporis, & alia ex quibus aliquomodo, verum vel falsum inuestigari potest. Cæterùm, vt regrediar vnde diuerti, cum litteræ legati nedũ ab ijs qui à secretis sunt leguntur: sed etiam ab ipsis Principibus, vbi scilicet res ipsorum oculis digna, aduertat necesse est quo scribẽdi genere vtatur. Sententia receptior est stylum debere esse breuem, nec prolixum: nisi pressum, & abscissum, Plinio hoc suadente; *& pressus sermo*, inquit, *purusq́ ex epistolis petatur*. Sermo autem breuis fiet, inquit Lipsius, obseruatione triplici, Rerum, Compositionis, Verborum. Rerum, vt superuacuum nihil admisceas, nihil repetas; imprimis non capita ad quæ respondes. Compositionis; vt structuram, & periodum longiorem omnem fugias, membris vtare, & asyntetis sæpè. Verborum; vt lætior omnis phrasis, allegoria, imago abdicetur, parca, & pura oratio sit, necessaria supellectile verborum contenta. Ad hæc non sit affectatus stylus: sed simplex, & *quotidianis verbis*, vt Cicero inquit, *Compositus*. pro qua sententia etiam Demetrius Phalereus: φιλοφρόνησις γάρ τις βούλεται εἶναι ἡ ἐπιστολὴ σύντομος, καὶ περὶ ἁπλοῦ πράγματος ἔκθεσις, καὶ ἐν ὀνόμασιν ἁπλοῖς: *Comiœ quiddam vult esse epistola; breue, & de re simplici expositio, etiam verbis simplicibus*: licet in re grauioris curæ, non negem eminentiori vtendum stylo, eodem Plinio teste: *vt in pictura lumen non alia res magis quam vmbra commendat, ita orationem tam submittere, quam attollere decet.* Insuper vt venustatem aliquam, & decorum, quod Græci τὸ πρέπον dixêre, adhibeat. Id autem potissimum consistit, in parœmijs, siue prouerbijs, & allusionibus ad prisca dicta, & facta, vt & in quibusdam salibus, & iocis opportunè insertis, & nequaquam à persona cui scribitur abhorrentibus, vt nec etiam anxiâ curâ seruabit aliquem ordinem, quin laudantur quibus nullus est, aut neglectus, licet in serijs nonnulli ordinem velint adhiberi: vt & delectum aliquem verborum, quæ vt ne nimium abstrusa sint, aut obsoleta & maximè è Comicorum classe petita cauendum. Atenim verò mos ille iam Aulis Principum inualuit, vt res singulæ singulis articulis cir-

lib. 7. Epist. 9.

In Instit. Epist. c. 7.

De Elocut.

lib. 3. Epist. 15.

circumſcribantur: hoc enim iuuat & memoriam, & maiorem præbet facilitatem ad reſponſa: in quibus vitandum ne capita ad quæ reſpondes repetantur. Deniqúe, tradi ſolent legato notæ & characteres quidam, quibus quaſi inuolucro quodam occultatur ſcribentis ſermo: ſed de his exſtant, aut certè exſtiterunt libri Caij Cæſaris ad C. Oppium, & B. Cornelium, qui res eius abſentis curabant: in quibus ſi qua occultius proferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt ſic commutato litterarum ſitu, vt nullum verbum effici poſſet: ſed ex conuentione inter eos clandeſtinâ, facile erat intelligentibus, quæ littera pro qua eſſet ſubdita, ſcribentis conſilium (alijs hanc ſcribendi latebram ignorantibus incognitum) intelligere. Sed quando de occultis notis & characteribus, ſiue illorum ſymbolis extent libri iam editi, ex ſuperuacuo eſſet labore diutius iſtis inhærere. Tantum ad extremum dico, eos qui accuratiores haberi volunt ſolêre ſuarum exemplaria litterarum ſibi retinere, multis vtpote & magnis vſibus ſibi futura: quod & in priuatis negocijs, certè alicuius ponderis, pleroſq; laudabili inſtituto factitare videmus.

## CAPVT XXXIX.

*Vtrum legatus fingere aliquid, ſeu ſimulare, an etiam mentiri poßit?*

FIngere, inquit B. Gregorius Homil. 23. componere dicimus; vnde & compoſitores luti figulos dicimus. Sic vultum ſibi fingere hilarem, lætum, triſtem, grauem, cum in contrarium componitur atq; affectus eſt animus, quo ſenſu non in vitio ponitur fictio, quin laudi datur, vel Satyrici ſenſu:

Iuuenal. ———*Melior qui ſemper & omni*
Sat. 3. *Nocte dieq; poteſt alienum ſumere vultum.*

Quò adſpexit Seneca: *faciet etiam ſapiens quæ non probabit, vt*
Apud Lactan. c. 15. *etiam ad maiora tranſitum inueniat: non relinquet bonos mores: ſed tempori aptabit, & quibus vtuntur alij ad gloriam, aut voluptatem, vtetur agendæ rei cauſa.* & Laertius optimè: Εἶναι γὰρ ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποχειτῇ τῶν σοφόν· ὃς ἂν τε Θερσίτου, ἄν τε Ἀγαμέμνος πρόσω-
In Zenone πον ἀναλάβῃ, ἑκατέρον ὑποκρίνεται προσηκόντως: *Eſſe bono hiſtrioni ſimilem ſapientem: qui ſiue Therſitæ, ſiue Agamemnonis perſonam acceperit, vtramq; decenter exprimit, & imitatur.* Talis erat ſimulationis archi-
Dio. lib. 57. tectus Tiberius Cæſar, qui nullam ex virtutibus ſuis magis, quam diſſimulationem diligebat. hinc verba eius plerumq; obſcura, ſuſp[illegible] perplexa, immò in ſpeciem recuſantis compoſita. Ideq;

Principis animum nemini cognitum eſſe debere cenſebat: dicens eum intellectum multorum, & magnorum cauſam eſſe malorum; contra, diſsimulatum plura, ac maiora commoda conſequi. quod quidem factis ſæpè edocuit: ſed tum maximè cum defuncto Auguſto ſimulauit ſe deſiderare ſocium aliquem in Principatu. quo fine? niſi vt Senatorum voluntates indagaret, vt ijs poſtea cognitis, certius, meliusq́; rebus ſuis cõſuleret. L. etiam Syllæ, teſte Salluſtio ad ſimulãda negocia, altitudo ingenij incredibilis fuit. Nec illi abſimilis Ageſilaus Lacedæmoniorum Dux, qui vultum quidem ſuum ſic efformabat, vt metuens hilaris, ſecundiſq́ue in rebus longè timidiſsimus videretur. Itaq́; *vtilem eſſe ſimulationem* cum D. Hieronymo dicendum eſt. Nam & ſeruator generis humani niſi ad humauos affectus ſeſe dimiſiſſet, inquit Gregoras, & cum Publicanis cibum cœpiſſet, & humanitatem præ ſe tuliſſet, & quatenus ratio ſineret omnium ingenijs ſeſe accomodaſſet, haud facilè totas ciuitates, ac populos ad amplectendas res vtiles, & ſalutares perduxiſſet. Sed vt benignus ille Deus ſimulationem non eſſe ſpernendam edocuit, ita quoq́; veritatem ore Sirachidis commendauit: *Ne velis mentiri,* inquit, *omne mendacium.* præſertim quod animi degeneris ſit, abiecti etiam & plebei, teſte Philone, fraudibus, mendacijs, & dolis actiones ſuas inuoluere. Priſci Aegyptiorum Principes patrio inſtituto torquem aureum lapillis diſtinctum, cui nomen Veritas, collo decus geſtabant, inſigne videlicet genuinæ veritatis quæ eſt coruſco ſydere pulchrior, vt docerentur ſe nulla re magis honeſtari, quam nitore vitæ, & ſimplicitate ſermonum; quorum vtrumq́; in legato conſpicuum eſſe debet, cum is non ſolum ſit legatus negociorum: ſed etiam morum. Apud Perſas quoq́; turpiſsimum erat mentiri: ſecundo in ære alieno eſſe, cum ob alias cauſas, tum maximè quod neceſſe ſit eundem qui debet, mendacio quoq́; eſſe obnoxium. Non ſum neſcius Rationem ſtatus, vt vocant, mendacia officioſa, & Reipub. vtilia admittere: vnde Plato ſcribit *crebro mendacio vti debere Imperantes ad commodum ſcilicet ſubditorum.* & Diphilus apertè:

Tacit. 1. Annal. — in c. Vtilem 22. q. 2. — lib. 3. Hiſt. Biſant. — Eccleſ. 7. — De Principe cap. 7. — lib. 5. de Repub.

Υπολαμβάνω τό Ψεῦδος ἐπὶ σωτηρία
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές:
*Ego exiſtimo mendacium ſalutis gratiâ*
*Prolatum, nihil adferre mali*

Idemq́; probat Plinius: *Decipere,* inquit, *pro moribus temporum, prudentia eſt.* Vnde facetè narratur de quodam Florentino qui Leoni X. Pontifici Max. Florentiam ingredienti comitem lateralem ſe præbebat,

lib. 8. Epiſt.

bat, quem dum Pontifex interrogaret cuius essent villæ, quas adequitando passim intuebatur, illum tali promptitudine ac si paterna rura fuissent, singularum villarum, ac prætoriorum Dominos, sæpius tamen falsò, enarrasse. Alius autem ex asseclis sermones illos fortè inaudiens obseruabat hunc Pontificis asseclam splendida mendacia effutientem, illiusque impudentiam admirabatur. Cum verò propter obuios Magistratus tandem Papæ latus reliquisset, non potuit se alter continere, quin illum interrogaret, ecquid ausus fuisset tanta cum audacia, adeòque firmo vultu coram Pontifice tot mendacia comminisci, cui ille: Volebasne stolidè vt Papa me demisso alium accersiuisset, à quo de villis illis edoceretur?, præterquam quod parum referre videbatur, an talis villa, taleve prætorium Titij, an Mæuij esset. Verumenimuerò vt sint qui admittant, licet malè, minuta illa mendacia, tamen grandiora, & perniciosas illas fraudes, quibus alteri iniuria factum itur, nulli sunt qui admittant, nisi fortè qui prodiere è ludo Macchiauelli quem constat non honestum vtili, sed vtile honesto antetulisse. At qui meliore indole ad virtutem sunt, hauddubium quin minores maioresque dolos penitus auerruncent: cum non careant impunitate talium fraudum architecti. Ciceronem ipsum testor: *Quæ Pæna*, inquit, *à Dijs immortalibus periurio, hæc mendaci constituta est. Non enim ex pactione verborum quibus Iusiurandum comprehenditur: sed ex perfidia, ac malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, Dij immortales irasci, ac succensere consueuerunt.* Itaque hæc mendacia quibus alij pernities intenditur è hominum societate penitus tollenda, nec illud Iulij Cæsaris admittendum: *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est; in alijs rebus pietatem colas.* Sed prô Deum immortalem! quam multi sunt etiamnum Iulij, qui si non illius, at Macchiauelli edocti magisterio fas, & æquum contemnunt, & rationem status veritati, imò & religioni præferendam plenis buccis dictitant: nihil enim illis illo notius: *à quello chi à saputo meglio vsare la volpe, e meglio successo.* Sed de his, plus satis dictum est.

Pro Rosc.

Apud Suet

CAP.

## Caput XL.

*Legatos non esse violandos: & an tuti sunt in ditione eius Principis qui non aditur? & quid si inibi intercipiantur?*

INter ea quæ iuregentium sacrosancta, vel barbaris ipsis habentur, ius legatorum numeratur, quod adeò humanis, diuinisque legibus defenditur, vt etiam inter hostes sanctum inuiolabileque reputetur. Si seuerè animaduertitur in violatores statuarum, nulla vindicabitur pœna qui temerario ausu legatum, qui Principis cuius agit legationem viuam præfert imaginem, violabit? Ideòque qui legatum hostium pulsasset, aut iniuria affecisset, contra ius gentium id commissum esse veteres decernebant, eumque dedi hostibus quorum erant legati volebant; quia *sancti*, inquit Ic[tus] *habentur legati.* l. si quis ff. de legat.
Iulius ille Cæsar id apertè adstruit: *Nomen legati*, inquit, *apud omnes nationes sanctum inuiolatumq; semper fuit.* & Tacitus: *sacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius.* Ab hac mente M. Cicero: *Nomen legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura: sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Sed &* Dionysius, legatum *potestatem Imperatoris, sanctitatem, & venerationem Sacerdotis habuisse* narrat. Quin Paulus Iouius *Ius legatorum etiam apud efferatißimas gentes sanctißimum esse* dixit: lib. 3. de bell. Gall. lib. 3. Hist. Orat. 6. in Ver. lib. 11. lib. 18. hist. lib. 1. hist.
Rursum Tacitus, cum de periculo Planci qui à Tiberio Cæsare ad legiones Germaniæ tumultuantes legatus missus fuerat, tractat, scelus illud, & periculum auget his verbis, *rarum etiam inter hostes, vt legatus Populi Romani, Romanis in castris sanguine suo altaria Deûm commaculasset.* Vnde Scipio Africanus cum onustam multis, & illustrium Carthaginensium viris nauem in suam potestatem redegisset, inuiolatam dimisit; quia se legatos ad eum missos dicebant: tametsi manifestum erat illos vitandi periculi præsentis gratia falsum legationis nomen amplecti, vt Rom. Imperatoris potius decepta fides, quam frustra implorata iudicaretur. Val. Max. lib. 6. c. 6.
Sic Tarquiniorum legati, iam regno pulsi, cum Romam venissent res ablatas repetitum, occultèque cum adolescentibus quibusdam Romanæ iuuentutis de recipiendis, reducendisque Regibus tractarent, re per quendam seruum detecta, & Consulibus delata, quamuis visi essent commisisse, vt pro hostium loco haberentur, *valuit tamen*, vt ait Liuius, *ius gentium.* liu. lib. 2.
Sic Volchi cum aliquos exploratores misissent specie legatorum in castra Romanorum qui explorarent eorum numerum, & apparatum belli, Dio. Halicar. lib. 6.

quamuis

quamuis conuictos, & confessos, tamen Posthumius Dictator concitata ad feriendum multitudine, incolumes seruauit; inani legationis nomini tantum tribuens: ne scilicet daretur hostibus aliquis honestus belli prætextus, simulaturis legatos violatos contra ius gentium. Vnde & Veneti Fœcialem Regis Galliarum, bellum Reipub. denunciantem, iniustitiamq; & alia ijs exprobrantem religiosè dimiserunt.
An. 1541. Vt meritò Franciscus I. Galliæ expostularit cum Carolo V. de legatis suis præter ius gentium cæsis Fregosio Ligure, & Rinconio Hispano: quos Gallicæ legationis Principes dum Venetias proficiscerétur Cæsariani interceptos crudeliter enecarunt. Scimus etiam Turcarum Imperatorem ægrè tulisse suos milites Regis Poloniæ legatos tumultuarios occidisse. Deniq; quantoperè superioribus annis Henricus IV. Galliæ Rex perculsus, ac indignatus fuerit vt intellexit ædes D. Rochepotij legati sui in Hispania per officiatos Regis violatas, hinc liquet, quod è vestigio, & citatis equis eum ab Aula reuocarit. Siquidem, collo, vt aiunt, obtorto, quosdam è domesticis legati in quibus illius nepos per vim domo eductos in carcerem coniecerant, hoc prætextu quod nonnullos Hispanos partim male multassent, partim etiam interfecissent: at illi non iniuriam intulisse; sed vindicasse reposuerunt: quòd ipsis natantibus Hispani vestes eorum in profluentem proiecissent. Quibus tamen exemplis nolim existimulari legatos ad audendum aliquid in fraudem pernitiemve eorum apud quos legatione funguntur. Frustra enim, deq; nihilo postulat fidem ei seruari, qui primus illam violat atque labefactat, vt infra dicemus. Denique adeò sunt sancta legatorum iura, vt ne quidem pro Repræsalijs vt loquimur capi aut retineri queant: quod procedit nedum in loco ad quem destinatur legatus, sed nec alibi vt auctor est Bartol, & alij quos appellat Villadiego. Enimuerò, adeò esse inuiolata voluerunt veteres legatorum iura, vt ad familiares ipsorũ, & comites, qui ad ærarium aut in commentarium Principis relati sunt extendi voluerint, quod & scripto prodidit Chopinus. Caueat tamen legatus ne obtentu iuris istius gentium, domum suam efficiat asylum reorum iudicij capitalis, præsertim si subditi sint ditionis eius, in qua legatione fungitur: quoniam pluribus hoc pessimè cessit; præterquam quod si deprecatorem pro illis se præbeat, repulsæ periculo se subijcit, vnde aliud ex alio malum enasci haud dubium est. Atque hactenus dicta sint de his qui eadem viuunt religionis normâ. Quid in hæreticis? Mauelim lectorem remittere ad Ioannem Molanum Theologum Louaniensem, & nouissimè ad Heribertum Rosnue-

P. Mathæi 4. Hist. 2. nar.

de leg. p. 2 q. 5. nu. 2.

de Doma. Franciæ tit. 11.

Rosnueydium Societatis Iesu, qui ex professo hanc disputationis palestram sunt ingressi, quam velut rem his tẽporibus nimioperè anxiã odiosamque curam studiosè prætergredior, Tantum dico, quoties legati se vspiam violatos senserint, vt è vestigio Principem suum reddant certiorem; sed hactenus si à Principe, vel eius ministris qui aditus est læsi violatiq; sint. Nam si ab ipsius subditis, ex facili eam sibi sumet vindictam, quam quilibet solet peregrinus, & aduena vbi læditur, id est ope eius Principis, à quo admissa est legatio. Se... quæri solet, quid si legatus violetur in ditione eius Principis, qu... gatione non aditur, an fruatur quoq; publico nationum iure? ... quaquam: quod tum cesset ratio iuris gentium. Ideoq; cui legato per aliûs Prouinciæ limites proficiscendum est, exploratum esse debet, an Princeps ille amicus sit, vel hostis sui Domini, item an ditio illa bellis sit implicata: vtrobiq; satius est, aut fide publicâ se communire, & transitus viam petere, nec prius se committere itineri, quam probè sit sibi cautum à Principe per cuius ditiones iter est agendum, aut certè clandestinò illud suscipiendum, præsertim si sine spe fidei publicæ transeundum sit. Huius rei documentum esse potest Legatus ille Turcicus qui superioribus annis admissus à Batauis, imprudẽns vicinas, inconsultis Dominis, aduenit regiones: qui profectò non iniuriâ eum ibi aliquamdiu detineri curarunt, potuissentq; quid grauius in eum statuere, nisi singulari clementia supinam eius ignoratiam palam hominibus ostendere voluissent. Verùm, an in hoc euentu si legatus à prædonibus intercipiatur, an Princeps eum redimere debeat? quæstio est, quæ veteribus fuit in vtramq; partem agitata: tandem placuit, si is non se obtulit legationi, sed rogatus aut iussus eam suscepit, casum illum fraudi ipsi esse non debere, sed mage Principi à quo missus, atq; ita Iureconsultis responsum est. Villadiego tract. de leg. p. 2 q. 4, nu. 10

## CAPVT XLI.

### *Quâ animaduersione puniantur violatores Legationum.*

OStendimus superiori capite quam sancta, quam inuiolabilia sint iura legationum. Agè nunc videamus quâ pœnâ mulctentur huiusce iuris violatores. Si antiquitatem spectemus, qui legatum hostium pulsasset, aut iniuria affecisset, dedi hostibus solebat. Ita M. Aemilio Lepido, C. Flaminio Cos. L. Manlium, & L. Minutium Carthaginensium legatis, qui manus his attulerant, per Feciales

Culeg

Culeo Prætor ex Scto dedendos, & Carthaginem ducendos curauit. Similiter Senatus, quòd Q. Fabius, & Cn. Apronius Aediles ortâ contentione legatos ab vrbe Apollonia Romam missos pulsassent, ontinuò per Feciales legatis dedidit, Quæstoremq́; cum his Brundu- m ire iussit, ne quam in itinere à cognatis deditorum iniuriam ac- rent. quæ pœna adeò debita erat his violatoribus iuris publici, vt dederentur, aut publicè non ratū eorū facinus haberetur, bellum i soleret. Decantata est contumelia illata Dauidis Regis legatis, arba eis media abrasa, & vsq́; ad nates veste circumcisa ab An- ege Ammonitarum ludibrio habiti sunt: hinc exarsit ingens m, & vniuersa gens vna cum Syris auxiliaribus victa, acres de- pœnas violatæ legationis. Tyrij quoq́; Alexandri Caduceatores inhumaniter trucidarunt, & eorum cadauera insepulta piscibus maris dederūt: at meritissimas violati iuris gentium tulêre pœnas. Nam Alexander suorum Fecialium acerba nece commotus, Tyrum famigeratam vrbem circūsedit, & septimo mense obsidionis expugnauit: Incolarum sex millia interfici, & ciuium laribus ignem inijci iussit. Athen. lib. 12. Addendi sunt Sybaritæ, qui à Crotoniatibus ad se triginta missos legatos interemerunt, eorumq́; corpora è muris deiecta abiecerunt Pabulum feris. Huius sceleris ergò à Crotoniatibus excisi sunt, ac deleti. M. Manlium legatum Romanum despicatui, ludibrioq́; habuit Mithridates, adeò vt asino impositum circumduci per compita iuberet. quò factum est, vt exscandescenti Populo Romano suaderet M. Orat. pro l. Manil. Cicero mittendum Pompeium aduersus Regem illum legatorum interfectorem. Nec prætermittendi Corinthij qui petulanter Romanos incesserunt, & insolenter lotio perfuderunt, quam indignitatem Strab. lib. 7. liu. 4. non esse ferendam Romani iudicarunt, & L. Minnio Duce ingentem exercitum in eos miserunt, qui superbam vrbem post longam obsidionem expugnauit, incendit, solo æquauit, quæ vltio ad alias etiam Polib. vrbes peruasit. Nam Thebæ, & Calcis à quibus auxilia portata ijs qui legatos Romanos violauerant, ex Scto dirutæ sunt. De his alicubi Cicero: *legati*, inquit *quod appellati superbius, Corinthum patres nostri totius Græciæ lumen exstinctum esse voluerunt*. Amplius Iulium Cæsarem legimus in Venetos animaduertisse ob violatum ius legationis. *Veneti*, inlib. 3. de bell. Gall. quit ille, *reliquæq́; item Ciuitates cognito Cæsaris aduentu, simul quod quantum in se facinus admisisset intelligebat, legatos (quod nomen apud omnes nationes sanctum, inuiolatumq́; semper fuisset) retentos ab se, & in vincula coniectos, pro magnitudine periculi, bellum parare, & maximè ea, quæ ad vsum* P. Iouius. *nauium pertinérent, prouidére instituūt, &c.* Deniq́; Achomatem Baiazetis

eius

eius nominis secundi Turcarũ Imp. filiũ natu maximũ Patris sui legatos, qui illũ à minore Asia quam bello infestabat, euocare satagebât in cõspectu suo iugulari iussit, quã indignitatẽ Baiazetes à filio cum ferre nõ posset, bellum oĩum Ducũ suasu illi indixit, quod gestũ est per Selymũ filiũ natu maximũ, Mustaphas, quoq; ac Bastâges, & Prætoriani maximè, cæteriq; qui Selymi rebus occultè fauebât: hæc per idoneos homines singulari calliditate in vulgus militũ spargi curauerât, mussare primũ, atrocitatẽ sceleris admirari, veluti dãnarent quidẽ crudele factũ, auctorẽ verò minimè criminarêtur: Mox, vbi Baiazetẽ proprio ardore, & vocibus militũ satis incitatum, & ex fiduciâ superioris victoriæ ad ulciscendũ iniuriam paratum vident, quam acerbissimè, & crudelissimè in Achomatem inuehuntur; eum vt parricidam, vt Imperij hostem bello persequendum censent; tollũtq; subinde ad cœlum militũ fidem, atq; virtutem laudibus, qui pro salute, ac dignitate Imperatoris nouos vltrò labores sibi expeterent. Ita Achomates astu, ac solertia Ducum patris iracundiâ, atq; omniũ deniq; militũ iudicio hostis declaratur: Decernuntur Prætorianæ cohortes, & magna pars Europæi equitatus, quibus primo quoq; tẽpore aduersus eum in Asia bellum geratur, quod sanè bellum legatorum violatorum causa susceptum, sensit sibi acerbissimũ Achomates, adeòq; vt ipse vita, Prouincia, & Imperij successione quæ sibi ætatis prærogatiua debebatur, spoliaretur. Clemens V. Pontifex Max. cum Hierosolymitanam expeditionẽ meditatus, eam ob causam Episcopũ Epamẽsem ad Philippum Regẽ Francorũ, qui ipsum tanquam Christianũ Regem ad eam rem cohortaretur, Rex autẽ subito subitò in carcerẽ coniecisset, mox aliũ legatũ misit, qui suo nomine Regi mãdaret vt missũ faceret captum legatũ, quod si nõ impetraret, diceret regnũ Frãciæ ad Ecclesiã deuolui ob cõtumaciam Regis, & violatũ ius gentiũ, adderetq; Anathema & Frãcos omnes à fidelitate Regia absolueret. Verùm, infinita possent huius generis cumulari exẽpla, nisi superfluũ ambitiosũq; videretur probare omni ætate sæuitiã in legatos cõmissã à Principibus acriter vindicatã. Vnde & lege Iulia de vi publica tenetur (inquit Vlp) qui legatos, Oratores, comitesve eorũ pulsasse, siue iniuriã fecisse arguerêtur. Pontificum verò constitutionibus, anathematis vinclo feriuntur, qui quid duriùs in legatũ statuerint. Quid quod diuinitus etiam punitos legamus violatores iuris gentium? nimirum quos humana non arcent supplicia, quos hominum non mouent exempla, Dei certè vindicta à tali facinore absterreantur. *Vigilat enim oculus iustitiæ diuinæ sempiternus*, inquit Ammianus, *vltricesq; diræ sunt legatorum*

Platina.

l lege Iulia ff. ad l. Iul. de vi pub.

Pausan. lib. 1.

Pausan. lib. 1. Testes sunt imprimis Megarenses, qui quod Anthemocritum Caduceatorem ad se missum occiderant, per multas ætates læsi Numinis pœnas dederunt. His succedant Arabes, qui quoniam legatos Hærodis Regis, quo tamen validiores erant, occiderant, Deo pro eiusmodi delicto vindictam reposcente, bellis attriti fuêre, vtpotè quamplurimis occisis, non paucis interceptis, omnibus prælio victis, atq; in potestatem Regis redactis. Quis nesciat pestilentiam vltricem fuisse violatæ legationis Persarum in Lacedæmonios quæ omnes ferè vrbes depopulata est? & quasi hæc ad iniuriam suis legatis factam parua essent, coactis copijs Rex Persarum in Lacedæmonios bella mouit, & grauissimis cladibus qui suos oratores eius nomine aquam terramq; petentes, quà in puteum, quà in baratrum, iubentes illinc terram, & aquam deferre, demerserant, affecit. Memorat è Plutar. Pascalius è Lacedæmonijs qui Darij Caduceatores interemerant, duos repertos tanta vi animi, vt vltrò ad Xerxem Darij filiũ profecti sint, suâ penâ expiaturi scelus quod fuerat vniuersorum, & suâ morte finituri periculum publicum, propemodum fortia illa pronunciantes:

Egesip. 2. cap. 32.

Herod. 7. Polym.

In Apoph.

ἥκαμεν οἱ κτείναντες, ἀπότρεπε λοιγὸν
Ἄπολλον:
*Hem tibi vtrumq; caput nos confice Apollo,*
*Ac perde has animas patriam bonus eripe noxa.*

Virtute tam animosa motus Darius eam pari clemẽtiâ remunerauit, remissa viris fortibus, cui voluntariè sese obtulerant pœna, vt qui se fato damnarant, regiâ virtute renascerentur.

## CAPVT XLII.

*Legatos interdum non iniuria violari.*

QVod diximus legatos nefas esse violare, hactenus cape, nisi ij ipsi alijs iniurij sint. quidni enim iniuriam à se propulsent quibus illata? cum legationum iura æquabilia sint, pariq; passu ambulent. vnde vt violati iuris gentium reus est, qui verbo factovè lædit legatum: ita pari crimine alligatur legatus, qui eum ad quem mittitur iniuria lacessit, vt tres Fabij fecêre ad Gallos missi, & eâ re, vt Liuius, & Plinius scribunt, ius gentium violauêre, dictaq; dies Q. Fabio à Tribuno plebis. Similiter L. Setinus qui ab Latinis legatus Romam, ita in Senatu Romano loquebatur tanquam victor armis Capitolium cœpisset, non legatus iure gentium tutus, qua ex re Senatus Populusque Rom. bellum Latinis indixit, ac intulit. Legati Persici barbaro ornatu insignes,

In lib. 25.

Id. lib. 8.

Herod. lib. 6.

insignes, vt insolenti specie Romanos sicuti contemptibiles, & meti-
culosos territarent, iussu Alexandri Seueri sunt comprehensi, demp-
toq; illis Persico ornatu in Phrygiam sunt ablegati, vt ibi ex Orato-
ribus fierent aratores, fossores, & caprimulgi, vt ex Herodiano Pas-
calius notat. Holstano Gothorum Rege imperante Shoningæ, & Ho- Io. Magn.
landiæ regiones à regni Gothici finibus vindicare contendebat Si- lib. 8. hist.
naldus Danorum Rex, quasi à se violentius quam iustius ademptas, Goth. c. 25
exorto ob id bello moritur Sinaldus Sinione filio regni successore, ac
hærede relicto. Is non aperto Marte vt pater, sed dolis depugnādum
censet. Missâ itaq; solemni legatione filiam Holstani in vxorem sibi
dari postulat: qui facile persentiscens quorsum tenderent istæ nuptiæ,
legatos confestim à se indignabundus abire iussit, quos denuò, & im-
portuniore temeritate in eodem negocio reuersos publico suspendio
confecit. Sed maximè legatos in se sæuiendi materiam præbere ob
mulierum prolubium in comperto est. Nam ecce Arabum quidam Ioseph.
legatus venit in suspitionem incontinentiæ apud Herodem Regem ant. Iud.
Iudæorum, quippè qui inuitatus à Rege ad cœnam, in Salomen Regis 16. c. 7.
sororem amore accenditur, conceptumque amorem adeò non dissi-
mulat, quin nutibus, & oculis incontinentiam suam proderet, ob
quā ab omnibus ludibrio habitus legatione infectâ discedere coactus
est. Itaq; etsi iura legationum sint sancta, & inuiolabilia, tamen si ad
quos mittuntur insolentius se gerant, non nefas haud dubiè erit, si
quorum pernitiem moliuntur, horum vltionem experiantur. Lega-
tio siquidem vallata, & tecta esse debet ipsa innocētiâ, & non stupris,
ac maleficijs cooperta. Hinc præclarè scriptum Procopio: *magna qui-*
*dem, & inclyta oratorum dignitas est, & apud omnes mortales alioqui honora-* lib. 1. belli
*bilis: sed tam diu id in se muneris retinent quoad ipsi suæ legationis officium ser-* Goth.
*uant. Nam hominem occidere qui legatione fungitur tunc quidem, & iure pro*
*humanis legibus licet, cum Regem videbitur cōtumelia affecisse, vel si adulterium*
*commiserit.* Laudantur à Nicephoro Euphrates, & Vincentius Episco-
pi pro Anastasio ad Constantium missi, quibus cum à Stephano An- lib. 9. c. 23
tiochiæ Episcopo (qui metuebat ne Athanasius cuius gratia legatio
ista missa fuerat ecclesias à quibus propter fidem exulabat reciperet)
submissa esset ancilla è prostibulo mercede conducta, de cuius com-
pressu per certos flagitiosos accusari apud Imperatorem debebant,
statim vt alter eorum impudicæ illius lupæ aduentum sensit, dæmo-
nem esse ratus psalmū cecinit. vt verò fraus Imperatori detecta fuit,
Stephanus vt nefarij sceleris artifex exauctoratus, & Leontinus An-
tiochiæ Episcopus delectus est. Cæterùm, si ius gentium non tuetur

legatos qui iniuria lacessunt eos apud quos legatione funguntur, multominus eos turbitur qui hostilia, proditionemve moliri comperientur. In quo euentu notandum, Reos criminis manifesti non solere ilicò puniri: sed à Principe cuius est legatio inquiri an rata habeat eiusmodi molimina: si non, ei remittitur, vt violator iuris gentium puniatur, aut vt dictum est supra, dedatur: Si contra, vix est vt non denuncietur bellum ei cuius consilio insidiæ, fraudes, coniurationes structæ sunt. Similiter haud erunt
Thucyd. lib. 2. tuti legati Imperij nostri, vel Principum aliorum, quando scilicet istos constabit hostilia tentasse, illos verò facinus commissorium commisisse. Sic enim Athenienses intercepêre legatos Spartanorum missos ad Persam. Itidem Romani Carthaginensium legatos missos ad Macedoniæ Regem. Itaque patrum memoria
Liu. lib. 3. Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis caput præscindi iussit cuidam legato sibi subdito à Rege Galliæ ad ipsum misso. Similiter quidam Vicarius Papæ legatum Ducis Vrbini sisti curauit in terris Ecclesiæ seu dominio Papæ, vtpote illius subditum. Plura possent necti huius farinæ exempla: verùm ad alia transgredior, & quæro, an legatus tutus sit in regionibus aliûs Principis ad quem non est missus? solutio pendet ex eo, vtrum Princeps ille, sit amicus ipsius Principis, an aliter, & vtrum ditiones illæ bellis flagrent, an non? vtrobique magis erit cautum legato, si litteras securitatis postulet ab eo per cuius fines, ac ditiones iter agit. Nam si is hostis sit, erit cur de se queratur, qui hosticum ingressus est sine fide publicâ: sin amicus; sed bellum gerat cum alio, meminerit iure gentium se minimè tutum, nec legationum iura obtinere, nisi apud eum eiusve ditiones consistat qui legatione aditur. Nihilominus ab Gallis reprehensum Carolum V. legimus, quod is ipsorum legatos eiusque subditos ad Turcam proficiscentes necari iussisset. atque hactenus de priuilegijs legatorum: stylum iam ad illorum comites transferamus.

CAP.

## Capvt XLIII.

*De Comitibus, & familia legatorum. sit illa spectata à moribus: & an Comes itineris cœptam legationem exequi posit?*

COmites cum Labeone Iurecōsulto appellamus eos, qui frequentandi cuiusque causa vt sequerentur destinati sunt. & eiusmodi sunt quales olim magistratibus Prouincias sortitis dabantur: qui duplicis erant generis, vt ex Budæo notat Brunus. Quidam velut negociorum publicorum adiutores dabantur, vt Assessores Iudicum, legatus, Quæstor, alijque; quorum opera officiales Principum in negocijs administrationis suæ vtuntur. Alij sunt, quos ex domesticis conuictoribus, aut ex necessarijs apparitoribus secum esse volunt ij qui Prouincijs præficiuntur, vt Accensus, Preco, Medicus, Viatores, Aruspices, Scribæ, Statores, Lictores, de quibus Lipsius noster plenâ manu scripsit. Hodierno æuo præcipui legatorum Comites sunt Secretarius, œconomus, Interpretes, Cubicularij, & si qui tales necessarij legationis Administri, quos sanè ex optimis quibusq; vitæq; integritate spectatissimis eligere è re nominis est legati. Hoc certè suadet Isocrates: Εἰς ἀρχὴν κατασταθεὶς μηδενὶ χρῶ πονηρῷ πρὸς τὰς διοικήσεις, ὧν γὰρ ἂν ἐκεῖνος ἁμάρτοι, σοὶ τὰς αἰτίας ἀναθήσουσιν: *Magistratum* (& legationem) *adeptus nullius improbi ministerio vtitor; nam quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur.* Quam ob caussam Q. Fratrem Proconsulari Imperio Asiam gubernantem prudenter monebat M. Cicero: *Sint hæc fundamenta,* inquit, *dignitatis tuæ, tua primum integritas, & continentia, deindè omnium qui tecum sunt pudor, delectus in familiaritatibus percautus, & diligens, familiæ deniq; grauis, & constans disciplina.* Quid ita? quia vt ibidē subijcit: *horum non modo facta: sed dicta etiam omnia tibi præstanda sunt. vas enim factus es pro ipsorum factis, & dictis.* vndè rectè postea monet: *si innocentes existimari volumus, non solū nos abstinentes, verum etiam nostros comites præstare debemus.* quod reapse ostendit apud Thucididem Brasidas: *Et ego,* inquit, *ostendam me eum esse qui non magis alios officij sui moneā, quam ipse factis præstem.* Talem ergò te tuis præbe, quales illos habere cupis; sint ornamenta legationis tuæ, non dehonestamenta gloriæ & dignitatis. Superiori æuo malè cessit Domino de Canny legato ad Ducem Burgundiæ misso à Rege Galliæ infidus ipsius comes à secretis: qui vel imprudentiâ, vel muneribus, (quod vero-similius est) corruptus, Instructiones Domini sui quibus inerant arcana legationis legēdas præbuerat Duci, ipsiusq; ministris: vnde

l. 15. § comitem. de Iniur.

lib. 2. de leg. c. 15.

lib. 1. Electorum.

de Regno.

Epist. 1. ad Q. Frat.

lib. 4.

vndè acriter postea reprehensus fuit, quin etiam carceribus Basiliæ Lutetianæ mancipatus. Vetus est sanè Principum vaframentum nihil non moliri & satagere, vt ad ipsorum notitiam perueniant legatorum Instructiones, priusquam illi mandata Senatui promant. Hoc ingenio legitur fuisse è veteribus Alcibiades qui astu effecit, vt legati Spartani antequam proferrent mandata, secum loquerentur, è recentioribus verò Galeacius Dux Mediolani, vt & Maximilianus Imperator alijq; nostra tempestate non pauci. Quorum documentis & exemplis discimus, quanti referat habere comites, & fidei expertæ administros; præsertim consiliorum legationis; cum semper extent in Aulis Coricæi quidam, callidiq; secretorum venatores. Certè vel eò maximè expedit vt interuentu morbi, vel necessitatis in itinere habeat sub manu per quos legatio perfici queat: siquidé, ex sententia Icti, licet in eiusmodi euentu cœptam affectamq; legationem ministerio socij, vel aliûs amici perficere: quamquam, tum videatur satius eorum à quibus missi sunt expectare sententiam. Cum enim legati industria, & prudentia à Principe sit electa, vix est vt legatus susceptam legationem per alium exequi, & perficere possit. Omninò autem diligenti curâ aduertendum est, vt sub initia legationis, legati suos contineant ministros, propterea quod Vlyssæis, vt sic dicam, commentis variè illos tentaturi sint exteri, in ipsorumq; familiaritatem sese penetraturi, vt simulatâ morum congruentiâ, ijsdem quibus illi vel simulatis vitijs affines illos reddere possint. Dixi autem, sub initia, eòquod in omnibus negocijs, validissima sint prima cœpta: quòd tum ob oculos mortalium maximè versentur exotici isti: atq; ab exordio rerum, dè progressu plerumq; iudicetur. Sed & illud animaduersum, seruos interdum legatis dari à prudentiâ, & astutiâ probatis. Hoc consilio ac potius calliditate vsus est Scipio ille Africanus in legatione quam expediebat ad Regem Syphacem, Cum legatis, inquit Liuius, quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordinis spectatæ virtutis atq; prudentiæ seruili habitu mittebat: vt nimirum dum legati cum Rege sermocinarentur, per castra illi inambularent, ac vires hostium indagarent.

Plut. in Alcib.

l. 2. C. de leg. lib. 10 ibi DD.

lib. 30.

CAP.

## CAPVT XLIV.

*Familia Legatorum an numerosa esse debeat. In Legatione plurium, simultas & dissidia auerruncanda.*

POrrò quæstionis est, an par sit numerosam esse Legati familiā, an verò paucitate circumscriptam? equidem pro re, & conditione mittentium, & eorum qui legatione adeuntur metiendum esse reor munerum familiarium. Scipio Aemilianus, teste Valerio, post duos inclytos Consulatus, totidemq; præcipuæ gloriæ triumphos septem seruis sequentibus. officio legationis functus est. Cęsar ille Iulius cum frequentibus nauigijs in Britanniam nauigasset, ternos secum familiares duxit. At hic restrictior numerus moderationi adscribendus, in quam à nostris multifariam peccatur. Cui enim vsui agmina, vt sic dicam seruorum, nisi in pompam, & ignominiam (ob licentiam quam sibi præsumunt plerique) Dominorum. Quanquam non nego quin pro magnitudine rei ob quam suscepta legatio est, vel pro dignitate eius qui mittit, quiq; aditur, liceat numerosum adsciscere comitatum, dum ne à tumido aliquo, sed ad dignitatem tuendam curioso processisse iudicetur. Exemplo sit legatio Cōstantij ad Orientales, qui cum propagandæ veræ pietatis (inquit Nicephorus) & confirmandæ fidei gratiâ ad eosdem Orientales nationes mittendam existimaret, ambitiosâ munificentiâ, eam instruxisse dicitur, missis illuc quamplurimis, sed Theophilo cognominato Indo, legationis Principe, viro doctrinâ, & pietate claro, cum ducentis generosis è Cappadociâ equis, alijsq; insuper donis, vt scilicet illi simul, & liberalitatis amplitudinem, & animi magnitudinem admirarentur. Verumenimuerò numerosæ istæ & in pompam, instructæ legationes, Principibus nonnunquam suspectæ sunt, aut certè inuisæ. testis sit legatio Hungarorum ad Federicum Imperatorem Neapolim missa, vt diadema regni sui redimerent. quæ quod magis ad terrorem quam honorem instructa videretur, tantum non fuit spreta, & reiecta: cum enim illa tribus millibus equitum constaret, dum portas vrbis appropinquat, renunciatum legato, non legationem istam, sed magis legionem militarem videri. ideò vnus duntaxat legatus cum 200. Equitibus introductus est. At enim legationes istæ demum institui solent, vbi inferior Princeps cum maiore negocium habet: tum enim ratio postulat, vt aliquanto luculentior, & numerosior legatio mittatur, ne ad instar Demetrij neglectum contemptumq; sese iudicet qui

lib. 4. c. 3. (margin, beside "munerum familiarium. Scipio Aemilianus")

lib. 9. cap. 17. (margin, beside "tales, qui cum propagandæ" / "firmandæ fidei")

aditur: Nam quia frequenti legatione multus honos habere ei creditur, qui conuenitur, dicitur Demetrius questus esse de Lacedæmonijs, quod vnum tantum, & incomitatum legatum ad se misissent, sicuti spretus. Quid inquit, vnusne ad me? at legatus: vnus ad vnum, & vnius nomine: quo scommate plures ex superuacuo desiderari legatos à Principe qui aditur. Distinguendum tamen, vtrum incipi, an confieri negocium debeat: si perfici, plurium interuentus desideratur, vt solemnium testium, ac signatorum; si incipi, vt plures admittantur, ne res multiformis reddatur, aut deformis, non informetur ab his qui quod fortè sunt discordes animis, variant sententijs, quod, & in perficiendis accidet, si diuortia interueniant animorum: ideò prouidendum ipsis ante omnia, vt firma & concordi quo-ad eius fieri potest, sint amicitia, & priuatas simultates, si quæ inter eos exortæ Reipublicæ fauore deponant. Aemilij Lepidi, &

Agell lib. 12. c. 8. Fuluij Flacci exéplo, qui cum nobili genere, amplißimisq; honoribus, & summo loco in Ciuitate prædití, odio inter sese graui, & simultate diuturnâ conflictati essent, tandem cum populus eos simul Censores fecisset, statim nondum dimißâ concione, vltrò vterque, & pari voluntate coniuncti, complexique sunt; ex eoque die, & in ipsa Censurâ, & posteà iugi concordiâ fidißimè, amicißimèque vixerunt.

lib. 4. c. 2. quippè existimabant non oportêre eos (inquit Valerius) priuatis odijs dißidêre, qui publicè summâ essent iuncti potestate.

lib. 2. Itaque *perniquumest*, teste App. Alexandrino *propter priuatas simultates Rempublicam in discrimen adducere: nec abutendum occasione ad explenda odia: sed potius Reipublicæ sunt donandæ priuatæ iniuriæ.* Manum de tabula tollebam, cum vnum adhuc mihi occurrit, vbi pluribus legatio committitur, solére vnum alijs præesse cui nimirum hoc cæteri concedunt ob ætatis, & eloquentiæ prærogatiuam, & eius erit edere legationem, mandata promere, & quicquid ijs conti-

In Vespas. netur: Ita Titum maiorem filium, Vespasianum Cæsarem ad Iudæos tumultuantes Principem legationis misisset Suetonius auctor

In Gord. 1 est. Gordianum deniq; filium in Africa habuisse Iulius Capitolinus scribit, alij alios, quos superuacaneum sit commemorare.

CAP.

## Capvt XLV.

*An Legatus comite vxore proficisci debeat? Mulieribus quandoq; legationes commissæ.*

Vicina eſt quæſtio, an vxor legati, vt thori ſic legationis ſocia ſit. Multi abnuũt: quod hic ſexus impar ſit laboribus, pronus etiã in ambitionem, leuitaté, libidinem. Deindè ineſſe mulierũ comitatui, vt S. Cæcinna inquiebat, *quæ pace luxu, bellũ formidine morẽtur: non imbecillum tantũ & imparẽ laboribus ſexũ, ſed ſi licentia adſit, ſæuũ, ambitioſum, poteſtatis auidũ.* (Apud Tacit. 3. Annal.) Documento ſint plerique, qui licet repetundarũ arguerentur, plura tamen vxoribus obiectabantur, ab his etiã negocia ſuſcipi, tranſigi deprehenſum, quod quam ſit Reipublicæ nociuum, experti ſunt non pauci, quos recenſet auctor quidam ſequioris religionis. Ludouicus Pius Imperat. Caroli Magni filius, cum totus penderet à conſilijs vxoris, multa impiè, crudeliterque perpetrauit, qua de cauſa in inuidiam apud ſuos Proceres vocatus, mox incitatis contra eum filijs, prætextu occultarum molitionum nouercæ, regno amotum carceri incluſerunt. Ita Baſiliſcus qui Zenone in exilium pulſo Imperium rapuerat, incitatus à coniuge edicta propoſuit, quibus aboleuit ſententias, & decreta Synodi Chalcedonenſis, & aliquantò poſt Iuſtinianus in dicta quinta Synodo oecumenica reſtituit decreta Synodi Chalcedonenſis, & ea de nouo ſanciuit, & ſtabiliuit. Sed idem Iuſtinianus paulò poſt perſuaſus, ac delinitus coniugis illecebris, & blandimentis, deſciuit à veriore ſententia ad Euſtychianos, multiſq;, & magnis motibus præbuit cauſam in Imperio. Atque ita ratiocinantur qui mulieres à contubernio legationem ſuſcipientis amouent. In quos tamen exſurgunt nonnulli, in queis Valerius Meſſalinus, qui ſententiæ iam dicti Cæcinnæ apertè aduerſatur. (Apud Tacit. d. lib. 3) Nam demus, inquit, quoſdam corruptos prauitatibus vxorum maritos, num ergò omnes cœlibes integri? quaſdam in ambitionem, aut auaritiam prolapſas, an ideò omnes arcendæ? quid? ipſorum Magiſtratuum nónne pleroſq; vidimus varijs libidinibus obnoxios, non tamen ideò neminem in Prouinciam mitti. Nec etiam æquum eſt, ob vnius, aut alterius imbecillum animum eripi maritis conſortia rerum ſecundarum, aduerſarumque. Si præſenti cuſtodiâ vix maneant illæſa coniugia, quid erit abſentibus maritis, ſi in modum diſsidij oblitterentur? Nonnè ex facili ille ſexus exponetur ſuo luxu cupiditatibus alienis? mox ſubijcit ipſum Auguſtum in

Occidentẽ, atq; Orientem cõmeauiſſe comite Liuia; ſe quoq; in Illyricum profectum, & ſi ita conducat alias ad gentes iturum, haud ſemper æquo animo ſi ab vxore chariſsima, & tot cõmunium liberorum parente diuelleretur. His dictis eluſam Cecinnæ ſententiam Tacitus ſcribit, & obtentum, vt vxores poſſent eſſe maritorum comites, ad Prouincias proficiſcentium. Atq; ego etiam in ea ſum ſententia, vt ſi legatio diuturnior ſit, quales ſunt legationes ordinariæ, ducenda ſit vxor. Nam ſi interdum, hoc eſt, cum neceſsitas poſtulauit, cum magno Reip. fructu mulieribus legationes commiſſæ, quid ni ſocias patiamur eſſe maritorũ legatione fungentium? Regnante Romulo bello Sabino Sctum factum fuit, quo Sabinis mulieribus filios Romæ habẽtibus facultas data eſt, relictis apud viros filijs, legationem obeundi apud Sabinos; cuius legationis Princeps fuit Herſilia, quæ pacem compoſuerunt inter Romulum & Tatium Sabinorum Regem, qua de cauſa à Regibus magni honores illis conceſsi ſunt. Prætereà cum Mutius Coriolanus iniquo conſilio à Romanis multatus, ad vindicandam iniuriam fuſis, ac cæſis aliquot exercitibus Romanorum, ad ipſa mœnia Vrbis acceſsiſſet; & neq; legati ad eum deprecandũ miſsi, neq; Sacerdotes cum Infulis quicquam proficerent, Veturia Coriolani mater, Volumniam cum liberis eius vxorem ſecum trahens, filium precibus ſuis, & lacrymis expugnauit, & exarmauit, atque ita quam viri armis defendere non potuerunt Vrbem, mulieres precibus, & lacrymis defenderunt. Conſimili propè legatione functas legimus mulieres Romanas ad Conſtantium Imper. miſſas, rogatum vt Liberium Pontificem, quem in exilium egerat, ſummum populo Paſtorem reſtitueret. Superioribus quoq; annis Perſarum Rex non Satrapas aliquos miſit legatos ad Imperatricem Turcicam quæ ob filij ignauiam tum ſola rem gerebat publicam: ſed fœminam præcipuæ nobilitatis, ratus illum in Seralium introductam per ſe commodius ſibi commiſſa executuram, quam legatos, qui nonniſi perſonis interpoſitis mandata deferre nequirent. Itaq; ſi magnarum plerumq; rerum adminiſtratio fœminis committitur, quid ni, illas legationes gerentium comites eſſe patiamur? Patimur ergò: ſed hactenus, vt quæ vxorum propria ſunt non excedant, nec ei rei quæ legationem tangit ſeſe immiſceant; nam iuxta diuini Platonis ſcitum, Ἀνδρὸς ἀρετὴ πόλιν εὖ διοικεῖν γυναικὸς δὲ οἰκίαν: *viri virtus adminiſtrare Rempub. mulieris familiam.* Certè, vel in eo maximè proderit marito, quod ipſius vigilãtia ſtabit diſciplina domeſtica, vitabũturq; sũptus maiores, quibus alioqui ferẽdis imparẽ tãtum non legatũ publica reddũt negocia.

Dio. Halicar.

Val. Max. lib. 5. c. 4.

Theod. lib. 2. c. 17.

CAP.

## CAPVT XLVI.

*An habeat iurisdictionem in suam familiam? & an alius in ipsum, si ciuiliter obligetur.*

QVæstionis est vtrum legatus Iurisdictionem habeat in suam familiam? verbi caussa, quispiam ministrorum facinus aliquod commisit, quis illius Cognitor? legatusne, an Princeps aditus? Breuiter, in eam itum est sentẽtiam, vt si facinus sit leuioris noxæ, quod pœnam capitalem non mereatur, liceat legato in suos domesticos animaduertere; quod contra si fraus capitalis sit admissa: hic enim Imperium eius qui aditus est cognoscere, cui vni vltorem gladium leges permittunt. eâ re superioribus annis legatus Regis Danię in Angliam missus, cum vnum è suis ab altero occisum deprehẽdisset, illius cædis vltorem se non præbuit: sed illius cognitionem Reginæ permisit, quæ vsa humanitate exequi facinus noluit: sed cædis auctorem in Daniã reduci passa est, vt causâ cognitâ per eum cui etiã ius gladij esset sumeretur. Itaq; in eiusmodi euentu dicendum iniussu Principis qui legatione aditur, legato non esse permissum de capite sui domestici ius dicere, nisi speciali Principis rescripto cuius agitur legatio id ei concessum sit, vt certè concedi deberet, vbi dissita expeditur legatio, ne alioqui domesticorum legati facinora maneant inulta. Porrò in leuioribus delictis, coercitio erit penes legatum, vt prædictum est. at quid si ciuiliter ipse obligetur, an experiundi potestas sit creditori, & coram quo? respondetur, si de ære contracto ante tempus legationis agatur, iuri non sistetur nisi illo finito: si tempore legationis coram eo iudice sub cuius iurisdictione abiuit in creditum: ne alioqui quispiam facili occasione cum alterius damno locupletetur.

## CAPVT XLVII.

*De Profectione legati ad Principem ad quem mittitur.*

COngruens nunc videtur, vt aliquid de itinere per legatum faciũdo dicamus, & quidem breuiter summatimq;. Atq; imprimis disquirendũ nobis est quid is obseruare, & notare debeat. nã vt illi qui telum librãt prius collineãt quo illud dirigãt, sic legati prudentiæ est prouidere non solum vt legatio succedat ex animi sententia, sed etiam quid ex peregrinatione, queat assequi quidque commodi reportare studeat ediscere. scimus multos haud mediocri teneri desiderio vi-

dendarum vrbium, Regionum, Prouinciarum, sed vt cum ratione ac fructu peregrinationem instituat paucissimi norunt. Placet itaq; opinio existimantium, vt per itinera notentur Vrbium positus, aliaque locorum ac regionum ingenia, munitiones, & arces, aditus ad Prouincias faciles, & difficiles, vt & viarum cõpendia, mores etiam, & instituta gentium, disciplinam quoq; militarem, deniq; vires Imperij quod aditum est, quæ potissimum consistunt in censu, vectigalibus, copijs militaribus, & fœderibus: ideòq; sigillatim de istis inquirendum, & Principi suo in tempore referendum. Cæterùm quos adire legatus debeat, dum iter agit ad Principem qui legatione aditur, breui etiam est examinandum: & quidem præscripsit Carolus Pascalius, vt obuij Principes adeantur, & salutentur si amici sunt; sin aliter, vitentur. Prætextus assumetur, necessaria celeritas, quæ negociorum occasiones magna ex parte sibi vindicat. Excusatione factũ probatur, aut coloratur. Vtrobiq; cauẽdum ne superbia, eiq; indiuiduus despectus prodantur. Neq; enim alia excusatè fiunt, quam quæ non malignè fieri palam est. Vt adire Magistratus municipales est infra dignitatem legationis, ita quoque ij scire debent publicè mitti eum, qui illac iter facit. Ideo isti legatum, & salutatione, & alijs obseruantiæ documentis excipient. Saltem qualicunq; hospitalitate significabũt animum bonum; qui apud bonos inuenit gratiam beneficij. hanc beneuolentiam legatus expeditâ comitate, & moderatione remunerari debet. Quod si nihil horum est, nec legatus vllis verborum officijs dignus est existimatus, ibi verò aut iustitiam, & rusticitatem gentis, aut odium, aut quod odio odiosius est, contemptorem animum aduertere potest: quæ quidem Principi, aut Senatui referet. Atq; hæc breuiter dicta sint de profectione legati. nũc de illius reditu pauca.

## CAPVT XLVIII.

*De reditu Legati ad suum Principem, deq; Responsis capiendis ab eo vnde abit. Et an mandata eius ad suum Principem tutò deferat?*

DE itione legati diximus superiori capite; nunc de illius reditu: hic mihi imprimis aduerte officium legati durare quamdiu is apud eum qui aditus est consistit. Tamdiu autem consistet dum responsum acceperit de re ob quam missus est. Nam ante vasa colligere, crimen fit indeuotionis. Imò habito responso ne tunc quidem recedet, nisi si à Principe vndè prodijt reuocetur: non aliter atq; signifer sarissam, aut vexillum non deserit, nisi Tribuni cui subest, mandatum accedat; alioqui desertor habetur, nisi tamen necessitatis leges aliud suadeant, in quo euentu etiam suggeritur vt non ex abruptò, & ino-

pinatò patrios repetat lares, sed vbi proximat confinio certiorem sui reditus reddat Principem, ne non præuisus ille casus percellat animũ eius, qui semper in secundas res magis est pronus. Itaq; responso accepto, Principis sui iussum expectet. Nam sicuti voluntate contrahitur mandatum, ita etiam dissoluitur, & quidem solius mandantis. cuius enim est mandati legem dare, eius etiam est reuocare. Porrò responsum accipiet legatus scriptũ, aut nec scriptũ, aut scripto voceq; mixtum. Prius accipiet, si minoris curæ, aut Imperij sit legatio, ita tamen vt in illo soler ter præstet Principem vndè abit suæ fiduciç, & industriæ buccinatorem. alterum, & tertium, legatis dari solet, vbi illi missi à Principe aliquo potente: quod docemur Alexandri facto, qui legatis Darij ad se cum litteris missis, & orantibus vt matrem, vxoré, liberos dimitteret, nullum responsum voce dedit. sed Thersippum vna cum litteris ad Darium cum epistola sua, quâ ad litteras Regis, & postulata legatorum respõdet, ire iussit. Sed & Iustini qui legato Cabadis cum in Persidem remitteret, promisit se suos haud multo post illo missurum, quorũ opera, & interuentu pax firmaretur. & Theobaldi Regis Francorum, qui licet legatis Iustiniani responsum dedisset, firmauit tamen se propediem de illo ipso negocio legatos missurum Constantinopolim. Expectandum igitur responsum ne desertæ legationis reus insimuletur. An semper? Negat Pascalius, tum cum legato, inquit, cõpertum est agitari hostilia, vna cum fraudibus expediri vim, bellum nondum ostendi; sed parari. Quæ omnia si non à suis propediem rescita fuerint, his vndiq; pericula surgant. Nẽpe qui talia agitant, astutè ducũt legatũ, qualibet specie respõsum differẽtes, ac proindè reditum eius, deniq; toti legationi callidè illudunt, vt sine bono euẽtu sit frustratio verius quã legatio. Sic Cæsar ludos fecit legatos Heluetiorũ, dein Pharnacis; & Philippus Macedo legatos Aetolorum. Hæ artes simul atque legato sunt cognitæ, enimuerò is sese erigere, ac responsum tanta sedulitate, constantiâque petere debet, vt etiam ab inuitis illud propemodùm extorqueat, potissimum si missus est à magno validoq; Imperio. Habito responso ocyus vasa colligat, discedatque citius quam asparagi, vt dictitare solebat Augustus, coquuntur. scilicet vbi fraudes aliquas sibi moliri persentiscit, non itinerũ asperitates aut cœli iniuriam pertimescat, ne occasio rei benè fœliciterq; gerendæ Principi suo elabatur. Cæterũ, quærũt nõnulli, an legatus rediens ad suos mandata ab eo ad quem legatione functus est in patriam perferre possit? Distinctione soluitur quæstio; si inimici sint, non rectè accipiunt, imò non caret præsenti suspi-

l. 12. §. pen. ff. Madati.

Arriã. lib. 2. de gest. Alexand.

Pascal. & & Procop. lib. 1.

lib. 1. bell. Gall.

ſuſpitione, qui ſtudet duobus Dominis, quibus inter ſe non conuenit, ſeruire: atq; hoc nomine Cicero legatos ad M. Antonium miſſos reprehendit, quod eius qui Senatui parêre dedignatus fuiſſet, mandata ad Senatum ſuſcepiſſent. Sin amici ſunt ad quos mittuntur legati, citra repræhenſionem accipiunt. Sic Latinus apud Virgilium non veritus fuit legatis Aeneæ poſtquam eorum poſtulatis annuerat dicere:

lib. 7. Aeneid.

*Vos contra Regi mea nunc mandata referte;*
*Eſt mihi nata, &c.*

Rurſum licitè accipi tradit Paſcalius, tum cum negocium commune quidem eſt, at nondum peractum, quod tamen perfici non minus intereſt accipientis, quam dantis. Ita Cæſar, per l. Cæſarem, & Roſcium Prætorem idoneos nactus homines per quos ea quæ vellet ad Pompeium deferrentur, petit ab vtroq;, quoniã Pompei mandata ad ſe detulerint, ne grauentur ſua quoq; ad eũ mãdata deferre. Atq; hi licet ſpecioſo excuſari videatur prætextu, tamẽ ſatius eſt propria id expedir legatione: Corbulonis exemplo, qui venientes Tiridatis, Vologoſiſq; de pace legatos, haud quaquam aſpernatus, adiunxit ijs Centuriones cum mãdatis non immitibus vt Tacitus auctor eſt. & Theobaldus Petro legato Iuſtiniani redeunti Conſtantinopolim addidit ſuum, & cum Irene Imperatrix miſiſſet ſuum legatum Leonem Spatarium ad Carolum Magnũ de ſancienda pace inter Græcos, & Francos, viciſsim Imperator in hoc ipſum miſit ſuos legatos Ieſſe Epiſcopum Ambianenſem, & Helingandum Comitem. Excipio niſi vtriq; Principes arcto amicitiæ, & cõſanguinitatis vinculo iuncti ſint, ſintq; mandata negocium concernentia ob quod legatio ſuſcepta eſt. Hic enim citra ſuſpitionem violatæ fidei mandata eius, vnde abijt, liberè conferet.

lib. 1. ciuil

lib. 5. hiſt.

Procop. lib. 1. bell. Goth.

Annon. 4. cap. 89.

## CAPVT XLIX.

*De Renunciatione legatorum. His maximè cauendum ne fœliciter geſta ſibi adſcribant.*

LEgatus domum reuerſus eniti debet vt ijs ipſis verbis, aut ſuppa-ribus reſponſa, decreta ve illius vnde receſsit, Principi ſuo exponat, & quidem, vt complurimum ſolet, frequenti Concilio. Nam quemadmodum legationes audiri, haud aliter ſolent niſi præſentibus Conciliarijs: ita legatis reuerſis eorum reſponſa excipi per eos decet, qui cenſendi, opinandiq; à Principe habent poteſtatem. Non quia ad id Princeps obſtringatur: ſed quod ſit congruum illius iudicium coercere intra orbitam ſententiæ plurimorum. quamquam tutũ eſt, & con-

& consonum rationi, vt priusquam referri ad Senatum patiatur acta legationis, solus à solo, vel vno saltem & altero arbitro præsente audiatur, vt instructiorem rationibus Senatui se præstet. Dixi ijsdem verbis quibus data sunt responsa per legatum enuncianda, cum plerumq; in vnius voculæ discrimine, tota Senatusconsulti, aut Principis immutetur sententia. Diximus etiam alibi legatis adeò vsq; obscura dari nonnunquam responsa, vt ijs intelligendis, Delio, quod aiunt natatore opus sit. Quare non sim alienior ab opinione eorum qui putant, benè, prudenterq; legatum facturum, si in rebus magni ponderis, Principum responsa, Senatusve decreta scriptis dari sibi postulet: vt alias diximus. Nam etsi periculum reprehensionis memoriæ adire eâ re videatur, tamen in legatione arduâ mauelim hic offendere, quã verbis capi, quod procliue est, vbi interdum ex compacto responsa numeris, vt aiũt, Platonicis obscuriora redduntur. Quæ tamen extra legationis momenta versantur, vt humanitas legato exhibita, munera data, & accepta, contumeliæ etiam, & ludibria iniecta, quo vultu & animo responsum enunciarit Princeps, omnia sigillatim & sincerè verbis sunt aperienda & designanda. Nam ab illis honoratum se Principem, aut sequius acceptum iudicabit. Vulgi etiam rumores minus subticebit. Vt etiam executus fuerit quæ in mandatis accepit. Summè autem cauebit vt ne intempestiuè, imò nunquam quę fœliciter gesta sunt, suæ virtuti, aut fortunæ, sed Principis à quo missus est attribuat; cæteroquin luserit non dubiè operam: & famam, & honorem quæ meritorum maxima sunt prœmia non reportabit. Testor Silium illum Romanum qui non aliundè exitium sibi accersiuit, quam à tumido animo quem prodebat intolerantius se iactando, sui videlicet vnius auctoritate, & industriâ Germanicas legiones haud defecisse, adeòq; cladem ab Imperio auertisse. Iactãtiam hanc ægrè admodum ferebat Tiberius Cæsar, *qui* vt inquit Tacitus, *destrui suam fortunam imparemq; tanto Imperio rebatur.* Fœlicitatem ministrorum ægris oculis intuentur Principes, & in suam contumeliam verti autumant, si quid benè gestum ad ipsorum prouidentiam non referatur. Sic Antonius Primus sui quoq; Principis indignationem incurrit, quod *nimius esset commemorandis quæ meruisset.* & legatus Aetolorum de quo Liuius: *Prouectus deniq; est intemperantiâ linguæ, & non victoriam de Philippo virtute Aetolorum partam: sed etiam salutem, ipsumq; & exercitum sua opera seruatum.* Sic Gregorium legatum Mauritij Imperatoris ferunt gloriatum Persarum Regem confessum esse, se ob legati virtutem bello supersedere: qua ex re sic excanduit Imperator, vt cane peius, & angue post

Tacit. lib. 4. Hist.

Tacit. lib. 4. hist.

post illa enim oderit. Plura huius formæ exempla petat qui volet è nostris libris Politicorum Aphorismorū, quibus facilè patebit quam noxia res sit legato commemoratio meritorum, *quæ*, vt Terentius inquit, *exprobratio est beneficij*. Ipsum quod probè quoq; considerauit, Agrippa, qui idcircò Augusti Cæsaris gratiam reportauit, quod cum rei militaris esset callentissimus, omnium laborum suorū, fructuum, & gloriam, & laudem acceptum à Principis sui fortuna referebat, & Tacitus socerum suum Agricolam ab hac modestia valde dilaudat, scribitq; illum *nunquam in suam famam gestis exultauisse, ad auctorem, & Ducem vt ministrum fortunam retulisse: ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat.* Germanicus quoq; apud eundem Tacitum, victo Arminio trophæum, non sibi vti, Dux Albanus in arce Antuerpiensi, sed Tiberio Cæsari posuit, cum inscriptione hac: *Debellatis inter Rhenum, Albimq; nationibus; exercitus Tiberij Cæsaris hoc monumentum Matri & Augusto sacrauit.* Bello Ticinensi in Italia non interfuit Carolus V. Imperator. Gualtij tamen Marchio belli Dux cum priuatis, tum publicis litteris testatus est ab illius prouidentia victoriā processisse. His atq; alijs exemplis discāt legati plurimum facere, & minimùm de se loqui: deniq; simulatione famæ famam suam augêre, & Principibus ijsq; qui circa eos sunt tempus donent recolendi memoriā magnitudinem meritorum, qua sensibus semel insinuata, non est quod de præmio diffidant. Postremò, ad relationem legationis etiam pertinet referre vires illius Prouinciæ quam adijt, quantum militum illic legere, pecuniæ vim quantam quotannis reddere, quæ tributa, vectigalia, quos socios habeat, quos stipendiarios, qua quisq; sit lege, religione, conditione, fœdere, & qui aditus sint peruij, quæ viarum compendia, locorum situs, quas gentes vicinas, & conterminas habeat, quibus & qualibus ministris hi vel illi Principes vtantur, & multa generis eiusdem, queis Principis ingenium, potentia, vel infirmitas regionum vnde redijt, cognosci posſit.

Tacit in eius vita.

## CAPVT L.

*De præmijs quæ dantur Legatis domum reuersis.*

VSus, & res ipsa docet hominum industriam in quouis genere virtutis languescere, si nullis præmijs, ceù calcaribus quibusdam excitetur. quin languescunt omnes virtutes, nisi liberalitatem ceù nutricem quandam & matrem habeant. Iccircò assolent Principes ministrorum labores munerari, rati *eò impendi laborem, ac periculum vnde emolumentum,*

Liuius.

*mentum, atq; honos speratur. Nihil non aggressuros homines, si conatibus, mag-
na præmia proponantur: magnos animos magnis honoribus fieri.* Hanc ob cau-
sam Alexander Seuerus, si quos virtutibus claros intelligeret, vel ni-
hil ab se petijsse, vel non tantum quo sumptus suos tolerarent, aliquo
accito, *Quid est*, inquiebat, *quãobrem nihil petis? an me tibi vis fieri debito-
rem? Pete, ne priuatus de me querare.* Quid liberalitatis exercendæ in A.
Cæcinnam, L. Apronium, C. Silonem, Senatui Romano occasionem
dedit? Nonne res præclarè cum Germanico gestæ? Itaq; decreta ijs
triumphalia insignia, vt notat Tacitus. Verùm, vt præmia meritis lib. 1. Annal.
respondeant, curæ Principalis est: iccircò solent legatos eos qui ope-
rosiorem, lõginquioremq; obiuêre legationem, maioribus, ijs quibus
faciliorem, tutioréq;, dedere, honestioribusq; prœmijs cõdecorare.
Diocletianus, & Maximilianus Impp. legatione perfunctis biennij l. 3. C. de
vacationem dederunt; si illa transmarina fuisset, non æquè si propin- legat. lib.
qua. Sed & illi qui hauddum legatione finita mortalitatem explerũt, 10.
condignis virtutis suæ præmijs nequaquam fraudandi sunt. Hinc Ser-
uio Sulpitio cum in legatione perijsset, statuã in rostris Populus Ro. l. 2. §. 43. ff de orig. iur.
posuit, *quem honorem statua* (inquit Cicero) *nemini tribuendum censuit,
nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem interpretor ita sen-* Philipp. 9.
*sisse maiores nostros, vt causam mortis censuerint, non genus esse quærendum.
Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, eius monimentum extare voluerunt, vt in
bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Laertes Tolumnius
Rex Veientium quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit, quorum statuæ
in Rostris steterunt vsq; ad nostram memoriam. Iustus honos: ijs enim maio-
res nostri qui ob Rempub. mortem obierant, pro breui vita diuturnam memoriam
reddiderunt.* Cæterùm, quæ hactenus dicta sunt, capienda de gratuita
legatione, quam Princeps, vel Respub. alicui dat, vsu ac necessitate sic
exigente; hic quippè legatus lucrum honorariumve, aut salariũ non
quærit, nisi quod à Principis munificentia præstolatur: ac licet gra-
tuitam dicatur impendere operam, sumptus tamen, & viaticũ, quod
legaticium dicitur, accipere non prohibetur: quin etiam si quos de
suo, bona fide fecerit, vel alias dãnum sustinuerit, à damnũ inferente
recuperabit: cum officiũ suum, vt respondit Africanus, nemini dam-
nosum esse debeat, præsertim si sit necessarium. In legationibus verò l. 18. §. 13. ff. de Muner. & hõ.
ob lucrum susceptis, nullum deberi prœmium, nullum honorarium,
verius est; quia cum de certa salarij quantitate inter mandantem, &
legatum sit conuentum, non est quod vltra expectet nisi legaticium,
quod gratuitis quoq; legationibus deberi diximus.

FINIS.

P INDEX

# INDEX RERVM MAXIME NOTABILIVM.

A



B



C


Ludouici

Resp.

# ERRATA TYPOGRAPHICA.

PAg. 1. lin. 11. ſine leg. ſiue. pag. 9. lin. 24 apertè leg, aptè. pag. 12. lin. 12. muneris leg. numeris. pag. 14. lin. 11. ob Romanos leg. Romanos ob. pag. 15. lin. 28. animum leg. animam. pag. 19. lin. 2. contenſioſas leg. contentioſus. pag. 20. lin. 7. officio leg. efficio. Ibid. lin. 11. ipſo leg. ipſis. pag. 22. in fien. Nauactum leg. Naubactum. pag. 23. lin. 27. Comitus leg. Comicus. pag. 24. lin 8. fama leg. fana. pag. 25. lin. 20. qvæ leg. qui. pag. 26. lin. 26. rogauit leg. rogaueraut. Ibid. lin. 32. coërceat leg. coërceant. pag. 29. in fi. negartemq; leg. negarentq; pag. 31. lin. 8. Piſos leg. Piſas. pag. 32. lin. 5. filio leg. filiæ. pag. 33. lin. 19. ſe ærarium, dele ſe. Ibid, in fi. probum leg. probrum. pag. 34. lin. 7. accurſiſſe leg. accurriſſe. Ibid. lin. 13. in auream leg. inaur am. pag. 38. lin. 25. Epictetius leg. Epictetus. pag. 40. lin. 13. par leg. pares. pag. 43. lin. 28. Marchione leg. Marchionem. pag. 45. lin. 12. maieſtas leg. maieſtati Ibid. lin. 26. falsè leg. falsê pag. 46. lin. 27. iniuriâ lege iniuriam Ibid. in fi. Duce leg. Duces. pag. 48. lin. 18. exquiſiiam lege exquiſitam pag. 49. lin. 4. reſerat lege referat pag. 50. lin. 15. conſcidi lege concîdi pag. 51. lin. 11. tactum lege tectum Ibid. lin. 14. cumplurimũ lege cõplurimum pag. 53. lin. 26. querendum lege quærendum. pag. 48. lin. 14. hoſpitum lege hoſpitium Ibidem lin. 15. acceraito lege accerſito Ibid. lin 31. ſinguls lege ſingulis pag. 58. lin. 4. lagatos lege legatos pag. 60. lin. 30. funabuli lege funãbuli pag. 61. lin. 10. exemplò lege extemplò pag. 63. in fi. temer lege temerè pag. 64. in fi. quidem lege quidam Ibid. lin. 14. cœpit lege cepit. Ibid. lin. 30. offerebantur lege offerebantur Ibid. lin. 33. Principis lege Principes pag. 67. lin. 4. illis admiſſis lege illos admiſſos pag. 58. in fin. feriæ lege certè pag. 59. lin. 10. feſſurus lege ceſſurus pag. 65. lin 26. nec lege & pag. 75. lin. 8. traphea lege trophea pag. 81. lin. 6. Malnius lege Manlius pag. 83. lin 25 quſiſt. lege quæſt. pag. 97. lin. 25. ſubitò ſubitò lege ſubitò pag. 103. lin. 4. munerum lege numerum pag. 104. lin. 6. aditur adde oſtendit pag, 106, lin. 29, illum leg, illam pag 107 lin 14. eſſet deeſt vox vindicta pag, 112, lin, 22, inſinua,tanon lege inſinuata Ibid. lin. 1. enim lege eum, pag, 108. inſtituat leg, inſtituant.





THESAURus
Politicorum